This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

F · A · A



· 1 · 6 · 0 · 4 ·

Digitized by Google

MENTEM ALIT ET EXCOLIT

K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

BE.9.N.51

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTIQVÆ LECTIONIS
Tomus V.
BIPARTITVS,
IN QVO L. VETERA MONVMENTA, NVNQVAM VISA, PAVCVLIS EXCEPTIS.

Quorum Catalogum verſa pagina indicat.

OMNIA

NVNC PRIMVM EX MANVSCRIPTIS CODICIBVS EDITA.

AB

HENRICO CANISIO

NOVIOMAGO I.C. IN INCLYTA ACADEMIA INGOLSTADIENSI SS. CANONVM PROFESSORE ORDINARIO, EIVSDEMQVE ACADEMIÆ hoc tempore RECTORE.

Cum Gratia & Priuilegio Cæſareæ Maieſtatis.

INGOLSTADII

Ex officina Typographica Ederiana, apud ANDREAM ANGERMARIVM.

ANNO M. DCIV.

Digitized by Google

INDEX VETERVM MONVMENTORVM, QVÆ IN HOC Tomo continentur.

In prima parte.

Serapion Epiſcopus Thmuecos contra Manichæos.

Didymus Alexandrinus contra Manichæos,

Titi Boſtrenſis Epiſcopi libri I.II. contra Manichæos.

Zachariæ Epiſcopi Mitylenenſis Syntagma contra Manichæos.

Excerpta ex libro S. Hippolyti Epiſcopi Portuenſis de Theologia & Incarnatione.

Epiſtola Gregorii Nyſſeni contra Apollinarium.

Scholium Eunomii, & diſputatio Orthodoxi contra eum.

S. Baſilii magni rationes ſyllogiſticæ contra Arianos.

Expoſitio de ſancta & Catholica fide S. Baſilii & S. Greg. Nazianz.

Epiſtola Photii ad Michaelem Bulgarorum Regem.

Eiuſdem Photii diſſertationes ſex de diuinitate & Incarnatione.

Fragmentum ex Leontio Cyprio contra Iudæos.

In ſecunda parte.

Engelhardus Abbas de vita Mechtildis Virginis.

Friderici I. Imper. expeditio Aſiatica.

Gulielmi de Baldenſel Equitis Aurati Hodœporicon in terram ſanctam.

Theodorici Turingi lib. IIX. de S. Eliſab.

Halitgarij Epiſcopi Cameracenſis de vitiis & virtutibus & ordine pœnitentium li. v.

Eiuſdem Halitgarij, ſiue alterius pœnitentiale.

Iſidorus de Conuerſis, ſiue ad Monachos.

Epiſtola Alcuini de Confeſſione.

Anonymus de S. Adalberto Pragenſi Epiſ.

Guntheri Monachi Hiſtoria de capta à Latinis Conſtantinopoli.

Anonymus de Adelhaide Imperatrice.

Fauſti Rhegienſis admonitio.

Eiuſdem Epiſtolæ.

Cæſarii, Sedati, & aliorum Epiſtolæ ad Ruricium Epiſcopum.

Ruricij Epiſc. Lemouicini Epiſtol. li. II.

Deſiderij Epiſ. Cadurceni Epiſt. li. vnus.

Epiſtolæ variorũ ad eundem Deſiderium.

Euanthi Abbatis Epiſtola.

Adamanni Scoti de S. Colũba libri tres.

Cogitoſus de S. Brigida virgine.

Acta duplicia S. Albani Martyris.

Vita Henrici Prioris Oxenhuſani.

Synodus Regiaticina.

Genealogia Caroli Magni.

Vita S. Cudberti carmine ſcripta à Beda.

Epigrammata & Hymni illuſtrium virorum Monaſterij S. Galli.

Althelmi Epiſcopi de laude Virginum liber carmine ſcriptus.

Eiuſdem liber carm. ſcriptus de octo principalibus vitiis.

Theodulphi Aurelianenſis Epiſcopi Elegiæ Epiſtolares de ſuo exilio.

Modoini Epiſcopi ad Theodulphum Epiſt. Elegiaca.

Sermo S. Galli Confeſſoris.

Theodorus monachus de S. Magno.

Oreſij Abbatis libellus de ſex cogitationibus

Anonymi Carmen de S. Cruce.

Alcuini Dialectica.

Eiuſdem Grammatica.

Synodus Auguſtana.

Synodus Ingelheimenſis.

NOBL

Digitized by Google

NOBILISSIMO AC STRENVO VIRO AC DOMINO IOHANNI A SCHELLENBERG, DOMINO IN HÜFFINGEN, Stauffen, Radnegg, &c.

HENRICVS CANISIVS NOVIOMAGVS, Sacrorum Canonum Profeſſor Ingolſtadii S. P. D.

PRaeclarè quodam in loco Cornelius Tacitus acris ingenij ſcriptor, vetera, *inquit,* extollimus, veterum incurioſi. *At meo iudicio rectius, ſi* curioſos *dixiſſet. Quis enim non facilè praedicat id: quod antè in vetuſtatis tenebras altè demerſum curioſè ipſe eruit, & in publicum profert? Quare* nobiliſſ. & ſtrenue Domine, *cùm quartum tomum Antiquae lectionis tibi nuper inſcriptũ gratum fuiſſe literis humanitatis, & beneuolentiae plenis, & non exiguo, ſed planè liberali munere, oſtenderis; teq; veterum monumentis plurimũ delectari ſignificaueris: Idcirco & hũc quintum Tomum teſtem meae in te perpetuae obſeruantiae & gratitudinis; ſub tuo nomine & patrocinio in lucem, aſpectumq; hominum prodire volui: nihil addubitans, quin &*

Digitized by Google

eundem teſtimonio tuo ſis approbaturus. Nec enim indignum nomine tuo facis, quod ocium, quod à publicis negotiis vacuũ supereſt peruolũedis Auctoribus inſumas, vt pectus illud tuũ, alioqui egregia doctrina inſtructũ, virtutibus magis exornes: non quia librorũ lectio virtutẽ dare poſsit, ſed quia animum ad accipiendam eam magis præparet & accẽdat. Accedit, quod ſingulari quadam voluptate legentis animus perfunditur, dum in libris tãquã in ſpeculo clarè intuetur, bonorũ virtutes & præmia, improborum vitia dignis ſuppliciis vindicata, & vitæ humanæ varias mutationes, rerumq́; cum ea conuerſiones: quæ & nonnũquã in rebus aduerſis dolorem auferunt, & conſtantiam augent.

5. de finib. Multi, *ait Cicero*, cum in poteſtate eſſent hoſtiũ, ac tyrannorum, multi cum in cuſtodia, multi in exilio dolorem ſuum doctrinæ ſtudiis leuarunt. *Accipe igitur, nobiliſsime domine, hunc quoq; Tomum ea benignitate, qua quartum; accipiesq; vti ſpero & opto: tum quia omnium, quos hactenus edidi locupletiſsimus eſt, monumẽtisq́; lectu dignis inſtructiſsimus; qui tribus prioribus Tomis tanquam ſociis ad te comitatus*

venit,

Digitized by Google

venit, quos in tua Bibliotheca extare cupio, in argumentum mei in amplitudinem tuam perpetui ſtudij & obſeruantiæ. Vale, Ingolſtadij VI. Feb. Anno M. DCIV.

Carmen

AD NOBILISSIMVM DOMINVM IOANNEM A SCHELLENBERG, DOMINVM IN HVFFINGEN, STAVFFEN, Randeck, &c.

Noſtrarum extremi manuum fortaſſe labores
(Vsq; adeò noſtris ſpes eſt incerta diebus,
Et regit innocuas etiam mors inuida terras)
Æternam inueniant, fortunâ remige, ſedem
Hegouiæ ad fines, Sueuiq; ad Acronia ponti
Littora, gemmigeras Hermi ſuperantia ripas.
Appellat veterem te, STIRPS SCHELBERGICA, *gemmam*
Vltima de noſtris, quis ſcit? donaria Clio
Feſſa ferens, abdenda tuis monimenta fauiſſis.
Scilicet in doctis Muſæ ſtant tutius aulis,
Quas ſibi demeritos norunt habitare Patronos.
Aurea quadrifido dederunt inſignia campo,
Ac gemino circum Mæandro fulgere torques
Colla tibi, & nullis opuleſcere Numina curis.
Nec leue, quod Clariis etiam prægnantia portas
Mercibus, atq; ipſas imitantia corda ſorores,
Viuere Palladiis res eſt quibus aurea regnis.
Antiquis ſolemne animum tibi paſcere chartis,
Laudatâ priſcos luſtrare indagine mores,
Atq; ipſos iterum Cœloq;, Ereboq; vocare,
Suauia Muſicolis viſu ſpectacula, Manes.
Noſter hic ardentem ſi tranquillabit Orexin
Erutus ex Iſtro tibi, STIRPS SCHELBERGIA, *ſuccus,*
Næ mea perpetuis annabunt pignora ſeclis,
Et tua ſydereos tranſcendent nomina colles.

LECTORI SALVTEM.

HAbes, erudite Lector, Antiquæ lectionis Tomum Quintum. Qui ſi prioribus præſtantior & opulentior tibi videatur, vt non iniuria videbitur, eſt quod gratias agas Reuerendiſſimo, & Illuſtriſſimo Principi ac Domino BERNARDO, celeberrimi Monaſterij S. GALLI, apud Heluetios Antiſtiti religioſiſſimo, ex cuius inſigni, vetuſtiſq; membranis referta bibliotheca, pleraq; monumenta, quæ nunc vulgamus, deprompta ſunt; & foras exire iuſſa in tuum, mi lector, commodum, Catholicaq; Religionis emolumentum & incrementum, planeq; confido fore, vt ex eodem S. GALLI theſauro non modicis theſauris locupletetur quoq; Tomus Sextus, quem iam typis adorno.

In quo quidem labore, laboris & ſumptus non exigui, nihil aliud ſpectatur, quàm vt ne tam eximiæ melioris æui reliquiæ puluere, ſituq;

& ti-

Digitized by Google

& tinearum dentibus euicta, tandem penitus intereant; Deinde, vt qui à Catholica, Romanaq; fide auij ierunt, his quaſi indicibus diſcãt; vnde exciderint, & quò reuertendum ſit, ſi ſalutem conſequi velint. Interroga generationem priſtinam, *monet ille*, & diligenter inueſtiga Patrum memoriam,: *(ſeu, vt vertunt, qui omnia inuertunt & peruertunt, deque nulla re minus ſolliciti ſunt, quàm de ſemitis ſuorum patrum)* Interroga, obſecro, ætatem priorem, & ſollicito animo inueſtiga patres eorum. *Cauſſa gemina mox additur, cur hoc faciendum ſit. Quia nos* heſterni ſumus, & ignoramus, quoniã ſicut vmbra dies noſtri ſunt ſupèr terram. Et ipſi docebũt te, loquentur tibi, & de corde ſuo proferent eloquia. *Seu, vt heſterni transferunt*, ἰξω τηλικιῶς. An non ipſi docebunt te, & dicent tibi, atq; ex corde ſuo proferent verba? *Interrogemus ergò S. Gallum, quam Religionem profeſſus ſit; quam fidẽ accolis Acroniani lacus annunciarit; quam fidem eo ipſo in loco, vbi nunc vrbs & Monaſterĩũ S. Galli, plantarit; cuius fidei efficacia tot miracula patrarit; ipſasq; efferas feras ad lenitatẽ inflexerit, & cicurarit. Interrogemus, inquam,* Iob. 8.

quam, S. Gallum, quam fidem tenuerit: nos enim heſterni ſumus. *Lutherus, Zvvinglius, Caluinus, alij Nouatores,* heſterni ſunt, *nouitij, pronuper ſati & nati. Ipſe S. Gallus tam antiquus, tam miraculis conſpicuus, ipſe inquam, nos, tanquam pater, doceat; ipſe de corde ſuo eloquia proferat. Et quid aliud nos docebit, quid aliud ſancto de pectore promet, quàm ſe Catholicam, Apoſtolicam, Romanamq́; fidem in lacus Acroniani finibus ſeuiſſe; ſatam rigaſſe; rigatã eò perduxiſſe, vt lætiſſimos, vberrimosq́; fructus ferret, longeq́; ac latè diffunderet, donec tandem heſterni iſti, vel ſummum nudiuſtertiani, ſegetem tam felicem demeſſuerunt, & in locum eius lappas ac tribulos & zizania infeſta inimici hominis manu quondam iacta, ſubſtituerunt.*

Interrogemus S. Magnum, Theodorum, Notkerum, Bedam, Althelmum, Alcuinum, Theodulphum, Modoinum, Ruricium, Deſiderium, Sedatum, Halitgarium, Columbanũ, Adamanuum, alios, quid aliud nos docebunt, quid aliud dicent nobis, quid aliud proferẽt de corde ſuo, quàm Lutherum, Zvvinglium, Cal-

uinum, & ſimiles huius claſsis, deceptores, ac impoſtores eſſe. Vbi enim in horum lucubrationibus vel tenuis vmbra noui iſtius Euangelii apparet? Omnia plena ſunt Monachis, monaſteriis, ſacerdotibus, Epiſcopis, ſigno Crucis, Sãctorum imaginibus, Reliquiis, Inuocatione, cultu, precibus pro defunctis, Sacrificio Miſſæ, & huius generis ſexcentis aliis: nihil hic de prædicantibus & miniſtris, omnium prædictorum immaniſsimis & iuratiſsimis hoſtibus. An æquũ eſt vt veteres illos, qui ſanctimoniam & integritatem ſuã tot rebus ſupra naturæ vires geſtis comprobarunt, deſeramus, & his heſternis aures præbeamus? At obſtat id, quod iam recitauimus diuinæ ſcripturæ oraculũ, cohortans, imo etiam atq; etiam mandans, vt interrogemus ætatem priorem, illam videlicet, quæ ante iſtos noui euangelij præcones extitit, diligenterq; inueſtigemus Patrum memoriam. nam qui ſeſe euãgelicæ veritatis aſſertores & reformatores profitentur, heſterni ſunt, et in denſiſsimis ignorantiæ tenebris verſantur. Cur illis fidem haberes, veteribus neglectis?

At promittunt heſterni iſti veritatẽ. Scili-

cet veteres, ad quos, tanquam ad Magiſtros & præceptores, ſacra litera nos ablegāt; veritate caruerūt. ſcilicet S. Gallus, S. Magnus, eorumq́ discipuli; S. Columbanus, & alij, veritatē auditoribus ſuis, quos ab Ethnica ſupſtitione abstractos Christianæ religionis myſterijs imbuebant; nō tradiderunt, nec Christianos effecerunt; ſed ab errore in errorē induxerūt, donec heſternus dies heſternos iſtos Rabbinos orbi pepit. Interea perperā euāgelizabatur, *vt cum Tertulliano loquar*, perperā credebatur, tot millia milliū pperā tincta, tot opa fidei pperā adminiſtrata, tot virtutes, tot chariſmata pperā operata, tot ſacerdotia, tot miniſteria perperā fūcta, tot deniq́ Martyria perperā coronata: Aut ſi nec perperā, nec in vacuū, quale eſt, vt ante res Dei currerēt, quā cuius Dei notū eſſet? ante Christiani, quàm Christus inuētus? (*quia nō ab antiquis illis, Gallo, Magno, Theodoro, & id genus alijs inuētus eſt, ſi vera nobis iſti Nouatores canunt, ſed à Luthero, Caluino, Zvvinglio*) ante hæreſes, quā vera doctrina? Sed enim in omnibus veritas imaginē antecedit: poſtremo ſimilitudo ſuccedit. Cæterum ſatis ineptū, vt prior in doctrina hæreſis habeatur vel quoniā ipſa eſt, quæ futuras hæreſes & cauendas

Tertul. li. de præſcri. c. 29.

das

Digitized by Google

das prænunciauit, *Sed his valere iuſsis, qui* ſtantibus ruinã, *non autẽ* iacẽtibus eleuationẽ operãtur, *vt idẽ Tertul. ait*: Interrogemus, *Prophetæ iuſſu*, de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulemus in ea, & inueniemus requiem animabus noſtris. Meminerimus dierum antiquorum, cogitemus generationes ſingulas, interrogemus patrẽ noſtrũ, & annunciabit nobis, maiores noſtros, & dicent nobis. *Quod ſi ſedulò præſtemus, nihil loci apud nos aut inuenient, aut retinebunt*, noui recenteſq; *iſti Euangeliſtæ, quos nec* coluerunt, *nec agnouerunt* Patres noſtri. Hier. 6. Deut. 32.

Verùm hæc hactenus. Finiã, amice Lector, ſi te priùs monuero, Auctores primæ partis huius Tomi deberi admodum Reuerẽdo, & de Eccleſia DEI *optimè merito, indieſq; adhuc benè merenti Patri Antonio Poſſeuino Societatis* IESV *Theologo, qui eos poſt mortem clariſsimi Interpretis Franciſci Turriani, quaſi pupillos, ſuam in tutelam recepit; tandemq; ad nos per nobilem & ampliſsimum Dominum Marcum Velſerum II. Virum Auguſtanum cum aliis veterum lucubrationibus euulgandos tranſmiſit. Vale.*

Digitized by Google

APPROBATIO.

POterit Cl. Dn. CANISIVS, hunc Quintum quoq; lectionis Antiquæ Tomum magno cum multorum fructu edere: Quippe qui & ipſe ex veneranda antiquitate depromptus complura contineat Opuſcula, tum dogmatica, tum hiſtorica, tum moralia ad ſtabiliendam veritatem, & excolendam pietatem nobiliſſima, & vtiliſſima.

ALBERTVS HVNGERVS, S. Theologiæ Doct. *Profeſſor, & Procancellarius, atq; hoc tempore Collegii Theologici Decanus in alma Academia Ingolſtadiana.*

ANTIQVÆ LECTIONIS

Tomi V.

PARS PRIMA.

EDITORE

HENRICO CANISIO I.V. Doctore, & SS. Canonum in Academia Ingolſtadienſi Profeſſore ordinario.

Beati

Digitized by Google

Beati

SERAPIONIS

EPISCOPI THMVEOS

Aduerſus

MANICHÆOS

LIBER.

Nunc primùm in lucem editus.

Interprete

Franciſco Turriano Socie-
tatis IESV.

Digitized by Google

S. Hieronymus lib. de viris Illuſtribus.

SErapion Θμούεως *Ægypti vrbis Epiſcopus, qui ob elegātiam ingenii, cognomen Scholaſtici meruit, carus Antonio Monacho. edidit aduerſum Manichæum egregium librum, & de Pſalmorum titulis alium, & ad diuerſos vtiles Epiſtolas, & ſub Conſtantino principe etiam in confeſſione inclytus fuit.*

Martyrologium Romanum die 21. Martij.

ALexandriæ beati Serapionis anachoretæ & Epiſcopi Thmueos, magnarum virtutum viri, qui Arianorum furore in exilium actus migrauit ad Dominum. In quæ verba Illuſtriſſ. Cardin. Baronius. De eodem Serapione Beda, Vſuardus,

Digitized by Google

ardus, Ado, & alij. licet eum tantùm dicant Anachoretam. verum inſignem illum Serapionem ab Athanaſio fuiſſe ordinatum Epiſcopum, conſtat ex Epiſtola eiusdem Athanaſii ad Dracontium. Exſtat de eo Alexandri Epiſcopi Theſſalonicæ ad Athanaſium Epiſtola, quam intexuit idem Athanaſius in Apologia ſecunda. Agit de eodem S. Hieronymus lib. de Script. Eccleſiaſt. & in Epiſto. ad Magnum 84. Ad hunc Serapionem exſtat Epiſtola inſignis eiusdem ſancti Athanaſii aduerſus eos, qui muſsitare incipiebant, Spiritum ſanctum eſſe creaturam: Item commẽtarius de blaſphemia in Spiritum ſanctum, & Epiſtola alia de morte Arii, & ſtatu illius tẽporis.

Fuit autem Serapion noſter Epiſcopus Thmueos; ſic dicta ciuitas in Ægypto ab hirco, vt teſtatur S. Hieronymus contra Iouinianum lib. 2. Thmuis, inquit, interpretatur hircus: Meminit eiusdem ciuitatis Caſsianus Collat. 14. cap. 5. & collat. 16. cap. 1. Poſita hac ciuitas erat in ea Prouincia Ægypti, dicta Scethi, quæ & à Scythis Orientalibus

Scythia appellata ſæpius reperitur: à Scythis enim Ægyptios fuiſſe debellatos, auctor eſt Iuſtinus hiſt. li. 2. de eremo Scethi, quæ & Scythia dicitur, frequens eſt mentio apud Pallad. in Lauſiacis, Euagr. Caßian. Sozomen. Nicephor. & alios. De vrbe Scethi & Scythiaca regione meminit Ptolemæus lib. 4. Quod dicta ciuitas Thmueos in Scethi fuerit, conſtat ex Epiſtola S. Germani Capuani Epiſcopi, & aliorum legatorum ad Hormisdam Papam, quam habemus apud nos m. ſ. in qua leguntur de Monachis Scethi ſeu Scythiæ: Iſti de ſua prouincia Epiſcopos accuſant, inter quos eſt Thmuitanæ ciuitatis Antiſtes, &c. Hæc Baronius. Quæ ſequuntur, Ortelius in Theſauro ſuo Geographico. Thmuis Ægypti vrbs Metropolis Stephano & Ptolomæo, atque in oraculis Sibyllinis. Item apud D. Athanaſiũ. Thmui legit Ammianus: & Thmuis Antoninus. Thmois liber Notitiarũ. θμουίης Nomo puto legi apud Herodoti Euterpen pro θμουίτης. Non eſt in Scythiaca regione, vt quidam vir doctus vult. Conſule noſtram Ægypti veteris tabulam. Ita Ortelius.

SERA-

SERAPIONIS EPISCOPI THMVEOS ADVERSVS MANICHÆOS LIBER.

SOluit errorem veritas, & extinguit fallaciam, & omnis mendacii ortum intercipit, ac prohibet. Obſecremus igitur Dominum Ieſum, qui eſt veritas, vt illuminet mentem noſtram, vt neque fallacia mentem capere poſſit; nec error vincere. neq; ſi ceperit, aut vicerit, firmam, & ſtabilem victoriam obtineat. Solummodo enim ſi apparuerit, & radios veritatis ſuæ emiſerit, fallaciam quidem inductam diſſipabit; mentem verò extra errorem conſeruabit. Ipſe enim clamat, ego ſum via, veritas, & vita. Ipſe præcipit: attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intus autem ſunt lupi rapaces. Quia enim illorum modus fraudulentus erat, & mores ſimulati, non celauit eos veritas, ſed nudauit, permittens, vt ꝙ in mente latet, ab eo, quod extrinſecus fictũ & ſimulatum eſt, tegatur, vt ipſa fallacia deprehenſa infirma fiat in eorum argumentis, ita vt neminem irretire queat.

Eſt igitur malitia multiformis, & multipartita, in varias argumentationes fuſa. Cuius partes quædam nocentiores ſunt, & magis mortiferæ. quam ob rem neq; minora tacenda ſunt; neq; maioribus parcẽdum; cum ſciamus minores quidem partes vitii minora dam-

na parere; maiores verò magna. Qui enim in grauioribus labitur, grauioribus pœnis punitur: & qui à maiore deceptus eſt, maius ſupplicium ſuſtinet. Ponderantur enim fallaciæ; ponderantur etiam peccata. & qui ponderatur, pro grauitate ponderis ſupplicium reportat. neque quicquam qui judicat, non ponderatum relinquit, Quin etiam vniuſcuiuſque, qui fefellit, fallaciam & facilitatem eius, qui deceptus eſt, demenſus pœnam decernit: quocirca ſtudendum eſt, vt ne minima quidem fallacia capiamur, ſiquidem minima fallacia inſtar ſcintillæ, nacta materiam aſſenſionem animæ, incendiũ magnæ flammæ efficit: multi enim principiò ex paruo errore cœpto, in pelagus erroris dilapſi, & effuſi ſunt.

Idcircò curandum eſt, vt ne minimo quidẽ errore labi contingat. pulcherrimo animæ propugnaculo ædificato, ne maiore capiamur. Qui enim in paruis labitur errore, labetur aliquando in maioribus. & qui non eſt ſeductus à paruis, erit ita contra maiora munitus, & tutus, vt ei reſiſti non poſſit. Quia igitur ſi multi lupi pelles ouium induti, gregem inuaderent, non ſileret paſtor, ſed gladium vibraret, vt in tuto gregem collocaret, nudans, & patefaciens conatum ferarum: Ecce multi ſunt, qui exierunt, & hic, atq; illic errant, pro pellibus ouium nomen Chriſti induti, qui ſe quidem dicunt, quod non ſunt, quod autem ſunt, dici nolunt; ſed ſuam improbitatem amictu nominis tegunt, qui commune quidem habent nomen, ſtudent verò, vt nomen Chriſti funditus deleant: qui contra Ieſum militant, & Ieſum inuocant. Hæc eſt difficillima omnium improbitas, nomine Chriſti appellari, & Chriſtum oppugnare. Etenim quia non potuit peruerſitas contra Deum bellum gerere, vſa eſt nomine, vt vſu nominis opinionem imprudentibus iniiciat, vt quaſi Chriſti familiaris hic, & illic, vt libet, eos, qui in Saluatorem crediderunt, perdat. Sic Valentinus exiuit; ſic Marcion; ſic Sitianus; Aliunde verò etiam Phanius. Poſtrema abortio improbitatis, quæ omnes aliorum improbitates extenuauit, & maiore improbitate aliorum improbitates in ſecundis poſuit, furor Manichæi eſt; & in Prophetis ſcriptum eſt, propter nimiam negligentiam Hieruſalem, juſtificata eſt ex te Sodoma. Multæ quidem paulò ante opiniones abſurdæ, & falſæ extiterunt, quæ cum magnitudine prauæ opinionis Manichæorum comparatæ, moderatæ ſunt, cum ſint alioqui in pelagus inundantis prauitatis demerſæ.

[margin: fort. Schytianus.]

[margin: Ezech. 16.]

Et

Et vt non leuiter abſurda refellere aggrediamur, & nominib. eorum tantum vſi videamur ſine concluſione argumenti, quæ eſt ἀπόδειξις, ad eorum accuſationes accedere, age, conferamus nos ad ad rationem demonſtrantem, vt illorum errores ſoluamus, & veritatem in medium producamus. Eſt igitur vitium expers ſubſtantiæ, & non per ſe exiſtens, actio potius, quàm eſſentia, ſiue ſubſtantia & actio, ex electione proficiſcens eorum, in quibus electio ægrotat atq; actio, quæ accidit quidem, facile verò ab iis, qui ægrotauerunt, abſcedit. Sin verò accidiſſet quidem, ſed non abſcederet, dici poſſet, non eſſe quidem per ſe vitium; neq; poſſe tamen ſubſtantiam eſſe vnquam abſq; vitio. Quod ſi accidit electio, facile autem ſeparatur; vt rurſus quod vitio ſubiectum erat, purum reddatur, neque vitii ſigna, ac veſtigia habeat, erit vitium neq; per ſe nihil; neq; aliquid quod per ſe eſſe queat; neq; quod ſemper ſit, ſed potius deletur, & dum deletur, conuincitur non poſſe per ſe eſſe, & quandoque non fuiſſe, quin potius paulo ante ex electionis inualetudine prodiiſſe. Quod autem non reperiatur anima ſecundum ſubſtantiam mala ſic natura facta, neq; corpus per ſe, ſubſtantia malum, teſtantur rationes & actiones: Etenim ſi temperantia virtus eſt, corpus verò ſubſtantia malum, non poſſet reperiri corpus temperans, ne corpus, quod ſubſtantia turpe & vitioſum eſt, corpus virtutis efficiatur. Cũ enim corpus ſe temperat, corpus virtutis factum eſt, & corpus virtutis eſt. & quia corpus virtutis eſt, poteſt eſſe templum. Si enim omne corpus libidini deditum eſſet, & non poſſet reperiri in corporibus temperantia, potuiſſemus attribuere ſubſtãtiæ corporum, ſubſtantiale malum. Sin verò vſque eò proceſſerunt corpora, & tantopere honorata ſunt, ac tantam temperantiam induerunt, vt domus fiant auctoris, & conclaue Domini, vt pater & filius ad ea veniant, & in eis habitare velint, quomodo non eſt abſurdũ, & ridiculum quod aiunt? Ioan. 14.

Ecce enim Paulus alicubi ait: an neſcitis, quod corpora veſtra templum ſunt Spiritus ſancti? Deus autem per Prophetam promittit, inquiens: habitabo in eis, & inambulabo, & ero ipſorum Deus. 1. Cor. 3. Hæc ſcriptura & menti ſuadet; & corporibus atteſtatur, & ſubſtantiale malum expellit: Studium verò actionis rem efficit, cùm enim idoneam vitam & aptam reddit, tunc talis fabrica in corporibus redditur, vt poſſint corpora Spiritui ſancto deſeruire, deſeruire item rationi. Quomodo igitur poteſt lingua cogitatis inſeruire? Si enim

Digitized by Google

lingua mala eſt, mens autem bona, quomodo poteſt ſocietatem cũ cogitatis habere, notiones in lucem interpretatione proferens? Sicut enim ex libidine non gignitur temperantia, ſic fieri non poteſt, vt ex malo ſecundum ſubſtantiam aliquid honeſtum proficiſcatur. Cũ igitur ſingula membra conſideraueris, auditum, aſpectum, linguam, alia membra, & videris facta eſſe inſtrumenta præceptorum, quæ didicimus, tunc corpus quidem laudabis, & non vituperabis, videbiſq; facta eſſe, hæc eſſe pura, ac munda. execraberis autem fraudulentum veritatis inimicum.

Quòd ſi quæ partes corporis ſemper eſſent temperantes, nunquam in pigritia, aliæ verò ſemper pigrantes, nullam partem temperantiæ amplectentes, dici poſſet, diuiſionem eſſe in corporibus, & partes quaſdam ſic natura factas eſſe, quaſdam verò aliter, eſſetq; in hoc ratio eorum infirma, non enim jam de totis corporibus eorũ diſputatio eſſet ſi tali hypotheſi vterentur. Sed facilè rurſus ſic redarguuntur: Quomodo enim poſſunt corporum eiuſdem ſubſtantiæ duæ contrariæ naturæ ab eadẽ ſubſtantia ſubſiſtere? eademque ſubſtantia in naturas duas diuidi? vt hæc pars ſit ſemper mala, altera verò ſemper bona; & vt ſe recipere non poſſint, ſecum pugnent, à ſe intereãt, in vſu atq; exercitatione ſe interimant, cum alioqui ſubſtãtia nunquam ſecum pugnet, ſeq; tollat. ſi talia inquirantur, rurſus ipſorum quæſtio nugatoria, & fatua apparebit.

Sin verò non ſic ſunt corpora, nec alia quidem ſemper ſunt in virtute temperantiæ, alia verò ſemper in pigritia, ſed metus eſt de temperantibus, ne quando propter negligentiam temperare pigrentur: Multa enim jam corpora ob virtutem temperantiæ clara, capta ſunt, & ea æſtus libidinis abſorbuit: ſed rurſus ſpes eſt de impudicis, & libidinoſis corporibus: ſiquidem multa jam quæ in pigritia & ignauia fuerunt, tantos progreſſus in continentia fecerunt, vt neque ſigna veteris incontinentiæ retineant: & ab omni ruga, & macula vetere propter reditum ad meliorem vitam liberata ſint. Cũ igitur ait Euangelium, quod publicani & meretrices præcedunt vos in regnum cœlorum; & cum Paulus: fide Rhaab meretrix non periit cum incredulis, cuius ſubſtantiæ vel naturæ erant corpora? ſi enim bonæ, quomodo fuerunt pigra? ſi malæ, quomodo temperata? ſi verò à pigritia ad temperantiam translata ſunt; & aliquando quidẽ fuerunt pigra, quandoq; verò temperata, & potuerunt pigrari, & potuerunt temperare, id ꝙ teſtantur mutationes. Soluta eſt natura.

ra. Oſtenſa eſt electio, & non eſt corpus ſubſtantia malum. quin potius electioni deſeruiens,& miniſter electionis, & non naturæ,idque futurum,quod electio dederit,vt ſit. ſcil.corpus virtutis, aut corpus vitii.

Cum enim mens diſciplinis ſuſceptis, amore diſciplinarum teneri cœpit, tunc corpus à motibus, qui illiciunt, & prouocant, ſolutum & expeditum, tranquillitatem magnifacit, & quin actionibus deſeruiat, non repugnat. cum verò deſidia, & mollicies animũ illicit, & tanquam diſſolutio,& mollitia mentis exiſtit, tunc perturbatio corpori adſcribitur; & nihil aliud inter vtrumq; intermedium cernitur: eſtq; verum quod ſcriptum eſt, ecce poſui coram te mortem,& vitam. elige, quod vis, vt quod juſtum eſt, qui elegerit ad vtendum, de eo ratio in judicio ab eo repoſcatur; & non coactus ad aliquid, excuſet vim & neceſſitatem in eo, quod egit; neq, ſic natus, extra querelam, & culpam ſit, quia naturæ repugnare non potuit. Cumq; vtrumq; in poteſtate habeat, & ad eligendum dominus ſit, judicii proprii rationem reddat, & ſe defendat. quod enim elegit, volens elegit. Idcirco de voluntario judicium ſubit, qui voluntate ſua ſe ad actionem rerum applicauit. Si hæc non ita ſunt, fruſtra Sancti coronabuntur;fruſtra mali cruciabuntur,ſi actionis cauſa nõ adſcribitur facientibus. Ier.21.8. Eccli.15.18.

Quid igitur Manichæos mouit ad inferendum corporibus accuſationes,& vituperationes? quos tum quæ ſcripta ſunt, tum quæ à priſcis dicta, abundè accuſant. temperantia enim, quæ in actione poſita eſt, teſtimonium tribuit corpori temperanti. Scriptura autem, quæ clamat: exhibete corpora veſtra hoſtiam viuentẽ, Deo placentem, ſatis argumentum concludit. non enim Deus, quod non eſt ſuum, approbat,& amplectitur; neque quod ab alio fictum & ſimulatum eſt, requirit, ne qui alios de violentia accuſat, ipſe violentus exiſtat. & ne quid deſideret, quaſi ipſe facere non poſſit. Si enim vult,id ꝙ honoratum eſt, vt corpora ſint in virtute temperantiæ, quomodo non fecit, quod volebat? Sin verò fecit quidem nõ ipſe, ſed ſic ſunt natura facta, vt eſſent mala, quomodo naturam commutauit, vt non ampliùs haberent naturam propriam, nec eſſent mala, ſed eſſent honeſta? Si autem poteſt natura verti, ac mutari, quomodo eſt natura, quæ variatur? quod enim variationes, & mutationes capit, nondum finibus, terminiſq; naturæ continetur. mutatur autem corpus,& variatur. & quod fuit in pigritia & ignauia, temperat, & clamans præcepta; non fornicaberis, clamans nõ Rom.12.1.

B adul-

adulterabis;& præcipiendo tollunt facultatem faciendi;& quod perfici poterat,hortando cohibent,&adiungendo rationem ad judiciũ, vt mens in virtutem propenſa,corpus etiam ad virtutem attrahat.

Sane quidem corpora Sanctorum tantum in virtute progreſſa ſunt, vt honorata fuerint; & non facta vacua ab operatione, & vi diuina. Mortuum jacebat corpus Eliſæi, & cum jaceret mortuum, ſuſcitauit mortuum: expulit mortem, liberauit ab obitu, reuocauit ad viuos vita defunctum, excitauit à mortuis, corpus à Deo factum. Quòd ſi Manichæi contra hoc furentes, etiam ſcripturam accuſant, neq; legem honorant, deterreat eos ſimile exemplum, faciat vmbra Petri, vt ipſos pudeat: vmbra enim erat corporis, quæ cum corpora ægrorum inumbrabat, eorum morbos depellebat.

4.Reg.13. Act.5.

Cum tales ergò ſint noſtræ rationes demonſtratiuæ, & talis ſit actio item demonſtratiua, quomodo non ſint abſurdi, qui quæ aptari, & colligari non poſſunt,verbis aptare, & colligare ſtudent: aiunt enim Manichæi, Corpus Satanæ geſtauimus. anima verò Dei eſt. ac corpus quidem ſic natura factum eſt, malum ex malo; anima verò natura facta eſt bona, ex bono originem trahens. Sunt igitur duo principia,& duæ ſubſtantiæ. & duo principia ſunt cauſæ, altera quidem corporis mali, altera verò animæ bonæ. Bona igitur eſt anima,& corpus malum. & quomodo corpus quidem temperans eſt, anima verò ſæpe pigra? quomodo vtrunque non manet in ordine ſuo? ſed contra potius quod erat diaboli, fit Dei; & quod Dei, diaboli. & diſſoluta eſt vulgata inimicitia; & facta amicitia, & fœdus, Deo animam dimittente, vt inſeruiat diabolo; & contra diabolo corpus, vt inſeruiat Deo. Inſeruit enim Deo, cum eſt temperans. Hoc autem Dei eſt. ſicut rurſus inſeruit anima diabolo, cum non credit, & loquitur blaſphemia.

Quomodo igitur non merito moueat prudentibus riſum & cachinnos tam abſurdum, & ridiculum ipſorum dogma, quod introducere ſtuduerunt? Quod autem ea vis animorum, quæ poſita eſt in ratione, capta eſt vitio intemperantiæ, potuit autem rurſus, & poteſt intemperantiam illam, qua tenebatur, deſerere: ſatis probat illa de filio adoleſcentiore apud patrem ignauia. reliquit patrem, profectus eſt ad voluptates, commoratus eſt in luxuria.

tandem rediit ad ſe. reuertitur ad patrem. dimittit turpitudinem. Procedit ſupplex ad preces; conſequitur veniam. præcepta enim magni precii, quæ didicit, obiecit, quibus fletum, quem peccatum parit, deleuit; & celebritatem lætam rationi conſentaneã, & diuinam pro fletu reddidit. Luc. 15.

Neſcio an Apoſtolum criminantur, & in Apoſtolis numerãt propter noua. Si noua laudant, quid aiunt de eo propter vetera? Non enim priora cum poſterioribus conueniunt. Lupus erat *Paulus*, & repertus eſt paſtor. mactabat; & hodie ſcutum. & tanquam propugnator ſanguinem gregis fundere voluit; ad extremum periculis ſe obiicit, & ſanguinem ſuum profundere ſtuduit. non enim recens natus, & cum dolore partus ex vtero editus, vſque ad tempus ſepulturæ in eodem ſtatu perſeuerauit; ſed potius variis mutationibus ac conuerſionibus vſus eſt. Fauſtum quidem finem nactus, vitæ verò inſtitutione ſuperiori contraria vſus, non erubeſcit, neq; tacet vetera. Laudem vitæ nouæ putauit eſſe, quod ex tanta peruerſitate egreſſus, ad tantum culmen virtutis reuerſus eſt, & clamat: propter hoc Chriſtus venit in mundum, vt peccatores ſaluos faceret, quorum primus ego ſum. Sed ideo miſericordiam conſecutus ſum, vt in me primo oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam ad informationem illorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternam. 1. *Tim.* 1.

Cum autem chorum Apoſtolorum contemplabimur, intelligemus ex peccatoribus, & profanis hominibus fuiſſe collectum, qui multa olim peccauerant, & non ſunt amplius errore lapſi: in quibus duo fuerunt, lapſos fuiſſe, & non jam lapſos eſſe. Quod ſi mala natura præditi fuiſſent, ſemper peccaſſent; rurſus, ſi bona natura, nunquam peccaſſent. ſi verò in multis lapſi, & cum multa peccata commiſiſſent, eò euaſerunt, vt non peccarent, & ad vitam ab erroribus liberam deuenerunt, conſtat naturam animæ liberi arbitrii ac voluntatis eſſe, non ad aliquid natura factam, ſed electione mutationes capere; quocunq; vult, ſe vertere & redire, quò reditum eligit; & interdum ſic degere, interdum ſic, vt vult, faciens voluntatem ſuam normam ſuarum rerum. norma enim actionis eſt voluntas facientis. Si autem quæ oderant, dilexerunt, & quæ dilexerant, oderunt, & non fuit ſententia fixa in odio, ſed inſtar volucris leuiter ſe transfert, quo deſiderat, vbi eſt natura? oportet γνώμη.

tet enim naturam, quæ ſemper odit, ſemper odio habere, quod odit : & quæ ſemper amat, ſemper amare quod amauit: & non jam amare, quæ odio habuit; neq; quæ amauit, odio habere. vbi autem ſententiæ mutantur, & tot mutationes capiunt amicitiæ, quid aliud res eſt, quàm certamen?

Habebatur aliquando Ieſus odio à Paulo, & magnoperè amatus eſt ab eo, qui oderat. amabatur latrocinium à latrone, & odio erat virtus. & tantam mutationem mens cepit, vt quod valdè oderat, magnopere amaret. hoc enim proprium eſt eius, qui ſtudio virtutis tenetur, amare quidem quod odio proſecutus fuerat; & odio habere, quod proſecutus amore. Quin immò adoleſcentes voluptates adamarunt, & honeſta odio habuerunt. Hodie cernimus eos eſſe in ſcientia & cognitione, idcirco nec agnoſcũtur; idcirco ſe, cũ certauerũt, idcirco nec imaginẽ veterẽ ſumũt. at homines ſunt, & iidẽ ſunt. non deſierunt eſſe homines. manẽte alioqui ſubſtantia, nõ manent mores. Subſtantiæ non ſunt ſolutæ, mores ſublati ſunt. vniuſcuiuſque ſubſtantia exſtitit hominis ſubſtantia; ſed nõ jam hominem agnoſco. erat libidinoſus, & factus eſt pudicus. Latro erat, & vitã benigni & benefici imitatus eſt. non figuram perſonæ deleuit; permanent lineamenta aſpectus; non abſtulit aſpectum naturæ.

Cum hominem video, agnoſco, qualis eſt: cum verò mores contemplor, admiror, non amplius agnoſco. morum tranſlatio admirationem attulit. Subſtantiæ quidem non ſunt mutatæ; corpus enim in ſubſtantia corporis perſeuerat, non aliud factum. nec enim corpus in incorporeum tranſlatum eſt. nec anima alia extitit ſecundum ſubſtantiam. Quin potius manentibus ſubſtantiis, non permãſerunt ſtudia.

Quid igitur dicemus? ſi manentibus ſubſtantiis, non permanſerunt ſtudia, non inſunt in ſubſtantia ſtudia. Si enim in ſubſtantia ineſſent, ſimul cum ſubſtantiis permanerent, & non mutarentur. Quod ſi ſubſtantiæ in natura ſua perſeuerauerunt, non autem perſeuerauerunt ſtudia, ſed potius oculus, qui olim voluptate capiebatur, temperantiam pro clauſtro habuit; lingua, quæ olim prompta, & præceps fuit, & conſilia præcurrens, jam freno rationis obtemperat & confitetur, & quæ errore carent, loquitur; corpus verò paulò ante erat in metu, quieſcebat, erat contractum, & poſtea temperatè viuit: ſequitur, naturam oculi non eſſe appetitum, neque linguæ naturã petulantiam, neq; corporis naturam pigritiam, & ignauiam.

Quod

Digitized by Google

Quod ſi oportet in naturalibus perſiſtere, & non hæc tacere, oculi erat videre, non quomodo videret; & linguæ item loqui, non quomodo loqueretur; qualitas enim motuũ poſita eſt in electione. Simplex autem, & non periculoſa rerum motio membris attribuitur. Periculo igitur vacat ſimplex motus. incerta verò eſt mutatio. ac judicium quidem & diſciplina præceptionum, cum tanquam duces oculis præeunt, rectus & diuinus eſt aſpectus vſq; ad ea, quæ aſpectu digna ſunt, porrectus. Cum verò negligentia dominatur, turpes, & fucatæ ſunt res. Sic etiam corpus, ſic omne membrum actionẽ honorat; actionem imitatur. bonum eſt, quod formatum eſt, poteſt enim deſeruire virtuti. Sanctæ ſunt leges, curant enim vt diligentiam adhibeat, quod formatum eſt. Miſce cum formatione legem, & videbis quod formatum eſt, ſimilitudinem eius, qui formauit, habere, imitabiturq; eum. ſin verò formatus es, ſed lineamenta formationis non reddis formato, ferè accuſas, & calumniaris auctorem, & cum videris contumelioſus eſſe in id quod factum eſt, contumeliam infers ei, qui fecit. γνώμη. νοῆμα. διμάτ. κίβδηλα.

Quandoquidem verò aliqua eſt animæ ſubſtantia, & non eſt ſoluta, neq; ſoluetur ſubſtantia eius, ſæpe autem ſoluti, & ſublati ſunt mores, quid quod ſolui poteſt, tanquam ſolui non poſſit, ſubſtantiale eſſe confiteris? Sunt ſæpenumero animæ captæ quidem imprudentia, poſtea verò prudentiam amplexæ ſunt. Et rurſus ſæpe prudentia illuſtres, quandoque in imprudentiam ceciderunt. Sæpe audiuit, homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Pſ. 48. clamauit etiam Paulus: ſtulta mundi elegit Deus, vt ſapientes confunderet: igitur 1. Cor. 1. qui erant in ſtultitia, ad prudentiam deuenerunt; & qui erant in prudentia, ad ſtultitiam; & ſegnicies quidem mentem cepit ægritudine prudentiæ captam, diſciplina verò mentem inſipientem recuperauit, & eiecta ægritudine imprudentiæ propriam valetudinem reddidit. Vitia ergò & virtutes mutationes ceperunt. comparari poſſunt, & amitti. habes, & non habes; inueniſti & amiſiſti. habes, quod inueniſti; non habes quod amiſiſti. inter eos, qui inueniunt, & perdiderunt, numeraris. aliud eſt, quod inuenitur & amittitur; hoc enim eſt virtus & vitium. Qui verò inuenit, & perdit, is eſt, qui virtuti & vitio operam dat. & vitium quidem nihil. propriè enim nihil eſt. non enim poteſt per ſe eſſe vitium. actionem verò mollitie affectionis conſiſtentem, & ſtudio conſultæ voluntatis intereuntem

ſume ſcilicet ex iis, quæ addiſcuntur, & ex motibus conſidera quæ foris ſunt; contemplare, quæ intus; perſpice cogitationes: cum ſentis turbidum motum, & tumultum quendam; cum voluptas titillat, cum jam ſic in periculo verſans, præſentia & præſidio paruæ diſciplinæ tranquillitatem, & multam conſtantiam in anima vides, idq; fit in eodem, neq; multo interuallo temporis, quin potius ſæpenumero puncto temporis.

At ſæpe cum anima aliquid turpe appetit, & ſtatim ſe cohibet, & ſedationem perturbationis ſibi affert, ac continuo quæ ad temperantiam pertinent, legit, cum hoc, inquam, fit, quomodo nõ eſt admirandum? quomodo non eſt dicendum, nihil eſſe proprium animæ? ſed potius proprium ab anima fieri id, ad quod ſe vult applicare, nullamq; turpitudinem per ſe eſſe, quin immò tunc videri eſſe, cum cogitatione fingitur. Non ſunt igitur turpia per ſe, ſed cum mens ad ea deflexit, & facta eſt propenſa, tunc conſiſtunt. Vnde ſcholis indiguit anima, à quibus acumen, & ſplendorem caperet. Ex quo fit, vt ſæpe ſecum loquatur ſeipſam excitans; aut ab alio excitata audit, Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius. &, Lauda anima mea Dominum. aut enim rationibus excitata, & commota fortior facta eſt; aut alterius monita perfectum ſtatum ei tribuunt. Sæpius verò ſe ad turpitudinem incitat & hortatur, & quæ ſunt abſurda, ſibi concedit, & clamat: anima habes bona poſita in multos annos, comede, bibe, lætare.

Pſ. 102.
Pſ. 145.
Luc. 12.

Si animæ, quæ ſibi ſuggerunt inhoneſta, aliæ eſſent, ac per ſe eſſent; aliæ verò, quæ honeſta, & temperata; dici poſſet eſſe duo genera animarum, & rurſus eos, qui hoc dicerent, rideremus; eſſetque valdè pudendum opinionis Manichæorum. quòd inſaniam in duo genera diuidunt, qui & ſibi repugnantia loquuntur; & non tenent cum honore opinionis ſuæ abſurdæ conſenſionem. Quòd ſi eædem ſunt animæ, & anima, quæ paulò ante turpia ſibi ſuadebat, ſuadebit ſibi aliquando honeſta. & quę paulò ante ad honeſtatem ſe excitabat, quandoq; ſe in turpitudinem proiiciet. & quæ aliquando honeſta amplexa eſt, & honore proſecuta, aliquando illa deſeruit, ipſa mutatione conuincetur liberæ voluntatis eſſe.

2. Tim. 4. Erat Demas cum Paulo, cum conſuetudinem eius & familiaritatem magnifaciebat. Captus eſt cupiditate diabolica. reliquit con-

ſue-

Digitized by Google

ſuetudinem Apoſtoli, & factus fugitiuus, ad gloriam ſeculi properabat; Demas, inquit, me reliquit, diligens hoc ſæculum, & profectus eſt Theſſalonicam: ſequebatur aliquando Giezi Eliſæum, & ad inſeruiendum ei ſe attemperabat, & oſtenſa opportunitate habendi pecunias, dimiſit diuina, & acceptis nummis, mentem ſuam vendidit, & pecuniis addixit. Iudas è numero Apoſtolorum erat, expellebat aliquando febres, militauit contra dæmones, vnus erat ex iis, qui aiebant, Domine ecce dæmonia ſubiiciuntur nobis, & qui dæmones verberauit, paulo poſt hamo cupiditatis captus eſt: atq; hi quidẽ tales fuerunt participatione liberæ voluntatis ad res turpes traducti. 4.Reg.5. Luc.10.

Quid de Petro & Thoma dicitur? erat aliquando piſcator Petrus, & malus erat, non enim erat expers peccati, homo ſiquidem erat, reliquit ſagenas, & piſces, & relictis omnibus ſequebatur, vt ſolum Ieſum haberet: & relictis primis, non deſiderio ſuo fruſtratus, reperit, quod quæſiuit, & euſque progreſſus eſt, vt audiret: Tu es Simon filius Ionæ; tu vocaberis Cephas. quod nomẽ ſignificat Petrum, vt audiret: tibi dabo claues regni cœlorum; vt teſtimonium ei tribueretur, caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui eſt in cœlis. Poſtea lapſus eſt in verbo petulanti; & cum ad increpandum proceſſiſſet, nec ab increpatione fugeret, audiuit: vade poſt me ſathana, ſcandalum mihi es, quia non ſapis, quę Dei ſunt, ſed quæ hominum. paulo ante claues acceperat, & pater in eo loquebatur, Petrus pro Simone appellatus. Sed pro remuneratione increpationem elegit. veruntamen facta eſt lapſo medicina, & factus eſt melior, facta eſt increpatio domini remedium, & mens curationem amplexa eſt, & magnus, ac diuinus erat Petrus. & qui lapſum curauerat, nihil damni in eo, quod prius dictum eſt, fecerat. vt autem Dominus traditus eſt, & ducebatur ad atrium Pontificis, prodidit ſe, timori ſuccubuit, ille fortis Petrus tremefactus eſt. qui claues acceperat, periculum fuit, ne extra januam veritatis verum diceret. periculum fuit, ne ſe verè faceret anathema, cum munitus eſt. exinaniuit mentem, qui plenus erat; ab vna puella victus eſt. ancillam metuit, non potuit ſeruæ reſiſtere. cecidit formidine conſternatus, ille in Deum pius, ille Deo charus, ille qui illa inſignia nouit; qui dominum vidit. cum hæc dico, non vt eum accuſem, dico. confidit enim me hæc dicere, vt veritas calumniam non ſubeat; pro defenſione veritatis loquor. ſeruum veritatis adhi- Mat.16.

Illa, dicit, quæ confeſſus eſt à Deo reuelata, tu es Chriſtus filius Dei viui.

adhibeo, ne mendacium vincat. miniſtrum veritatis produco, vt quia volunt Manichæi naturas eſſe in culpa, & in naturæ rationem inſaniunt, Petrus à me productus naturam demonſtret. demonſtrant enim multæ eius mutationes ea, quæ libera voluntas effecit. & euaneſcet ortus rumor, ſiquidem libera voluntas præmia judicii cōficit. electione enim (id eſt, ratione & voluntate) viuimus. electioni reſeruamus officia.

προαιρέσει γὰρ ζῶμεν.

Idcirco formido, ne in negligentia ſimus, ſi quid laboramus. vt cum non videmur muniti eſſe, derepente propter negligentiam in interitum cadamus. Propter nos dicit: caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne cum aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. rationem de reprobo metuo. agnoſco quod eſt in electione lubricum, & præceps. diligentia & accuratione procliuitatem præmunio. Sepio facilitatem liberæ voluntatis labore meditationis. Atq; hæc quidem Petrus, & loquitur, & ſcribit, & gaudet, quod & peccata ipſius, & virtutes ſint explanatio dogmatum. Ob hanc cauſam peccata Sanctorum prodita ſunt. Quid enim eis doleret, ſi eorum peccata tacita fuiſſent? Quis illa ſcripſit? an mali non accuſauerunt bonos? an boni peccata bonorum non narrauerunt? alii verò ſua? Paulus ſua. Ioannes Petri peccata, deinde Thomæ, & alius aliorum. Si enim mali accuſaſſent, reprehenderemus odium, & de inuidentia atq; liuore quereremur, quod iſta dixerunt, qui oderant. Sin verò ipſi ſua, aut boni bonorum lapſus prodiderūt. quin potius Spiritus S. qui in Sanctis locutus eſt, & ipſe Dominus delicta ſeruorum ſuorum expoſuit, & non ſilentio diſſimulauit; cauſam quærimus. non enim ea dixerunt, vt criminarentur, criminationem enim eiecerunt & repudiarunt; ſed ſi illorum peccata tacita fuiſſent, fuiſſe natura à peccatis alienos, ſuſpicio eſſet. Pro veritate igitur commemorata ſunt. & narratio peccatorum veritatem docet & explanat.

1. Cor. 9.

O rem communem mirabilem! Scripta ſunt Sanctorum peccata, vt ſciatur veritas. quod ex ſimilibus nati, & ſimiliter orti, ſtudio virtutis excelluerunt, qui non natura vicerunt, ſed virtute claruerūt. quòd ſi apud Petrum & alios Apoſtolos non natura, ſed libera voluntas virtutem definit; apud quosnam naturam peccati expertem inuenire poſſumus, ſi apud Apoſtolos non potuimus? vbi indagare poterimus? fruſtra & vanè quæ non ſunt, curioſè inquirimus. en, Petrum interrogo; en, Thomam excutio, non loquor vetera. non comme-

ἔχει τὸ ὁ-ριστικόν.

commemoro Dauid, tametſi debebam, vt à quibus optant ignorantes, inde accuſationes ferant; vt de quibus libenter diſſerunt, ab illis redarguantur. quia enim Euangeliis ſtuduerunt, ex Euangeliis protulimus, vnde conuincantur. Idcirco enim legem ſine lege loquuntur, μὴ φιλολογοῦντες; idcirco ſcientiam Euangeliorum non tenēt, qui initium Euangeliorum non ſuſceperunt, initium Euangelii Ieſu Chriſti, ſicut ſcriptum eſt in Eſaia Propheta: hi principium diſciplinarum repudiauerunt facto principio telarum, quæ in malitia ab ipſis texuntur.

Hoc dicit, quia negāt Manichæi vetus teſtamentum, quod eſt noui fundamentum.

Qui beneficium ſuum in anima recondit, hic ſi ingrediatur, & intus ſit, diuini conuentus fiunt in ea, & celebritates, quæ Sanctos decent, & chori, qui ſermone exprimi non poſſunt, & lætitia, quæ ſilentio honoratur. Statim enim iſte mentem erigit, atq; animā reddit aligeram, & ſublimem ad meliora efficit. Sane quidem, ſi quis illum videret, non jam ſe ipſum aſpiceret, ſed pulchritudinem, quam contemplaretur, obſtupeſceret. cætera omnia fœda duceret. Propter illius decorem clamat, vanitas vanitatum, & omnia vanitas. omnia exiſtimo ſtercora, vt Chriſtum lucriſaciam. Si verò hic pulſet, & mens cunctetur, ac ſomno ſe dedat, ſitq; ipſe tarditatis cauſa, emittit vocem, aperi mihi ſoror mea, ſponſa, quoniam caput meum impletum eſt rore. & cincinni mei guttis noctis, hæc dicit, vt amicitiam declaret, & curam prouidam ſignificet, & quod ratio excluſa tolerat; & cum foris eſt, ſuſtinet, & non recedit, donec continua petitione, & pulſu ſeipſam mens aperiat, præbens locum pulſanti.

Circumeunt autem præſtigiatores, & pſeudoprophetæ, ac pſeudochriſti, partim pulſantes, partim fodientes. ac pulſu quidem molliore vtentes, & verum pulſum imitantes, vt ſimilitudine pulſus fortaſſe mens decepta, tanquam domeſtico, & noto aperiat. qui non recuſant parietes labefactare, immò ſtudent perfodere, vt per fallaciā, aut per vim mentes capiant. & vero alios quidem vi, alios præſtigiis fraudulentis fefellerunt. Quamobrem ſapientes & honeſti cuſtodes clauium ſcientiam cum vigilantia miſcent, vt quia vigilant, non perfodiantur parietes; quia ſapientes ſunt, non fallantur. Sapientia enim non præbet locū præſtigiis, neq; vigilantia perfodientibus. quocirca honeſti, & honeſtæ qui ſumus, mentes noſtras claue cuſtodiamus, ſcientia quidem fraudem vincentes, vigilia verò nos ipſi à direptione ſeruantes.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

DIDYMI ALE-
XANDRINI
LIBER
contra
MANICHÆOS.

Nunc primum in lucem editus.

Interprete

Franciſco Turriano Socie-
tatis IESV.

Digitized by Google

S. Hieronymus lib. de viris Illuſtribus.

Didymus Alexadrinus captus à parua ætate oculis, & ob id elementorum quoq; ignarus, tantum miraculum ſui omnibus præbuit, vt Dialecticam quoq; & Geometriam, quæ vel maximè viſu indiget, vſq; ad perfectum didicerit. Is plura opera & nobilia conſcripſit: Commentarios in Pſalmos omnes: Commentarios in Euangelium Matthæi & Ioannis, & de dogmatibus, & contra Arianos libros duos, & de Spiritu S. lib. vnũ, quem ego in latinum verti: In Eſaiam tomos decem & octo; in Oſee ad me ſcribens, commẽtariorũ libros tres, & in Zachariã, meo rogatu, libros quinq;: Commentarios in Iob, & infinita alia, quæ digerere proprij iudicis eſt. Inter quæ infinita, à S. Hieronymo ſilẽtio præterita, numerandus eſt etiam liber iſte aduerſus Manichæos.

Digitized by Google

DIDYMI ALEXANDRINI LIBER CONTRA MANICHAEOS.

NVlla oppoſitio contrariorum fit ex toto, quin ſint in eis aliqua contrariorum communia. Verbi gratia, album quod eſt contrarium nigro, & nigrum in iis tantum, quibus differunt, contraria ſunt, cum habeant alioqui communem colorem, & qualitatem; nihil enim eorum, quæ talia ſunt, priorem oppoſitionem, quam communitatem habet. omnia enim poſt illa, quæ habent prius communia, oppoſitionem ſortiuntur. in communibus autem non eſt contrarietas. oportet enim colorem eſſe, & qualitatem eſſe, vt ſit album; ſimiliter in nigro. ad eundem modum virtus & vitium prius conueniunt in communi ratione qualitatis & affectionis, quàm ſint contraria. Si igitur duo principia ingenita ſunt, & hæc ſunt contraria: vel ex toto ſunt contraria; vel ſunt aliqua eorum communia: at nihil ex toto recipit contrarietatem, habent igitur hæc communia, eſſe ſcilicet, & ſubſtantias eſſe; & ſi quid aliud in eis commune reperitur. contraria verò ea facit eſſe alterum bonum, alterum malum: eſſe item alterum lumen, alterum tenebras. Prius autem cogitatur eſſe ea ſubſtantias, quam cogitentur eſſe bonum & malum. Contrarietas igitur non eſt circa communia, ſed circa propria. poſitum autem eſt eſſe ea ingenita,

nita. nihil autem eſt ante ingenitum. at eſt ante hæc contraria aliquid, id ſcilicet, quod dixi eſſe in eis commune. ergò non ſunt principia ingenita; quia hæc ingenita ſunt contraria. quod autem ineſt eis commune, ante ipſa contraria eſt, non ſunt igitur ingenita principia, quia ante ingenitum nihil eſt.

Sin verò dixerint, non eſſe contraria ratione ingeniti, reperietur igitur commune eorum hoc. Sed rurſus quia malum ingenitè eſt malum; & bonum ingenite bonum, reperietur ingenitum malum commune amborum; & ingenitum bonum commune item amborum. Si enim bonum ſine ingenito non poteſt reperiri, commune autem eſt ingenitum; commune rurſus erit, quod neceſſariò ſequitur ingenitum; hoc autem eſt bonum. ſi verò dicant non eſſe commune eorum, eſſe ingenitum: nam quatenus alterutrum eſt ingenitum, non eſt alterum ingenitum; erit igitur ingenitum vel bonum, vel malum, non autem bonum & malum, Quare ſi reperietur bonum ingenitum; malum erit genitum.

Aliter. Omne malum eſt puniendum. nihil, quod puniendum eſt, eſt incorruptibile. nullum igitur malum eſt incorruptibile, quin ſit incorruptibiliter corruptibile. nihil corruptibile eſt ingenitum. eſt autem malum corruptibile. malum igitur non eſt ingenitũ. Nullum eſt malum ſecundum ſubſtantiam, malũ autem eſſe, eſt affectum eſſe qualitate malitiæ ſcilicet. at affectũ eſſe qualitate non eſt ſubſtãtia, malum igitur non eſt ſubſtantia. Omnia contraria ſe viciſſim interimunt. quæ ingenita ſunt, non intereunt. non ſunt igitur contraria. cõtraria enim nõ ſunt ab interitu libera. Nihil ingenitum eſt mutabile. mutatur a. hoc bonum à malo ſuperatũ. bonũ igitur hoc nõ eſt ingenitũ. Quod eſt ingenitũ non expetit vllius interitum, malum a. expetit interitũ; malũ igitur non eſt ingenitũ. Scripturæ diuinę nõ ſolum malos, ſed etiam ipſum diabolũ dicunt afficiendum eſſe ſupplicio. quod autem ſupplicio afficiendũ eſt, id omne mutabile eſt: nihil a. mutabile ingenitum eſt; nullum igitur ex malis ingenitum eſt.

Eorum, quæ ex toto ſunt contraria, nihil eſt commune; quare omninò neceſſe eſt, vt quod vni ineſt, alteri nõ inſit, ineſt autẽ bono eſſe ingenitũ, malo igitur neutrũ horũ ineſt; quare malũ nõ eſt ingenitũ. Quicũq; rectè aliquid expetit, ſi rectè expetit, expetito potitur. expetit a. Deus malitiã delere; igitur malitia deleri poteſt. quod ſi deleri poteſt, delebitur; deleta a. nõ eſt ingenita. Si malũ eſt ingenitum, natura ei ineſt eſſe malũ: at nemo operãs ſecundũ naturã peccat; igitur

Digitized by Google

tur malũ ingenitũ nõ peccat, q autẽ nõ peccat, nõ eſt in culpa, & reus, reus autẽ, & in culpa eſt Satanas, Satanas igitur non eſt ingenitus.

Diuina ſcriptura hoĩes vocat ſuarũ actionũ, & ſtudiorũ filios, & fœtus. vt iracundos, aut alio peccato obſtrictos, ita vt propter peccatũ obnoxii ſint irę ſupplicii de eis ſumẽdi. & filios irę nominat. Paulus itaq; de ſe, & de ſimilib. Sãctis ait: eramus natura filii iræ, ſicut & cęteri homines, q hucusq; in peccatis fuerũt. illud a. q appoſitũ eſt, natura non ſecundũ naturã ſignificat, ſed verè. Eramus. n. inquit, natura filii iræ, vt declaret, verè eſſe obnoxios iræ eos, qui peccant. Sicut ergò filius iræ efficitur, qui admittit peccatum, ſic qui ab eo ſe ad virtutem tranſtulit, filius veritatis, ac virtutis. Sic dictũ eſt de quibusdã à Saluatore, juſtificata eſt ſapientia à filiis eius, filios ſapientię appellat ſapiẽtes. etenim quia, qui ſunt filii alicuius, ab eo, qui generauit habent, vt ſint: habẽt a. q qualitate affecti ſunt, à qualitate ipſa, vt tales ſint, quales ſunt. idcircò rectè & cõueniẽter filii qualitatis nominantur. Sicut enim ſapientes quoſdam Dñs filios ſapientiæ appellauit, ſic alios filios pacis nominauit, cũ dixit diſcipulis, ſi ingreſſi fueritis in ciuitatem vel domũ, & ibi fuerit filius pacis, pax veſtra, data ſcilic. ciuitati, vel domui, requieſcet ſuper filiũ pacis, qui ibi erit. Rurſus idem Saluator prudentiores, inquit, ſunt filii huius ſæculi, quàm filii lucis in generatione ſua; filios lucis vocat illuminatos cogitatione veritatis, & operibus virtutis, quibus dicit tanquam luminibus, quia facti ſunt filii lucis, vos eſtis lux mundi. eos autem, qui dilexerunt hanc vitam, & ad eam quæcunq; faciunt, referunt, filios ſæculi huius nominauit. Epheſ. 2. Mat. 11. Luc. 10. Luc. 16.

Sed licet dixerit prudentiores eſſe hos filiis lucis, non ſimpliciter dixit eſſe prudentiores, ſed in generatione ſua, id eſt, in rebus ad hoc ſæculum accommodatis, prudentiores ſunt filiis lucis. ſunt enim ſapientes ad maleſaciendum, vt autem benè agerent, intelligere noluerunt. & de Iuda ſcriptum eſt, quod eſſet filius perditionis. Sic enim Dominus de eo dixit: nemo ex diſcipulis meis periit, niſi filius perditionis. Filium perditionis vocauit, quia fecit, quæ digna interitu erant. non enim cum erat vnus ex Apoſtolis, & vnà cum illis miniſtrabat Saluatori, talis erat; ſed cum factus eſt proditor filii Dei, & Magiſtri, amans argentum perditionis. Et quia nõ erat natura malus, pariter cum aliis diſcipulis omnibus audiuit; ecce ego mitto vos tanquam oues in medio luporum. ſi lupos dicit eos qui pecant, oues verò eos, qui virtuti operam nauant. Iudas autem natura malus erat, non erat ouis Chriſti, quia nõ eſt aptus ad vacandum

dum virtuti, qui natura malus eſt. Immo nec ipſe diabolus, ſecundũ naturam malus eſt, ſed ex mutatione liberæ voluntatis.

Sicut igitur non ſolum prauarum actionum & ſtudiorum, ſed honeſtorum filii vocantur, qui ea, vt diximus, exercent; ſicut dicebantur fœtus qualitatum, qui ab eis accipiunt, vt tales ſint, quales ſunt, quod quidem ab ipſa qualitate proficiſcitur: ſic caro peccati, & corpus peccati non ſimpliciter dicitur, ſed quia homo ſeruit peccato, homo enim corpore, & carne ad libidinem, & alias huiuſmodi operationes abutens, corpus ſuum corpus peccati facit, & carnem carnem peccati. Sicut rurſus ſtudioſus & honeſtus per temperantiam, & virtutem, quæ inde ſequitur, corpus ſuum & animam ſanctificat. Virgo itaq; ſancta efficitur corpore & Spiritu, qui eſt anima, ſicut Paulus ſcribit, cum ait: oportere virginem eſſe à rebus vitæ huius expeditam & liberam, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu. Immò etiam in Epiſtola ad Corinthios ſcribit: Glorificate Deum in corpore veſtro. Si autem glorificatur Deus in corpore hominum, & Deus non glorificatur in malo, non eſt igitur corpus natura malum: quamuis malum eſſe faciat peccator, cum ipſo vtitur peccando.

1.Cor.6. Et paulò poſt eoſdem rurſus alloquitur, inquiens, an neſcitis, quod corpora veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, quem à Deo habetis? Si quis templum Dei violauerit, diſperdet eum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Et in epiſt. ad Theſſa. ſcribit idem Apoſtolus; Deus pacis ſanctificet vos per omnia, vt integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine querela in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur. Quomodo autem poteſt quis per omnia ſanctificari, & corpus ſuum habere integrum, cum corpus nõ ſit aptum vt ſanctificetur, ſi malum eſt. Si enim natura malum eſt, non poteſt recipere ſanctificationem: Si verò recipit, liquet non eſſe natura malum, cum bonitatem recipiat. quod enim natura malũ eſt, non poteſt capere bonum; ſicut rurſus, quod natura bonum, nõ poteſt capere malum. In altera epiſtola ſcribit idem Apoſtolus ad quoſdam: Emundemus noſmetipſos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus perficientes ſanctificationem in timore Dei. Hac voce *Emundemus* declarauit, eſſe carnem aptam natam, vt repurgetur à contaminationibus, quæ ex peccato ad eam accedunt. ſimiliter in ſpiritu & anima. Quod ſi caro ſecundum ſubſtantiam eſſet mala, & ſpiritus ſecundum ſubſtantiam eſſet bonus, neq; ſpiritus inquinaretur; neq; ab inquinatione mundaretur. Præcipit autem vtrumque

1.Cor.3.

1.Theſſ.5.

Digitized by Google

ab inquinatione mundare, exprimens etiam modum mundationis, perficientes enim inquit, ſanctificationem in timore Dei. illud verò etiam rectè, quod ait in timore Dei, vt doceat, habere homines è ſe, vt obediant, non autem ex neceſſitate. 2.Cor.7.

Quòd ſi perficientes ſanctificationem in timore Dei carnem noſtram & ſpiritum ab inquinatione mundamus, perſpicuum eſt fieri hoc acceſſione ſanctitatis. ſicut enim ab ignorantia & iniuſtitia anima repurgatur, cum ſcientia & iniuſtitia adeſt, fuga enim vitii aditum virtutis efficit, ſic adueniente ſanctificatione, caro & ſpiritus ab inquinamento mundantur. ſpiritus autem in his animam ſignificat. Sicut in Actis etiam Apoſtolorum Stephanus cum lapidabatur & erat prope moriens, preces Deo adhibens, Domine Ieſu, inquit, accipe ſpiritum meum, nihil aliud hic dixit ſpiritum ſuum quàm animam ſuam. Si igitur caro & corpus quandoq; peccati, aliquando ſanctificationis dicitur, & ad glorificandum Deum adhibetur, nihil horum natura malum vel bonum eſt; ſed potius vtrumq; liberæ voluntatis poteſtate recipere poteſt. & vſus eius, qui carnem & animam habet, facit, vt nunc ſit caro peccati, nunc caro ſanctificationis. Act.7.

Quòd ſi ita putant, qui non intelligunt quod ſcriptum eſt, vnde proferunt, eſſe carnem peccati, nos tamen idipſum integre recitantes, ſententiam perſpicuam reddemus. Sic enim habet: Deus filium ſuum mittens in ſimilitudine carnis peccati, de peccato peccatum damnauit in carne: huiuſmodi eſt, quod dicit: caro omnium hominum ex coniunctione viri & fœminæ exiſtit, excepta carne primi parentis, & ea, quam Chriſtus aſſumpſit. non enim aliter corpus hominis fit, niſi corpora maris & fœminæ miſceantur. Igitur quia Saluator ex ſola virgine corpus aſſumpſit, quod non duxit principium ex coitu, idcircò carnem Domini ſimilitudinem carnis, quæ ex coitu exiſtit, vocauit, non enim ſimpliciter dixit, habere eam ſimilitudinem carnis, ſed ſimilitudinem carnis peccati. ſimilitudo autem carnis peccati caro eſt, hoc ſolum ei ex aliis carnibus defuit, quod exſtitit ſine viri ſemine. oportebat enim, vt qui ad ſalutem hominum veniebat, non acciperet corpus ex coniunctione viri; neque rurſus extra ſucceſſionem hominum, ſicut primus homo, ne corpus eius alterius generis eſſe putaretur. Etenim ſi ipſe etiam ex terra formatus fuiſſet, ſicut fuit princeps generis humani, ſuſpicionem cepiſſent, qui apparitionem per fictionem introducunt, non Rom.8.

Digitized by Google

geſtaſſe re & veritate corpus hominis. Rurſus, ſi corpus ex coniunctione ſumpſiſſet nulla differentia, exiſtimatus vtiq; eſſet obnoxius eſſe illi peccato, cui per ſucceſſionem erant omnes ex Adam ꝓfecti & orti.

Si verò dixerint, ſi caro peccati eſt, quæ ex coniunctione viri & fœminæ, nata eſt, malæ ſunt nuptiæ: audiant iſti, quod ante aduentum Saluatoris, qui abſtulit peccatum mundi, ſi omnes homines, ſicut alia cum peccato agebant, ſic etiam nuptias cum peccato habebant. Vide ſimiliter de corporibus ex connubio natis, intelligendum eſt, quia poſt peccatum facta fuit coniunctio Adæ cum Eua; idcircò dicta eſt caro peccati. Qui enim erat ante peccatum immortalis, factus eſt per peccatum mortalis. atq; ita ſucceſſio mortalitatem habet. Similitudinem igitur huius carnis habebat Chriſtus, tametſi caro eius non vidit corruptionem. veruntamen per aduentum Chriſti, ſicut ab aliis rebus ablatum eſt peccatum, ſic etiam à nuptiis. itaq; nunc, qui ſecundum Euangelium viuunt, habere poſſunt honorabiles nuptias, & torũ imaculatũ, ſicut Paulus ſcribit fidelibus, honorabiles nuptiæ, & torus imaculatus. fornicatores autem & adulteros judicabit Deus. diſtinguens enim nuptias honoratas, & eos, qui eis vtuntur; à ſcortatoribus & adulteris, non ſcortationem, nec adulterium vult eſſe nuptias. ex quo fit, vt neq; peccatum ſit cõiugium.

Alia cum peccato agebant, id eſt, mundũ peccato per Chriſtũ redemptorẽ ablato, ſimiliter nuptias cum peccato habebãt; Etſi etiam homines ante Chriſtũ & agere, & nuptias ſine peccato habere poterant, & iuſti reipſa quoq; habebant, ſed beneficio Chriſti venturi.

Aliter etiam dici poteſt magis phyſicè, Diuina quædam res eſt virginitas, & tanquã in virtutibus exiſtit. ſi quis igitur nuptias cum virginitate conferens, ipſas dicat peccatũ eſſe, non abſolutè ſunt peccatũ; malum .n. non cõparatione boni malũ eſt, ſiquidẽ per ſe tale eſt. ſi quãdo igitur aliquid malũ dicatur cum bono collatũ, ipſũ etiam ſic collatũ, minus bonũ fuerit infra bonũ antelatũ. Qui igitur ad Euangelium accedũt, ad id inprimis, ac præcipuè accedũt, vt Deum colãt, & ſecundũ Deũ ſapientes euadant, hos ſeqtur oppugnari ab aliquibus; ſiquidẽ oportet firmè Chriſtianã religionẽ ſuſcipere. Cõparatur autẽ firmitas exercitatione cõtra tẽtationes ſuſcepta, vnde neceſſe eſt eos ſubire certamina. & ſicut qui pręmia in certaminibus proponũt, ſi ꝙ ratio poſtulat, curant, nõ fortuitò hunc pugilẽ cũ illo committunt & conſerũt, ſed proportione viriũ cuiusq; valdè diligẽter animaduerſa, & conſiderata: ſic noſtri certaminis & pręmii judex, non omnes cum eiſdem aduerſariis copulat, ſed potius pro ætate & viribus cuiusq; aduerſarium exhibet.

συζευγνυει.

Corin-

Digitized by Google

Corinthiis igitur, cum eſſent pueri, ſcribit Paulus, adhuc teneri eos paſſionibus carnis. tentatio, inquit, vos non apprehendit, niſi humana; horum enim tentationes & certamina ad res humanas referuntur. de ſe autem, & de ſimilibus, & æqualibus, & æquè robuſtis ſcribit, non eſt nobis colluctatio aduerſus ſanguinem & carnem, ſed aduerſus Principes, & poteſtates, & rectores mundi tenebrarum harum: quæ perinde ſunt, vt ſi diceret, vobis, qui altius aſcendiſtis, non eſt *pugna* aduerſus carnem & ſanguinem, id eſt, aduerſus *humana*, ſed aduerſus ſuperiores ordines aduerſariorum. hi autem ſunt *ſpecies* rationalium prauorum, qui voluntate tales euaſerunt. 1. Cor. 10. Epheſ. 6.

Nemo verò exiſtimet, cum diximus ſpecies rationalium prauorum, ſubſtantiam prauam nos dicere. Sunt enim ſpecies & genera etiam eorum, quæ voluntate fiunt. dicimus igitur eſſe ſpecies honeſti juſtum, temperantem, prudentem, fortem. quia enim virtus, quę genus eſt, in ſpecies diſtribuitur juſtitiam, temperantiam, & reliquas; neceſſe eſt, qui genus participat, id eſt, honeſtus, genus ſit eorũ qui participant ſpecies virtutum. Similiter cum ſcientia genus ſit Grammaticæ, Muſicæ, & aliarum, quæ nominantur à genere ſcientiæ, neceſſe eſt, ſcientem, genus eſſe, quod ſpecies, quæ à ſcientia nominantur, continet. Cum igitur ſpecies prauorum rationalium dicimus, omnes, qui ſubter has ſpecies referuntur, voluntate prauos eſſe dicimus: ita fit, vt nomina praua, quæ diximus, non ſubſtantias declarent, ſed voluntates. Diaboli enim nomen non ſubſtantiam, ſed voluntatem declarat. Ac Iudam quidem, cum homo alioqui eſſet, diabolum dominus nominauit nõ propter ſubſtantiam, ſed propter voluntatem, cum numerans Iudam in diſcipulis, dixit eis, nonne duodecim vos elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt? Et ſubiungit Euangeliſta, hoc autem dixit de Iuda, qui eum proditurus erat. Si enim propter futuram proditionem diabolus vocatus eſt, non jam tunc diabolus erat, quando cum omnibus electus eſt. electus enim cum omnibus eſt propter virtutem, quæ tunc in eo erat. tunc a. appellatus eſt diabolus, quando quæ ad proditionem ſpectabant, operabatur. Si ergò in Iuda nomen diaboli actionem ex volũtate declarat, ſimiliter etſi de alio quopiam dicatur, aliquid voluntatis ſignificat. nouit autem conſuetudo vſum nominis huius.

Diabolos itaq; vocamus eos, qui accuſant, hi illos, & illi hos. vnde q̃a diabolus Deũ accuſat apud homines; & hoĩes apud Deũ, & hoĩes apud eos ipſos inter ſe, hoc nomen ſortitus eſt. quòd ſi nomen Sata-

Digitized by Google

næ etiam de ipſo diabolo dicitur, ſciant, hoc ipſum nomen aliquid etiam voluntatis declarare. vox enim Hebraica Sathanas nihil aliud ſignificat, quàm ἀντικείμενον græce, id eſt, aduerſarium. aduerſarius autem ſi de homine accipiatur, idem eſt, quod inimicus nocẽs. Sicut igitur inimicus voluntate eſt inimicus; ſic etiam aduerſarius; ſicut etiam horum contraria. amicus enim, & beniuolus, & concors, & idem ſentiens, nomina ſunt, quæ voluntatem declarant: dicitur enim hîc amicus, & beneuolus, ſicut dicitur diabolus, & ſathanas, & malus. Sicut Saluator in Euangelio præter alia, hoc etiã docuit diſcipulos precari, & ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. etenim & nomen mali voluntatem declarat.

Ὡς τοῖς οὐσιώδεσιν: Sicut ad ſubſtantiã pertinent ea, in quibus ſubſtãtia eſt, ſic ad voluntatem ea, in quibus voluntas.

Si igitur in omnibus nominibus, quibus ſignificatur princeps malorum, & primus, qui à virtute defecit, voluntate talis eſt, non poteſt ſecundum ſubſtantiam eſſe malus. quod ſi dixerint, cum eſſet ſubſtantia, ac natura malus, voluntate etiam habuiſſe illa ipſa, quibus ſic nominatus eſt; Sciant iſti, quod in iis, quæ ad ſubſtantiam pertinent, non aſſumitur voluntas. nullus enim dicit, voluntate eſſe animal, aut lapidem. hæc enim οὐσιώδη ſunt, id eſt, ad ſubſtantiam pertinentia. quare nihil hic volũtatis eſt. in illis enim ſunt ea, quæ ad voluntatem ſpectant, in quibus eſt voluntas.

Sed fortaſſe dicent, cur eum, qui futurus erat pernicioſus, & peſtifer, bonus Deus produxit? ſciant qui hoc dicunt, non ſolùm nobis repugnare, ſed omnibus, qui prouidentiam Dei ponunt. Multi enim alii, qui prouidentiam ponunt, omnes animantes rationis participes ex Deo eſſe dicunt, in quibus vitium oritur. Si igitur hæc de diabolo dicunt, de omnibus etiam ratione præditis coguntur hoc dicere. Nos tamen, qui iſtos non ſequimur, dicimus, non eſſe auctorem vitii, qui eum fecit, qui poteſt ſua propenſione, ac nutu ad vitium venire. Animal enim rationis partieeps fecit Deus, quod volebat, vt voluntate ſua bonum eſſet, libera alioqui poteſtate præditum, qua poſſet in vtramq; partem flecti. volebat enim vt homo eſſet bonus, eligendo ſponte bonum. nemo enim inuitus poteſt eſſe bonus, quin potius omnes boni volentes ſunt boni. quare oportebat, vt qui voluntate ſua futurus eſſet bonus, poteſtatem haberet, qua idoneus & aptus eſſet ad capiendum, quod bonum & honeſtum eſſet. Conſentaneum verò erat, vt quod bonum capere poterat, poſſet item malum. Sic fabricato rationis participe, vt ad capiendam virtutem & vitium vim inſitam haberet, datum eſt mandatum,

Digitized by Google

vt virtutem haberet actu, vitium verò non actu, ſed ſola aptitudine. Lex enim creatoris hortatur, & roborat atq; adiuuat ad virtutem, dehortans naturam à vitio.

Quamuis igitur inſit poteſtas in compote rationis ad capiendum vitium, non propter poteſtatem eſt malus iſte: vtrorumq; enim, virtutis ſcilicet & vitii, ſunt poteſtates, & electiones. eligimus enim habere poteſtatem virtutis, vt eam actu capere poſſimus, eligimus etiam habere poteſtatem vitii. tunc enim habemus eam, cum actu virtutem habemus. neq; noſtra ſolum eſt hæc opinio, ſed omnium, qui rectè de animalibus ratione præditis philoſophati ſunt. licet igitur ſubſtantiam, quæ diabolus nominatur, Deus fecit, non tamen fecit, vt eſſet diabolus, ſed vt virtutem ſuſcipere poſſet, vt eam haberet; & vitium item ſuſcipere, vt ab eo abſtineret. Etenim quia non poteſt virtus cum vitio ſimul arripi, eſt autem amica Deo virtus, vtriuſq; poteſtatem immiſit vtenti ratione, vt poteſtatem quidem virtutis ad ſuſcipiendum actum illius participaremus; poteſtatem verò vitii ad abſtinendum à fine poteſtatis, qui eſt actus. Quare omnis particeps rationis factus eſt, vt eſſet probus, & non prauus. ἀρετῆ. ἀσυνέργακτοι.

Si quis igitur ratione vtentium, via auctori, & gubernatori cōtraria ingreſſus eſt, non eſt culpa fabricatoris & legiſlatoris, ſed eorum, qui contra leges ſancitas, & earum prouidentiam vires intenderunt. videmus hæc ſemper in nobis ipſis accidere. quæ enim filios docemus, cum volumus eos ſecundum diſciplinam inſtituere, vt diſciplina vtantur, non ſic tamen vtuntur, vt inſtituti à nobis ſunt: immò contingit aliquando, vt multi filii à patribus in arte medicinæ eruditi, non vt oportet, arte vtantur, ſed potius pro ſalubribus, quæ morbos inducunt, ægrotis adhibeant; non eſt tunc accuſanda medicina, nec eſt in culpa, qui eam docuit, non enim ſic is docuit, vt ſic iſte faceret. facit enim non vt didicit.

Rurſus leges quoſdam docemus, vt juſtitiam defendant, & iniuſtitiam repellant. Sed tamen vitioſè aliqui ex iis, qui ad ſtudium legum acceſſerunt, contra, atque didicerunt, faciunt, neque tamen continuo leges aut legiſlatorem criminamur: ſi enim leges & legiſlatores injuſtitiæ rei eſſent, non punirent iniuſtos. ſiquidem hæc eſt legis, & legiſlatoris voluntas, ac ſententia, puniendum eſſe iniuſtum. & Deus punit Sathanam, & eos, qui leges à Deo latas, tranſierunt, quibuſdam enim prauis dicit, mittite in ignem æternum, qui πας́απώντοι. Mat. 25

præparatus eſt diabolo, & angelis eius. Sciant igitur qui contra hæc dicunt, dicere eos ſecum pugnantia. Si enim ſecundum ſubſtantiam diabolus malus erat, & à bono Deo alienus, & par viribus eſſe poterat. neq; præparaſſet ei Deus ſupplicium; neq; mittere eum in ſupplicium potuiſſet. dicit tamen præparatum eſſe ignem Diabolo.

Hoc etiam dicendum eſt, ſi bonus Deus immutabilis eſt, vt quidẽ eſt, & eaſdem vires ſemper habet, & non aliud alius poteſt, & alius aliter, futurum autem erat, vt poſt multam noxam, multamq; cladem eum igni ſempiterno traderet, quare non hoc à principio fecit, cum ſe in Deum extulit, & partem eius occupauit? juſtiores enim tunc pœnas in eum decreuiſſet, vtpote in eum, qui in maiorem peccaſſet. Nunc enim hominibus nocet; tunc autem iſtorum opinione ipſi diuinitati nocuiſſet, ſicut ipſi ſentiunt, lex autem & indignatio juſtior eſt contra eos, qui in regem audent, quàm qui in aliquos, qui regi obediunt. Si enim ſic ipſis de his ſentiendum eſt, aut dicturi ſunt ignorare tunc Deum quomodo vlturus eſſet, & malum impediturus; aut nõ potuiſſe: at neutrũ horũ bono Deo tribuendum eſt. non igitur inimicus Dei ingenitè, contra eũ ſe extulit, ſed potius factus alioqui vt eſſet bonus, poteſtatem virtutis capiendæ imperfectam & mancã ſeruauit: poteſtatem verò vitii ſuſcipiendi ad actum perduxit; vnde puniendus fuit & merito pòſt ſupplicio affectus eſt.

Luc. 3. Si verò illud obiecerint, quod à Ioanne Baptiſta dictũ eſt, ſerpen-
» tes genimina viperarũ, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? faci-
» te ergò fructus dignos pœnitentiæ, & nolite dicere in vobis ipſis, pa-
» trẽ habemus Abraam; potens n. eſt ex lapidibus iſtis ſuſcitare filios
» Abraæ. jam ſecuris poſita eſt ad radicẽ arborũ. oĩs arbor quæ non fa-
» cit fructũ bonũ, exciditur, & in ignẽ mittitur: audiãt iſti, non poſſe eos Ioañem Baptiſtã obiicere, qui fuit veteris teſtamẽti, quod non recipiũt. nihilominus tamẽ hic cõtra iſtos dicẽdũ eſt, per totũ contextũ negare Ioannẽ eſſe natura bonos, aut natura malos: ait n. illis: facite igitur fructũ dignũ pœnitẽtiæ. Pœnitẽtia a. & fructus eius nõ cadit in malũ ſecundũ ſubſtantiam, nec in bonũ natura. Quomodo enim qui ſemper bonus eſt, pœnitẽtia indigeat? aut quomodo natura malus bono pœnitentiæ vtetur? Qui n. ſecundũ ſubſtantiã malus eſt, nõ poteſt à peccato dimoueri, nec vtilis eſſe ei pœnitẽtia: tũ etiã ex lapidibus oſtenſis dicit excitandos eſſe filios Abraę; lapides vocat obſtinatos, & adhuc in peccato permanẽtes. ſi nãq; eos pœnituerit, & Deo crediderint, erũt filii Abraæ, q ideo homo Dei appellatus eſt, qui in Deũ credidit, ita vt fides ei reputata ſit ad juſtitiam. Quia

Homo Dei; in noſtro exemplari amicus Dei legitur.

Quia verò illud etiam ab iſtis dici audiuimus contra eos, qui ex Abraham, & aliis ſanctis viris generati ſunt, quod dictũ eſt. ſerpentes genimina viperarũ, Abraham & Abramæos ſignificare, intelligant iſti dicere ſe, quæ cum conſequentia capitis pugnant: arguit enim eos, quod non eſſent filii Abraham, ſed potius genimina viperarum, diſſimulata, & fruſtra ſe ex Abraham ortos gloriarentur. ait enim illis Saluator in alio capite: Abraham non fecit, quem vos patrem veſtrum dicitis mẽtientes. Si enim filii Abrahæ eſſetis, faceretis vtiq; opera Abrahæ: ſed vos ex patre veſtro eſtis diabolo, & deſideria patris veſtri vultis facere. ille homicida erat ab initio; & in veritate non ſtetit. benè habet, quod dixit, non ſtetit, quod quidem declarat, ſtetiſſe ipſum prius in veritate. patrem autem eorum vocauit diabolũ, propter ſimilitudinem mutationis & qualitatis. Quare non Abrahã & Sanctos cũ eo viperas appellauit. vt enim filii viperarum eſſent, ex mutatione habuerunt, quia malis magiſtris vſi ſunt volentes, ſicut diximus: *Ioan, 8.*

Ait igitur illis Ioannes, quandoquidem auerſi à virtute, ſerpentes fieri voluiſtis, (non enim natura tales erant) deſinite eſſe fœtus viperarum, quarum qualitatem habere voluiſtis, quandoquidem praui ex prauis, & iniqui ex iniquis ſtuduiſtis eſſe, ſed quia dicitis ferre vos ſignum pœnitentiæ eò, quod ad baptiſmum venitis, hoc autem ſimulatè facitis; idcircò dico vobis, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? Quem enim peccaſſe pœnitet, ideo pœnitet, vt non amplius peccando ab ira in peccantes futura fugiat, rogat autem inquiens, quis vobis oſtendit? vt ſit perinde, ac ſi diceret; qui legitimè oſtenderit ſe à vitio recedere, non ſimulabit fieri hoc, vos autem hoc facitis ſimulatè, cum ad baptiſmum venitis: non igitur mũdabimini. Qui enim vult verè mundari, à peccatis deſiſtit, & huiuſmodi pœnitentiæ fructum affert, faciens opera habitus peccato contrarii. hoc vos non feciſtis, qui vos condemnaſtis, cum diceretis, habere vos patrem Abraham, ſed hoc non juuabit, putare habere vos patrem Abraham, ſed eſſe eius filios fide, & fuga idolorum. Quamobrẽ tametſi aliquando filii Abrahæ fuiſtis, non hoc vos ſaluos faciet. eos namq; qui nunc non ſunt filii Abrahæ, poteſt Deus filios eius facere. Quare ſaluus euadit, qui eſt filius eius ſecundũ virtutẽ, nõ qui ſecundũ carnẽ. Quod ſi fuerit ſecundũ carnẽ filius Abrahę, ne glorietur, & ſe jactet; poteſt enim quod huiuſmodi eſt excidere, & trãsferri. Sanè q dẽ, & qui nõ potuerunt hoc nanciſci, vt filii ſcil. Abrahæ eſ-

hæ eſſent ſecundum carnem, poterunt nihilominus eſſe filii Abrahæ. Etenim Paulus, quos non generauit carne, dicit in Chriſto; per Euangelium ego vos genui. Verùm cum hæc auditis, ne contemnatis, quia ira in eos, qui peccant, retardetur, jam enim in eo ipſo, quod peccat nequam, præſens habet ſupplicium, quo afficiendus eſt. Quamobrem ſcitote jam ſecurim radicibus arborum propinquare. radices vocat non eas, quas videmus, ſed homines qualitate vitii affectos. Radix enim harum arborum eſt peſſimus habitus, ex quo fructus non idoneus ad veſcendum, ſed venenatus, & peſtifer naſcitur. ipſum igitur vocauit fructum non bonum. Itaq; quamuis ſecuris ſupplicium ſignificat, arbor verò hominem peccantem, non ſunt hæ naturæ pugnantes: proponuntur enim minæ ſupplicii ad mutandum arbores. Qui enim minatur delinquentibus, per minas ipſas mutare vult. Quare ſi per comminationem ſecuris, qua ſunt arbores putres excindendæ, ſuadet ipſis, ne malum fructum ferant, ſed bonum, non eſt natura mala arbor, neque natura malum ſupplicium.

1. Cor. 4.

Sed fortaſſe dicent, Si vltio mutat malos, bonum eſt vltionem eſſe; ſi autem bona eſt animaduerſio & ſupplicium, contraria autē ſupplicio eſt promiſſio, & contraria non poſſunt ſimul eſſe bona, promiſſio igitur mala eſt; at promittit Deus hanc: non eſt igitur mala. quod ſi promiſſio nō eſt mala, ſed bona, ſupplicium eſt malum. quod ſi malum eſt ſupplicium, non Deus, ſed Satanas illud infligit. infligit autem non ſuis, ſunt enim & ipſi mali, & neceſſe eſt ipſum etiam Satanam ſubire ſupplicium, reſtat igitur, vt bono & non malo infligat: at fieri hoc non poteſt: non igitur Satanas illud infligit, ſed Deus. Omne autem, quod à Deo infligitur, vtiliter infligitur, cùm ſit bonum, vel efficiens bonum, vel prohibens malum. Deus igitur volēs prohibere malum, ſupplicium conſtituit: non autem aggrederetur prohibere malum, niſi malum prohiberi poſſet. hoc verò prohibitum, non poteſt eſſe natura, & ingenitum. lapſi verò etiam in hoc ſunt ineruditi, qui animaduerſionem contrariam eſſe promiſſioni putauerunt. Vtraq; eſt enim remuneratio; promiſſio quidem remuneratio bonorum, quæ mercedem illis affert, animaduerſio verò malorum, quæ mercedem ſoluit iis, qui voluntate diuinas leges violauerunt.

FINIS.

Ad

Digitized by Google

Ad Lectorem.

EXcuſo hoc Didymi contra Manichaos opuſculo, incidimus in primū Tomum Apparatus ſacri R. P. Antonij Poſſeuini, Societatis IESV Theologi, in quo illud ipſum Didymi opuſculum typis deſcriptum inuenimus. Quod te neſcire noluі, Lector, vt non mihi, ſed R. P. Poſſeuino; (qui verſionem Didymi calamo exaratam ad nos miſerat) tanquam primo editori gratias perſoluas.

Digitized by Google

Digitized by Google

31.

TITI
BOSTRENSIS
EPISCOPI
LIBRI TRES

Vnà cum argumento libri quarti aduerſus Manichæos,

Nunc primùm in lucem editi.

Interprete

Franciſco Turriano Societatis IESV.

E 2 S.Hie

Digitized by Google

S. Hieronymus Catalog. ſcript. Eccleſiaſt.

TItus Boſtrenus Epiſcopus ſub Iuliano & Iouiano Principibus, fortes aduerſum Manichæos ſcripſit libros, & nonnulla alia. Moritur autem ſub Valente. Hæc S. Hieronymus. Scripſit etiam Commentarios in Euangelium S. Lucæ, qui Græcè exſtãt in Bauarica Bibliotheca. Latinè vertit & publicauit Theodorus Peltanus Societ. IESV *Theologus. Plura de Tito Baronius Tomo IV. Annnalium, anno Chriſti 362. num. 154. & anno 363. num. 142.*

Trithem. de ſcript. Eccleſ. Titus Epiſcopus Botrenns, vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & in ſecularibus literis egregiè doctus, ingenio acer & vehemens, multa fertur cudiſſe opuſcula, quibus memoriam ſui nominis cum gloria tranſmiſit ad poſteros. De quorum

rum numero ſubiecta feruntur. Contra Manichæos libr. 2. Commentariorum Euangelij lib. 1. Et alia complura. Claruit anno Domini 340. Et ſub Valente Imper. mortuus eſt. Hæc Trithemius, qui errat, cũ ait duos tantũ libros contra Manichæos ſcripſiſſe. Conſtat enim fuiſſe quatuor: quartus autem in noſtro apographo deſideratur; argumentum tamen illius ſupereſt.

Digitized by Google

TITI EPISCOPI BOSTRENSIS ADVERSVS MANICHÆOS

Argumenta quatuor librorum.

Argumentum primi libri.

Argumenta hæc ex Græco verſa ſunt.

PRimus liber continet confutationem præcipuorum capitum, quæ ſunt penitus aliena, & cum communibus notionibus natura inſitis, & anticipatis pugnantia.

Argumentum ſecundi libri.

SEcundus liber docet, & explanat non peccare hominem ex quodam malo æterno, & ſine principio, ac Deo contrario, quod quidem non eſt. & nullum eſſe malum ſecundum ſubſtantiam in iis, quæ ſunt eſſe; nec vllam inæqualitatem in noſtris rebus, ac vanè & valdè impiè gubernationem vniuerſi improbari, & reprehendi. Deniq; omnem de prouidentia diſputationem ſummatim complectitur, docetq; minime

Digitized by Google

minime neceſſe eſſe ſuſpicari, ex rebus vſlum eſſe ſecundum principium Deo contrarium.

Argumentum tertij libri.

TErtius liber pro lege, & prophetis diſputat. quippe cum totum vetus teſtamentum à Deo datum ſit; & nihil eorũ, quæ in eo facta, aut dicta ſunt, probabilem accuſationem eius, qui fecit, & dixit, habeat; ſintquè omnia cum nouo teſtamento conſentientia, vt *nec* ex hac parte neceſſe ſit cogitare aliquod ſecundum principium Deo contrarium.

Argumentum quarti libri.

QVartus liber nouum teſtamentum ab illorum Blaſphemia in Deum defendit; vt qui nullam prorſus communionem cum eo habeant; & fruſtra, ac vanè quaſdam partes eius ad conſtituendam ſuam impietatem per vim trahant. quodq; id, quod diabolicè ſubiiciunt, nihil eos iuuat ad ea ſtabilienda, quæ contra Deum dicunt.

Iſte liber quartus non comparet in noſtro apographo:

TITI

TITI EPISCOPI BOSTRENSIS CONTRA MANICHAEOS

LIBER I.

QVibus ſtudium eſt, cauſas eorum, quæ homines peccant, à Deo remouere, aiunt, ſanctum, & verum eſſe Deum, huc ſpectant tales, & hoc eis propoſitum eſt tueri. Cum enim non negant, procurare Deum res noſtras, rectè, ac verè hominibus peccata eorum aſſignant. alloqui parum quid ſanare qui voluerunt, in grauiorem & difficiliorẽ impietatis ægritudinem inciderunt; Dei prouidentiam, quæ in vniuerſitate rerum cernitur, negantes. Manichæus verò, qui à barbarie & furore nomen ducit, nocentiore adhuc contra impietatem remedio abuſus eſt; cum enim demonſtrare voluiſſet, non eſſe Deum auctorem mali, malum ei oppoſuit ingenitum, vt ait, ingenitó, viuũ viuo, ſemper obſiſtens ac repugnans, & nunquam non negotium & moleſtias inferens, quodq; ab eo funditus extingui & interire nequeat, vtpote æterna, & completa ſubſtantia, tanquam ingenita: ſic fugiens fumum, vt eſt in prouerbio, in ignem incidit. Etenim ne videatur Deus, vt Manichæus exiſtimat, noſtrorum malorum eſſe in cauſa, ex toto quodam, & integro malo apud ſe fructum fingit percipere. Quid enim, ſi res tractat Deus, vt Manichæus ait, toleranter & ſapienter? at nunquam opinione huius, bello & pugna carebit;

ἀγέννη-τον.

quo

Digitized by Google

quo quid poteſt de Deo quod minus eum deceat, cogitari?

Quòd pium quidem ſit apud homines, totis viribus confiteri Deum nõ eſſe iniuriarum, & maleficiorum auctorem, prima doctrina Eccleſiæ Catholicæ ſtuduit profiteri. Cum autem quærimus, quomodo nos peccamus nolente Deo, vt peccemus? de grauioribus nos Deũ accuſamus, cũ à leuioribus eũ, ſicut ille, defendere volumus.

Sed qui viam veritatis ex ſanctis ſcripturis & ex communibus notionibus cognitam habemus, pergamus firmè ad talem quæſtionem, *piam* argumentationem pro Deo concludentes, nos ipſos *ſtudio* veritatis accuſando: non enim vt verbo accuſationem eorum, quę in nos inter nos peccamus, declinemus, decebat in Deum impios eſſe, poſcentes ab eo, quæ ſunt contumelioſiora omnibus, & quæ nequaquam ſunt.

Præterea qui exiſtimamus peccata apud homines ſanabilia eſſe, vtpote quæ non à principio quodam contra eos effluant, ſed alio modo à nobis fiant, quem diſputatio ſuo tempore explanabit, non ſolum non ſumus in Deum impij non audentes coniecturam facere non poſſe Deum propter difficultatem reſiſtere vitio, quod ei non ineſt, ſed quæ à nobis vitioſè aguntur, nitimur in eis ceſſare, cum iis, qui aduertunt, demonſtramus, quæ à nobis principium ducunt, vt fiant, per nos etiam, ne fiant, finem aſſequi, tametſi non apud omnes, non enim hoc generale in ſingulis eſt, ſed in ſingulis eorum, qui ſtudium adhibuerunt, iudicium tamẽ vniuerſi eſt, poſſe eſſe in ſingulis. verumtamen qui barbarè eum impietatem excogitauit, fingens malum ſine principio, contra Deum verè principio carentem, ac ſolum, & hoc ſecundum principium inſanè conſtituens, non ſolum malum collocat in ordine æquali Deo, tamquam hoc honorare velit, quod ſcilicet odit, ſed mala, quæ ex malo, quod principio caret, inſanabilia penitus eſſe, cum neceſſariò affirmat, facit inſidioſè, vt exiſtiment qui ei credunt, iniuſtitiam non poſſe apud homines corrigi. ita vt anticipata voluptate peccatorum, pro conuerſione deſperatio obiiciatur, quaſi fieri non poſſit, vt impetus vitij, quod principio caret, coërceatur. præterquam ſiquis cupiditate gloriæ, quod plus boni, vt iſti fingunt, habere videatur, ſtudium adhibeat, vt, quoad fieri poteſt, non peccet, vt manifeſtum faciat, non aliundè, quam à ſe peccatum proficiſci. Exiſtimabitur tamẽ apud ipſos melior eſſe propter admixtionem naturæ, qui non natura, ſed labore, & ſudore vſus eſt, qui quidem putabit ſe laudari cum alioqui vera laude priuetur. veram. n.

F glori-

Digitized by Google

gloriam ex labore ac ſtudio virtutis proficiſcentem relinquẽs, ſi quidem pietati erga Deum ſtudebat, neceſſitatem naturæ rapinam eſſe falſo ducit, qui vtilitatem induſtriæ ad impietatem in Deũ adhibet, vt nec animus ignauię & inertiæ dedit', cum malè agit, pungatur, ſi quidem alteri cuidam principio actiones adſcribit: neq; qui ſtudio vtit, laude dignus habeatur, quippè q in id cogitatione incumbat, q̄ eſt omnium atrociſſimum, inſtitui ſcil. ad impietatem aduerſus Deum.

Cum verò Manichæi rationẽ creationis mundi à Deo facti non intelligerent, non ſolum actiones hominum à ratione auerſas excutientes, eo modo, quẽ diximus, lapſi ſunt, ſed etiã plurimas creaturas, immò ferè oĩa in crimen vocauerunt, quę nullã tamen vituperationẽ verè admittunt, mala autẽ hęc appellauerunt, in aliis q dẽ miſtionem contrariorũ boni ſcil. & mali, vt loquuntur, mentientes, in aliis verò malum ſimplex, & vnius formę reprehendentes. quantũ in ipſis fuit, oĩa confuderunt, appellãtes mala, quę minimè mala ſunt. Si enim iniuſtitiã, in qua hoĩes ſunt, quę ſola eſt iniuſtitia accuſarent tanq̃ malũ, ſic etiã oportebat nomen, & opinionẽ de ea munire, tamq̃ quę eſſet, dum eſt actio; aut non eſſet, dũ non eſt actio, non autem oportebat introducere principiũ ipſum cõtra Deũ. fuiſſet tamen eorũ error affatim circũſcriptus, & terminatus. nunc autẽ cum ferè oĩa, quę fabricata ſunt, mala eſſe dicant, blaſphemiã in Deũ in infinitũ auxerunt, & producunt tanquam certa, & ratione, ac iudicio probata omnes beſtias, & feras, nõ putantes oportere facta eſſe hæc à bono, non ſolum eorum opinione inutilia, ſed hominibus nocentiſſima, quamuis demonſtrari poſſint vtiliora, & commodiora eſſe quam ea, quæ verè hominibus conducere videantur. ac multa quidem alia connectunt ad accuſationem rerum, & gubernationis vniuerſi.

Dabitur vero opera, vt nihil tam eorum, quæ dicta, q̃ quæ dicenda ſunt, diſputatio non ratione cõcluſum relinquat. fingunt enim cogitatione duarum naturarũ contrariarũ admiſtionem, & his, vt eis videtur, res oẽs diſtribuunt. vnde nam, inquiunt, mala, ſi hæc non ex aliquo principio ſũt? Si quis verò percunctet, qualia peccata in hoĩes confertis? quęcunq; fabricatus eſt Deus & totam ipſam rerum compoſitionem ac gubernationẽ vituperant: vt iam ſiquis demonſtret omnia benè, & neceſſariò facta eſſe, & fieri, neceſſe eſt, excidat eis, & auolet ratio contrarij principij cum enim, ea quæ infra ſunt, non intellexiſſent, quomodo habeant de iis, quæ ſunt ſupra, ſunt commenti neq; percepiſſent, quomodo, ea, quæ videntur, diſpoſita ſint, id, quod

non

non videtur, calumniati ſunt; & cum ſtudere viderentur, vt cognoſcerent, quia non cognouerũt, in maiorem ignorantiam inciderunt, etenim veluti in tenebris quærerent, quæ de iis, quæ apparent, ignorabant, non ſolùm non inuenerunt, quod quærere videbantur, quin potius maiores ignorantiæ tenebras ſibi offuderunt. nos verò primò de duobus principiis contrariis, quæ ponunt, differentes ad concluſionem argumentationis de vniuerſo veniemus, eſſe ſcilicet bona, & neceſſaria oĩa, & illa maximè, vt ſuperius dixi, in quę maximum impetum, & incurſum faciunt, quaſi omnium conceſſu mala ſint, præterea etiam omnium rerum gubernationem, atq; illa, in quibus ſecuritatem prouidentiæ, qua, quæ magis neceſſaria ſunt, procurantur, improbant: & non ſolùm hæc, ſed de iis etiam, quæ apud homines iniuſtè fiunt, neq; propter hæc principium mali contra Deum oportere cogitare. docebimus enim hæc etiam bonitatem Dei, qui nos fecit, declarare; & neq; ab hominibus fieri ſecundum voluntatem Dei, nec ex principio quopiam contrario in nos ferri.

Igitur aggrediamur deinceps ad principium impietatis illorum commentitiæ, inquirentes, vtrum notiones naturales contraria principia rerum admittant, ſi enim ne conſentientia quidem admittunt, multò minus pugnantia. ſcribens igitur ille ipſe furens Manichæus, vbiq; incipit; *erat Deus, & materia; lumen, & tenebræ; bonum, & malum in omnibus ſummè contraria;* vt in nulla re alterum cum altero communionem, & ſocietatem haberet, ambo ingenita, & viuẽtia. igitur aut diſiungent ſe; aut ſi fuerint, ſimul amica, & nequaquã contraria eſſe apparebit. at patet dicere eum ſeiuncta eſſe hæc. igitur vtrumque cum altero finitum, & terminatum erit ſecundum ſubſtantiam, & neutrum incircumſcriptum, & infinitum. circumſcribere autem Deum ſecundum ſubſtantiam, & non noſſe, & confiteri infinitum eſſe, quomodo non eſt admodum impium? quandoquidem non ſolum circumſcribi, & terminari ſubſtantia Dei videbitur, ſed à malo, vt ille ait, hoc accipere. Quod quidem extra communes notiones eſt, quæ menti ſuggerunt, vt eum vbiq; eſſe noſcat, & natura incomprehenſum.

Præterea etiam, ſi hęc neceſſariò à ſe diſſident, non ſolùm Deus opinione illius inſana naturæ circumſcriptæ eſſe videbitur, ſed in priuato loco eſſe, & reſidere propè contrarium. quę enim à ſe mutuo arcentur, propriis, & priuatis locis circumſcribunt. excutiẽda igitur ſunt hæc, ſi ambo cõtraria tanquam ingenita antiquiora locis erant,

Digitized by Google

aliquando rurſus prius erant communiter à pugna inter ſe libera. Sin verò diſiunctio ſubſtantiæ vtriusq; ſimul ex æternitate fuit, antiquior erat locus ſubſtantiæ vtriusque, vel ſimul cum illis ingenitus. ſi autem antiquior, vt iam ambo videantur vtriusq; loci propagines, non ſunt hæc ingenita, nec æterna, quod quidem locis, ex quibus hæc extiterunt, videbitur ineſſe. Si vero locus eſt ſimul cum illis ingenitus, erant plura ingenita, & non iam duo. neceſſe enim eſt, vt alia ſint illa loca præter hæc, quæ in illis ſunt, ſine quibus nec eſſe poſſunt.

Ad hæc poſcendum eſt ab iſtis intermedium, & vtrisq; interiectum, quod alterius cum altero communitatem arceat, & prohibeat, ne finibus inter ſe commiſta, rurſus rationem, ac naturam contrariorum tollant. Quid igitur erit iſtud, quod ambo illa diſterminet, & interſepiat? opus enim habet, apud iſtos cuiusdam tertij commentum fabulæ. An dicturi ſunt nobis, eſſe murum adamantinum, aut aliud quid delirum? Cuius nam prouidentia hoc quicquid ſit, interſeptum eſſe dicent? vtricunq; enim contrariorum hoc aſſignare velint tanquam poſtea immiſſum, non reperient exitum in hac cauſa: neq; ſe hinc expedient. reuocata enim aſcendendo ad antiquius, diſputatio rurſus deprehendet contraria inter ſe ſeparata, tanquam nullo modo contraria. Sin verò neutrius prouidentia interſeptum, quod declarant, eſſe dixerint, neceſſario fatentur introducere ſe aliquid ingenitum, quod neutrius ſubſtantiam participet, vt omninò dirimendo ſeparet hæc: atq; ita fiet, vt reperiantur turbam ingenitorum ponere, qui duo ingenita eſſe dixerunt.

Attamen hoc, quod diſterminat, & interſeptum eſt ſiue murus eſt, ſiue terra ſine domibus, ſiue aliud quodlibet. nunquid, alicubi quidem habet baſim, alicubi verò culmen? Atqui perſpicuum eſt, infra quidem habere baſim. Sed vbi, & quantam? ſupra vero culmen, ſed vbi, & quantum? ſupra enim & infra nomina fabricationis mundi, ante fabricationem ſunt apud iſtos. at qui oportet etiam interſeptum profundius, & altius eſſe quam ea, quæ diſterminantur, ne ſi quid ex parte inferiori, aut ſuperiore deficiat, aditum contrariis præbeat, vt ſimul ſint. Si autem cum vmbra & ſole comparent illud, quod interſeptum vocant, putabunt quidem nihil habere commune vmbram cum ſole, conuincetur tamen, deceptos eſſe eos turpiter à Manichæo, vmbra enim communione ſolis, & præſentia fieri ſolet mole quadam interpoſita, quæ communionem, & præſentiam ſolis ad alteram partem tranſmittit, nihilque aliud vmbra eſt, quam

iudici-

iudicium luminis corpore quopiam interiecto impediti, nocte enim, cum non adeſt lumen, nec pars vmbræ eſſe poteſt. vbi igitur vmbra eſt, ibi lumen, quę enim vltra vmbram ſunt, lumine collucent, prę-terquam, cum id, quod vmbram facit, multa altitudine ſuperat id, quod illuminat: & malum in lumine habitans lumen eſſe apparebit, niſi murum maximè ridiculum poſitum habent. Quomodo enim vmbra eſſe poterit lumine materiam ex omni parte colluſtrante, niſi quid in medio prohibeat, & lumen omnino ab ea excludens vmbram efficiat? in lumine non videbitur poſuiſſe pro muro ridiculo: quod interpoſitum ſi non ſit, & quam maximè diſterminet, perpetua erit communitas malo cum lumine.

Rurſus, meridianam partem malo tribuentes, ſomnium fabricæ deſcribunt. vbi enim erat meridies ante meridiem? Locus autem in mundi fabrica alius alio inhonoratior non poteſt eſſe. quod enim ad leuam eſt in occaſum aſpicienti, ad dextram rurſus eſt aſpicienti in orientem. Verum abſurdiſſimum eſt hoc barbaricum dogma. duo enim prorſus principia quomodo principia ſint, aut appellentur? ſiquidum principium eſt, quod omnibus eſt antiquius, & omnium tenet principatum, & imperium, quorum neutrum in neutro duorum eſſe poteſt. eſſe enim ambo eiuſdem temporis, & cognata, rationem eorum inter ſe principatus, & excellentiæ tollit. immo quæ non ſolum à principatu poteſtatis inter ſe libera ſunt, vtpote contraria, ſed natura pugnant, quomodo cogitari poſſunt habere omninò principatum? Quod ſi ratio principatus neutrum horum incolume ſeruat, quomodo principia vocabuntur?

Quomodo rationes naturales admittent, vt ſint duo ſecundum ſubſtantiam contraria, vbi primò quidem, nomen ſubſtantiæ commune eſt vtriuſq;? primum igitur, quatenus vtrumq; ſubſtantia eſt, perſpicuum eſt conuenire interſe, & non eſſe contraria. deinde ambo ſunt animalia; præterea æqualiter ingenita. Quorum autem eadem ſunt nomina, & eadem deſcriptio, horum ſubſtantia quomodo contraria, aut pugnans eſſe poteſt? ſiquidem nomina res ſignificant. dicitur enim de vnoquoq;, quod vnumquodq; eſt, vt, eſſe poteſt. itaq; cognoſcimus vim nominum eſſe res. vtrumq; igitur eorum, quæ Manichæus contraria putat, ſubſtantia viuens, & ingenita nominatur, manifeſtumq; eſt, cum talis error principium ducat à barbaris, eſſe etiam apud eos ſublatam communium notionum conſecutionem. integra enim atq; eadem eſt vtriuſq; ex æquo deſcriptio,

F 3 quæ

Digitized by Google

quæ non modò omnem contrariorum ſuſpitionem eiicit, ſed neque differentiam vllam in iis, quæ nominant, eſſe permittit.

Aiunt autem Manichæi aſſeclæ hoc quidem bonum, illud verò malũ, qualitates videlicet ante ſubſtantiã intelligentes, nominata enim ſimiliter in vtroq; ſubſtantia, (ſunt n. ambo ſubſtantia viuens, & ingenita) ſuperuacanea eſt, deinceps ſunt veluti qualitates contrariæ, etſi enim non decet, nominare in Deo qualitatẽ, eſſe tamen prius quodãmodo eſt cogitatione, q̃ talem eſſe, ſubſtantia autem ſignificatur, cũ dicitur ſubſtantia viuens, & ingenita; præterquã ſi dicant propria accidere ambobus contraria, quod eſt omnium ſtultiſſimum. ingenito enim nihil accidit, cui enim non accidat eſſe, huic neq; taliter eſſe acciderit. quod non eſt, non accidit.

Supernaeaneæ ſunt præterquam, &c.

Qualitates igitur contrarias licet in rebus inuenire, ſubſtantias verò nequaq̃. albũ enim & nigrũ contraria ſunt, vtrumq; in corpore eadem ſubſtantia, ſunt autem talia partim contraria inter ſe, partim non contraria, primum namq; ſubter vnum genus ſunt. vtraq; enim ſunt color. Deinde etſi contraria eſſe videntur, tamen aſpectum variè delectant, neutrum enim illorum immoderatione hunc offendit. immò etiam virtus, & vitiũ in anima. atq; hęc quidẽ contraria non ſolũ in eadem ſubſtantia, ſed in vno genere nominãtur. vtrumq; enim eſt habitus, quę tanquã accidentia inſunt in anima, à qua abeſſe poſſunt; anima, in qua hęc ſunt, alias aliter affecta, & diſpoſita, vt liqueat, aliud eſſe de ſubſtantia loqui; aliud de iis, quæ ſubſtantiæ accidunt.

Atqui fit aliquando, vt album quidem, & nigrum abeſſe non poſſint ab iis, in quibus inſunt, nemo tamen ab his vnq̃ illa, in quibus hęc ſunt, nominauit. nullus enim cum voluit ſignificare lac, potius nomine albi abuſus eſt, q̃ vſus nomine ſubſtantiæ impoſito ſpeciei, ne pro vno multa ſignificare videatur, quibus ineſt albus color. quin etiam coruum non declaramus nomine nigri, ſed nomine auis, & ſpeciei. hę igitur & huiuſmodi qualitates inſeparabiles ſunt. virt' autem & vitium in anima ex qualitatibus, quæ accidunt, ſunt vt magis conueniat, vt minimè videatur ſubſtantia hominis ab his nominari; ſed oportere hanc propriè ſignificare. nemò igitur quid eſt homo, ex vitio, quod alicui ineſt, ſignificauerit. ſed primò ſpeciem ſubſtãtiæ dixerit, deinde quis ſit, adiicit; poſtea qualitatem in eo dicit.

Quid eſt homo id eſt ſubſtantia hominu.

Qualitates igitur contrariæ, ſicut ante dixi, in iis, quæ accidunt, reperiri poſſunt partim quidem ſeparabiles, partim verò non. in Deo autẽ oĩs qualitas eiecta eſt, quandoquidẽ nihil eorũ, quę de eo dicũtur,

tur aliud eſt præter ipſum. ſimplex enim eſt,& compoſitionis expers. cogitatione tamen,vt ſuperius dictum eſt,prius eſt eſſe,q̃ talem eſſe.

Quamobrem rurſus dicimus, ſi vtraq; eorum, quę Manichæus contraria eſſe dicit,ſubſtantia viuens,& ingenita ſunt, non enim negabunt,vel ambo bona vt magis ad id quod benè pièque ſonat, propter verè bonum, ipſum contrarium, quod dicit,quod minimè eſt, trahatur, non enim dicemus, vel contra,ſi ambo mala: quod enim ingenitum eſt,omninò bonum eſt,continuo igitur Deus cum ingenitus ſit, nequaquam habet hoc ipſum non ingenitũ eſſe tanquam malum,ſed tanquã bonum certè. Quæ igitur ſortitio iſta eandẽ rem, & nomen apud Deum quidem pulchram,& bonam eſſe,contra verò malam apud malum,vt iſti aiunt,in generatione quidẽ inueniri queat differentia,differentia tamen,& non contrarium.in eo verò,quod eſt ingenitum eſſe,q̃d poteſt eſſe differens,nedũ contrarium?Quamobrem omnino fieri non poteſt, vt ingenitum ingenito contrarium ſit. ſi quid enim ſit,nullum eorum debet nec eſſe, nec appellari contrarium, vt in omnibus rebus nulla ſit cum contrario communitas, ac ſocietas. *Scilicet ingenitum.*

Si enim non ſit omninò contrarium, quatenus ei communitas cum altero eſt,non eſt contrarium. contraria tamen ſunt eſſe, & non eſſe. *fortaſſe vero nec hæc contraria ſunt, non enim pugnant.* quod verò eſt,non eſt contrarium ei, quod eſt. ſi autem quomodo eſt, penitus cum eo,quod eſt,conuenit, vnum & ſolum, quod verè eſt, omnibus erit principium vt ſint. *Sunt enim in Deo ſimul,qui vocat ea quæ non ſunt tanquam ea, quæ ſunt. ſicut Apoſ att.*

Aiunt præterea etiam ipſi,oportere omnia,quæ ſunt Deo contraria, appellare materiam, verbi gratia,ſi Deum appellemus lumen, contrarium vocemus tenebras: ſi bonum,illud malum.Si tamen appellaremus Deum ipſam illam veritatem, patet vocandum eſſe contrarium mendacium.Quod autem verè eſt,vt opinati ſunt, quomodo erit mendacium? quod enim eſt, ſi dicatur non eſſe, mendacium fuerit.Quod verò verè eſt,quod facit,vt verum ſit eſſe aliquid,nunq̃ erit mendaciũ. Si enim dicat eſſe,verũ dicit; ſi verò non dicat eſſe,vt non dicat verum,neq; dicet nõ eſſe,vt mentiať. quòd ſi dicat nõ eſſe, notione mentitur,non eſt igitur ipſum mendacium,verè enim eſt.

Deinde ſi vocant iſti bonum immortalitatem, malum vocabunt interitum, at cuius erit interitus ipſe interitus? boni enim non poterit, ſin erit ſui ipſius interitus multis ſæculis à ſe interiuit, & fruſtra, ac vanè eum eſſe, cogitatione fingunt. quomodo autem erit inte-

Digitized by Google

interitùs, aliud namq; tollit interitus, non ſeipſum. ſin verò ſeipſum, neq; principio ſubſiſtere potuit. videbitur enim magis ſe ipſe interimere, quam eſſe. interitus enim immortalis non poteſt ſecundum communes notiones cogitari. quod autem eſt ingenitum, neceſſario eſt ab interitu liberum, & æternum, vnde & immortale. ſupra mortale enim eſt quod ingenitum eſt. ſi autem hoc habet materia vt nunquam facta fuerit, quod maius eſt, quomodo non hoc, quod minus eſt, non ei ineſt, nunquam ſcilicet interitum cepiſſe? Si autem non capit interitum tanquam æterna, neque ſuiipſius eſt interitus, & non erit ſubſtantia ipſius interitus.

Sed qui ex Schola Manichæi profecti ſunt, huiuſmodi diſputationes cum audiunt, vnde, inquiunt, ea ordinis perturbatio, quæ in rebus cernitur? at ſæpè dictum eſt propter ignorantiam diuinæ gubernationis & quomodo res diſpoſitæ ſint, falſam & impiam cognitionem ſibi comparaſſe propter inſcitiam eorum, quæ ſcire ſibi videbantur, quæ peius, quam ſi ignoraſſent, ſciuerunt, & quod verius eſt, amiſſo, quod quærebant, priuſquam quærerent: diſputatio verò noſtra cum tempus erit, q̃ putant perturbationem ordinis rerum, bonum ordinē eſſe à Deo altiſſimo proficiſcentem conficiet & concludet; & quæ ipſi dicunt mala alia quidem in actione tantum poſita, alia verò ſecundum ſubſtantiam, minimè mala eſſe docebit.

Erat, inquit Manichæus, tempus, cum materia, ſine ordine ferebatur; & generabat, & creſcebat, ac multas poteſtates producebat, aucta igitur euehebatur neſciens ſubſtantiam boni. poſtquam verò magis euecta nouit terram, & lumen boni, nitebatur aſcendere ad ea, quæ non erant propria, bonus vero poteſtatem quandam mittit, cui nomen, quod ei viſum eſt, imponit, cuſtodituram ſcilicet præſcripta, re autem vera futuram ipſi materiæ illecebram & inuitamentum ad moderationem eius à voluntate alienam, quod quidem factum eſt, cum enim vidiſſet materia poteſtatem miſſam quaſi adamans, concupiuit quidem eam, ſed ardentiore appetitu prehenſam abſorbuit, & quodammodo tanquam bellua ligata eſt, vſi autem ſunt hoc exemplo, tanquam cantione poteſtatis miſſæ ſopitam eſſe. facta igitur eſt, aiunt, mixtio & temperatio adhuc modum, abſorptaque poteſtate boni, & materia abſorbente ſic ex vtraq; fabricatum eſſe vniuerſum à bono ſcilicet. non enim malum prouidit ortum mundi. hinc aiunt alia quidem bona eſſe, alia verò mala facta miſtione illa & duorum coitu per vim contrariam rerum, quæ hic ſunt.

τοὺς ὅρους.

Decer-

Digitized by Google

Decernit autem omnem quidem animam eſſe ex parte boni, corpus verò & carnem ex parte materiæ: & iam quidem corpus animam tanquam in carcere detinere; iam verò animam demulceri tanquam belluam à cantione. Sic bonus cum materiam decepiſſet, mundi, inquit, factus eſt fabricator, non quidem quod ipſum fabricari deſideraſſet, reſiſtit enim ei, ſed propter ſeditionem à malo excitatam, quam corrigere, & moderari cogitauerat, non tamen fieri potuiſſe, vt venenum mali, quod eſt in rebus, quas videmus, extraheretur, ſequi verò hoc, vt opinati ſunt, ex perturbatione ordinis, & ex inæqualitate rerum noſtrarum, atq; hunc quidem diuitem eſſe, illum verò pauperem; hunc glorioſum, illum inhonoratum, & inglorium, & quæcunq; talia ſunt. ſtudium verò boni eſſe liberare animam à malo, & hanc quodammodo ex materia exhaurire, hoc autem fieri per lunam creſcentem, & decreſcentem, vt nos videre videmur, re vera, inquit, ipſa in modum hydriæ impleta, ex ſubſtantia infuſa in bonum cognatum exinanitur, etſi enim non his verbis, hęc tamen vult dicere, quæ multo honeſtius à nobis dicta ſunt. plurimum enim abſurdi, & incredibile eſt in eius narratione. σοφισά-μενος.

Quæcunq; igitur alia aniliter, & commentitiè loquitur, & ſcribit, ſermone Syriaco vtens, quomodo terra ſuſtinetur, non deuitans poëticam fabulam: quomodo imbres fiunt, & ſudores eſſe principum materiæ, hæc, & alia eiuſmodi, quæ præter negotium ſui certaminis tractat, ſuperuacuum eſſet ad confutandum proferre. oportet quæ de ſingulis delirè ſcribit, quæ omnibus nota ſunt, non pati, vt librum infinitis nugis dilatent, quippe cum ſatis ſit cõfutato capite inſaniæ eius, reliqua contemnere. & ſi non contingeret, vt neceſſario hæc cauſa ſermonem de prouidentia complecteretur, quo demonſtrare oportet, omnia eſſe benè, ac diuinè ordinata, & ineffabilẽ Dei ſapientiam prædicare, ridiculum eſſet vel aliqua ſaltem confutatione, quæ propoſita ſunt, digna eſſe putare, quę quidem extra communes notiones congeſta, ſponte ſua apud eos, qui mentem habent, coarguuntur.

Satis autem erat, poſtquam non minus demonſtratum eſt, nequaquam duo principia eſſe præſertim contraria, de homine iam & de reliqua fabrica diſſerere, nihil tamen prohibet, quin cõſideremus, quomodo propoſita incredibilia ſunt. Ferebatur inquit, aliquando materia perturbato ordine. Qua ordinis perturbatione? an ſecum ſola? an contra aliquem? omnis enim iniuſtitia non eſt ſui iniuſtitia,

ſed altero indiget, in quem fiat. cui igitur non erat communitas cum alio; in quem perturbato ordine ferebatur? aut quæ ratio ipſius perturbationis?

Generabat quidem, primum nequitia progrediens, & creſcebat. igitur ingenita generabat, & non erit locus dicendi, æternam aliquid noui moliri. aut enim natura molietur, atq; ita nunquã intermiſit rerũ nouarum molitionẽ; ſi modo appellare oportet nouarũ rerum molitionẽ, contra q̃ negotium à Deo ſuſceptum minimè principiũ temporis habeat; aut ſi hoc cogitatione vtens facit, rationẽ habet, & cognitionem; & euerſa eſt cauſa nequitiæ ratione carentis. Siuè igitur ratiocinatione vtens, ſiue motu rationis experte ſeditionẽ mouit, quæ ratio patitur, vt infinitis ſæculis dimiſſa ſit huiuſmodi ſeditionem mouere? ex quo enim dicit cohibitam, & retentam eſſe, punctum temporis fluxiſſe reperietur, ſi cum infinitis ſæculis præteritis comparetur. Quod enim incipit, & terminat, finitum eſt. qui autem ſunt ex toto infiniti, æterni ſunt, & ingeniti.

καινοτομιῶν.

Præterea, ſi ratiocinatione vtens ad ſeditionem deprauabatur, quomodo non potius aggreſſio rei, quæ fieri nõ poterat, interrupta, & reſciſſa eſt? tanquam non poſſet contra ſapientiam inuictam incurſionem facere? vnde factum eſt, vt cauerent, ne ei rationem & cognitionem tribuerent, vt locum haberet commentum ſeditionis contra Deum, & neceſſariò ab ignorantia, & natura non ratiocinãte tracta, non expectabit infinita ſæcula, dum ſe armat, & ſe exercitu ſepit, fiat ad audaciam promptior. ſi enim copiòſior fiebat iis, quos generabat, nequaquam tamen appetitum naturæ augebat; neque motus naturalis quicquam appetitus aſſumebat. neque accidiſſet ei primùm quidem augeſcere, atque ita ſeditionem mouere, hoc enim naturæ ratione vtentis eſt, quæ ex propoſito nequiter agit.

ὁρμήν.

Quomodo autem augeri poterat nequitia (id eſt ſatanas) acceſſione ſobolis? ſi enim iis, quos gignebat, ad nequitiam perficitur, imperfecta erat nequitia, & non erat in ſummo, & faſtigio nequitiæ. ſin vero erat perfecta, & ſumma ſecundum rationem propriam; rurſus minimè videbitur augeri nequitia per propagationem generatorum, neque fiet audacior, & præfidentior, cum non ſit particeps rationis; nec ad auxilium ſuum adhibebit quos genuit: alioqui videbitur antequam procrearet, imperfecta fu-

προβολῶν.

διαπροβολῶν.

ēta fuiſſe non ſolum nequitia ad nequitiam, ſed ad vires, & robur quod alienum eſt ab ingenito.

Explanans autem modum ſeditionis huius factæ. Qui, inquit, ex ea nati ſunt, ſe mutuo inſectati ſunt, & deuorauerunt. dura, & grauia paſſi. neque prius deſiſterunt in ſeipſos moueri, quam lumen ſerò tandem viderent. his enim verbis vtitur. à ſe enim ipſi exagitati, cum alioqui neſcirent, ita tamen auſi ſunt vſq; ad lumen accedere. ecquid his incredibilius, & magis commentitium? eos, qui vnam matrem ſibi aſcribunt, & vendicant, & cognatione naturæ iuncti ſunt, in ſeipſos fruſtra inuadere, & viciſſim membra ſua deuorare, & nunquam in hac re ceſſare? quod quidem ſi verum erat, præſtabat ipſos à ſe ipſis conſumi. & inaniter demens Manichæus ἀταξίαν, id eſt, perturbationem ordinis vocat in eo quod vtile eſt. huic enim nequitiæ aſcribit, & aſſignat perturbationem ordinis ante mundum, quam ſic vocat, tanquam doleat, & ſe miſereat materiæ, quod non prius à ſeipſa vtiliter, & conuenienter conſumpta eſſet: & tanquam quidam amicus huius, mœrens, ac grauiter dolens, quod ſibi nocuiſſet, quæ contra ſe vtiliter fecit, in iis perturbationem ordinis vocat, cum deberet potius compoſitionem ordinis excellentiſſimam vocare, interire ſcilicet malum à ſeipſo. ille autem ait, in perturbato ordine erant, & ſibi inter ſe nocebant, viſo lumine deſiuerunt.

Igitur inſidiatum eſt lumen vtilitati, ſi quidem malos à mutua cęde liberauit, & tanquam medicina medici profuit ægrotis. at non conueniebat bono, vt parceret malo, & ſineret permanere incolume, & non ſineret à ſe ipſo conſumi. ſi enim ne à ſe conſumeretur, hoc prohibuit, ipſe plane ſeruauit ipſum, eſſetque verior ἀταξία, id eſt, aberratio à bono ordine hoc, quod ait, ſublatam eſſe perturbationem ordinis. ſic igitur eſt in libro, qui apud ipſos fertur, ſeditione inter ipſos orta, prodierunt vſque ad confinium, & viderunt lumen ſpectaculum quoddam pulcherrimum, & maximè decorum; tunc commotione ſua in inſaniam acti conſultauerunt de lumine, quid faciendum eſſet, vt ſe cum eo, quod præſtantius erat, miſcerent. hoc autem cogitare non poterant, ſed præ cupiditate melioris arbitrati futuram eſſe propriam prædam, cum multi eſſent, exercitum inſtruunt.

Manichæus, quæ ſunt omnium pulcherrima, & belliſſima, filiis nequitiæ teſtimonio ſuo neſciens tribuit. Etenim ſi quod eſt pulcherrimum, & maxime omnium decorum, amanter viderunt, & cupidi-

piditate incenſi propriam prædam eſſe exiſtimauerunt, liquet rectè ſenſiſſe. quare conſilium capiunt, qui non ſunt rationis participes; quomodo ſe ipſi cum lumine miſceant. & relinquitur, vt inuidia eſſet, non permittere iſtis frui bono. non enim erat ſermo Manichæi conſtans. Si enim contra ſe inſaniebant, oportebat quidem dimittere eos, vt à ſe ipſis interirent. Si deſiderio luminis tanquam elegantes tenebantur, honeſtum etiam erat eis, concedere, vt fruerentur. decorum enim, & laudabile omninò eſt ſecundum naturam, deſiderium boni, quo frui non potuerunt, ſicut ait qui dogmata Manichæi ſcripſit, cum alioqui deſiderarent, potuerunt tamen ſe conficere, & deſtruere, tale enim penitus eſt bonum, vt neq; conſumi poſſit, neq; poſſint inſidias ei ponere, qui eius participes ſunt. Quomodo omnes ſimul in militiam profecti ſunt, qui non cognouerant, quis reſiſteret, & aduerſaretur? ſic enim eſt in libro, vnde iſta Manichæi appoſuimus, quod neq; Deum in lumine habitare ſciebant; neque ſe vnquam impunè laturos, ſi in Dei domicilium inuadere auderent.

Si igitur non cognouerunt contrarium, quod obſtabat eis, alienum eſt prorſus à ratione educere exercitum contra eos, à quibus ſe repelli neſciebant. par enim erat armari eos, vt aiunt ipſi, igne, & tenebris, ſi præuidiſſent, ſe ab alienis arceri. ſed quia omninò ignorabant, nō ſolum eſt credibilie, ſed plane ſibi repugnans, armaturam, & exercitum deſcribere, cum nullus penitus expectaretur, ad reſiſtendum adfuturus. Non minus contrarium eſt dicere, tum cupiditatem luminis illos habuiſſe, tum apparatu bellico vſos eſſe confiteri. armis enim bellicis omnis hoſtis contra aduerſarium ſe tegit, & munit, non contra id, quod cupit eſſe præmium certaminis. ſi ergo non erat aduerſarius, quatenus ipſi ignorabant, quomodo non ſunt contraria cupere, & belligerare? quomodo autem illud etiam non eſt magnopere repugnans, eos, qui in iis, quæ ſecundum naturam ſunt, nunquam concordes fuerunt, inter ſe ad bellandum conſpiraſſe? ſimul, inquit, contra lumen conſilium ceperunt. Qui enim membris ſuis inter ſe viciſſim paſcebantur, & ſemper nulla vnquam intermiſſione facta cōtra ſe inſaniebant, quomodo in iis, quæ præter naturam ſunt, ad habendam cupiditatem, & ad commotionem iræ contra Deum concordes fuerunt?

Si vero iuuit ſpectaſſe lumen, nonnè oportebat duci eos à Deo ad perfectam naturæ mutationem adhibita illis curatione, ad fruendum ipſo bono, hoc eſt, deo perfectè? Quomodo iuuit ſpectaculum lumi-

Digitized by Google

luminis viſi profectos ad bellandum cum exercitu? quibus hoc ipſum lumen non permiſit contra ſe ipſos furorem amplius exercere vt quidem exercere oportebat, contra ſe vero ipſum præter quam oportebat, permiſit? Verum in his quidem commentis multum deliramenti eſt, quæ aliter etiam conuincimus, non poſſe condonari. nominant enim terram boni (id eſt Dei) qualem verò terram ante mundi creationem? apud eos ſcilicet ortum rerum anticipant nomina. prius enim quàm fateantur creaſſe Deũ mundũ, ait abſurdiſſimus Manichæus, eſſe quod nondum factum erat. terra namque ſi quidem fuerat, erat: Sin verò non erat facta, erat ſimul cum Deo ingenita. Quid verò opus erat Deo terra, qua non fuit vſus? Sed hic inſipienter terram Dei vocat, antequam dicat factum eſſe. nec enim ante creationem poterat teſtimonium dici de terra facta.

Deinde à Deo quidem creatum eſt lumen in aſpectum cadens, ipſe autem Deus lumen eſt intelligibile, non ſenſibile. vidit igitur, inquit, nequitia lumen ſummi boni. ſi lumen, quod in ſenſum cadit, nondum erat mundus, nec ortus mundi. Quomodo igitur vidit, quod nondum factum erat? cui enim fuiſſet vſui, nondum homine, qui vteretur, creato? vtilia enim vtenti cognata ſunt, non enim Deo, qui ab omni participatione ſenſili liber eſt, vtile erat. Si autem ipſum Deum; quod eſt lumen intelligibile, omninò vidit ſimilitudine naturæ ſimile, neceſſe igitur erat, vt ipſa lumen ſenſibile vidiſſet. ſenſibile autem quorſum fuiſſet, & in quem vſum ante ſenſibilia creata? alioqui quomodo tenebræ vident lumen? ſi enim viderunt lumen, diabolus non erat tenebræ, magnam enim ſocietatem, & coniunctionem habet ſenſus cum ſenſibili. naturalis coniectus oculorum propter ſimilitudinem aſpectus cum re, quæ videtur, ſtatim exprimit figuram eius propter legitimam naturæ communionem. corpus enim corpus videt. ſimile in ſimile intendit aciem. neq; poſſunt oculi naturæ inferioris quod natura præſtantius & excellentius eſt, videre, nedum quod naturę contrariæ eſt. Si autem, quod eſt naturæ excellentioris, quippe cum non ſit contrarium, præterquam incorporeum, ab inferiore vtpote corporeo omninò non poteſt videri, ἄρα γε τὸ ἐναντίον τῷ ἐναντίῳ, εἴγε ἐστιν, ἀόρατον. ſanè contrarium à contrario, ſi modo eſt, videri non poteſt. ſunt igitur, iſta quæ ſcilicet ſe vident, cognata & amica, & nequaquam contraria.

Sed plenum eſt commentum barbara pernicie. ait enim non ſolum vidit materia, ſed decreuit aſcẽdere, tanquam ſtudium quod-

dam adhibens ad demonſtrandum habere ſe communionem,& ſocietatem cum lumine. fortaſſe eos,qui ex ipſa nati ſunt, pœnituit, quod infinitis ſæculis ſuperioribus non fuiſſent experti lumen. & quomodo tenebræ adſciſcunt, & vindicant ſibi lumen? aut quorſum, & in quem vſum volunt tenebræ inuadere lumen? an vt naturam mutent,& efficiantur lumen? an vt nutriantur lumine, alimento naturæ contrario? at ignorans voluit aſcendere. etenim ſi cognouiſſet, ratio conſtaret, cur mutari voluiſſet. nunc autem cum natura ſit nequitia & ignorans, integra euerſio totius rei, & cauſæ eſt. Non fuge à contrario.

Quod autem magis à ratione auerſum eſt, ait miſſam fuiſſe à bono poteſtatem, non iam lumen ſenſibile, ſed velut diceret, ſobolem Dei, hanc cum vidiſſet materia, concupiuit quidem tanquam amans eam; impetum verò in eam fecit,& abſorbuit, & ſuis poteſtatibus diſtribuit. qua via fieri non poterat, vt videret miſſum ex natura boni, hoc inquit, effectũ eſt, vt abſorbere poſſet miſſũ. vtar enim adhuc amplius eodem verbo, quoniam ſi vel ſolum vidit, quod ex ſubſtantia Dei propagatum erat, non eſt nobis opus alio quopiam verbo ad euertendum commentum. vidit enim omnino tanquam ſimilis ſimile. Quod enim eſt penitus ſecundũ naturam contrariũ,& ſummè contrariũ, nunquam videre poterit contrariũ, nec propinquabit ei, quia ſi vel ſolum videat, ratio contrarij prorſus tollitur.

Hoc autem addit cæteris, quæ dixit, abſurdius, & ſecum vehementer pugnans, ne opus ſit, vt alius contra eum dicat, amauit enim, inquit, poteſtatem illam viſam tanquã oblita penitus naturę propriæ, non illa quidẽ oblita eſt, quæ non erat, ſed hi ſunt ſuorũ commentorũ immemores. aiunt enim, priusq̃ hęc ſeditionẽ moueret, nõ habuiſſe cognitionẽ boni; ne cognitione boni naturam ab ipſo accuſatam ornent. Nonne amentia eſt, putare eã, quæ in ſe non habet, vnde cognoſcat eſſe bonum, potuiſſe videre, & poſtquam vidit, deſideraſſe? longe enim maius eſt ſubſtantiam aſpectu videre, q̃ cognoſcere eſſe. primum non ſolũ nos, ſed poteſtates angelicæ excellentiores, eſſe q̃dẽ bonũ cognoſcimus ac cognitione ſola ad pietatem in Deũ alimur, tanto verò excellentius angeli, quanto natura ſunt excellẽtiores. videre autẽ ſubſtantiã Dei neq; nobis, nec illis licet. ſiq̃dẽ nos quãdiu corpus ſecundũ naturã induti ſum⁹, nec angelos ipſos videre poſſumus. Manifeſtum enim eſt,& plane conceſſum, qui videt, ſimile ſibi videre. ſi quis verò exiſtimet futile eſſe quod dicimus, videmus enim

Digitized by Google

ſolem, lunam, & ſtellas, præterea apud nos lapides, aurum, argentum, deniq; mare ipſum, & omnia animalia, ac nullo pacto his ſimiles ſumus: aduertat iſte, quod etſi eorũ quæ enumerauimus, diuerſæ ſpecies ſint, at horum omnium genus ſupremum corpus eſt. ſubſtantia namq; partim inaſpectabilis eſt, vt incorporea; partim aſpectabilis, vt corpus. prima igitur partitio omnia hæc tanquam genus ſeparat, & diſtinguit. Quare corpus, corpus videt; & quatenus corpus, ſimile & cognatum eſt videns, viſo, quamuis ſint diuerſæ horũ ſpecies propter varietatem, & ornatum vniuerſi.

Ridiculum enim eſſet, ſi quia flos pulcherrimum aſpectum habet, & ab auro differt, & quod eſt floridum differt à viridi, non vterq; vocaretur, ꝙ in re eſt, color. color enim eſt vterq; tametſi diuerſus. idem enim aſpect⁹ cum vtroq; coniunctionẽ & ſocietatem habet. ſic oĩa corpora ſunt aſpectabilia, licet differẽtes ſint ſpecies. eſſe autẽ corpora alia aliis prꝫſtantiora, nihil prohibet, quin oĩa corpora ſint ſpectabilia. ex quo fit, vt non ſit quod ſub aſpectũ cadit maximè, & præcipuè adorandum ab eo, qui illud cernit tanq̃ ab ipſo cõprehenſum.

Si igitur materia vidit, quod ex ſubſtantia Dei erat, cognatione magna, & ſimilitudine ducta, ad ſpectaculũ venit. nec ampli⁹ opus erat dicere contra hãc fabulã, quæ conſiſtere non poteſt. ſi verò etiam deſiderauit, quod vidit, de re omnium optima teſtimoniũ illi perhibuit homo ſtultus, vt videatur nomen quidẽ nequitię impoſuiſſe ei, ſubſtantiam verò bonam eſſe eidẽ atteſtatus. Quid enim maius eſſe poterat ad probandum bonitatem, q̃ deſideraſſe bonum? Quod autẽ dicit apprehendiſſe, & abſorbuiſſe, vt ſubſtantia Dei contraria tanq̃ ſemine fieret grauida, & diſtribuiſſe ſuis poteſtatibus. ô furorẽ amẽtis! non ſolum vidit, ſed deſiderauit. & non tantum deſiderauit, ſed abſorbuit. & non ſolum abſorbuit, ſed etiam retinuit. Hæc omnia perſpicuè non contrariam naturam definiunt, ſed potius ſummam, & altiſſimam cognationem vtriuſq; concedunt.

Siue enim ſuccenſens, quod quidem ratiocinationis indiciũ eſt, ſiue deſiderans abſorbuit quod vidit, hęc planè ad cõmunitatẽ naturę ptineant. Si enim ſũmè contraria fuiſſent, nequaq̃ vtraq; coiſſent. vt alia omittã. neq; hoc barbar⁹ aduertit, ꝙ poteſtas à Deo miſſa, ſiquidẽ incorporea erat, nullã partitionẽ recepiſſet, vt nullo modo poſſet diuidi ſecundũ ſubſtantiã in cõtrarias poteſtates, ac multo minus abſorberi. quod enim expers corporis eſt, quonã modo abſorbeatur? ſi verò corporea erat, omne corp⁹ ſectũ, & in fruſta partitũ, quodãmodo perit,

perit, & non poteſt vitam ſuam viuere. igitur vel incorporea erat poteſtas à bono miſſa, & nullo modo abſorpta eſt, nec in multos diuiſa eſt, atq; ita ex toto fabula ſublata eſt. vel corporea quædam poteſtas erat, & à nequitia deleta eſt, & interitum cepit, quod eſt ad contumeliam Dei ſceleratius, quin potius ad euerſionem fabulæ valentius, corpus enim per ſe diuiſum, & diſſipatum, ac diſperſum, (mens enim non diuiditur) quas vires habet ad ſubigendam nequitiam, quod tantum detrimentum, & contumeliam in naturam propriam accepit, vt videatur deletũ eſſe, & interiſſe? hoc enim corporis diuiſi proprium eſt.

Quod autem amentius eſt, ſi cum voluiſſet Deus terram eripere nequitiæ, ex natura propria emiſit illud nudum ad contumeliam, & interitum ipſius ſubſtantiæ, tot ſæculis ſeſſurum, & habitaturum ſimul cum nequitia, & particeps eius futurum, ac cum ea pariter peccaturum. quod quidem vel vnâ horam, aut punctum temporis ſubſtantiam Dei paſſam eſſe, vt nequitiæ ſubiecta eſſet, & pariter cum ea deliquiſſet, omnem amentiam ſuperat. Quanto melius erat traditam eſſe terram, quam ſubſtantiam Dei comprehenſam eſſe? ſi enim non fuiſſet ferenda incurſio in terram, vt materia ordinem perturbaret, quanto minus ferenda erat tanta ſeruitus, & naturæ diuinæ ſubiectio, idq; non ad breuiſſimum tempus, ſed ad vniuerſum, & imenſum ſæculum? vt neq; nequitia peccare deſiſteret, &, Deus cum ea per poteſtatem ex ſe genitam peccaret.

Nequitiam vocat ſemper. Satanam. προβεβλημένην

Vnde conſequens eſt, neq; Deum voluiſſe mittere nequitiæ ex ſubſtantia ſua genitum ad peccandum cum ea, nec illud miſſum inductum fuiſſe, & obtemperaſſe, vt ad tantum malum, & luem proficiſceretur, vt impleretur ſcilicet omni iniquitate, & iniuſtitia, ſimul & impietate, idq; pro terrena liberatione terræ non iam tunc captæ, ſed capiendæ, tanquam non potuiſſet Deus aliter huic terræ præeſſe. Vide quam plane infirmum mentiatur Deum Manichæus in Deum furens, tanquam defenſor poſſeſſionum alicuius pupilli, & cuius infirmitatem neceſſarium eſt confiteri, vt partes patroni impleat. vt enim contra defendens nequitiam nequaq̃ per ſe conſiſtentem omnia quidem feciſſe contra Deum narrat, ſeditionem, impetum in res eius, poſtremo, quod eſt omnium flagitioſiſſimum, obtinuiſſe omni ſæculo ſubſtantiam eius, eamq; in infinitas partes diuiſiſſe, præfocare, & in ſe ipſa reprimere, habereque eam ſociam in omni praua actione, & intemperantia, Deum autem non potuiſſe locum ſuum

πρεσβεύων.

vllo

Digitized by Google

vllo alio modo neq; valenter eripere, neque ſaltem vacare à peccato quod naturam eius decebat.

Quæ enim id quod ex ipſo ſecundum ſubſtantiam genitum eſt, pariter cum materia peccat, plane in eum, qui genuit, redundant. Sic demum omnem potentiam in Deum teſtimonio ſuo tribuit nequitiæ, Deum verò dicit paſſum eſſe omnium duriſſima. & audet ſubiungere, quod poteſtas Dei miſſa ſopiuit materiam tanquã belluam cantione, non ſolum ſummè contraria ſermone omni probabilitate carente miſcens, & quę nullo pacto eſſe poſſunt ſecundum naturam, commento ſuo largiens, ſed contra quam vult hic etiam conficiens & concludens. ex vtriſq; enim ait hunc Deum vniuerſum hoc fabricatum eſſe. Corpus verò hominis eſſe quidem nequitiæ; animam verò Dei, ſiue cum ſunt vnius formæ; ſiue, cum iam ex contrariis compoſita, quorum neutrum, vt paulo pòſt docebimus, conſiſtere poteſt. corpus tamen ſolum, ac per ſe nihil mali neq; cogitat, neq; facit, non enim occidit, neq; adulteratur, neq; latrocinatur, nec aliam iniuriam facit, cum non adeſt anima. ἀτρύκτος.

Atqui ob hanc cauſam excogitauit Manichæus hypoſtaſim principij contrarij, & miſtionem contrariorum, vt cauſa malorum reperiretur. Sed ſi admiſtio animæ, quæ Dei eſt, cum corpore, quod diaboli, cauſas & primordia iniuriarum, ac peccatorum hominibus præbuit, per ſe autem non delinquit corpus, melius erat, vt anima à Deo creata non admiſceretur nequitiæ non extanti. nullum enim ex peccatis quæ homines committunt, in vita cerneretur, neq; penitus eſſet. Quod enim eſſet homicidium nemine occiſo? Si per miſtionem contrariorum, vt eſt in hac fabula ridicula, non fuiſſet factus mundus, quod adulterium eſſet non extante corpore, neque per ſe concupiſcente, niſi anima, quæ Dei eſt, miſſa eſſet in corpus? alterum enim ex duobus relinquitur, aut dicendum eſſet gubernatione Dei prouida coiſſe contraria, vt tanquam à bono Deo fieret mundus, atque ita ipſe omninò malorum in hominibus auctor eſſet, ſiquidem volens vſus eſt nequitia contra eos, qui futuri eſſent; aut vi coactum eſſe à nequitia, & iam nequitiam victoriam deuicto Deo reportaſſe. οἰκονομία.

Sed dicam iterum, quale homicidium erat, ſi neq; homo erat, neq; gladius, nec aliud genus teli aut inſtrumenti ad occidendum, niſi per coniunctionem contrariorum ædificatus eſſet mundus? materia enim per ſe, ac ſola quamq̃ nati ex ipſa ſeditionem in ſeipſos mo- *Materiam vocat diabolum.*

H uebant,

uebant, homicidium quidem ignorabat. non enim habebat mortalem, quem occideret. adulterium neſciebat, quia ſponſiones nuptiarum apud eum non verſabantur. nec erat calumnia, omnino enim iudicare non poterat, eſſet cum rationis expers. cupiditas autem diuitiarum, quæ eſt omnium malorum radix, ne nominabatur quidem; cupiditas enim diuitiarum apud homines eſt propter vſum, & neceſſitatem, qua erat liberata materia. ambitio non participabat perturbationem rationis, quia erat in materia vacuitas rationis. gulæ, ac ventris vitium, & fornicatio, ac maſculorum concubitus apud eam locum non habebant. & vt ſummatim dicam, omnia mala, quæ apud homines feruntur, ante mundum ædificatum minime habebat materia.

Itaque non fuit ligata commiſtione, ſed potius contra conuenienter eidem cauſæ amenti, ſicut equus campum nactus, curſu fertur ad iniuſtitiam malorum hominum. quæ enim erant ante mundi fabricationem mala, ex quo mundus eſt, in mundo verſantur. quamuis enim ponamus, vt ille dicit, natos ex materia feciſſe ſeditionem, & furore in ſe ipſos fuiſſe percitos, & infinitis malis ſe viciſſim affeciſſe, & contra lumen exercitum eduxiſſe, non tamen bibens ea mala, quæ in homine numerauimus, cum illis fuiſſe cogitatione fingetur, quia non poterant humana mala agi priusquam homo eſſet. & vbi eſſe poteſt, qui dicat, quod ligata nequitia frenata eſt, quæ neq; malorum humanorum meminerat? poſtquàm verò ligata eſt, de his accuſatur.

Quid autem nocebat bono ſola ſecum ordinem perturbans, & non habens, cui perturbationem ordinis inferret? euertere enim bonum nullo pacto poterat. ſi autem nitebatur inuadere in loca aliena, aliter impetum eius amentem reprimere oportebat. quæ enim prius non nocebat, ordinem contra ſe perturbans, nunc quidem videtur aliud quid aſſumpſiſſe, in quod tanquam in familiare, & coniunctum perturbationem ordinis nocentiorem efficiet. continuò dicemus, quod etiam homines per ſeipſos malefici, volent quidem aliquid mali facere; non habentes autem in quem faciant, ocioſi reperiantur, ſe verò ipſi beneuolè aſpiciant ob concordiam ad maleficium materia autem neq; volebat, non enim conſilium capiebat, cum eſſet expers rationis; neq; poterat, cum eſſet ſola & per ſe. igitur quæ à Manichæo vocatur materia, videtur ſumpſiſſe fere à bono per animam veriorem materiam ad operationem nequi-

Digitized by Google

nequitiæ, quam neſciebat. accuſabatur enim ante mundi fabricam de perturbatione ordinis nobis ignota, & minime apparente. didicit autem operari manifeſta mala, & quæ cernuntur. excitauit ergo belluam cantio, & nequaquam ſopiuit, vt ille dicit.

Si autem dicit noluiſſe Deum, vt fieret mundus, percontandū eſt, quis erat, qui voluit? an malitia, quæ non habebat cognitionem? Quis eſt, qui ex vtriſq; fecit, quæ ſunt? nunquid materia? non eſſet in admiratione eius operatio. Sed nunquid non voluit Deus, coactus tamen eſt? ſi ita eſſet, magis ſubiectus fuiſſet, quam ſubieciſſet atque ſuperuacaneum eſſet illum admirari ſapientiam Dei vi coactam, & damnum eorum, qui futuri erant. quæ enim nullo modo mala erant ante coniunctionem contrariorum, neq; ſaltem nominabantur, hæc poſt ortum mundi floruerunt. *Quia ab aliquo quod ſine cognitione, & ratione fit, non eſt admirabile in eo, à quo fit.*

An non eſt abſurdum dicere, voluiſſe Deum perturbationem ordinis, quę nobis demonſtrari non poteſt, à materia tollere, & actionis malorum, quæ videmus, & in hominibus apparent, omni ordine, & ratione carentis auctorem fuiſſe? perturbationem namque ordinis, de qua materiam damnabat, verbo ſolùm proferre potuit, non tamen rebus ipſis, & operibus demonſtrare. mala autem, ex miſtione iſta, contrariorum conficta, & quæ fieri non potuit, oculis cernens inſanus homo diſſimulare ea non poteſt. Quare dum docere vult non eſſe Deum auctorem iniuſtitiæ humanę, maximè eſſe plane confitetur. immo plenius quàm ſi hoc ſolum ſtuderet.

Age iam, conſideremus mala, quæ ab hominibus fiunt, ad quem verè pertinent. Aggredietur fortaſſe introducere miſtionem animę cum contrariis, quam ſuſpicatus eſt. Siue ipſa anima ſit *μονοειδής*, id eſt, ſimplicis, & vnius formæ ex bono apud ipſum, ſiue ex compoſitione contrariorum ex parte eius, quod eſt bono contrarium, facilè ſecundum hoc impium fundamentum, & principium demonſtrabuntur mala, quæ fiunt; eſt igitur anima expers corporis, quæ nullo pacto compoſitionem ſecundum ſubſtantiam, præſertim contrariorum recipit. Qui enim viſi ſunt eam componere, non ſubſtantiam variam, & à ſe differentem introduxerunt, ſed operationes eius ex iis, quæ videntur, deſcripſerunt, cum non poſſent exſtruere vnam ſimplicem definitionem qua comprehenderetur. *ἰδιοειδῆ.*

Digitized by Google

Etſi enim variis qualitatibus, quas alias aliter recipit, à ſe differt, tamen ſecundum ſubſtantiam, quæ opus Dei eſt, immutabilis eſt, & non componitur ex diuerſis. à contrariis tamen miſtionibus tantum abeſt, quantum abeſt, vt ipſa per ſe corpus eſſe videatur. ponamus igitur, vt ille mentitur, ſi quidem hoc dicere aggrediatur, eſſe ſcilicet animam hominis compoſitam ex bono, & malo, nonne quod in ea eſt particeps rationis, opinione iſtius attribuendum eſt bono, id eſt, Deo? quod verò ratione caret, nequitiæ? liquet, nihil aliud poſſe dicere. excitata ergò cupiditate ſiue ex corpore, ſiue ex ea parte animæ, quæ ad nequitiam pertinet, an fortuitò actio prodit? nonne antegreditur in homine conſideratio, & conſilium, deinde iudicium, & electio actionis, atq; ita deſiderium ad effectum perducitur? crimen verò nequitiæ ex actione, non ex deſiderio conflatur, vt ſi maneat in loco cogitatio deſiderij non progrediens ad opus per electionem partis ratiocinantis, primum quidem citò poteſt deſinere incenſum ſimul & extinctum. Deinde nequaquam exiſtimabitur crimen non ſolum commune, ſed neq; ſi iudicetur ſecundum ſummum virtutis.

Apparent igitur peccata conuenienter rationi, parti animæ rationis participi aſſignata eſſe, & adſcripta, & non corpori, nec vlli alij parti huius animæ. vt nequitia quidem ratiocinationis expers liberata ſit à culpa, atq; accuſatione eorum malorum, quæ apud nos ſunt, quippe cum nec ipſa extet; videanturq; hæc ſecundum ſermonem illius, ex parte Dei depromi: licet nulla alia ratione vera vteremur. Si enim anima non diſcernens qualitatem cupiditatis, ad actionem ſine vlla ratiocinatione procederet, affirmare quis poſſet quæ inconſideratè, ac præter rationem fiunt, ex parte rationis experte depromi. Sin autem ſæpenumerò ratio ipſa iam eligit cupiditatem, tanquam praua iuſtitutione flexa libens; iam rurſus repudiat, cum aliquis metus eam refrenat, aut deſiderium virtutis ad ſe attrahentis: liquet ſolum rationem eſſe, quæ rectè, & prauè facta ſibi vindicat, & aſciſcit.

Hic verſatur & vertitur ad occurendum contra excuſſio eorum, quæ malè à Manichæo probata ſunt, non enim, vt apparet, vllum materiæ peccatum eſt in noſtris actionibus, ſed animæ, vel partis huius, quæ eſt rationis particeps quæ, Manichæo auctore, ad partem Dei pertinet.

Ad hæc, ſi accideret, vt in iis, qui pudicitiam colunt, eſſet inſitum,

Digitized by Google

tum, non excitari cupiditatem, poſſet quis in impudicis liberare rationem à criminibus, quaſi cupiditas rationem ex toto ab actionibus auerteret, quam cupiditatem ille dicit eſſe ex parte mali. ſed ſi quis maximè apud eos, qui pudicitiam amplectuntur, hac via, & ratione eam colere reperiat, quod illi cupiditates naturæ ratione frenant, & cohibent, perſpicuè concluditur, rationem eſſe, quæ delinquit, & virtutem colit, quæ vtrumq; & virtutem, & vitium nouit. Quare autem inſita nobis ſit peccatorum cupiditas, dicemus, cum erit oportunum, docentes, pertinere hoc maximè ad admirationem creatoris.

Quod autem nunc quæritur, ſi non ſatis confectum eſt, nullo modo peccata noſtra eſſe opus alicuius materiæ, aut nequitiæ, ſed contra ſolius rationis, licet etiam aliter confirmare quod dictum eſt. an aliud quid dicere poſſunt eſſe homicidium quàm malum, & ſcortationem, atq; adulterium, & furtum & mendacium? ſi non aliud poſſunt, perſpicuum eſt, quòd mala erunt. Quid? ſi iudex occidit eum, qui iniuriam fecit, cędes igitur lege ſancitur? atqui idem efficit, qui violentè occidit, & qui lege, ſed propoſitum diſtinguit factum. quin potius eadem eſt actio eius, qui cum ſua, & qui cum aliena ſe miſcet; ſed propoſitum ſeparat, quæ ſimiliter facta ſunt.

Prætereà, furari à Manichæo quæ ſunt apud eum, vel inſtrumenta, vel cibos, an non videtur idem opus eſſe, atq; furtum criminoſum facere? non tamen ratione idem eſt, ſed penitus differens. Deinde, ſi furens homo gladium repetat, quem depoſuit ſanæ mentis cum eſſet, vt neceſsè ſit ei, cui commiſſum eſt depoſitum, mentiri non ſe accepiſſe, quid verbis differt mendacium à vera perfidia, niſi propoſito aſſeuerantium diſcernantur?

Ex his igitur patet actionem, vt plurimum non per ſe explorari, ſed mentem vel cogitationem eius, qui ſuſcepit. eadem ratio in contrariis reperiri poteſt. ſi quis enim pecuniam, vel alimentum impertiat egenti, non vt illi benignè faciat, ſed vt laudem eorum, qui vident, aucupetur, nōne perſpicuum eſt, factum quidem eſſe pulcherrimum, & benignum, propoſitum tamen valde humile, & criminoſum? ſi quis prolixè precetur, & frequenter ieiunet, religionem, & tolerantiam hominibus oſtentans, liquet non eſſe propter opus laudandum; ſed propter mentem, quam in iis, quæ fecit, habuit, vituperandum. Quin etiam ſi quis alius temperans ſit, & à multis cupiditatibus abſtineat non deſiderio virtutis, ſed vt pecuniæ parcat, an nō ſatis manifeſtum eſt, hunc, qui ſic eſt, affectione af- διαβεβλημένοι

fectiones alias vincere, ipſam verò tolerantiam ſpecie extrinſecus apparente pro nequitia animo, & propoſito ſuſcipere?

Si igitur ſæpè quæ praua exiſtimantur, ex animo facientis honeſta eſſe apparent; vel quæ non praua exiſtimantur, ſed contra potius honeſta, & bona putantur, voluntate, & propoſito ſuſcipientis conuincuntur nequitiæ, quis iam poteſt contradicere ex magna parte actiones non apud veritatem explorari; mentem verò eſſe, quæ in iis, quæ aguntur, excutitur?

Quæ igitur opera aſcribemus nequitiæ? illane, quæ videntur mala, quæ quidem ſunt bona, quando ratione virtutis ſiunt? Quæ verò aſciſcemus bono? an quæ apparent bona eſſe, quæ quidem ratione fiunt? igitur neutra neutri ſolummodo: Solum rationem, & quod in mente actionem ſuſcipientis præcipuum eſt, diiudicabimus; vtrum rectè ſuſcepit, an ſecus. quod autem maxime principale mentis hominis eſt pertinere ad meliorem partem animæ, vt ille tradit, licet infinitè inſaniant Manichæi, non poſſunt negare.

ἀρετῆς διανοία. ἀποτό-μως.

Iniquum igitur iudicium pronunciauit Manichęus contra materiam, à ſe factam, aſſignans illi, quæ nullo pacto ei conueniebant, ſi eorum, quæ apud homines fiunt, cauſa erat. immò contra potius ad partem boni conuenienter rationi pertinere exiſtimarentur, ſi duo quædam principia contraria ſunt, vt ille inſanè tradit. Dicit præterea ſtuduiſſe Deum, vt poteſtatem abſorptam, quam vocat animam omnium, rurſus ad ſe reciperet, ne quod erat ex ipſo, materiæ alligatum, & in ſupplicio ſemper ſine vllo fine permaneret. Quid igitur principio hoc protrahebat, vt tot ſæculis neque reſpirare poſſet, & magis pateretur, quam ageret? ſi enim in fabula eſſet, Deum quidem nullam contumeliam in ſubſtantiam ſuam accepiſſe, neque vel paululum inhæſiſſe materiæ valde indecoræ, ſed alium quendam alieniſſimum à natura eius, & hunc continuò ereptum eſſe, ita vt huiuſmodi prehenſio magis apparendo in ſpeciem, quam ſuccumbendo facta eſſe videretur, habuiſſet commentum paulum ſaltem ad ſuadendum in mendacio. nunc verò immenſum ſæculum ponunt, & hoc eſſe ex natura Dei, manere vinculis conſtrictum, vt ipſe Deus comprehenſus eſſe videatur propter ſimilitudinem eius, qui detentus eſt, & quia hoc,

quod

Digitized by Google

quod captum tenebatur, ex natura eius erat. vnde maiore ſtudio ad ſe ipſum, vt aiunt, recolligere deſiderabat. materia autem ſimplex erat, & ἀπαθὴς, vtpotè magis agens quàm patiens.

Ex his perſpicitur, omnia, quæ ille planus compoſuit, ad blaſphemiam Dei compoſuiſſe, qui nihil horum contra ſe fecit. itaque vult, inquit, & ſtudet, vt ad ſe recipiat illam virtutem. & hæc eſt apud ipſos ſalus expectata, & beatitudo, eſſe ſcilicet redditum Deo, quod erat eius proprium. ipſe igitur expectat ſibi finem, ſperans accipere beneficium: ſiquidem recuperatu[r] eſt, quod ex natura eius eſt, libertatem; vt quæ deſtruxit, ad[...]cet, & nihil aliud. & ſpe nutritus ſedeat tolerans, & in finem intuens, vt ſeipſum quodammodo à nequitia liberet. quod quidem ſi retardetur, & non citò fiat, ipſe ſit, qui tarditate punitur.

Supra veri si ſæpe poteſtatem, ſic vocabat Manichæam animam.

Liquet enim non eſſe penes ipſum celeritatem finis. olim enim in hac re ſpem habuit. quoniam aliud ridiculum dicit Manichæus, quod cum ij, qui erant ipſius materiæ, ſentirent ſe malè perituros lumine paulatim ablato, ex aduerſo machinati ſunt carnis conſtructionem, ad vinciendas magno vinculo animas. Quare vt ille tradit, perſpicuum eſt, quamdiu illi carnem ſuppetitabunt, tamdiu animę Dei inhæreſcent materiæ & vinctæ tenebunt, eritque penes illos non circumſcribi mundum tempore, & non erit in poteſtate boni finis eius.

Quid aliud dicere poteſt qui aduertit, quam quod non conſtat ſibi Manichæus, quin potius huc, & illuc ſe transferens à ſe ipſo redarguitur. qui enim ait, Deum eſſe fabricatum mundum, quomodo rurſus ait eos, qui ſunt materiæ filij, oppoſuiſſe ei carnem, tanquam partita eſſet Deo cum illis fabricatio mundi, & hac quidem ratione facta Deo violentia, concedens verò illis hòc tanquam munus, non compleret vniuerſum ſecundùm propriam voluntatem.

ὁι τῆς ὕλης.

Tanquam autem cauſæ ſuæ & principij oblitus planus, dicit futuram eſſe peſtiferam materiæ ademptionem, & ereptionem virtutis illi admiſtæ, qua poſuerat frenatam eſſe perturbationem ordinis in illa principe materia. ſi enim cũ adeſt, nequitiam ligat; rurſus recedens relaxat, erit magna cauſa lætitiæ ipſi materię hæc ereptio. ſi igitur ad extremum ſpes ipſi eſt, rediturum eſſe ad Deum, quod ab ipſo disiunctũ fuit, quod à principio decreuit, & adegit illud ſubire infinitis

Digitized by Google

nitis ſæculis laborem inanem; & malas ſordes, non in eo ſpem maximam,& beatitudinem ponere,ſi rurſus recuperaretur? materia enim nullo pacto apparet refrenata, ac repreſſa, immò contrà potius maiorem licentiam ad excogitanda praua opera adepta.

At oportebat,inquit, hanc ligare, cum igitur paulatim abſtracta erit virtus detenta, quid fiet? liquet, rurſus reuerſuram eſſe materiam ad perturbationem. negat Manichæus: nequaquam inquit, ad extremum enim vincet eam. facietque vt redacta in glebam à ſe ipſa comburatur. cur igitur non fecit hoc à principio? Vtrum non voluit,an non potuit? ſi noluit,quomodo rurſus volet, pœnitentia ductus, iudicans, & eligens quod melius eſt? nonne pertinebat ad bonum aliter à principio funditus delere nequitiam,ſiquidem poterat? ſin vero non poterat, periculum infirmitatis in auctorem mundi emergit.Quomodo ergo poſtea poterit? an viribus,quas non habebat, aſſumptis vel augeſcens, vel acceſſionem, & incrementum adhibens, ſi enim ambo contraria ingenita ſunt, neutrum accretionem,aut imminutionem recipit.

Totum igitur commentum barbari conſiſtere nequit. quid verò? an dicit Manichæus ſenſu ſe percepiſſe maiorem, vel minorem partem virtutis admiſtæ materiæ ereptam,& ademptam? ſiquidem,ex quo luna creſcit,& decreſcit,Deus, inquit, paulatim recuperat quod lunæ proprium eſt. & tamen tot ſæculis lapſis neq; genus humanum numero viuentium imminutum eſt, nec vllum aliud genus quadrupedum diminutionem vllam cepit.quin potius quę facta ſunt ſolito more fiunt,& deſinunt eſſe. & adhuc magis humanitas in multitudinem creuit. vnde igitur inſanus ille opinatur paulatim auferri virtutem,quam fingit admiſtam eſſe nequitiæ? ſiquidem eadem ſimiliter ſe habent in mundo. eadem enim eſt menſura diei,eadem noctis. neq; lumen magis tenue factum eſt, neq; tenebræ maiores.idem namq; eſt curriculum ſolis, & Lunę,id eſt,idem ordo,qui à principio factus eſt, perſeuerat.

Percunctandum etiam illud, an animæ quæ peccauerunt, & infinitorum malorum in vita reę fuerunt,dabunt pœnas eorum,quę commiſerunt? ſiquidem dabunt, quod quidem & ipſe confitetur, cum ait,in gleba has infigendas eſſe cum nequitia, reperietur Deus naturam ſuam punire,quo,quid abſurdius & flagitioſius fieri poteſt? ſi verò impunitæ, & inultæ erunt,non ſolum neque dolorem, neque damnum afferet peccatum, ſed etiam plus iuſtitiæ habere videbitur,

quando-

Digitized by Google

quandoquidem in hoc ſæculo voluptatem afferat ſuſcipienti; & in futuro non ſit ſupplicij cauſa.

Præter hæc omnia, illud eſt in iſto ſtupendum, vbi ait, quod nequitia hic occupata, id eſt, ligata eſt, De' interim profundum implet aggere, vnde materia emerſit, nihil ipſo in grauiſſima mentis alienatione intelligente ὡς τὸ ἐπιβαλλόμενον. vt quod iniiciebatur, ſi erat ex terra boni, quomodo in loco contrario recipitur? ſi autem ex partibus nequitiæ, quod ex parte nequitiæ eſt, & ei conuenit, non includet inde exortam materiam. Sedet autem Deus, auctore Manichæo transferẽs ſemper aggeres, & paulatim quædam profunda aggeribus replens. O amentem furorem! ad quem pluribus vel ſaltem reſpondere, res eſt ridicula.

πῶς ἐχωχῶρειν ἐν τὸ τόπῳ ἐναντίῳ.

Si verò vultis ſcire dæmones ipſos non eſſe malos à radice, neque habere radicem vitij, & turpitudinis, ſed voluntate huc proceſſiſſe, cum non eſſent natura mali, neq; natura adſcripti ignorantiæ; non nox, & tenebræ ſecundum ſubſtantiam, ſed habitu & ſtudiis, & tractatione huiuſmodi ſtudiorum facti tales, inquiramus diſputando. Cœca igitur natura neq; minimum quidem aſpectum habebit, & ipſa ignorantia neq; ſtillam cognitionis ſibi vendicabit, neq; nox ipſa & tenebræ ſic natura ortæ vel in paruum ſplendorem mutabuntur. apparet autem cognouiſſe dæmones ſaluatorem, ac Dominum confeſſos eſſe, Scimus, inquiunt, quis ſis, filius Dei viui. cognoſcere autem non poteſt ignorantia; neq; videre cœcitas. ſciunt, & verum dicunt ſcientes; & non per calumniam dicunt: dicunt enim tametſi non legitima & ſyncera affectione veritatem. non iam de cœca natura, aut ignorantia accuſantur. alioqui ne minimum quidem vidiſſent; nec ei ſupplices fuiſſent: neq; ceſſiſſent dicto: neq; ſecernere potuiſſent eum, qui apparuit, ſed potius exiſtimaſſent ex ſuis eſſe, nihilq; inter ſeipſos & illum intereſſe.

En, animalia non vtentia ratione ſapientes ab inſipientibus non internoſcunt. ſi autem cognouerunt dæmones, & propter iudicium ſoluti ſunt lege non internoſcendi aliud ab alio, & diiudicando agnouerunt talia, conuincitur non naturam in hac re, ſed voluntatem moderari. quamuis enim ægrotet voluntas, quamuis erret, non tamen deſinit eſſe rationis particeps; quin potius non eſt hoc interemptum. Sic dæmones agnouerunt eum, rogauerunt, ſupplices ei fuerunt, ne iuberet eos abire in abyſſum. Si erant filij abyſſi, ſi cognationem cum abyſſo habebant, cur cognata refugiunt? cur

Huic legi ſeruiunt, & parent animalia rationis expertia. προαίρεσις.

 radicem

radicem ſuam recuſant? potius enim eam amplexi eſſent, arbitrantes requiem ſuam eſſe in cognatione poſitam. ſiquidem in cognatis fit recreatio; in peregrinis verò & alienis afflictationes. magis erat illis recuſandus Ieſus; magis recuſandus hic locus, vbi boni, & æqui ſunt; amplectendus verò diſceſſus in abyſſum. Contra verò dum recuſant, & cauent, & illuc abire detrectant, immo ob hanc cauſam ſupplices orant, ſatis indicij dederunt, nullam ſe neceſſitudinem & cognationem cum loco tormentorum habere. nihil enim ſeipſum affligat, & malo afficit. omne autem quod affligatur, & malo afficitur, ab alio affligatur. neceſſe enim eſt, quod affligat non ſit ſui afflictatio, ac cruciatus, ſed alterius, quod aptum natum eſt, vt affligetur, & malo afficiatur.

Ecce ignis, non comburit ſe, ſed aliud, neq; ſe conſumit. ecce aqua, non inundat ſeipſam, quæ alia inundare ſolet, ſe verò ipſa non poteſt. ecce aër, refrigerare ſe ipſe non poteſt. quoniam omne quod facit, & cruciat, aliud quid cruciat, & dolore afficit. ſi autem abyſſus cruciat & dæmones cruciantur ab ipſa abyſſo, eſtque abyſſus locus tormentorum, torquentur enim dæmones, non iam torquentur à ſimili, ſed alij cum ſint, ab alio torquentur, non ab hac natura, neque ſubſtantia, qua ſcilicet dæmones ſunt, alterius enim ſubſtantiæ eſt abyſſus. Atque eſſe quidem dæmones alterius generis, ac ſubſtantiæ præter abyſſi ſubſtantiam ſatis ex iis, quæ dicta ſunt, perſpicitur. ipſa verò abyſſus locus eſt tormentorum, ac ſuppliciorum, non tamen æternus, nec ingenitus, ſed poſtea fuit, ſero tandem factus, vt eſſet medicina, & opem ferret peccantibus. ſacræ ſunt plagæ, quæ ſunt remedia, & auxilia erratorum. non enim vt ſint mali, factæ ſunt plagæ, ſed vt non ſint mali, verbera inducta ſunt. mali enim dolore plagarum amputant, & præcidunt vitia. idcirco non querimur de abyſſis. quin potius tormentis & ſuppliciis ſcimus caſtigari, ac corrigi eos, qui deliquerunt.

Si autem abyſſus eſt, vbi dæmones torquentur, & ſupplicio afficiuntur, & ſubſtantiam habent, quæ ſubire poteſt tormenta, & dolorem ſentire, & ſupplicia ſuſtinent, & habent remunerationem pœnarum, quibus puniuntur, quomodo ingeniti? quomo-

quomodo ſemper? quomodo nunquam eſſe cœperunt? quomodo ex ſe ſunt, qui impatibiles non ſunt? qui pati poſſunt? qui poſſunt puniri? ingenitum enim nihil vnquam mali ſuſtinebit; nec ab vllo punietur. quin potius à ſe ipſo principium ducens, ſe ipſo conſiſtit, & non ab altero cœptum eſt; nec ab altero ſupplicium fert: & cui non aſſignatur auctor, non aſſignabitur vindex, & non iudicabitur ab altero, qui ab altero non eſt cœptus. ac neminem metuet, qui à nemine accepit, vt eſſet. Quid. n. metuet, ſi in perfectione conſiſtit? ſi perfectam conſummationem habet? ſi à ſe conſummatus eſt? ſi ſe ipſo aptatus? quorum enim aptatio incommodari poteſt, timent eum, qui aptare poteſt. quod poteſt male affici, timet male afficientem. Si autem timent dæmones, & poſſunt male affici, non ſunt ingeniti. quod enim ingenitum eſt, impatibile eſt. & non poteſt pati, quod extra naturam genitorum eſt. ἁρμοϛία.

Quòd autem ſupplicant, in ſenſu ſunt, & ſciunt, quid ſint, & quod pœnas ſuſtinere poſſunt. non enim ſe ignorauerunt. non ſe impatibiles eſſe cogitarunt. noſſe autem aliquem ſe ipſum, & non ignorare, ſignum eſt ſenſus, & iudicium. Si verò quia erant patibiles, formidauerunt, & formidantes ſupplicauerunt, & ſupplicauerunt ei, qui poterat, non ignorauerunt eum, qui interrogabat: ipſa enim ſupplicatio teſtatur cognouiſſe eos interrogantem. atque eſſe quidem ſe patibiles, non ignorauerunt. eſſe verò illum, qui interrogabat, Dominum, & regem vniuerſitatis rerum ex ſupplicatione apparet ſciuiſſe. Hæc de dæmonibus dicta ſunt, vt neq; de dæmonibus diſputatio vacaret. *Interrogauit autem illum Ieſus dicens quod eſt tibi nomen? Luc. 8.*

Poſſunt & hæc addi, naturam eſſe ſibi ſimilem, nihilque eam à ſe differre. ecce ignis totus, ſimilis ſibi eſt. non minus calidus, quam ſit ipſe; neque magis. non habet plus, & minus, in naturis enim vacant plus, & minus. vbi enim eſt plus & minus, non eſt natura, ſed acceſſio voluntatis. ſi autem de dæmonibus ſcriptum eſt, ire, & aſſumere ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & apparet ex ſermone, eſſe acceſſionem, quia hoc eſt nequam, illud verò nequius, differentia nequitiæ eſt. Vbi eſt natura non ſibi ſimilis, ſi differentia reperitur in nequitia? & diffe- ἐπίδοσις.

rentia voluntatis, non naturæ teſtis eſt? ac de his quidem ſatis dictum ſit.

Aggrediemur deinceps commentum primum iſtorum fabulæ exponere, & confutationibus refellere. Malum, inquit, erat, & ingenitum erat. erat autem & Deus bonus. & diuiſa loca habitationis, & vterq; apud ſe ab altero ſeiunctus. ac ſeparatus quidem Deus à Malo; ſeparatus item à Deo princeps mali, & vterq; apud ſe erat, & vterque ſuis imperabat, & gubernabat, vt natus, & aptus erat, malus quidem male; bonus verò bene. malus nocens, & ſuis rebus nocens, & ſuis nocere non deſinens; bonus ſemper bonus, & iuuans, & res ſuas iuuans, & nunquam non iuuans. Omnis enim vtilitas à bono cœpit proficiſci. cum doctrinis pugnauerunt, extremaque ſciuerunt: inuenire non potuerunt, qui à principio, quæ conſectaria erant, non approbauerunt. ac parua quidem ſunt hæc, & non multa, ſatis tamen ſunt ad diſputationem quæſtionis. formam tantum protuli; non excurri ad multitudinem teſtimoniorum. Quæ enim affinitatem & cognationem cum his habent, quæret Lector, & ex his ad ſimilia, & affinitate coniuncta legendum progredietur.

καθ᾽ ἑαυτόν.

Quædam deeſſe videbantur hoc loco, quæ ad cõfutationem eorũ quæ proxime ex Manichæi libro recitauerat, pertinebant: quorum confutatio ordine ſecutura erat.

Age nunc, inſtruamus paremusq; illorum diſputationem ipſorum dogmata apponentes. malus quidem erat ſatanas, bonus verò Deus. & ſic res erat. fabulam verto, vt fabulam repudiem, & niſi opponam, quæ exponunt, non poſſum fabulam euertere. bonus quidem erat Deus, inquit, malus verò ſatanas. & nunquam non erat, erat enim ſemper. & à nullo profectus, erat enim, & radix erat, inquit, erat item Dominus, & ipſe erat, & radix erat; & radix bona, & radix bonorum. & omne bonum ab hoc profectum eſt. duæ namq; radices erant; & duo ſurculi prouenerunt, ſurculi radicibus reſpondentes. ab illa talia; ab hac talia fieri iactant.

Inſiſtamus hic, deinde quæſtionem aggrediamur videamusq; argumentationes, & quæ dicta ſunt, recordemur, vt argumentationibus concluſiones conficiamus; & ex iis, quæ diximus, fidem faciamus. dicemus enim iſtis. ſi Deus erat radix, & bona radix, & boni fructus, & ex bonis fructibus profuſi; ac ſatanas radix erat, & mala radix, ac fructus mali ex mala radice fuſi; cuius radicis Apoſtoli fructus extiterunt, vt ex fructibus, quod quærimus, cognoſcamus? nondum à radicibus argumentum ſumo, dicemus enim, mala radix nihil boni proferre potuit: neq; radix bona quicquam mali. Videntur autem Apoſtoli quandoq; boni, quandoq; mali fuiſſe. ac ſero quidem boni, principio autem mali, mutaſſeq; malos mores. Si

Digitized by Google

Si enim dicamus eſſe Apoſtolos fructus ſatanæ propter vetera delicta, adhibebunt eis reuerentiam propter Apoſtolatum, & perfectionem virtutum. Sin verò Dei fructus, quid dicent de antiquis eorum peccatis, & de antiqua vita diabolica? ad pudorem enim reuocabit eos ſcriptura, & eorum iudicium redarguet. Si verò non reperientes exitum, & quo ſe vertant neſcientes, nos rurſus interrogent, dicantq; nobis quoq; difficiles eſſe quæſtiones ad ſoluendum; difficile item ratione concludere; reſpondebimus, non eſſe fructus Dei Apoſtolos, ſed factos, & fictos, non enim tanquam fructus ex radice profuſi ſunt, ſed tanquam creaturæ à creatore, & auctore creati, creaturæ enim eius ſunt, non tanquam eiuſdem ſubſtantiæ, cuius ipſe eſt. geniti ſunt ab ingenito, cum aliquando non eſſent, poſtea facti ſunt, qui vt eſſent quidem, ab eo, qui fecit, acceperunt, non ſubſtantiæ ex ſubſtantia, ſed facti hypoſtaſes, bonitate auctoris: atq; ita facti, ἵνα προαιρέσει τὴν ἀρχὴν ἔχωσι, vt voluntate habeant principatum, ait igitur ſaluator, ſi quis vult venire poſt me, ſi vis perfectus eſſe, ſi vis ſanus fieri. ſi is, qui fecit, ſic loquitur, per quem pater omnia fabricatus eſt, intellige voces auctoris, in voluntate poſuit leges; in voluntate legitima recondit. voluntatem agentium ſcit dominam actionum eſſe.

In Epiſt. Iudæ, Angelos verò, qui non ſeruauerunt ſuum principatum, &c.

Sanè quidem vt nos honoraret, voluit verbum, vt communitas actionum in voluntate penderet. ſi volueritis, inquit, & audieritis me, bona terræ comedetis, ſi autem nolueritis, nec audieritis me, gladius deuorabit vos. Sed abſurdum eſt prætermittere ſermonem de improbiſſimis, ac præterire conſiderationem de iis, qui turpiſſime; atq; effrenatiſſima licentia in vita verſantur, ne noſtrum ſilentium periculoſiſſimam deſperationem eis comparet. non magnopere accuſant Nabucodonoſorem? non valde reprehendunt Pharaonem? non ad ſummum faſtigium turpitudinis progreſſos exiſtimant? talia enim de illorum vita, & inſtituto vbiq; iactant. ſi igitur in illorum animis nullum ſtudium cerneretur, alia ratio eſſet. ſin verò in adeò malis etiam partes aliquæ eorum, quæ bona ſunt, reperiuntur, ſenſus, perceptiones, intelligentiæ, pœnitentia, ac ſupplicationes, quid iam dicturi ſunt? ſi enim hic turpiſſimus appareat habere partes quaſdam virtutis, & mores aliquos idoneos, quid dicent? ſi enim reſpondebunt, miſtum eſſe ſatanam, vt qui fructus ex virtute, ac vitio miſtos attulerit, aut fructus hos non eſſe diaboli; non enim fructus miſti, fructus fuerint carentis miſtione; neq; quod non eſt mi-

Actiones bonæ, quarum communitate cum Deo coniuncti ſumus, omnes ſunt voluntariæ.

ἀπόνοιαν χαλεπωτάτω.

ſtum, radix miſti erit; hi autem miſti eſſe, aliquo tempore apparuerunt, & percepiſſe ſcientias, & improbitate capti eſſe. hac ratione apparebunt non eſſe veræ perſonæ, ſed fictæ cogitatione.

En Pharao, cum increpatur, remittit, & mollitur, flectitur mente. & percuſſa anima non perſeuerat in duritia. Quin potius duo facit, poſcit quod optat, & accuſat factum. & non videtur anima oculis capta, ſed ad pœnitentiam procedens, ac petitionem, & ſupplicationem amplectens, & in precibus blandiens. ſi autem natura malus fuiſſet, quomodo de precibus, & pœnitentia cognitionem habuiſſet? ſi enim bona eſt pœnitentia, & bona item precatio. ſi verò natura mala; quomodo malum cum bono miſtum fuit? Quomodo ex malo bonum prolatum eſt? Apparent non intelligere, quæ loquuntur. quin potius mente rudi, & inerudita, ſputa magis verborum, quam verba proferre.

Nabucodonoſor quamuis moribus ſæuus eſſet, & fornacem preparaſſet, & imaginē feciſſet, & minis terreret, atq; imaginē venerari cogeret, ſtatim vt ſancti pueri in fornacem illati ſunt, & cedebat flamma, & corpora non attigit factaque eſt fornax Synagoga, ac pro lamentis hymni & laudes adhibebantur, neque iam tanquam igne carnem vrente lamentatio fiebat. ſed ab anima lætante cantus celebrabatur, ſtatim inquam proſpexit, quæ intra fornacem fiebant. honoratusque eſt angeli ſpectaculo, miſitque vocem, Nonne tres viros in fornacem intulimus? en, quatuor video, & quartum tanquam ſimilem filio Dei. continuò igitur legem de hac re ſcribit, vt confiteantur Deum, vt teſtentur veritatem. fit interpres & enarrator viſi. Accuſabimus igitur enarrationes, an laudabimus? præclara res eſt legatione fungi pro Chriſto. an hoc in malam partem accipi ſinamus? ſi obire legationem pro diuina ſcriptura, & teſtes eſſe veritatis glorioſum eſt, obiuit autem legationem Nabucodonoſor, & ſcripſit, & ad vniuerſam ditionem ſuam miſit, ſublata eſt natura mali, ſiquidem cum ſciret, quod erat bonum, ad doctrinam de bono reſpexit. ſi verò doctrinam affectione turpitudinis hebetauit, accuſatur. aliud enim eſt, non poſſe agere, quod honeſtum eſt; aliud verò ſcire quid eſt, quod honeſtum eſt, non tamen agere poſſe inclinationi affectus ſuccumbentem.

πρεσβεύειν τὰ θεολόγια

Quod

Quòd ſi in hominibus non ſunt reperti fructus diaboli; & eorum, quos diximus, mores pudendi fuerunt, ipſorumque turpitudo conuicta eſt, quo demum conuertemus nos? niſi forte ad dæmones eamus; niſi forte dicant, nullum quidem hominem eſſe fructum diaboli, dæmones verò ſolos fœtus, & partes eius eſſe. ſed ſi hoc dixerint, hic quoque pudendi erunt. Primum verò audiant. ſi dæmones ſunt fructus diaboli, & nullus homo eſt diaboli fructus, igitur nulla eſt diabolo in hac vita cum hominibus communitas. ſed potius ab omnibus diſiunctus eſt, ab omnibus alienatus eſt; eiectus eſt.........

Opera enim hominũ mala opera tenebrarum, & diaboli dicuntur, & ſunt ſecundum imitationem, & ſecundum ea eſt homini communitas cum eo.

Quia verò in errore, & fallacia adhuc progredientes, magis adhuc fallacia, & mendoſa verba proferunt, ne ſilentio prætermittamus ea. aiunt enim, quod nequitia cuncta antegreſſa, & ſola procedens, ſeipſam iniuria afficiebat, & ſibi nocebat. poſtquam verò adfuit in loco veritatis, obſtupuit, & repentinum lumen admirata eſt, pugnæ ſuæ oblita eſt. inuaſit quod apparuit, rapuit lumen, abſorbuit ſpectatum. Iam hic riſus multus, & magnum ludibrium. hic omnis fabula Græca protrita eſt, & victa huius fabulæ habitu. fabulæ enim fabulæ dicuntur, ſed tanquam fabulis creditur. hæc autem ſi vt fabula dicitur, ſic tanquam fabulæ crederetur, parum damni fieret. nunc verò vincit fabulas. ſtulti credunt ei tanquam veritati. Si enim apud ſe manens, vt dicitis, ſe ipſam obſedit, cum veniſſet in fines luminis, vidit lumen, & obſtupuit, & à ſua pugna liberata eſt, & adorta eſt lumen viſum, & rapuit, quod ſpectauit, quomodo non apparebunt hæc non poſſe fieri, & falſa eſſe? Quomodo enim ſibi ipſa iniuriam faciebat? ſe ipſa interimebat? ſe ipſa delebat? Quomodo nunc quidem abſorbens, nunc verò generans, ſi ingenita erat? diſſoluebatur enim ſe ipſam interimens: & non iam eſſe poterat ſibi interitum afferens. Si autem partes ſuas habebat intereuntes, quod pignus eſſe poteſt ſatis idoneum, non totam interire, partibus natis aptis ad intereundum? Si autem ſe ipſam generabat, & eſſe incipiebat, & incipiens eſſe, generabilis erat; quomodo erat ingenita?

Deerant hic aliqua.

Quamobrem non ab alio, abſurda eorum opinio, ſed ab eorum nugis redarguenda eſt. multa enim dicunt ſecum pugnantes; nec expectant, faciat alius, vt erubeſcant, ſed ipſi hoc aliis inuident, & ipſi ſe erubeſcunt. Quòd enim diſſolui poteſt, & diſſoluitur, & poteſt interire, quomodo fuerit ingenitum? quomodo

modo à ſe extiterit? quomodo non ab alio originem duxerit? cum hoc quidem tale liberum ſit ab interitu, & impatibibile, illud verò tolli, & perire poſſit, cum non ſit à ſe. quòd ſi perit, vt dicitis, hoc enim verbis veſtris definitis, ac decernitis, confitentes abſorberi, & captam, atq; obſorptam interitum cepiſſe, poteſt igitur capi, & diſſolui, & diſſoluta, atq; capta, non iam ſuſtentabit ea, quæ ſunt non intereuntium. cum verò non habeat naturam ab incommodo, & interitu alienam, non iam ingenita eſſe putabitur. & ſi ingenita non eſt nequitia, neq; ortu, neq; fine carere apparebit, cum aliàs quidem non ſit, modò verò ſolum inſonare videatur. quod enim eſt non eſt ſubſtantia, ſed morbus quidam, qui ſubſtantiis accidit, qui poteſt à ſubſtantiis, & perſonis ſeparari. Quòd autem deceptor, quod eſt, ruina & lapſu accidit, vt eſſet, ipſa ruina & lapſu atteſtante ademptionem bonorum priorum, teſtatur quidem Eſaias propheta, cum ait, Quomodo, cecidit è cœlo lucifer, qui mane oriebatur? cum verò hunc talem eius ſtatum ex lapſu accidiſſe ſciret ſaluator, antiquum verò ſtatum diuinum, ac ſplendidiſſimum, & maxime decorum fuiſſe, de eo teſtatur in Euangelio inquiens, ecce video ſatanam tanquam fulgur cadentem de cœlo. ſi autem ſic natus erat, ſi ſic aptus natura, non diceretur tum cecidiſſe, tum decidiſſe, quod enim cadit, ex ſtatu quopiam cadit; & quod decidit, ex quapiam abundantia excedit.

Si nominatur in iis, qui ceciderunt, erat aliquando in ſtatu & ſtabilitate. ſi autem in iis, qui deciderunt, accuſatur, non erat inops, non erat Irus aliquando, cum affluebat bonis copioſe. quibus propter morbum aliquem priuatus, in iis qui ceciderunt, numeratur, & habetur. ſanè quidem affluentiam eius ſcriptura fatetur. ſi enim in eo, quod ait, quomodo cecidit lucifer, nomen luciferi affluentia erat, & qui erat lucifer, ipſam luciferi effectionem, & vim, & affluentiam, & poſſeſſionem habebat, & ab hac cum decidit, hac factus eſt vacuus, inops quidem eſt illius affluentiæ Luciferi; vagatur mendicus, & eſt penè Irus, & in caſum, ac ruinam datus, qui olim valde copioſus erat. ſi autem ſecundum euangelium ex eorum numero eſt, qui cadunt, & humi iacent, & in pauimento voluuntur, ſtetit aliquando, & poterat dicere, Stantes erãt pedes noſtri in atriis tuis Hieruſalem. poterat audire illud, State ſuccincti lumbos veſtros in veritate. & cum poſſet hoc audire, adhibuit ad cautionem, & firmitatem quod ait ſcriptura, qui ſtat, videat, ne cadat. & cum nihil munierit contra hoc, in talibus hodie vertitur, ac voluitur. quod enim ſemper humi

iacet,

iacet, nunquam cadet; iacet. n. humi. quod autem cecidit, & eſt humi, non deueniet ab ſtantibus, & erectis ad cadendum. & quod ſemper eſt in inopia, & nunquam accidit, vt affluat, nunquam cadet. ſemper enim nihil habet, & cadere non poteſt, quod nihil vnquam habuit. Quod caſum, & ruinam ſentit, propter abundantiam & rem amiſſam ſentit. ac ratio quidem prima opinionem iſtam conuincendi talis eſt.

Sed quia dicunt, quod nequitia adhuc progrediens, ac ſe ipſam intendens ac roborans & lumini appropinquans, rapuit ex eo, & abſorbuit. age legationem, quam pro diabolo contra veritatem ſuſceperunt, diſſoluere ne defugiamus. extollunt enim his verbis malum: extenuant autem veritatem; & neruos tribuunt nequitiæ; veritatem verò ſine neruis ponunt. etenim ſi nequitia rapuit, lumen verò raptum eſt, & quod dominaturum erat, patitur; & quod patitur, patibile eſt. patibilis igitur ipſorum opinione Deus eſt. Satanas verò expers naturæ patibilis. ille quidem malè affici poteſt; hic verò malè afficere. ſi enim lumen patibile eſt; & ipſe Deus eſt patibilis, cum non ſit aliud præter lumen. Quòd ſi potuit malè affici, & non à ſe malè affici, ſed ab hoſte, & pugnante, & deficere à ſe, & eſſe apud deterius, quomodo à propriis ſeparatum eſt, quod naturam habet copulatricem? quæ enim ſecundum naturam apta nata ſunt, vt à ſe ipſis ſeparentur, non inſunt natura. ſi autem ingenitum erat lumen, & erat cum ingenito copulatum, quomodo vnquam ſeparari potuit? quomodo à ſe diuelli, & fieri aliud quàm erat? ſi enim miniſtrauit malo, idque per vim à nequitia illatam, deinceps nequitiam eligebat, & quæ ſunt nequam, perpetrabat. & ignorabat ſe; nec ſe iam amplius agnoſcebat, ſed ſui potius oblitum erat, putabat enim ſe tale eſſe, quale eſt malum. ſi ita erat, apparebunt hæc repugnantia. Quod enim ingenitum eſt, neq; ſe ignorat, nec aliud erit, præterquam eſt, ſed potius tale perſeuerat, quale erat; nec vnquam à ſe diſiungi potuit, quod nunquam cœpit eſſe. πάθεῖν.

Verùm quia anilia, & commentitia loquuntur, non intelligentes quæ dicunt, ſed ex iis ipſis, quæ dicunt, reuicti, & ſe erubeſcentes, hoc etiam ad ea, quæ dicta ſunt, addamus. ſi poterat lumen commutari, & aliud præterquam erat ipſum, fieri, & eſſe apud nequitiam, ac ſui obliuiſci, & facere, quæcunque nequitia facit, potuit hoc euenire principibus nequitiæ; vt magis potuerint mutari in bonum. ſi autem mutatio fieri potuit, & variatio, δυσωπούμενοι.

K

tio, quomodo non melius erat ex vitio in virtutem mutari, quam ex virtute in vitium? Quomodo paſſus eſt Deus & permiſit rapi lumen? Quomodo non prohibuit aggreſſionem? Quomodo non ſeruauit ſua? Quomodo poſtquam ablata ſunt, noluit eorum prouidentiam & procurationem habere? Quomodo non prius impetum, & conatum coërcuit? Quomodo non magis ſeruauit, ne caperentur, ſed potius capta, & direpta auxilio non honorauit? ſi ideo fecit, vt lumen cum in malis eſſet, mala mutaret, quaſi mutari poſſent mala, non igitur mala natura mala ſunt, quæ cum mutari poſſunt, ſponſionem in mutatione ipſa accipiunt, non eſſe natura mala.

Si autem ſciebat non mutari, neque natura apta eſſe, vt mutationem caperent, quomodo fruſtra ſiuit, vt bonum iacturam faceret, & lucrum non tribueret malo? Quomodo ſiuit ipſa mala non mutari, ſe verò & ſua bona mutata neglexit? Abſurda eſt enim hæc præſcriptio, ipſum eſſe mutabilem, quia ſua mutantur; non eſſe autem mutabilem materiam. Atque hoc quidem ſic redarguimus, vt prolixum ſermonem contrahamus, ſilentio prætereuntes illa integumenta, quæ obtendunt, illas repugnantias & fabulas & pugnas Gigantum, vt quæ de principio rerum dicta ſunt, inſtar cuiuſdam ſubſidij dicta ſint, habeanturq; tanquam ſemen quæſtionum.

Finis libri primi.

AN-

ANNOTATIO TVRRIANI.

HActenus liber primus, & bona pars ſecundi, vt ex argumentis primi & ſecundi libri in principio ab Auctore propoſitis intelligi poteſt, ſi cum his hactenus conferantur.

Digitized by Google

Titi

EPISCOPI

BOSTRENSIS

ADVERSVS

MANICHAE-OS

LIBER SECVNDVS.

σπυδαιολογίαν.

DVcit iam nos deinceps ratio diſputationis ad diſſerendum ſeriò de Deo. fortaſſis enim nihil à ludo differunt, quæ hactenus ad confutationem fabulæ illius dicta ſunt. ne igitur riſum moueamus prudentibus, commentum valdè ſibi repugnans accuratius excutientes, quæ autem à Manichæo magis myſtica inuenta ſunt, quę ſunt cõplura, ſilentio prætereuntes, aggrediemur iam docere, nequitiam quidem nequaquam ſecundum ſubſtantiam exiſtere, neque materię principium vllum principio carens Deo contrarium eſſe. Vnum verò eſſe principium omnium, & vnum Deum, qui omnia creauit bona, & ipſius ſapientia digna.

λίαν ἀσύστατον.

Manichæi enim, poſtquam in diſputatione de principiis conuicti ſunt, ad hanc dubitationem tanquam difficilem ad enodandum & multas tendiculas, & captiones contra differenti prębentem deducuntur. Quærunt enim, vnde mala exiſtant? nos autem fidenter reſpondemus, cum vnus ſit Deus, qui cuncta fecit, nihil quidem ſecundum ſubſtantiam malum eſſe, cuncta autem valde bona, & differenter bona, & ad varios vſus facta: nihilq; eorum quæ facta ſunt, ſine ratione factum eſſe, ſed vnumquodque eorum, quæ effecta ſunt, paruum & magnum, in cælo, & in terra, & in mari habere in ſe rationem ſuæ eſſentiæ, fabricatamque eſſe ſapientiam Dei ineffabilem vniuerſum hoc tanquam integrum, & totum corpus conſtitutione partium, & membrorum, vt quidquid ademeris rationi eorum, quæ facta ſunt tanquam ſuperuacaneum, & inutile, totum corpus mutilatum eſſe videatur. ſiquidem quod in rebus videtur viliſſimum, & deſpicatiſſimum, abſolutionem corporis complet. nihilq; in rebus otioſum eſt, neq; temere, atq; inaniter factum, nec ad ſuperuacuam ambitionem interpoſitum.

Sola verò hominum ad nequitiam peccantium in iuſtitia rectè & iuſte, ac vere nequitia eſt, non tamen ex nequitia principio carente profecta, quam Manichæus, cum non ſit, eſſe excogitauit tanquam

quam

Digitized by Google

quam ab hac principio carente, quam finxit, proficiſcentem. vt ſatis in ſuperioribus diſputatio aperuit, & docebit clarius in iis, quæ ſequuntur.

Quamobrem cum de hoc primo actum ſit, ſic via & ratione progrediemur, docentes nihil eſſe in rebus malum ſecundum ſubſtantiam. quin potius quæcunq; in ſæculo gubernat, ac diſpenſat Deus, decore, vt ſapientiam eius decet, & ad vtilitatem eorum, propter quos hæc facit, gubernat, ac diſpenſat. ornatum igitur extruxit Deus, & de hoc ii, contra quos diſputamus, non fluctuant, neq; tempeſtate iactantur, ſi enim mundum ornatum & decorum in inornatum mutant, de modo, & cauſa facti mundi confitentur. hominem verò, etſi eſt pars mundi, tamen quia eum ciuem rationis participem præpoſuit, ac præfecit Deus, in cæteris aliis, quæ neq; ad nequitiam, nec ad virtutem ſpectant, vt gubernaret, ſibi ipſi reſeruauit, virtus & vitium vt in poteſtate eius eſſet, fecit, ingenerans naturæ vtriusq; cognitionem. vt inſtar oculi hanc adducens & adhibens, non ſolum cum perfecta ſcienta in vita ambularet, ſed eſſet auctor officiorum virtutis. διαχειμάζονται.

Homo igitur iniuſtè operans, iuſtè de peccato accuſatur. Si enim peccatum committit tamquam non poſſit ab eo ſe abſtinere, iniuſtam querelam ſubit. ſin autem cum poſſet non facere, facit contrarium, merito accuſatur tanquam iniuſtitiam ſuſcipiens, & peccatum recte ratione criminis appetatur peccatum, quod ſemper committitur præter rationem, qua vti potuit. vt ſit iam peccatum omne id, quod præter rationem fit. quamuis ex iis, quæ ſunt ſecundum naturam, occaſionem, & ſubſidium, accipiant. vſus enim eorum, quæ ſunt ſecundum naturam, à ratione auerſus, efficit, vt peccatum exiſtat. ratio autem in nobis exploratrix eſt eorum, quæ ſecundum naturam ſunt. ex quo fit, vt non lateat, cum committitur. δοκιμαστικός.

Si ergo ad exercitationem virtutis rationem nobis inſitam exerceamus tanquam corpus temperato motu, ſanam hanc, & beneuolentem reddemus. Sin verò exercitatione, & accuratione hanc non excoluerimus, langueſcens obſcurior efficitur, ac demum neglecta cęcatur, penes nos vero eſt, vbiq; ratione, quæ in nobis eſt, vti, & ſicut, qui artem ædificandi exercent, ſic norma ac regula ad accurationem virtutis adhibita, hanc rationem excolere, tamquam ſemina in terra ſparſa, quæ cum neglecta ſunt pereunt.

Hoc loco ambiguitas quæſtionis exoritur. Quare tanto periculo

culo obiecti ſumus, vt penes nos ſit eſſe bonos, & non eſſe? vt non omnino boni efficiamur, ſed plerumque, non tantum quandoque, mali, neceſſarium non ſimpliciter, vtile periculum. alioqui à toto aberraremus, totoque fruſtaremur. etenim ſi feciſſet nos Deus, vt non poſſemus peccare, nunquam facti eſſemus boni. bonus enim apud homines eſt, qui iuſtus, & temperatus eſt. abſtinens autem ab iniuſtitia, fit iuſtus; & fugiens intemperantiam, temperatus. poteſtate igitur contrariorum comparatur, & acquiritur poſſeſſio contrariorum. vt ſi quis non habeat poteſtatem intemperantiæ, non poſſit fieri temperans; non. n. non poſſe ſuſcipere incontinentiam, facit continentiam: nec infirmum eſſe ad iniuſtitiam facit iuſtitiam, ſed poſſe facere, ratione verò abſtinere, ne faciat, hæc eſt virtus temperantiæ, & iuſtitiæ; & non poſſe ſolum, ſed à natura inuitari, & titillari, vt aliqua vera laus ſit voluiſſe non facere. hæc enim, & non alia inueniri poteſt apud homines virtus. Deus enim non eſt vocandus temperans, aut fortis, & alia huiuſmodi; ſiquidem ſupra humanam virtutem eſt. etſi enim dicitur iuſtus, aliter quàm nos dicitur. homo autem, quatenus homo, quomodo fiat bonus, quærimus. vnicuique enim eorum, quæ facta ſunt, menſura naturæ decreta, & conſtituta eſt: quam quidem tranſire & ſuperare non poteſt; ſed deficere poteſt perfecta, & abſoluta virtus. Quæ igitur menſura homini ad virtutem definita eſt, & vt ſit bonum temperantiæ, & iuſtitiæ, & aliarum virtutum? ſupra hæc enim vt homo ſit bonus, fieri non poteſt. ſi enim temperantia eſt continere cupiditates voluptatum, oportet eſſe in poteſtate ea, quę temperantiæ ſunt contraria, quorum dicitur continentia, quæ eſt temperantiæ nomen, & officium, atq; opus. non eſſe autem in poteſtate voluptates, priuationem temperantiæ planè efficit. ſimilis ratio eſt iuſtitiæ, & aliarum virtutum.

Siquis verò contra dicat, oportuiſſe nos nõ eſſe aptos ad ſuſcipienda contraria virtutib', vt intemperantiam & iniuſtitiã, ſicut Deus, nihil aliud hic dicit, quam oportere nos non eſſe homines. vt ſi quis ſpectaret aquilam in ſublime volantem, & ſuccenſeret naturæ equi, eamque acerbè vituperaret tanquam diſſimilem naturæ aquilæ, cum oporteret equum ex natura equi conſiderare. Sanè quidem hominem fecit Deus, qui eſſet homo, animam item cum corpore, quia eſt habitator mundi corporeus. Hic igitur ſi fiat bonus, quoad natura hominis patitur, ſpectatus, & probatus reperiatur. Quomodo autem fiat homo probus, inquirendũ eſt. atque requirendum à Deo,

vtrum

vtrum fecerit eum. homo igitur fiet bonus, ſi ſit temperans,& iuſtus. ſi enim liceat meliore modo fieri hominem bonum, accuſandus ſit Deus, qui illo modo præſtantiore non fecit hominem bonum. Sin autem quantum in natura hominis ſitum eſt, nihil melius, opus eſt homini temperantia,& iuſtitia,aliisq; virtutibus. hic rurſus quærendum eſt,quomodo homo temperatus,& iuſtus eſſe poteſt? vult enim qui eum fecit, vt talis ſit. igitur temperantia ſine comparatione, & contentione contrarij fieri non poteſt;ſimiliter iuſtitia: alioqui nunquam erit temperantia,neq; iuſtitia.

Quòd ſi hoc modo non poſſit fieri iuſtus, & temperatus, non aliter fiet homo iuſtus & temperatus. & tunc meritò reprehendatur Deus,quia fecit,vt impoſſibile eſſet fieri hominem bonum, temperatum dico,& iuſtum,quo quidem modo tantum, & nullo quopiam alio futurus erat glorioſus, & ſapientia auctoris ſui dignus habendus. Si autem qui contra dicit,perſeueret contendens oportuiſſe natura,& non labore fieri hominem temperantem,rurſus hic omittens quid ſit temperantia,ad eligendum,ac ſumendum, quod à ratione auerſum eſt declinat, tum quia ponit, & ſtatuit,poſſe hominem ſine temperantia & iuſtitia eſſe dignum auctore ſuo, qui eum fecit, tum quia non vult conſiderare, quomodo poſſeſſio harum virtutum comparetur, quia quod vinculo naturæ factum eſſet, nunquam eſſet temperantia,quæ minime aliter quàm reſiſtentibus voluptatibus cognoſcitur; vt pugnans, & vincens eas vocetur, & ſit temperantia, ſimiliter in aliis. ſic ſanè hominem conſtruxit naturâ quidem neque bonum,neq; malum,committens rationi electionem melioris.ſi verò neq; bonum,neq; malum, quæritur,quid reſtet.

Conſiderandus eſt puer paruus, in quo cernitur vtriusque extremi ademptio,id eſt, neque bonum,neq; malum eſſe. ſubſtantia enim huius bona eſt, bonitatem verò ſecundum virtutem nondum aſciuit. ſic item & aurum bonum eſt natura, ratione verò virtutis non eſt bonum, cum ſit inanimatum: ſimiliter precioſi lapides, & omnia,quæ ſunt, vnumquodq; ſecundum propriam in aſpectu pulchritudinem. hac ratione homo etiam pulcher eſt, valde pulcher ſubſtantiâ & eſſentiâ ipſâ, bonitas verò per ſolam virtutem aſciſcitur,labore comparatur. idcirco fecit Deus, vt hoc in poteſtate eius ſitum eſſet,ſi igitur poteſtatem quidem dediſſet Deus,non autem naturæ præfeciſſet cognitionem virtutis,& vitij,viſus eſſet cæcum aurigam currui velociſſimo præficere.ſin verò ambo ſimul commiſcuit

poteſtatem ad aſciſcendum, quod melius eſt, & cogitationem ad diſcernendam, & muniendam electionem, artificem quidem aurigam mentẽ adhibuit. Hæc autem currum naturæ ſaluum, & incolumem agitabit, niſi ſomnum in ſtudio capiens à voluptatibus deturbetur.

Subſtantia quidem & natura pulcher eſt homo, vt aurum, vt lapis pretioſus, vt opus Dei; bonus verò, aut contra malus, propoſito, hęc enim adiacẽt ei, tanquam quę fieri poſſunt. qualitates verò adueniunt, & adiunguntur ſecũdum inſtitutum, quo ducitur, & ſecundũ electionem propoſiti, vt nequitia, quæ in actione cõſiſtit ſolum, antè actionem non ęxiſtit per ſe. habet tamen homo poteſtatẽ nequitiæ, quam poteſt operari, habet, inq̃, poteſtatem eius, non vt eã operetur, ſed vt non operans eã, optimus appareat. Si enim nõ eſſet penes eum actio, videretur ſubire inuidentiam creatoris, vt haberet impedimẽtum approbationis, & priuationem libertatis, vt qui non haberet in poteſtate ſua ſitum, vt eſſet bonus, vt iam conditio, parteſq; naturæ, quę in homine inferiores videntur, veriſſime ſuperiores, ac valentiores eſſent. nunc autem nequitia minimè per vim ſubit, cùm non ſit ſecundum ſubſtantiam. & ſi homo nõ haberet eius poteſtatem, non eſſet penes eum fugere eam. fugit enim, non tanquam exiſtat, quod non exiſtit, ſed tanquam id, quod ab ipſo fieri poteſt.

Qualitates bonitatis ſcilicet, & nequitiæ, ſiue virtutis, & vitij, vt dicatur bonus, vel malus.

Quomodo autem, qui odit malum, quod optimum eſt, compararet, niſi illud, quod facere poterat, volens recuſaret. virtus enim in hominibus penè nihil aliud eſt, quàm recuſatio, ac declinatio vitij. tẽperatus enim eſt, qui nõ eſt intemperans; & iuſtus, q̃ non eſt iniuſtus, & ſimiliter in aliis. Deus enim bonus eſt, non quia nõ facit iniuriam. tametſi poſſit, ſed quia ſolummodo beneficus eſt. Quamobrẽ ſolus eſt bonus, in hominibus verò bonũ ex fuga mali primũ exiſtit, cuius poteſtatẽ neceſſe eſt eſſe ei, qui vult eſſe bonus, vt ſit penes ipſum non facere malum. etſi enim à perfecto præter fugam contrariorum requiruntur etiam actiones, fuga tamen & declinatio deterioris maius quid eſt ad probationem. hinc fit, vt apud hoïes nemo vacuus à peccato reperiatur. quippe cum probatior ſit homo propter difficultatẽ abſtinendi à peccato. quandoquidem hoc potiſſimum modo ſignatur virtus. actionẽ autem bonã etiam apud valde malos reperimus.

Sicut apud homines fit.

Χαρακτηρίζεται

Liquet igitur beneficiũ eſſe homini poteſtatem ſuſcipiendi peccatũ, à quo q̃dẽ ſe abſtinens ſpectatur, & probatur, & non aliter. libera igitur poteſtate virtutis & vitij honoratus eſt homo, habens natura horũ cognitionem, quæ in actionem venire poſſunt, & priusquã ve-

niant,

Digitized by Google

ſtāt,non ſunt.Vbi enim erit quod agitur, ſi non eſt,qui agat? Quare adeſt nequitia,cum eſt actio eius;abeſt, cum non eſt.continuò etiam Deus bon⁹ cū ſit,& ſolūmodo beneficus,nihil mali facit,neq; per ignorantiā abſtinet à nequitia,neq; q̃a deeſt poteſtas,omninò ab ea ſeiunctus eſt. Quomodo enim ignoret nequitiā, q̃ docet,nō adhibere eā ad actionē? Quomodo rurſus rationi conſentaneū eſt,exiſtimare, q̃a deſit potentia,Deus à nequitia abſtineat? nō enim ille qui eſt ſolus bonus,quia non poteſt iniuſtus eſſe,bonus eſt, ſed quia perfectam poteſtatem habet non volendi iniuſtitiam.

Si autem dicamus,non poſſe Deum aliquid iniuſtum facere,rectè quidē dicimus.attamen,non poſſe,nō ad infirmitatem referimus, ſed ad ſummā perfectionē non volendi q̃ iniuſtū eſt, & ad immutabilē declinationē deterioris.cū enim ſit ſecundū naturā immutabilis, immutabile eſt ei nolle quicq̃ mali facere. Quāobrē poteſt q̃dē, ſed nō facit natura immutabili non volendi malū.atq; ita non eſt nequitia apud Deū,non ſolum quia nō exiſtit per ſe,ſed quia nec eſt in actione. Quia verò hominibus quodāmodo nō eſt immutabilis recuſatio nequitiæ,& ſi quis ad virtutē aſcendit,ſolū videtur eſſe nequitia dum eſt in actione.non autem eſt ante actionē.ſic hoīem Deus honorauit fabricans eū ad imaginē ſuā, vt ſicut ipſe libertate naturę bonus eſt, ſic homo libertate propoſiti imitator Dei eſſet,non abſtinens à peccato, quia deſit naturę ipſi poteſtas,ſed libertate ꝓpoſiti virtutē honorans.

Hęc autē ſatis,abundèq; declarant tot mutationes ad virtutem,& vitiū,quę in hominibus ſępenumerò reperiuntur. in quibus neutrū horū diuturna cōſuetudine fixè ineſt. Quæcūq; enim neceſſitate naturę facim⁹,horū mutationē non recipimus. Quęcunq; verò ratione propoſiti,& deliberationis facimus,hęc in nobis variant̃,& aliâs aliter habēt ad ꝓpenſiones,quę in ꝓpoſito fiunt. non igit̃ peccare naturale eſt,& neceſſariū hominibus,ſed voluntariū eſt maleficium. declarat autem labor virtutis voluntarium eorum, qui eam acquiſiuerunt,in quibus ſi paulùm negligentiæ inſit,periclitat̃ poſſeſſio virtutis parta. προαιρετικόν.

Si quis verò aduerſus hoc ꝓducat eū,qui vult q̃dē quandoq; abſtinere à prauis,dicit tamē ſe non poſſe;aduertat ipſe,q̃ ſicut morbus corporis diut̃nus non facile mutat̃,ſic animæ habitū non bonū tēpore fixū nō eſt facilis ratio depellēdi in lōginqua cōſuetudine.niſi maius aliq̃ bonū ſubeat, quo antegreſſū malū expellat̃. hinc fit, vt ſæpè aliquis cū effrenatè in turpe quoddā opus impetū feciſſet, vel propoſitū eſſet adulterari,ſolo aſpectu mariti,metu cupiditatem repreſſit, *Mutatu morbus, cui, de pſo morbo ſuccedit ſanitas.*

aut memoria legum in mentem reuocata. alius cum deliberaſſet latrocinari, metu ſupplicii cupiditatem coërcuit. ſic peccata opera ſunt affectionum, non autem ex natura effloreſcunt. honoramus autem omnes, & amamus, qui æquitatis participes ſumus, leges, quæ maleficos ſine vlla excuſatione puniunt, ſic communi opinione per opera confirmamus non cogi homines natura ad maleficia, ſed quia propoſito & deliberatione ea eligunt, ſupplicio dignos declarari.

Sed quia Manichæi aliter etiam nituntur conuincere duas naturas contrarias in nobis eſſe, quia aliquando quidẽ nos cogitamus mala; aliquãdo verò bona, aduertendum eſt, quia naturalis cognitio vtrorumq; in nobis ineſt, neceſſario nos ad cogitationem eorum, quæ cognoſcimus, excitari, nullam quidem iacturam, aut damnum facientes, ſed potius totum lucrantes, prępoſito, & antelato, quod melius eſt. Quomodo enim in hominibus motus, & excitatio ad melius, teſtata eſſet, niſi vtrumq; naturaliter cogitari poſſet, iuſtitia ſcilicet, & iniuſtitia. cognitio namq; neceſſaria eſt ad diiudicandum; cogitatio verò rimatur cognita, propoſitum, in quam partem vult, propendet. hæc verò non ſunt partes animæ differentes, ſed tanquam operationes eius. non tamen ineſt oculo noſtro naturaliter, vt videat aliud ſi accidat, vel actiones malas, & bonas, ac neutrius cauſa fuerit, mens enim aſpectum recipit, viſa diiudicat, atq; diſcernit. ſic cogitatio neceſſariò inſtar oculi mouetur ad ea, quę fieri poſſunt, non mouens animam ad ea per vim, ſed cognitione naturali hęc attendens. continuò quidem ſi volumus, ſimul cõtraria cogitamus, ſimul tamen contraria facere non poſſumus.

ἀφώϱισαι. In hunc modum actio quidem electione propoſiti decreta eſt; cogitatio verò naturalem cognitionem virtutis, & vitij teſtatur. niſi enim hęc præcognoſceremus, nec ea cogitaremus, neq; quod melius eſt, eligeremus, prægreſſa omnino electione deterioris, prauis inſtitutis anticipati. quamobrem magis eſt ſtudendum, & laborandum hominibus in educatione filiorum, quam agricolis in incremento arborum. Interpretari igitur cogitationem noſtram indicium eſſe duarum naturarum contrariarum, perinde eſt, ac ſi quis diceret, eſſe aſpectum miſtionem omnium colorum, quia in hæc omnia aciem intendit. Quòd igitur neceſſario accepit homo vt poſſet peccare, ſic à Deo factus, vt non aliter poſſet ex virtute viuere, id quòd Deus cum eſſet bonus & non inuidus, naturæ inſitum eſſe voluit, & quod propter ea, quæ iniuſtè apud homines fiunt, nullo pacto neceſſe eſt putare

tare

tare materiam principio carentem & nequitiam reſiſtere Deo, nec exiſtimare penitus ſecundum ſubſtantiam per ſe extitiſſe nequitiam, ſed in actione conſiſtere, ſuperius demonſtratum & concluſum eſt.

Deinceps de ſapientiſſima Dei gubernatione, & de iis, quæ inaniter, & temerariè à Manichæo in criminibus ad aſſerendam nequitiam obiecta ſunt, pro viribus dicendum eſt. multam perturbationem ordinis in noſtris rebus accuſat. diuitias & paupertatem, ſanitatem & inualetudinem, tanquam ſit in eis inæqualitas, criminatur. item illud, ſæpe maleficium ſupplicium legum effugere, innocentem verò puniri, quandoq; etiam improbos imperium in alios inuadere. dicendum igitur eſt, productum eſſe hominem ab auctore ſuo in hanc vitam, vt nullum aliud negotium ageret, quam vt ſolam pietatem & virtutem compararet? hæc enim ſi acquiſiuiſſet, rectè hanc vitam tranaret. his verò neglectis, periculoſe demergeretur deceptus. alimentum autem corporis, & veſtitum, & reliquum tegumentum dedit Deus ipſi non tanquam dona præcipua, ſed tanquam neceſſaria ad vitam hic tuendam, vt tum corpus habet, tum horum præſidio viuat, tum impigrè laborem ſuſcipiat, & quæ dicta ſunt, paret.

Lumen autem aſciuit ei Corporeum naturæ eius conueniens, tum aërem ad ducendum ſpiritum, & aquā & quæcunq; alia neceſſaria. hæc enim auctore Deo communia ſunt naturaliter cum omnibus hominibus, nec vllus dicere poſſit minus luminis impartiri pauperi, neq; minus aquæ ſuppeditari, neq; min' aëris ad reſpirationem, quæ eſt ad uiuendum maximè naturalis. & alimentum neceſſarium tametſi non ſine ſudore ſuppeditat. aurum autem, & argentum & lapides pretioſos qui habent, ab ipſo accipiunt, non tamen plus conferre poſſint ad facultatem, quam ſuperius diximus, niſi magis etiam impedire, tamen neq; profectio hominibus à Deo propoſita, paupertate impeditur, neq; diuitiis facilior efficitur. Sed vtraque conditione ſtudioſis, & maxime induſtriis, ac gnauis licet conſtitutam vitam, & deſtinatam conficere. paupertas enim per tolerantiam & libertatem, opulentia verò per modeſtiam, & cultum, honoremq; auctoris bonorum, quem anteponit bonis ipſis, perficere poteſt, quod ſtudet, & laborat. vt neq; pauper ſine difficultate, & laboribus aſſequatur virtutem; ſed egeat ſtudio, & accuratione, ſi qua in ipſo ineſt incuria, ne propter paupertatem aliquid illiberale faciat, & dum εὐπορίαν.

 iniquo

iniquo animo fert paupertatem, animum ſuum, ac voluntatem patefaciat, vt qui magis, quam Deum honoret ea, quæ à Deo dantur. neq; qui diuitiis affluit, poſſit ſibi inſtar rei venalis pietatem, & virtutem comparare, quin potius plus in hac re ſudandum ei ſit. magis enim hic, vt par eſt, fluctuat, & tanquam tempeſtate iactatur mens, cura & ſolicitudine in bona externa, & in animam partita. & niſi exiſtimet eſſe opes omninò πάρεργον, ἔργον verò ſolum amicitiam cum Deo, demergetur in amentiam integram, non intelligens ſe primò & ſolo bono relicto, ſeruire mortuis diuitiis, quas cum reliquerit aliis, ipſe abibit.

Ex æquo igitur vacat periculo via virtutis; neq; diuiti, neq; pauperi impedita. inter ſe autem diues, & pauper ſolum differunt externarum rerum acceſſione, quæ nihilo plus valet ad id, quod propoſitum eſt, adipiſcendum. atque hoc quidem neceſſario diuina ſapientia diſpoſuit. quando enim pauper exercetur ad tolerantiam capiendam, videns apud alium opulentiam, animus etiam diuitis exploratur tenuitate pauperis. inutiles enim ſunt opes, ſi non adſit paupertas. cui enim benignè faciet opulentus? & paupertas non eſt ſpectata, & probata, niſi aduerſante opulentia. Denique neque diuitem eſſe beatum eſt, neque pauperem eſſe, miſerum. quandoquidem ſolus ille, cui accedit firma animæ ſecundum virtutem felicitas, ſiue diues, ſiue pauper ſit, compos eius eſt, cuius cauſa à Deo factus eſt homo. vt iam opus ſit à Deo accipere, vt ſit, à ſe verò accipere, vt bonus ſit, adiuuante Deo. vult enim Deus, vt homo cum ſit rationis particeps, habeat aliquid à ſe ad glorioſam fiduciam.

Quocirca non admirabimur, neq; beatum prędicabimus virum diuitem maleficia committentem. neq; ſtupebimus contra Dei prouidentiam, quòd, qui talis eſt, diuitiis affluat. Quid enim amplius habet vir improbus diues? Quid verò non minus habet? vigiliæ enim & pericula propter pecunias, dolores verò de conſumptis maiores, quam voluptates de acquiſitis. non enim tam delectat, quod adeſt, quàm cruciat, quod abeſt. & ſemper cupiditas diuitiis augetur. ita vt ſine intermiſſione cogitatio habitet cum affectione effrænata, corpus verò ſæpenumero cogitatione contabeſcat. Demum quæ videtur præſtantior conditio affluentiam opum poſſidentis, difficilior, & moleſtior eſt, quàm conditio egentis. ille enim deliciis, & mollicia cubilis vtens, quandoque in varios morbos

incidit

Digitized by Google

incidit, cum pauper ſiccitate victus neceſſarij valetudinem corpori aſciuit. at quis dicat non eſſe corpus excellentius, & magis honoratum, quàm bona externa? quod ſi habitudo corporis valentior in iis perſeuerat, qui neceſſariis moderatè vtuntur, iis verò, qui ſe ad immoderatas delicias dimittunt, ſimul robur & firmitas corporis relaxatur, an non liquet hac parte, & hac ratione inferiores eſſe diuitias paupertate? pręterquam ſi quis reperiatur, q. egeat neceſſariis, quod quidem nunquam ſtudioſo virtutis accidit.

Nunquid voluptas ciborum ſumptuoſorum permanet cum ſenſu eorum, qui ſemper vſi ſunt eis, an valde vilis efficitur diuturno vſu? vt iam nihilo plus habeant iſti in eo, quod ad delitias & voluptatem adhibent. ſemper enim quod conſuetum eſt, facilè contẽnitur. Pauperi autem quod tenue, & vile eſt, propter ſanitatem ſuauiſſimum eſt. Si quando verò ſit ei, quod ſumptuoſum eſt, peregrinũ, & nouũ ducit ad fruendã relaxationem. vt hac ratione, qui rectè cogitet pauperem reperiat pręſtare diuiti. morbus autem & bona valetudo ęquè neceſſaria ſunt. Sanitas enim valet interdum ad iniuſtitiam & offenſionem virtutis, morbus item aliquando ad euertendum, & refutandum peccatum valet, iuuatur enim ſępenumero ratio externis fluctibus. interdum experientia inualetudinis de beneficio bonæ valetudinis admonet ad declinandum maleficium. eſſet autem deſpecta ſanitas, ſi vniuersè per ſe permaneret, nihilq; quòd ęam impediret, poſſet contingere.

Si autem ille quidem iuſtus ægrotet, hic verò audax bene valeat; ille quidem cohibetur vnda adiutus, vt vita eius querela, & reprehenſione careat, hic verò tanquam deſperatus traditus eſt peccatis. Si rurſus audax, & valdè impius morbo conflictetur, iuſtus verò firma valetudine ſit, punitur ille quidem ſenſu ſupplicij, non vt iuuetur, ſed vt alios exemplo iuuet; hic verò, tanquam, qui ſolutis vinculis manſuete verſari poteſt, ſine ægrotatione perſeuerat. quamuis vtraque prorſus vbique vtilia ſint; & miſer, qui prouidentiam hinc negat, aut accuſat. ille enim morbus ſolus mortifer eſt, qui animam ad auertendam virtutem malè afficit. in quibus igitur ratio ſalua, & incolumis perſeuerat, ſiue ægro corpore, ſiue ſano ſint, vtriusq; vtilitatem ſentient. etſi enim non omninò morbus maleficum puniat, ſiquidem leges etiam interdum malefici effugiunt; an propterea deſinet lex

eſſe

Digitized by Google

eſſe impedimentum maleficis, quia non per omnes Legi ſubiectos procedit? an admiratio ſapientiæ Dei hinc etiam, ſicut vndiq; declaratur? ſi enim penitus conſtaret, nullo pacto poſſe hominem effugere ſupplicium legum, qui quodcunq; lege vetitum eſt, admitteret, abſtinere peccato, non eſſet ſpectatum ac probatum, ſed adulterinum & incertum. omnes enim metu ſupplicii, non odio maleficij abſtinerent. oportet autem honeſtum, & probum magis odiſſe maleficium facere, quam maleficij pœnas dare, quamuis iniuſtè.

Hinc fit, vt maior pars maleficorum leges effugiat, quoniam non eſt hoc ſupplicium delinquentium, ſed opinio tantum vindicationis. mors enim naturalis ſine ſupplicio etiam adueniet. Quare alia eſt vltio, & ſupplicium delinquentium, cuius effugium reperire non poſſunt. euadunt autem plures ex noſtra vindicta, vt poſſe latere tormentum, & cruciatus, humanę cogitationis efficiatur Et vniuersè quod dictum eſt ad furantem, & mentientem, & grauiora maleficia committentes porrigitur.

ἀ πρόθε-σις.

Sed dicet aliquis, magis torqueretur conſcientia hominum, ſi nullus maleficus deprehenſus puniretur, contra verò euenit, vt planè ſit hortatio quædam ad maleficium faciendum, quoſdam maleficos aliquando non comprehendi à legibus. vnde vtrumq; neceſſarium eſt, & incidere maleficum in leges, ac comprehendi ad exemplum vitandi maleficij; & effugere tormentum, & cruciatum cogitationis. Homini enim ad eligendum virtutem & vitium libero, ſic facto à Deo, foris accedit, vt quodammodo mens eius adiuuetur, & quaſi fulciatur timore, & vacatione timoris, hortationibus, & dehortationibus, morbo, & ſanitate, paupertate, & opibus. deniq; omnia, quæ contraria inter ſe videntur, conſonè, ac conuenienter in vnum tendunt, & ſpectant, vt humanam mentem exerceant, & nemo ſe dedat ſomno, quin potius hinc, & illinc pulſus, & excitat⁹, vigilet ad officiū pietatis & virtutis obeundum. ſi verò accidat, vt aliquis puniatur non ſolum innocens, ſed vir admirabilis, & ab eo pœnæ virtutis repetantur, quid nocuerit ſuſtinenti? arguit quidem hoc eos, qui faciunt, non eum, qui ſuſtinet, licet vſq; ad mortem iniquum ſupplicium progrediatur. qui talis eſt, anticipatione mortis, quæ pertinent ad vitam futuram meditatus eſt, cui enim nihil ſuaue eſt eorum, quę multis iocunda ſunt, nec acerbum, an non eſt hic ante mortem huic vitæ mortuus? Qui hic ea, quæ exiſtimantur inſidiæ factæ, loco beneficij

neficij & gratiæ ducit, qua expectat poſt hanc vitam maiora bona conſequi, quam ea, quæ relinquere videtur, ad quæ, ab inimicis ſuis cito dimiſſus, tanquam beneficos ducit eos, qui ei inſidiati ſunt.

Alia etiam ratione apud homines neceſſarium eſt permitti à Deo tormenta, & cruciatus, vt magis ſpectata, ac probata ſit libera virtutis ſuſceptio, ſi neq; mortẽ oppetere reformidet. Iam cũ improbos, & auaritię deditos viderimus aliquãdo imperiũ tenere, & ad magiſtratus eligi, ſcire oportet permitti hoc prouidentia, ac gubernatione Dei. cum enim, qui ſunt ſub imperio, peccatis abundant, iuſtum ſupplicium eſt iniquitas eorum, qui imperio præſunt, qui vlciſcuntur, quæ faciunt, & puniunt, quæ committunt: vt maximè pateat, non contingere, vt peccatum impunitum ſit. rectus quidem videri poteſt iudex, quia nequid mali committat, eos, qui committunt, punit. Sin autem is, qui iudicat, incipit ea admittere, quæ in aliis vindicat, & punit & quidem impenſius, vt ſuadeat, ſe nihil mali agere, planè apparet ius firmum, & valde horribile eſſe incidere in huiuſmodi magiſtratus, ad ſuſtinendas pœnas propter improbitatem morum. feruntur autem in ſcripturis huiuſmodi ſententiæ diuinæ manifeſtæ contra eos, qui delinquunt.

Manichæus tamen amentiſſimus, vt dogma nequitiæ ingenitæ, & blaſphemiæ in Deum apud eum firmum eſſet, nullam partem gubernationis Dei prætermiſit, quin eam calumniaretur. videmus ſæpe iuſtos, qui deliquerunt, ſub ditione, & poteſtate impiorum eſſe, vt ſic caſtigentur, ſicut cum generoſus filius, qui patri non paret, à peregrino, & hoſpite verberatur, vt dolor plagarum, & ignominia verbera adhibentis delinquentem mutent. vnum enim eſt ac ſolum, & verum, vt diximus, quod Deus ab homine in vita requirit, vt efficiat ſapienti cogitatione, ne virtutem vlla ex parte offendat. quod quidem ſi attendat vel ſolum hoc, beatiſſimus ſit, quamuis nihil aliud in vita habeat. hoc ſi in vniuerſo ſermone de prouidentia commemoretur, nulla ſuſpicio relinquetur de inæqualitate & perturbatione ordinis in iis, quæ à Deo gubernantur. ſi quis enim reperire poſſet, quod aliis laxata eſſet via virtutis piæ, & ſanctæ, aliis verò clauſa, videretur contra hoc caput bonorum eſſe in inæqualitate accuſatio gubernationis. Sin verò id, quo ſolo poteſt quis verè beatus eſſe, omnibus æque communiter propoſitum eſt, vt poſſit eſſe compos eius, quam oppreſſionem, aut inæqualitatem poterit quis obiicere quam

libet accuſandi cupidus? quandoquidem habere plus bonorum externorum, rurſus rationibus ad æqualitatem reuocatur. vt non minus, vel etiam magis delectetur pauperiis cibis, qui ei adhibentur, quàm diues.

Similiter euenit in iis, quę ad tegumentum corporis pertinent, quamuis viliora ſint ſenſum informant, quæ ei conſueuerunt apponi; vt nemo, quod pl⁹ eſt, ſentiat, ſenſu cōſuetudine hebetato, nec alius quod minus eſt. quia propter conſuetudinem non percipit ſenſu, quod deeſt. hinc continuò fit, vt barbari, quod maius eſt, nudo corpore vitam degentes, & ſine ſtragula veſte cubantes, & aſperis indumentis vtentes, nunquam paterentur, vt relinquerent rationem viuendi gratam, vt qui propter conſuetudinem, quid eis deſit, non intelligunt: immò qui non poſſunt hanc relinquere, & potius, ac libentius deſinerent rectè valere, & mallent frigora, & ardorem ſolis tolerare.

Atq; ad vitam degendam, ac iocundè quidem degendam, nemò plusquam alius habet in vita. communia ſunt omnibus, quibus natura recreamur, accubationes, & epulares ſomni; communia alimenta, & eorum fructus, ac iocunditates, ſi quis prudenter præſtantiam quidem eorum prætereat, vſum verò ſenſu experiatur, & probet. Communes item ſunt non minus exactè animarum, & corporum dolores. atque in his quidem magis reperietur ex ſuperantia apud eos, qui in vita plus habere videntur. Quare cum hæc ita ſint, vbi erit inæqualitas in gubernatione Dei? qui varietatem, non inæqualitatem in rebus noſtris poſuit. aliud enim eſt varietas ſapientiæ, quæ in mundo decorem habet; aliud perturbatio ordinis in gubernatione. Si quis reperire poſſet alios quidem homines natura ab affectionibus animæ, & corporis liberos, alios verò non liberos: rurſus alios ſine cibo viuentes, alios cibo alentes vitam: aut alios, qui nequitiam ſuſcipere non poſſent, alios, qui poſſent: item alios mortales, alios immortales, rectè iſte inæqualitatem gubernationis reprehenderet, & turbationem ordinis, quaſi magis ſortitione, quam ratione, res noſtras Deus procuraret. Sed ſi idem modus in ortu omnium, vna & eadem naturæ educatio, & eorum, quæ neceſſaria ſunt, ſine quibus vita degi non poteſt, communis eſt omnibus ex æquo ſuppeditatio, finis autem omnium vnus, & ſolus, cum appareat ſumma æqualitas in omnibus; vel cæcus prorſus eſt, qui Dei prouidentiam tanquam non ordinatam

accu-

accuſat, vel oculis maleuolis, & inimicis res aſpicit: & ob eam cauſam non eſt dignus fide. etenim ſi perturbatio ordinis in varietate ineſt, decorum varietatis, quod ſapientem artificem magnopere decet, reprehendit iſte. Pergat etiam improbare varietatem colorum, & diuerſitatem ac differentiam ciborum, ac potionum, quæ mirabiliter ſenſus recreant eorum, quibus adhibentur.

Hinc profecti ſunt miſerrimi homines, qui ad defendendum fatum videntur ſibi confirmare malum inæqualitatis duobus principiis introductis. oſtenſum tamen eſt prudentibus nullam in rebus noſtris inæqualitatem eſſe.

Quia verò bella etiam aſſignant, & attribuunt nequitiæ, quomodo varia fata, ipſorum opinione, multorum aliquando millium in vnum tempus, immò in vnam horam incidunt? an vnum fatum conciliat hos, & copulat inter ſe? an non eſt ridiculum exiſtimare hoc? ex quo fit, vt inæqualitas fati, quæ eſt grauis morbus errantium, locum in rebus non habeat. bella autem principium ſumunt ex auaritia; geruntur autem permiſſu Dei. malum enim horum eſt ipſa cauſa, id eſt, cupiditas, quæ auaritiam parit. quod quidem malum ab hominibus, non à Deo proficiſcitur, vt in iis, quæ prius dicta ſunt, patefactum eſt.

Mors naturæ eſt, non mala. ortus, & mors naturâ ſunt à Deo ſancita: non quidem vt pereant, qui moriuntur, ſed vt apponantur iis, qui ſunt. non enim eſſet * boni, ſolis hominibus, qui ſunt largiri, vt ſint, & nati ſint, ſed etiam eos, qui non ſunt, creando adiungere ad eos, qui ſunt. vt qui ſunt nati curriculo vitæ ſatis decurſo, vt à curſu requieſcant, mortem accipiant, non quæ eos ad pereundũ ducat, ſed quæ aliter ſingulos pro dignitate transferat. & qui non ſunt, aditum habeant ad capiendum ortum. mors igitur lege naturæ ſancita, nõ eſt mala, quocunq; modo accidat. nec enim inquirendum eſt de variis caſibus, propter quos accidit. vnus modus communis omnibus cognoſcendus eſt, qui eſt diſceſſus animæ à corpore, non ſine caſu quodam, & neceſſitate: ſed expectandum eſt, quandiu domicilium naturale durat, & nõ diſſoluitur. cum hoc tamen naturali domicilio & communi ſimul ineſt quidam metus, qui quidem neceſſario de ſuſpecto ſupplicio ſuſcipitur; non tamen ab omnibus; ſed ab iis, quibus mens eſt prompta, & facilis ad peccatum, ad huius enim euerſionẽ metus ille ſuſcipitur. Qui enim degit ex virtute, is quidem

* Hoc eſt, Dei.

peccare deſiuit, & non opinatur duram eſſe mortem. qui verò deſitus eſt peccatis, eadem imprudentia, qua peccat, mortem timet. neceſſarium tamen eſt, vt hanc imprudentiam hic metus conſequatur, vt qui timebat id, in quo non erat timor, verè timeat, quod timere oportet, damnum, inquam, ex peccato. Quia igitur gentes peccatis redundant, quorum ſpecies vna eſt inſatiabilem eſſe, ipſę ſunt ſibi cauſa ſupplicij, id eſt, mortis, quod quidem dictum eſt, non eſſe verè ſupplicium, quod natura eſt omnibus definitum. beneficio autem afficit eos, qui in bello cadunt, & eos, qui euadunt incolumes. illis quidem finem peccandi affert, his verò exemplum timoris proponit. afficit autem beneficio, licet iuſti cum multitudine vulgi à vita recedant. ſicut enim iniuſtis mors eſt finis iniuſtitiæ, ſic iuſtis tanquam victoribus quodammodo eſt initium coronarum.

De bello iniuſto loquitur proficiſcente ex cupiditate inſatiabili, cuius ſunt bella gentium.

Vnde hoc per prouidentiam ſapientiſſimam admirabile euenit, vt quod videtur punire, beneficium fiat. non dico videri punire per ea, quæ Deus haud dubie facit, quæ acerba, & aſpera videntur, ſed per ea, quæ hominibus transfugis permittit, quamobrem bellum iſtorum non eſt opus Dei, ſed permiſſio neceſſaria. in ſpeciem quidem ad puniendum peccatum, verè autem ad imponendum finem peccato. vbi quamuis iuſtus cadat, (iuſtum autem bellare non decet) maius beneficium accipit. maius enim eſt percipere fructum laborum virtutis, quod piis poſt mortem contingit, quàm deſinere peccare. Qui autem contra hæc diſceptant, priusquam probent bellum eſſe ex omni parte malum, partem eius accuſant. ſi enim bellorum originem ex nequitia per ſe exiſtente, & ex principio ingenito duci dicunt, oportebat eos, ipſam mortem, & quidem ſolam vituperare. ſuperuacaneum enim eſt cauſas bellorum excutere, & inquirere, cum quod neceſſariò accidit, in id iudicium non cadat.

Huiusmodi ſcilicet bellum quod à transfugis, & cupidis geritur.

Quomodo autem poſſunt mortem malam dicere, quæ vt Manichæus fallaciter tradit, animam à materia liberat? quare communi omnium ſententia nequaquam malum eſt mors. quod enim neceſſariò omnibus accidit, non eſt malum. inaniter autem mortem, quæ propter bella accidit, accuſant, quæ nihil amplius affert, quam quod ſecundum naturã conſtitutum eſt. Si quis verò ipſam cauſam bellorum malam eſſe dicat, ſiue ira ſit, ſiue inimicitia, ſiue auaritia, non aberrabit à recto, & decenti. tribuendum tamen eſt hoc hominibus prauo animo affectis.

Scilicet ſemel mori.

Quod autem mors mala minimè eſt, illa etiam ratione, & via proba-

Digitized by Google

probari pôteſt. ſi enim mors non omnibus definita, & decreta eſſet accideret, vt iuſtus ſemper laboraret in ſtudio virtutis, nullum fructum percipiens, præter ſudores; & iniuſtus in voluptatibus peccatorum immortalis degeret, eſſetq; vtrumq; valde abſurdum. at mors iniuſtam voluptatem delinquenti reprimit, & cohibet; & iuſto labori quietem affert. Etenim quia neceſſarium eſt, homines poſſe peccare, id quod eſt cauſa, vt poſſint ex virtute viuere: poteſtas autem à Deo data ad comparandam virtutem, apud maiorem partem hominum ad facilitatem peccati declinat, vt admirabilior ſit virtus difficultati admiſta, vtilis eſt vtriſque mors iuſto, &, iniuſto: illi quidem quietem à laboribus affert; huic verò peccatorum finem.

Si igitur mors bona eſt, & non ſolum non mala, vt oſtenſum eſt, & non ſoluit animam, vt Manichæus opinatur, à materia, quæ non eſt, ſed eo modo, quem diximus; quare principium nequitiæ in bellis excogitabimus? & non potius ſolũ iniuſtũ animũ, ac voluntatem accuſabimus? Quòd enim inde euenit, quod quidem prouidentiæ Dei aſſignabitur, iuſtum, non ex bello ſolum, ſed quocunque modo mors accidat, vniuersè bonum eſſe naturâ, in ſuperioribus concluſum & confectum eſt. Quare bellum eſt accuſandum, non mors, quæ inde accidit, quæ vtiliter conſtituta eſt, ſed animus ac propoſitum non iuſtè bello vtentium, cuius non eſt auctor, qui res noſtras procurat.

Rurſus eſt aliud genus eorum, quæ Manichæus dementiſſimus accuſat, terræmotum dico, peſtem, famem ex ſterilitate, ex locuſtis, & aliis huiusmodi, tanquam à principio contrario hæc proficiſcantur. ſciunt verò omnes, ſolere plerumq; omnes homines, paucis exceptis, in rebus lætis, & proſperis laxare mentes, & affectionibus ſuccumbere, nullamq; virtutis, & laborum pietatis memoriam habere, atq; hoc quidem quodammodo conſentaneè accidit. poſtquam enim ſatietas ciborum & potionum immoderata propter magnam vbertatem hominibus incidit, ventre pinguiore facto, craſſitudo mentis & remiſſio cogitationis accedit. anima autem grauata ſubiicitur affectibus à ratione alienis. ſi qua verò calamitas ex iis, quas numerauimus, accidat, minus curant ventrem homines, minusq; voluptatibus inſeruiunt; temperantiam autem, & pietatem pro virili conſectantur, & quoad fieri pòteſt, meliores mores induunt preſſi magis, quam ſecundis rebus lætificati. Quæ igitur nequitiæ attribuemus opinione

Digitized by Google

Manichæi? illáne, quæ ſenſui quidem acerba ſunt, effectu verò valde vtilia? Qui rurſus bono? iucundane, quæ quandoq; nocentiſſima ſunt? ſæpe enim, quos proſperitas ad meliorem frugem non mutauit, luctus, & calamitas conuerterunt. indigent enim homines quandoq; huiuſmodi admonitionibus ad excitandam mentem, & vt à multa mollitudine liberentur.

Si enim videremus ſecundis rebus florentes, à magnis ſaltem iniuriis abſtinere, & parua maleficia committere, poſſet aliquis cum ratione in hæc inuehi, tanquam contra rationem acciderent: ſin verò abundare ſemper neceſſariis, obliuionem ſummam largitoris affert iſtis; neceſſe eſt, vt aliquando calamitatibus memoria Dei excitetur; cui oportebat ſine intermiſſione gratias agere pro noſtrarum rerum prouidentia, & procuratione. Vnde admonens Deus homines, talia diſpenſat, ac gubernat, non perturbationi iræ inſeruiens, ſed curam amplectens eos conuertendi, quos opus eſt conuertere. nec enim excellentiſſimæ, & perfectæ ergà homines charitatis eſſet humanas ægritudines præ lenitate extenuare, & incrementum eis permittere non increpando. Quin potius contra, ad inhumanitatem hoc ſpectaret, ſi cum vellet non recedere ab ea lenitate, quæ ſpeciem tantum habet, inſidioſè permitteret in diſſolutionem nequitiæ omninò homines decidere. Dico autem lenia præbere ratione, & ea, quæ acerba putantur, neceſſario infligere. nec enim pater cum filium delinquentem verberat, inhumanus eſt. contra potius ſi hunc ad conuerſionem non traduceret, paternam prouidentiam, ac miſericordiam habere non videretur. nec enim medicus cum ſecat, & vrit vlcus ſerpens, inhumanus eſt. immò quanto magis rationem artis adhibet, tanto magis, vt ægrotum ſanet, dolorem ex ſeuerioribus remediis inducit; tanquam interiturus ſit æger ab vlceribus, niſi hoc modo auxilietur ei; ſanandus verò, ſectione, & vſtione adhibitis.

Quamobrem, vt hoc exemplum docet, homines potius quàm Deus ſunt, qui aſpera, & acerba ſibi inferunt, qui vſum, & opportunitates temporis propoſito proprio per affectus ſuos præparant. ſicut enim medicus non facit, vt opus ſit vrere, & tempus vrendi, ſed vlcus & medicum adducit, & vſtionem vocat; ſic humanæ affectiones Deum accerſunt ad ea adhibenda, quæ ad curationem pertinent: qui minime patitur, quin hominibus ſem-

per

per tanquam operi ſuo prouida cura proſpiciat. commiſit enim hominibus vt haberent liberam electionem virtutis, ac probitatis. quod tamen in nobis eſt infirmum ad affectiones, fulcit, ac firmat per ea, quæ interdum ad admonendum, & increpandum manifeſto adhibet. neque perpetuo, quæ auſteriora, & acerbiora ſunt, inducens, vt neceſſitate, & vi mœroris libertatem non excludat; neque rurſus relinquens nobis appetitum ſegnitie omninò ſolutum, ne anticipationes affectionum ſine curatione dimittat. vtrumque ſapientia ineffabili ad vtilitatem hominum diſpenſat, & moderatur, qui vniuſcuiuſque tempus opportunum nouit.

Statim vt videris terræmotum, aut ſiccitatem, aut incurſionem locuſtarum, ſimul ſane omnes fere homines videas ad metum flexos; & ad ſupplicandum ei, qui poteſt hæc depellere. ſi autem ea, quæ videri ſolent iocunda, & placida, humanam rationem laxam, ac remiſſam reddunt, moleſta verò & acerba excitant, & ad ſtatum magis pium conuertunt; an non dicat aliquis illa quidem pro corporibus, hæc verò pro animis à Deo gubernari? num igitur quæ animas ad pietatem, & virtutem commouent, appellanda ſunt mala? etſi enim ſenſui ſufferentium moleſta ſunt, & triſtia, ad ſalutem tamen hominum neceſſariò infliguntur.

Manichæus verò demens ſemper ſe ſecum pugnare ignorat. etenim ſi accretio materiæ nocet, quis non ſentiat, contra quàm dicit, accidere? augebitur enim hæc contra homines, qui ſemper in rebus lætis, & ſecundis ſunt, & delitiis indulgent, & ventri, & voluptatibus infra ventrem deſeruiunt. minuetur verò vehementer fame, peſte, morte, quæ non permittunt proficere eam ad iniuſtitiam accretionis. Quamobrem conſentaneum erat, vt hæc potius vocaret bona, conuenienter ſuo fundamento, & principio, quàm mala. ſic enim meliorem rationem videretur aſſecutus, quàm ſi rurſus ratione referens iocunda ad alia contraria principia, rurſus mala vocaſſet. vtraque enim ſunt bona ratione à Deo data. At ille gaudens peccato ad conſtituendam & conflandam nequitiam, per ſe, vt opinatur, conſiſtentem, dolorem capit ex monitionibus Dei efficacibus, quibus meliores facti homines, & ſæpenume-

numerò aliqui perfectè ad virtutem traducti, dogma eius falſum eſſe declarant.

Ad hæc omnia, ſi non accideret aliquando, vt quæ Deus communiter omnibus hominibus donat, & largitur, prohiberentur, largitionem eorum, ac ſuppeditationem ad vim alicuius naturæ immutabilis homines retuliſſent, neq; cum acciperent, gratias largienti egiſſent, neq; habentes, vnquam petiſſent.

Priuantur igitur interdum ad breue tempus, vt petant, & rurſus accipiunt, vt gratias agant ei, qui dat; agnoſcentes ipſum eſſe, qui præbet, & non alia quæpiam natura ſuppeditans præter Deum, expers iudicij, & immutabilis. vult autem Deus, vt ei gratias habeant homines, quo digniores fiant, vt dona eius accipiant, non vt ipſe fructum aliquem ſibi metat. vult autem eos bona petere, vt accipientes ea, cum ſentiant, qui ſuppeditat, qui lætatur dandis ſuis. ſed magis lætatur, cum dat dignis. tanquam benignitas ergà homines quodammodo inhonorata ſit, niſi gratis & beneuolis hominibus exhibeatur, quæ valde rationi conſentanea tunc apparet, cum ij, qui bona accipiunt, omnibus bonis largientem præponunt.

Iulianum Apoſtatam dicit.

Et ſi ciuitates concidant exorta impietate, ſicut nuper contigit, cum ille impiiſſimus dominaretur, & errorem idololatriæ recoleret, ac renouaret, peccatum interimitur, & error in Deum minuitur. nihil vero amplius accidit, quàm mors ſecundum naturam, & quod fit ad diuinam conuerſionem, nequaquam malum eſt, ſed contra potius bonum eſt, tanquam ſpeciem medicinæ habens. malum verò tantum eſt, vtilem Dei gubernationem improbare. Qui enim procreationem liberorum reprehendit tanquam augentem materiam, cum mortem vniuerſam improbet, an humanam mentem habere videtur? valde ſibi ipſi repugnantia cogitatione fingens? At neque procreatio mala eſt, quæ facit, vt genus mortale ſemper viuat, & adiungit ad fabricam mundi eos, qui procreantur. neq; mors quamuis vniuerſe interatur, mala eſt; nec à Deo conſtituta, vt homines iacturam, & damnum faciant, ſed ad vtilitatem ſummam iuſtis & iniuſtis decreta eſt.

ἀθάνατον ἄτροον. Si enim mala eſt procreatio, malum erat Manichæi natū eſſe quo nihil ſibi repugnantius dicere poterat; ipſe n. pu-

Quod autem vnicuiq; priuatim accidit naturaliter, hoc ſi multis confertà adueniat, naturaliter quidem contingit, nihilq; amplius eſt, quam quod ſingulis contingit, ſed tanto maiorem curam gubernantis, quam illud, quod priuatim accidit, ſignificat, quanto in illo priuato minus indicij eſt iudicij diuini in delinquentes. hoc autem

general-

generalius propter ſpeciem, quàm habet diuinæ iræ, morientes quidem beneficio afficit, ſicut ante explicatum eſt, viuentes verò conuertit. Siquis verò obiiciat, quamuis multa huiuſmodi ſæpenumero fiant, nihilominus tamen humanam vitam eiſdem maleficiis implicatam eſſe, ſimiliter hic quidem iudicio meo facit; vt ſi quis piſces in lacu, aut mari videns, exiſtimet artem piſcandi otioſam, & inutilem eſſe, quia piſces captos non videt, natantes in aquis videt. aut perinde eſt, vt ſi quis multos ægrotos cernens, curationem medici nihil eſſe arbitretur.

tabas ſe verum dogma tradere. Docere autē veritatem vt putabat, quid dicat malum eſſe?

Cum enim multi proficiant ad pietatem, & virtutem illis pertimeſcendis, quæ Deus aliquando ſua gubernatione operatur; qui criminandi ſtudio tenetur quòd profectum eſt, negat, & quòd multi in peccato perſeuerantes, contendunt, exprobrat.

Atqui neq; nos dicimus habere talia vim cogendi multos, ſed dehortandi à peccato gratos, & beneuolos, quæ ad breue tempus inuecta, celeriter quieſcunt, ne magis vim afferant, quàm ſuaſione mutant. rurſus verò, quæ erant in conſuetudine, exercentur, in quibus animus, & voluntas eorum, qui mutati ſunt, ſpectatur, & exploratur, vt ij ſola memoria exemplorum infirmitatem ſuam fulciant, & ſtabiliant, qui ſunt grati, & æqui. Immò verò potius dicendum eſt, ſi cum talia contingant, pauci quidam, & valde rari ſunt, qui vitam mutant, an non multò plus ad nequitiam cogitatio hominum profeciſſet, ſi per hæc, quæ accidunt, non fieret à peccatis auocatio?

Quòd ſi nullus hinc vtilitatem caperet, quod quidem fatuum eſt dicere, præſtaret reprehendere homines, qui nec hoc quidem modo iuuati volunt, quàm culpam negligentiæ in Deum transferre, quaſi non amplius ſtudio conuertendi vtentem. qua ratione vtendum eſt in eos, qui nullum ſenſum talium capiunt. eſt autem compertum iis, qui ſunt grati & æqui, non ſolum aliquos ad perfectam mutationem in melius capiendam metum impellere, ſed aliis etiam appetitum, & audaciam ad iniuſtitiam occulte imminuere.

Veniamus deinceps ad rationem creationis, quam iſte planus calumniatur. ac primum de tenebris, & nocte inquiramus, quod potiſſimum iſte mente cœcatus vituperat. tenebras enim quæ in nocte apparent, illarum tenebrarum, quas Manichæus cogitat eſſe quaſi per ſe ſint, intelligit eſſe indicium, eius ſcilicet, quòd non eſt, nihil penitus videns, nec intelligens, ſed ad inſtar cœci hominis in res ipſas offen-

dens, & incurrens vocatq; tenebras, & veluti horret, vt non opus habeat diſputatione, vt falſitas doctrinæ eius argumentatione concludatur, vt qui nomen rei è ſeipſa vituperatæ vſurpet. Dicendum ergò eſt, vocari quidem has tenebras, non tamē ſecundum ſubſtantiam exiſtere. adueniunt enim, & recedunt quotidiè, ſuntq; conſequentes in modum vmbræ. non ſunt enim creatæ per ſe, vt ſubſtantia, nequaquam mundo autem creato, eſt vmbra. naſcitur enim homo, qui per ſe eſt, ſequitur autem cum vmbra ſecundum molem corporis, & neutiquam cum eo ipſo fabricata eſt, ſed aduenit vt ſitum, & locatum eſt corpus, & vt eſt luminis circuitus, & conuerſio. ſiquidem nox, & tenebræ, cum ſit mundus corporeus, ſolummodo ſunt conſequentes, non autem ſunt fabricatæ in modum ſubſtantiæ creatæ.

Cum enim ſol diurnum curſum abſoluit, & vertitur ad receſſus proprios, neceſſe eſt ea, quæ ſunt intra mundum, omnia inumbrari, cum ſit extra, quod illuminat, ſic Deo volente, cauſſas. Cur ita voluerit paulo pòſt, pro viribus dicemus. Illud ſtatim dicendum eſt, quæ habent molem corpoream interdiu in contrariam partem luminis poſiti vmbras iacere. & transfert ſimul cū lumine in contrarium vmbra. & vbi eſt vſq; ad meridiem ſol, ibi eſt poſt meridiem vmbra. vbi autem vmbra poſt meridiem, ſol eſt poſt hunc. vmbra verò diurna vmbra eſt, & non omnino tenebræ. quia quod continet cum ſit vndiq; apertum, locis etiam, quę vmbram habēt, prębet luminis participationem. itaq; ſi domum quampiam ex omni parte bene claudas, & neq; vel auguſtus aditus lumini relinquatur, noctem efficies etiam in meridie. hoc autem fit in nocte ſole loca ſua ambiente, & circumeunte. Vnde nox eſt priuatio luminis. poteſt autē hoc, quod fit, clarius percipi, ſi quis conſiderat, alicubi eſſe & manere noctu ſolem, interdiu verò nuſquam eſſe tenebras, ſed penitus diſſolui, & tolli. Quare ſubſtantia luminis facta eſt, non autem tenebrarum.

Conſiderandum verò eſt, quam ſit neceſſaria nox. primum, eſt cōmunis requies omnibus. ſomnus enim diurn⁹ magis neceſſitatem noctis declarat, cuius quidem tempus tam longum non ſufficit hominibus, vt à ſenſibus requieſcant. & diurnum ſomnum capere non æqualiter omnibus licet: in nocte verò communis eſt omnibus & æqualis menſura ad requieſcendum, nullā inæqualitatem habens ad auaritias vitę, & plus habendi cupiditates. quod quidem non minus ęqualitatem creatoris teſtatur, tanquam vni generi hominum æqualiter proſpicientis. Deinde, ſi ſemper eſſet dies, & ſpatio Dei non ſucce-

deret

deret nox, non poſſemus metiri tempus non diuiſum in partes. Diuiſio autem diurni temporis facit, vt liceat tempus per has particulas numerare. niſi autem tempus diſcerneretur, in multis rebus non poſſet hominibus ratio vitæ iniri, & conſtare; & quod maius eſt, non eſſet voluptas luminis fruendi, ſi non eſſent tenebræ nocturnæ in proximo eo modo, quem diximus: lumen enim corporeum continuum neq; quod lumen eſſet, cognoſceretur. lumen enim dicitur, & eſt, vt à tenebris diſtinguatur. non igitur eſſet, vt eſſe apparet admiratione dignum à Deo creatum, niſi comparatio eius, quod videntur contrarium, illud oſtenderet.

Quamobrem oportet gratias agere Deo ſapientiſſimo creatori, cum propter alia multa, tum maximè quia fecit, vt lumen ſentiremus, & eo frueremur, quod quidem eſſe nō aliter diſcernere potuiſſemus.

Eſt autem obſtupenda ineffabilis Dei ſapientia, quod cum tot, & adhuc plures neceſſarię hominibus & opportunæ vtilitates ex tenebris exiſtant, tamen quia erat nomen, & res tenebrarum, non fecit eas ſecundum ſubſtantiam, ſed fecit, vt venirent, & recederent; vt quaſi eſſent, eas, quę diximus, & adhuc plura commoda præberent: & quaſi non eſſent, minimè mundi fabricator accuſaretur. extra culpam igitur & querelā eſt nox, quin potius, vſu eſt omnibus modis mirabilis.

Sed aiunt, latronem noctu latrocinari. ſed quid hoc contra noctem? ſi enim non contingeret de die latrocinari eos, qui latrocinari volunt, oporteret temp⁹ nocturnum accuſare. Sed quia latro opportunitatem furti expectat, ſiue die, ſiue nocte incidat, animus maleficium facientis, non tempus eſt crimini dandum. verumtamē ſi maleficus nocti pareret, dormiret ſane, hoc enim ſolum nox iubet. πρόθεσις.

Præterea conſiderandum eſt, ſimiliter inter ſe contraria videri lumen, & tenebras, veritatemq; & mendacium: quod enim eſt lumen corpori, hoc eſt veritas animæ; & quod tenebræ oculis, hoc ignorantia, & mendacium menti. homo enim nihil aliud eſt quam anima, & corpus. vtrique parti ſuppeditat Deus, corpori lumen: per corpus. n. lumine corporeo fruitur; per animam verò veritate ſpirituali.

Sicut autem non ſunt tenebræ ſecundum ſubſtantiam, ſolum autem eas aduenire permiſſum eſt, ſicut oſtenſum eſt, ſic etiam mendacium non manet ab aliqua ſubſtantia per ſe exiſtente, quā ille principiū ingenitū vocat, neq; eſt ſubſtantia quæpiā per ſe exiſtens, ac viuens. Sed ſola cogitatione eſſe, conceſſū eſt, & aduenire, atq; recedere

ſimiliter vt tenebras, idq; valde vtiliter, & neceſſario. niſi enim cogitatio mendacij eſſe poſſet permiſſu Dei, veritatis optio non eſſet in hominib⁹. ſpectata, & probata, fruſtra nominaretur, niſi permiſſum eſſet, eſſe mendacium cogitatione. nemo enim eſſet amicus veritatis, niſi poteſtatem haberet cogitandi mendacium. non dico eſſe mendacium adiunctum veritati, ſed quod optio veritatis non videretur eſſe, niſi poteſtas mentiẽdi adiaceret. quòd quidem veracibus ꝓdeſt, non veritati. oportet enim eum, qui verax eſt, vt penes eũ ſit mentiri, à quo cũ abſtinet, verax eſt. Poſſe ergò mentiri affert hominib⁹, vt veritatem mendacio anteponant. Sicut poſitæ tenebræ, ſenſum luminis mouent, & excitant; tamen ſicut lumen in tenebris lucet (diſſoluit enim eas adueniens, quippe cum non ſint ſecundum ſubſtantiam) ſic veritas vincens mendacium, omninò conuincit, quod non eſt, cogitatione eſſe propter poteſtatem cogitationis, id eſt, quia cogitari poteſt. quomodo enim poteſt quis veritatem eligere, ſi ſuſcipere mendacium non eſt penes ipſum?

Senſu. n. percipimus lumẽ abeſſe.

Si igitur oſtendi poſſet eſſe tenebras ſecundum ſubſtantiam, & non aduenire, & recedere, ſicut dictum eſt, poni etiam poſſet falſa, & mendoſa ſubſtantia. Sin verò, nec ille, nec alius oſtendere poteſt non diſſolui has tenebras, quæ ad inſtar vmbræ fiunt, vt lumen quidem noctu exiſtat, tenebræ verò interdiu non ſint; liquet neq; mendacium, quod cum tenebris ſimilitudinẽ habet, per ſe exiſtere inſtar ſubſtantiæ, ſed neceſſario permitti, vt cogitatione tantum ſit, idq; ad electionem veritatis.

Quia verò lumen ſecundum ſubſtantiam per ſe extitit, plane exiſtimare licet eſſe veritatem per ſe ſecundum ſubſtantiam, vt ſimilitudinis ac proportionis ratio limatè, & perfecte ſeruetur; ecquid prohibet, quin Deum ipſam perſeueritatem eſſe exiſtimemus, & reputemus? Si enim Deus eſt lumen, lumen autem intelligibile, non aſpectabile, lumen ſcilicet ſicut veritas, lumen enim ſpirituale, nihil aliud eſt, quàm lumen veritatis, Deus tamen cum lumen, & ipſa per ſe veritas ſit, à mendacio abſtinet, non quia deficit ei poteſtas, ſed quia non vult vnquam mentiri. Si autem non poteſt, non enim abſurdum eſt, ſic loqui, ideo non poteſt, quia nunquam vult.

ἀδυναμία.

Quibus enim velle & non velle diuerſè accidit, recte & rationi conuenienter his attribuitur, poſſe; Deo autem quoniam nunquam accidit velle, confitendum eſt non poſſe eum mentiri, ſic tamen, quia ſcilicet non poteſt velle; non autem quia non poteſt ad inſtar eius,

cui

Digitized by Google

cui eſt infirmitas,& deficit poteſtas. creaturam enim impediri,& cōſtringi natura,lumen,inquam,corporeum non habere penes ſe, vt ſit lumen,ſed penes auctorem luminis eſſe,non eſt alienum à ratione ſic dicere: auctorem verò ſubiectum eſſe neceſſitati naturę,valde abſurdum eſt cogitare,vt non videatur penes ipſum eſſe verum dicere, ſed à natura per vim cogi. cum alioqui ipſum ſolum ſit, quod quidem eſt. iis tamen, quæ creauit, impoſuit, vt natura & neceſſitate eſſent, quod ſunt. Deo tamē nemo impoſuit,vt neceſſitate naturę eſſet veritas. Supra naturam igitur eſt, qui naturas fabricatus eſt,ipſe autem liber eſt à neceſſitate naturę,ſic enim vere bonum eſſe confitebimur.

Igitur ex iis,quæ dicta ſunt,pateſit,per ſe mendacium non eſſe; mendacem verò eſſe eum, qui mentitur. à mentiente enim vocatur mendacium; non autem mentiens vocatur ab eo, quod non eſt. mendacium enim non poteſt eſſe antequàm cogitetur, ſimiliter tenebræ non ſunt creatæ,ſed ſubierunt,factæ vmbra vniuerſi, præterquàm quòd tenebræ nō ſolum ſubire permiſſæ ſunt, ſed valde etiam vtiliter. Cogitatio verò mendacij electionem veritatis apud homines declarat. cum verò anteponitur veritati mendacium, nocentiſſimum eſt, idq; valde conſentaneè. mendacium enim ab hominibus excogitatum eſt, tenebræ verò corporeæ à Deo poſitæ ſunt. idcirco oportet illud quidem fugere; hoc verò non vituperare, quòd neceſſariò à creatore poſitum eſt.

Vituperat autem non has ſolum iſte inauditæ contra Deum blaſphemię inuentor; ſed etiam animantes, quæ naturam ſæuam ſortitæ ſunt à creatore, more inimici, qui omnia accuſans, in creaturas Dei inuehitur. Sed blaſphemiam amentem, & vecordem iſtius deceptoris in huiuſmodi animantibus ſermo noſter redarguet.

Omnes enim feras, ac beſtias, quadrupedes, ac ſerpentes cum vituperat, perinde mihi facere videtur, vt ſiquis ſeruus deditus peccatis,& improbiſſimus,alia quidē Domini, & auctoris ſui approbet, odio autem habeat, & criminetur flagellum ſolum, quod apparet, qui ipſo quidem odio oſtendit, quàm neceſſarium ſit flagellum appoſitum. homines enim faciles, & parati ad capiendam obliuionem contra Deum,ſi nihil haberent in fabrica mundi, quod dignum eſſe metu appareret, amplius quidem procederent animo, & voluntate contra Deum,accuſati verò eſſent non rectè, vtpote nulla re earum, quæ apparent excitati. etſi enim natura ineſt nobis libertas ad eligendum quod melius eſt,tamen propter, ignauiam facile in obliuio-

nem incidimus: multa igitur ſunt, quæ neceſſario cogitationem noſtram ad Deum timore excitant. ſicut rurſus plurima, quæ hanc cogitationem per benignitatem, & bonis fruendi copiam & facultatem ad agendas gratias creatori mouent. vtriſq; enim erudimur, & inſtituimur iis, quibus tanquam bonis fruimur; & iis, quibus tanquam horribilibus & pertimeſcendis conuertimur.

Quòd igitur ſęuum eſt natura, horribile eſt, ſed non malum. malitia enim & nequitia affectio cogitationis ſunt. appetitus autem naturalis ſic factus, ab omni culpa, & crimine liberatus eſt. Deus autem miſericordia ergà homines motus, fecit, vt metu, & horrore beſtiarum ratione carentiũ, probitatem, quæ ad partẽ rationis compotẽ pertinet, conſectaremur. & nihil in huiuſmodi beſtiis, ac feris malum. quod enim non nouit, quod eſt, quomodo malũ eſt? vt iam non min⁹ ſic redarguatur, quod Manichæus tradit de nequitia, q̃ finxit, & ingenitũ principiũ vocat. non enim tribuit ei cogitationẽ, & cognitionẽ nequitiæ, ne ſi reperiatũ habere ſenſum boni, hac ratione appareat, non eſſe nequitia. cognitio enim boni teſtimoniũ eſt naturę nõ malę. Manicheus verò, cũ nequitiam ſtatuit, ratione carere, & cognitione priuatam eſſe, eam etiam priuat cognitione eius, quod ipſa eſt.

Si enim ſentiat, & cognoſcat, quod mala eſt, ſentiet omninò contrarium euadens bona. Siquidem malum ratione deprehenditur ſenſu & comparatione boni. vt ſi manifeſtum ſit malum, contrarium quoq; ſit manifeſtum. omne enim contrarium probatio, & index eſt contrarij, cognitione tamen & iudicio. Sine cognitione enim neutrũ eſt alterius iudicatio. Si igitur nequitia ſe ipſam ignorat, & cogitatione non ſuſcipit malum, nõ erit nequitia, fruſtra, & vanè accuſabitur. nequitia enim libera à ratione, ſimilis eſt phrenetico, id eſt, furioſo in febre, aut in alio caſu, qui, quod facit, neſcit, cui omnes ignoſcere cõſueuimus. ac magis quidem ad luctum flectimur, à nequitia eum liberantes; cum ſine cauſa percutit, aut etiam occidit, ſi gladium reperiat. Sic omnibus hoc manifeſtò patet: & hoc iudicium commune eſt ac naturæ conſectarium, non nominare malũ, ſi ignorat, quod facit. Si igitur neq; id, quod cognoſcit, bonum neceſſarium vocabitur, ſequitur neq; id quod ſeipſum & quid ſit, ignorat, nequitiam eſſe, quorum alterum neq; ipſe admittit: alterum verò per errorem, & contra communem exiſtimationem ſtatuit. ſic neq; fera vlla mala eſt, cum ſit rationis expers, homo verò male moratus, mal⁹ eſt, qui ratione vtens capeſſit, quæ nõ ignorat. acceſſio enim rationis ad naturam nequitiæ

crimen

crimen inducit. præparat enim ratio cognitionem actionis ſuſceptæ, quia priuatio cognitionis priuatio eſt culpæ, & criminis. Sic homo vtrumq; cognoſcens virtutem ſcilicet & vitium, ab eo, quod eligit, nominatur, antecedit enim electioni cognitio, prius autē q̄ cognoſcat, dum puer paruus eſt, à neutro extremo nominatur, id eſt, neq; bonus, neq; malus dicitur. Quamobrem ex omni parte liquet, virtutem & vitium rationi, & poſt rationem electioni attribui. beſtiæ igitur, quæ non ſunt rationis participes, non ſunt nequam, nec à nequitia productæ. quia ſi illa ita ſe habeat, non eſt nequitia.

Præterea videre licet ſæpenumero, quod eſt in ſerpentibus nocentiſſimum: venenum dico à medicis abſolutiſſimis ad medicinam adhiberi. & miſta cum iis, quæ poſſunt auxiliari, grauiſſimos morbos interdum depellere: & ex ipſis carnibus, aliis generibus, & herbis admiſtis optimum remedium corporibus confici. Similiter in aliis beſtiis. quædam enim partes, & membra, & ſanguis, ſola, ac per ſe ægrotantibus conducunt. Quomodo igitur ſunt ex nequitia, quæ ex parte ſunt vtilia, & iuuant? Hæc igitur omnia ducenda ſunt vtilia propter homines tantum; non autem appellanda ſunt bona, neq; mala, quæ hominibus tantum neceſſariò metum iniiciunt, vt ad melius inſtitutum ſe conuertant, & otium beſtiarum, atq; vocatio earum à vocando, apud homines otium, & inertiam prohibet. ſunt enim poſita ipſa inſtar flagelli apparentis in domo, vt metuant famuli, ac miniſtri, ſi quis eorum ſe dedat otio, aut ſi quis domi delinquat. Si verò contingit videre has, quas diximus, beſtias nihil nocere improbis, admiremur in Domino tolerantiam malorum. nihilominus tamen conſiderare oportet flagellum propoſitum. contra verò ſi boni incidunt in has feras, aduertendum eſt, quod Dominus bono delinquenti proſpicit, & cauet, non autem ei qui valde deſperatus eſt. ille enim peccat, quæ curari poſſunt; hic verò reſeruatur ad ſupplicium, quod euadi non poteſt. huiuſmodi enim exempla permulta in diuinis ſcripturis videre ac legere licet. magna itaque cura eſt Deo de homine, quamobrem omnibus modis propoſuit, quæ eum ad timorem mouerent, & excitarent, vt neque ſomnus illi à creberrima moleſtia liber eſſet, quin hic etiam à quibusdam feris, & ſerpentibus impeditus, cogitationem inſtar ſtimuli pungeret. ac multa quidem ſunt, quæ humanam infirmitatē iuuant. vt ergò homo recordetur Dei, eiusq; memoriam habeat, mirificè per ea, quæ corpore patitur, à morbis animæ liberatur. & per ea, quæ pati poſſet, quamuis nō patiatur, ad timorem

ἀπομάχιον

φαῦλοι

con-

conuertitur. Incidit quoq; homo neceſſario in morbos corporis, vt peccatum, grauiſſimum morbum & qui ſolus vere morbus eſt, effugiat. cui enim non dolet, intemperans eſt: & qui peccat impune, funditus perit.

Si enim tam multis, ac tantis ad timendum propoſitis, ex magna parte homines, ex vacuitate timoris ægrotant, quomodo conuictum, & ſocietatem inter ſe habere potuiſſent, ſi nullus eis metus ante oculos impenderet? mollit igitur duriorem mentem morbus. & ſæpenumero naufragium mercatores periuriis aſſuetos mutauit, & rurſus inopia opibus elatum depreſſit. orbitas filiorum correxit auaritiæ propter liberos deditum.

Quòd ſi non correxit, exemplum ſaltem ſentientibus præbuit. ac liberi quidem nullam prorſus iacturam aut damnum fecerunt, quin immò beneficium acceperunt ab inſtitutione malorum parentum liberati. auaritia autem refellitur.

Rurſus alij cum parentes alioqui probos habeant, moriuntur, aut quia futuri erant indigni genitoribus ſuis, ne bonorum malæ columnæ extent. aut ſi probi quidem ſunt, euaſuri tamen praui mutatione morum, ſi creſcerent; beneficio afficiuntur, non permanentes in malum ſuum, omnia Deo prouidentia, & præcognitione ſua gubernante. Admodum itaq; neceſſarij ſunt metus, & variæ, atq; infinitæ ſunt cauſæ eorum, quæ Deus diſpenſat, ac prouidet; & ſæpe ſæpius eadem propter varias cauſas eueniunt. ille ægrotat propter peccata, vt conuertatur: alius propter virtutem, vt magis adhuc exerceatur. in teſtimonium item alius propter nimium peccatum, vt arguatur. & eiuſdem caſus variæ etiam cauſæ. ille amittit opes malè eis vſus, Deo ſic illi proſpiciente, ac præcauente. alius vt ad virtutem per inopiam ſe exerceat. alius ſponte ſua graue pondus diuitiarum abiicit, ne ſint ei impedimento ad virtutem. neque facile quiſpiam perſpicere poteſt abſolutam rationem earum rerum, quas Deus gubernat, vt hominibus conſulat. pauca verò quæ comprehenſa ſunt fidem faciunt eorum, quæ non ſunt. Quædam enim ipſe declarat hominibus, vt quodammodo ex iis, quæ ſentiunt, aſcendere poſſint ad eum. alia verò plurima, obſcuritate contegit, ne contra ſe fiat magiſter non credendi. nec enim decebat omnium, quæ ſigillatim fiunt, demonſtrationes à Deo poſcere: ſiquidem huiuſmodi cognitio difficilior, & peior eſt quàm ignorantia. hac enim ratione ſuadetur menti, quod addiſcat. alioqui nihil eorum, quæ Deus gubernat, ad iuſtam guberna-

berna-

bernationem referret. melior autem eſt in Deum fides, & charitas, & quamuis mens non perſpiciat, quæ fiunt, confidat tamen rectè gubernanti. ſiquidem in omnibus rebus adduci argumentis, & probationibus, potius eſſet perfidia, quàm fides.

Immò plerique in veros, & germanos amicos non inquirunt curioſe, legitimam, ac germanam amicitiam hoc ipſo reddentes, quòd cum amicis ſine curioſitate verſantur. tanquam facilè accuſationem perfidiæ incurrentes, ſi nunquam poſt periculum factum ipſis confidant. ſic etiam Deus cum maximè velit, vt ſimus erga ipſum bene animati, non omnem prouidentiæ ſuæ vim & efficientiam declarat. vult enim, vt ei credamus. neque rurſus omnem nos cęlat, ſed quibuſdam exemplis quodammodo mentem noſtram ſuſtentat.

Qui igitur animo grato, & pio ſunt, ſimul ſentiunt, & memoriam ſemper conſeruant inſtar terræ bonæ ſatæ, floreſcentes in ſtudio virtutum.

Qui verò mentem habent magna grauitate conſuetudinis peccatorum obrutam & oppletam, aut anticipatione aliarum contra Deum fictarum cogitationum, quales Manichæus deprompſit, & quales apud alios reperiuntur. pulſatur quidem eorum mens, ſed repellunt ſenſum exemplorum, & vtilitatem.

Atque hæc quidem adiecta ſint generatim de prouidentia Dei vniuerſorum. erat autem nobis quæſtio de omnibus feris, demonſtratumque eſt rationibus ex natura ductis neque malas eſſe, nec ex vllo malo principio profectas, vtiles verò eſſe hominibus ad incutiendum metum. Si enim, quæ in mundo facta ſunt, ſuauia eſſent, & hilaritatis plena, nihilque omninò eſſet, quod vel ſenſim perterrefaceret, graue, & durum viſum eſſet hominibus inſtrui ad non timendum.

Habent autem hæc etiam varietatis ornatum, & decorem cum terrore miſtum. præter hæc etiam continuo ſunt alia animalia, quæ nec idonea ſunt ad alendum homines, neque poſſunt prębere eis veſtitum; neque rurſus ferina ſunt, & fera, ſed ſolùm varietatem mundi ſupplent. manifeſtumque eſt omnia animalia manſueta, & non manſueta, & quæ ſunt interiecta, vnius creatione, & voluntate permanere, nec à ſeipſis viciſſim interire, variis modis excellenter munita. alia enim prædita ſunt iniucto robore, alia vero infirmiora, velocitate naturali ſe tuentur; alia aliter armata ſunt. & quæ videntur armis carere, alia quędam forma munitionis tuta ſunt. aut enim naturam volucrum ſortita ſunt, aut ſub terra latent. ſic fabricator mundi orna-

Digitized by Google

tum confecit varietate. & redigens ad æqualitatem, quæ ſunt diuerſa, omnibus diſtribuit tuitionem ſui, vt nullum genus horum imbecillitate naturæ proditum, pereat. ad commutationes temporum induuntur tegumentis ſuapte natura ortis, & pilis denſis, ac duris coriis, quæ hieme, & in æſtu ad propulſandum incommodum idonea ſunt, & quæ faciunt, vt facilius recubent, & requieſcant, vt videatur ſuapte vi, & natura ſuppoſita eis ſtragula. ac partim quidem parum fœcunda ſunt, aut tanquam difficilia ad capiendum, aut tanquam diuturnæ vitæ. alia verò, quæ facile capiuntur, & ad vſcendum quotidiè tradita ſunt, fœcunditate ſua durant, & ſeruantur.

Alimenta verò aliud animal alia habet, atque omnibus abunde appoſita ſunt, ita vt nulla herba ex iis etiam, quæ mortiferæ videntur eſſe, natura ſit mortifera. quod enim alteri generi nocet, alteri prodeſt. Salutare autem & peſtiferum ſimul natura quomodo hoc eſſe poteſt? differentia autem his vtentium varietatem, quæ in his ineſt, requirit, vt in animantibus ratione carentibus veſtigium quoddam appareat rationis, legis ſcil. eius, qui ea creauit. nihil enim horum ignorat, quod ſibi cognatũ eſt. neq; propter naturam ferinam, & rationis expertem, quod peſtiferum ſibi eſt tanquam aptum ad nutriendum adhibet. Quin potius vnũquodq; quod ſibi commodum eſt, appetit, & proſequitur. Si enim oĩs herba, & radix omnibus eſſet accommodata, & congruens, minus pateſieret, quod lex creatoris etiam in animantibus ratione carentibus viget, & dominatur.

At verò eſſe hoc quibusdam nocens, aliis autem id ipſum ſalutare, clarius ſapientiam Dei in omnibus prædicat. qua factum eſt, vt eſſet in animantibus ratione carentibus vis quædam naturæ, qua ea, quæ appoſita ſunt, diſcernerent. Quæ ſi naturaliter in ſingulis non ineſſet, meritò, ac rectè ea, quæ nocent, accuſarentur tanquam à nequitia edita, & orta.

Sin vero in animalibus naturalis quædam vis diſcernendi, iudicium præoccupauit, & vnumquodq; ſibi conueniens eligit, omnis videlicet herba, & radix vtilis eſt, etſi non omnibus. varia autem ſunt variè appoſita.

Hoc igitur modo Manichæi, qui omnia criminari ſtuduit, refellenda, & euertenda eſt accuſatio herbarum peſtilentium. Sic enim & contra ferrum, & contra ignem mentitur, faciens in his contra quam vult. Qui enim accuſat materiam, quam eſſe inaniter fingit, rurſus

rurſus apparet tanquam defenſor, & patronus eius eis ſuccenſens tanquam malis, qui materiam conſumunt. ferrum autem, & ignis ſeminata ſunt in terra ab ipſo mundi auctore, inuenta verò ſunt ratione ab homine, id Deo concedente. Sine his autem penitus manca eſſet vita hominum.

Etenim ſi iudicauit Manichæus nocentia eſſe, quia conſumunt & interimunt corpora ferro & igni obiecta, quanto magis apparebunt vtilia & ſalutaria propter vſum ſuum ad omnia neceſſarium. Si verò abdita ſunt, & latentia in fabricá mundi, hæc autem à principio ratio hominis adinuenit, cui aſſignabimus rationem hominis horum inuentricem, an nequitiæ, & materię quæ cognitionem non habet, vt Manichæus eſt auctor, an Deo? At perſpicuum eſt ſapientiam rationis & bonum eſſe, & murius boni. In quem ſuapte vi inſiluit vnquam ferrum? quod vſui rationis tantum ſubiectum eſt, & omni arti ſeruit, ac miniſtrat.

At occidit homo ferro, inquit Manichæus. & ad inſtrumentum accedit malum artificium vtentis. Quaſi non eſſet viſum ferrum malum, niſi homo hoc modo ferro vteretur. Si enim vellet ſicarius occidere, & ab ictu aberraret, an non liquet, animo quidem rem perpetraſſe, ferrum verò extra culpam eſſe? ſic quamuis ferro homicidium fiat, non eſt in crimine, & culpa ferrum, ſed qui non ſecundum rationem vſus eſt ferro ad ſecandum. ſi autem ligno percutiat, aut cuſpide feriat, aut propriis manibus ſtranguler, rurſus hæc Manichæus appellabit mala. & omnia apud eum crimini potius dabuntur, quam cogitatio voluntaria.

Omnia enim, quæ dicta ſunt cum ferro, neq; bona, neq; malá ſunt. trahunt enim, quo qui vtit, velit, quę verò ſunt poſita inſtar inſtrumentorum, & deſeruiunt vtenti. quæ ſi homini non eſſent tradita, nec artificia ſic peragerer, nec vtilitates ex artificiis copioſas haberet; & quod plus eſt, minime ad virtutem exercitatio adhiberetur. non habendo enim appoſita inſtrumenta, quæ ad actionem virtutis, vel vitij accommodari poſſent, non haberet poteſtatem virtutem vitio præponendi, vt maximam iacturam feciſſe videretur; & à maxima laude excidiſſe, ſi propterea videretur non admiitere turpe factũ, quia non habuit copiam eorum, quibus perficeret quod.n. omnino non agit, otioſum eſt, & inglorium.

Sed vide, inquiet, quod ex inſtrumentis prouenit, magis neceſſarium accidit. mors enim non eſt inuenta ab interfectore, ſed à

Digitized by Google

creatore ſancita eſt. & ſi quis ſtudeat ferrũ, & lignum, & lapidem, ignem, & aquam, & alia eiusmodi tamquam malefica accuſare, relicto principio inſtrumentorum, reprehendat, & accuſet id, quod ex inſtrumentis prouenit, mortem dico, probetque non eſſe hanc à Deo decretam, & conſtitutam ſecundum rationem. atq; ita poſtremo appellet mala, quæ male adiuuant mortem. Sed ſi nemo poteſt probare mortem eſſe malam, ſed contra potius, vt copioſe probatum eſt, vtilem eſſe, an non ſuperuacaneum eſt accuſare tanquam natura ſint mala ea, ex quibus mors accidit? quę neq; ſciunt, ad quę ſint adhibenda ab altero, cui tradita ſunt, & ab omni culpa, & crimine ſunt libera? cum oporteret hominem ſolum accuſare, qui ea inſtrumenta tunc mouet, cum non licet, neq; conuenit.

Sic enim verè concluſum, & confectum eſt, nihil in fabrica mundi eſſe malum. ſolam rationem humanam, quæ neceſſario poteſtatem accipit, aliquando quidem peccare; peccantem verò ob id ſolum reprehendi, quia quod deterius erat, præpoſuit meliori: neq; contra naturam poſſe aliquid nouare, nec eſſe penes eum, vt quæ ſupra ſunt, ſint infra, ſed ſolum facere ea, quæ ſecundum naturam ſunt, quamuis accuſetur facere præter rationem.

Sicut cędes mortem ſecundum naturam operatur nihil amplius faciens, quam quod eſt ſecundum naturam, pręterquam quod coarguit eum qui fecit. rurſus adulterium, & alia eiusmodi ob eam tantum cauſam accuſantur, quia ſunt auerſa à ratione. Contra naturam verò à creatore conſtitutam nihil penitus poteſt aliquid noui moliri, quippe cum lex eius, qui naturam fabricatus eſt, ſit, & maneat immutabilis. in ipſis verò, quæ naturalia ſunt, peccata verſantur nullam nouitatem introducentia, ſolum arguunt, & conuincunt facientem ſponte peccare, vt qui non poſſit aliter ex virtute degere, niſi penes eum ſit contrarium agere, quod quidem volens, & libens declinat, vt virtutem comparet. eſt igitur ſummæ ſtultitiæ, & inſipientiæ ferrum, aut lignum aut alia eiusmodi in crimen vocare, & non eum, qui his præter rationem vtitur.

Si quis verò quærat, quare occiditur homo? rurſus dicendum erit, quod ſæpius dictum eſt, quare igitur homo deniq; moritur? quod quidem ſi malum eſſe oſtendatur, recte culpa in eum, qui conſtituit, redundat. Sin verò non eſt mala, permiſſio tantum eius, qui res noſtras procurat, inquirenda eſt, quare homo in hoc genus mortis incidit, quæ non eſt ſecundum naturam mala. & continuo reperie-

Digitized by Google

perietur, ex multis, ac variis cauſis accidere, quas enumerare curioſum fuerit.

Idem enim iuſto, & iniuſto diuerſis cauſis accidit. non vt iuſto ſit damno; nec iniuſto, vt ſit ſupplicio, & vindictæ, (non enim quod ſecundum naturam eſt, ſupplicium fuerit) ſed vt ſit exemplo aliis. vel ad prohibenda mala inſanabilia. multæq; aliæ cauſæ ſunt, propter quas Deus hominem occidi permittit. conſtat tamen nihil amplius, quàm quod in natura decretum, & conſtitutum eſt, accidere. licet enim diuerſus caſus accidat febris, ſatietatis immodicæ, aut contra exinanitionis ex fame, frigoris, æſtus, aggeris, lapidationis, gladij, ignis, aquæ. at in his omnibus vnum eſt, quod inde prouenit. ecquid hoc? id ſcilicet, quod à creatore, recte, & vtiliter in vniuerſo genere conſtitutum eſt.

Sic igitur, ac multis etiam aliis modis demonſtrari poteſt nihil eſſe in fabrica mundi malum; neq; quicquam in gubernatione diuina, quod reprehendi poſſit, ſed omnia inexplicabili ſapientia facta eſſe, & prouidentia ineffabili gubernari, vt non ſit facile eorum, quæ à Deo facta ſunt, tum quæ ſuauia, tum quæ triſtia & moleſta eſſe videntur, rationem perſpicere, ac comprehendere. non enim vt videtur, oportebat patere omnibus diuinæ ſapientiæ indicia, & mentem Dei, quæ nec explicari, neq; comprehendi poteſt, omnino nudam, & apertam eſſe hominibus, quandoquidem plurima etiam hominis regis conſilia interdum cælantur, vt quod agitur, qua ratione fiat, ignoretur.

Quare non mirum eſt, ſi totius gubernationis Dei rationem non percipiunt. quos decet ſine curioſitate ſubiectos eſſe, & ſilere, & minime contra diuinam gubernationem dicere. Sæpe enim pudet nos in architectum peritum aut ędificatorem nauis expertum, aut in fabrum ſpectatum curioſe inquirere, cum quisq; eorum, quod artis ſuæ eſt, facit; quin potius experimento confiſi, expectamus, vt opus videamus. contingit etiam aliquando, vt lapſum eorum non ſentiamus.

Quid dicemus de ſapientia Dei, qui omnem mentem, & intelligentiam ſuperat, quam quidem oportebat ſiue eam intelligentes, ſiue non intelligentes obſtupeſcere, & honorare. Si quis verò quia rationem multorum, quæ à Deo fiunt, non aſſequitur, decidat in abſurdas de Deo opiniones, miſerrimus, & valde ſtultus, & inſipiens eſt, hic ipſa cœcitate mentis ſuæ tanquam duce vtens, vt Manichæus, qui

Digitized by Google

inſaniam ſceleratiſſimam contra eos, qui ei crediderunt, excogitauit. qui quia non intellexit, quomodo noſtra Deus gubernaret, ſecundum principium ingenitum nequitiæ finxit, vt ab iis, quæ ſunt ſupra delaberet; & ea, quæ infra, vt intelligeret non ei concederetur, ea in Deum vniuerſorum fingens, quæ patientiam eius altiſſimam prædicarent. diuiſit enim ea, quę Dei ſunt; & eorum plurima ad nequitiam, quæ nihil eſt, retulit. omnibus modis in Deum blaſphemus, qui ait, opera bona Dei compoſita eſſe ex nequitia.

Quid igitur diceret de principiis corporum, quæ quatuor elementa appellari conſueuerunt, quæ quidem contraria inter ſe ſunt, & perfecte oppoſita? nullum autem horum poteſt quicquam per ſe efficere. Quid enim erit, ſcilicet ad generationem corporis, ſiccum ſine humido? aut quid calidum ſine frigido? Si igitur contrariorum coniunctio efficit corpus, quæ nam ille ex quatuor elementis referet ad nequitiam? aut quæ ad bonum? ſi enim Manichæus in omnibus elementis miſtionem boni & mali cogitatione fingit, neceſſe, eſt diuidere quatuor in duo, & hęc ſcil. æqualiter ſeparare; vel tria in vnum. at quodcunq; referat ad bonum, reperietur poſſe per ſe nocere, quia nullum ex quatuor elementis eſt purum, ac merum, & non periculoſum, ac continuo quod in miſtione redundat, efficitur corpori cauſa interitus, vt aiunt, qui ſunt in his periti, & exercitati.

Si ergò calidum quidem per ſe vrit, frigidum verò refrigerat, ſiccum autem ſiccat, & humidum humorē efficit, quod horum Deo attribuet iſte planus? ipſum enim corpus totum conſentaneum eſt ex iis elementis miſtum eſſe, ex quibus compoſitum eſt, & per ſe exiſtit. vt autem vnumquodque elementum ſit ex miſtione eorum elementorum, ex quibus fit miſtio corporum, fieri non poteſt.

Quamobrem ratio non patitur, vt quodq; ſingulare & indiuiduum elementum in duo contraria principia diuidatur, & miſtio cuiuſq; eorum introducatur. quam enim compoſitionem excogitabit in ſicco deceptor iſte? quam miſtionem in mero, & puro igne? aut quam coagmentationem in frigido, quod ex toto frigidum eſt? ſimiliter in humido.

Hæc enim vnius formæ, & indiuidua planè ſunt. vt nullum horum per ſe poſſit exiſtere, ſed aliis iunctum.

Inſanit igitur & quidem grauiſſima inſania, cum partem quidem ignis dicit eſſe boni; partem verò mali. eſt autem neceſſe illi hoc facere in elementis, & diuidere, quæ diuidi non poſſunt. ſiccum enim

Digitized by Google

enim ex toto ſiccum eſt, & per ſe ſiccitas ſimplex eſt, & vnius formæ. & frigidum neq; cogitatione diuidi poteſt, cum ſit vnum, ac ſimplex ex toto: ſimiliter humidum, & calidum.

Quid igitur in igne erit Dei? & quid contra erit nequitiæ? quandoquidem neq; diuiſionem recipit, neque miſtionem accepit, cum ſit purum, & merum. corpus enim diuiditur ſaltem cogitatione. merum autem elementum quomodo ex contrariis compoſitum eſſe videri poteſt? quidnam contrarij cogitare quis poteſt in puro igne?

Si igitur vnumquodq; eſt ex toto periculoſum, nullum eorum, per ſe ſecundum rationem Manichæo congruet bono, ſed potius omnia referentur ad malum: præterea non erunt corpora ex altero cõpoſita, quod eſt alienum à fundamento Manichæi.

Quomodo autem videbitur ei in igne hoc quidem eſſe ſalutare, quod eſt boni, hoc vero mortiferum, & vrens, quod eſt mali, niſi inſane fingat miſtionem elementorum, ex bono, & ex malo? quod quidem ſi putet, cogetur tribuere Deo, quę volet ex quatuor elementis, quę ex toto, & indiuidue tali natura prędita ſunt. & cernetur confiteri exiſtere ex Deo merum, & per ſe nocens. diuidit autem inſanus naturam ignis indiuiduam, dicens aliud eſſe in igne ſalutare; aliud verò vręns, non intelligens barbarus, in vſu ignis eſſe diuiſionem, non in natura ignis. huius enim nimia propinquitas pernicies eſt; moderata verò diſtantia ſecuram participationem caloris affert. cum alioqui ipſa vis vrendi ſola, quæ quidem eſt ignis, neceſſaria ſit. hæc enim mollit, & liquefacit ea, quæ ad vſum neceſſario adhibentur. vt nihil aliud ſit ignis, quàm vis eius ad vrendum. & nihil aliud neceſſarium ſit ad hunc vſum, quam hoc. Manichæus verò valde ingratus, & beneficiorum Dei immemor ignem vituperat.

Si quis autem ponat quatuor elementa, ſicut ille opinatur, ad malum pertinere, quomodo hæc, quæ ſunt ſingula vnius naturæ, contraria eſſe videantur? Si enim calidum eſt ex ipſo, frigidum ex altero, aut contra, ſi frigidum ex ipſo, calidum ex altero, & ſic rurſus in alia coniugatione hoc fundamento poſito, miſtio corporum fieri non poterit. ſi verò ad excogitationem nequitię referat inuentionem extruendi miſtionem corporum, ſapientiſſima apparebit nequitia, quæ alioqui cognitionem, & intelligentiam non habuit, ita vt maximam creatoris laudem, & admirationem ferat, ſiquidem cognouit, quomodo per ſe exiſteret miſtio ſcilicet corporum.

Sed

Digitized by Google

Sed quia ſolem honorat,& vt exiſtimauit,decernit non habere miſtionem mali, age videamus de ſolo pro ſtudio veritatis. videbitur enim eſſe vnius ex quatuor elementis,ſubſtantię,inquam,calidę.non enim nocet ſubiectis,ſed ſolum calefacit,& iuuat,quia plurimum diſtat. quibus autem appropinquat, vrit; & tale ſolum ſterile reddit. & in æſtate cum in terram iacit radios puros in meridie, vſq; adeo eam calefacit , vt pauimentum nudis pedibus ſuppoſitum inſtar incendij fit.

Sæpe autem homines in flammam ſolis incidentes nimio æſtu interierunt non inuento prope, quod refrigeraret. efficit autem nigra corpora, & adurit, facitq; plane, quod ignis ſolet. imo ipſe ignem fœcunde generat,ſi quis aquam in vaſe vitreo ſoli aduerſo admoueat.vis enim radij ſolis lucido illo aquæ & vitri coacta,& conferta: atq; in anguſtum quidem transmiſſa, & adiuncta materiæ, facile ignem concipienti, ſimul parit ignem, & aperte ſuadet non volenti contēdere, eſſe quidem ſolem ſpeciem ignis,ex operibus verò ſplendidis ipſius creationis ipſum primum,ſiquidem natura ignis ſplendidior eſt omnibus.

ἀκμή.

Cum enim omnia alia elementa deorſum ferantur, ſolus ignis in ea quidem, quæ comburi poſſunt, inſultat, ſurſum verò ſupra omnia fertur leuitate ſua, aëremq; ipſum conuincit grauiorem eſſe, quia ſupra eum in ſublime fertur, vt ſubtilior, tenuiorque appareat quàm aër propter cognationem cum ſole. Vnde Manichæus cum ſolem facit diuinum tanquam ex natura boni, videtur ſimilem igni facere,immò talem quendam, qualis eſt ignis, introducit. Sol enim ſubſtantiæ calidæ,ab igne differt τῇ θέσει, efficientia verò idem operatur,niſi menſura diſtantiæ ea, quæ ſunt oppoſita à validiore iactu radiorum defendat. quinimmo omnibus animantibus, & ſtirpibus nocens exiſtimaretur,niſi ſimul alia cum eo fabricator mundi ad auxilium feciſſet, quæ faciunt, ne nobis, & aliis animantibus noceat; hæc autem ſunt latibula,& tecta. ſtirpibus verò aquæ ſunt auxilio, & flatus ventorum.

Quare qui definiunt eſſe quintum elementum ſolem, ne contra ea, quæ clara ſunt, contentioſè diſputent. nec vlla fides habeatur Manichæo ſceleſtiſſimo,& in Deum blaſphemo,qui ſolem cum Deo confert, & ex ſubſtantia eius eſſe dicit. Omne enim, quod ſub aſpectum cadit,cum ſit corpus, natura oppoſitum eſt inaſpectabili, & incorporeo, cuius opus eſſe poteſt, & quidem opus valde mirabile, ſimilitudinem verò naturæ nullam habere poteſt. Valde

Digitized by Google

Valde difficile eſſet enumerare, quæcunq; impia hic planus libris ſuis inſeruit. vituperans enim res omnes tanquam malas, fructus etiam terræ tanquam nutricios materiæ accuſat. ac ſolem quidem admiratur, & ex bono eſſe decernit, quæ verò alit calore, ſtirpes dico, & ſemina, non pudet acerbè vituperare, quæ quidem ſine ſole qui à Deo factus eſt, omnino non conſiſterent. Sicut enim nihil iuuaret ſol, niſi imbres arbores irrigarent, & vtiles venti perflarent, ſic imbres, & alia ſine ſole nihil iuuarent.

Ille igitur etiam hic vehementer ſecum pugnat, accuſans grauiter, & ad nequitiam referens fructus terræ à ſole alioqui auctos, quem valde admiratur, & honorat. imbres dicit eſſe ſuperfluentias præſidum materiæ, qui ex amore laborant aduerſus poteſtates boni, qui cum ita laborent, ſudores eorum eſſe definit, id quod in eis, vt ipſe putat, abundat, & ſuperfluit.

Nititur etiam docere, ſuperuacaneos eſſe imbres in mare, & in loca ſola, & quæ non ſeminantur, effluentes, tanquam aduenerit ad ratiocinandum diligenter contra Deum, quaſi fruſtra, & profuſè, ac prodigè aquas conſumat, qui præ ſumma amentia non videt, quid Deum deceat. Quòd ſi Deus inops aquarum eſſet, faceret diligenter vt accommodatè ad vſum, & neceſſitatem effluerent. Sed quia diues eſt, & tam diues, quantum nemo oratione conſequi poteſt, hæc ipſa abundans imbrium effluxio demonſtrat mare, ex quo aquæ in aërem feruntur, per imbres irrigare. ſolitudo verò, & locus, qui non excipit ſemen, neceſſario pluuiam accipit ad ſuppeditandum fontibus, & aliquando iter facientibus, vt inueniant aquas collectas. Denique vt terra expers pluuiæ ſole arderet, non ſanciuit: vt plurimum enim aut per flumina, aut per imbres vniuerſa terra rorem à Deo accipit.

Siue igitur non pluat, præſto eſt Manichæus & qui eum ſectantur, ad blaſphemiam Iudaicam; ſiue pluat, non deſinit inaniter accuſare, & reprehendere Deum, & panem ſi in manus ad veſcendum ſumant, primum diſcipuli blaſphemiæ Deum maledictis inſectantur. atque ita ingrati ſatiantur. & quaſi nihil fructus ex creatura perciperent, linguam ſoli in eam acuerunt, immò in auctorem eius, & tanquam inimiciſſimi Dei, ea, quæ ſunt creata, participant, idq; ſuccenſentes, quod eis indigent.

Procreationem liberorum contumelioſe vituperant, volentes, vt corpora ſine ea miſcerentur, qui ſerui quidem ſunt neceſſariæ ſuc-

ceſſionis à Deo ſancitæ, ſed non voluptatis, inimici autem per omnia veræ, & germanę virtutis, ac pietatis, tanquam accuſantes humani generis perpetuitatem, & volentes alicubi ſiſtere proceſſum eius naturalem, ſancientes legem Deo, & bonitati eius ſuccenſentes, qua eorum blaſphemiam patienter tolerat.

Cum alioqui naturalis quidam appetitus concubitus ob eam cauſam corporibus conſtitutus, & ordinatus eſt, vt animalia ferè neceſſitate motuum naturæ ad efficiendam ſucceſſionem ferantur, ſapientia infinita creatoris qui hoc ſtatuit. etenim quia laborioſi ſunt partus muliebres, laborioſæ item viris & fœminis educationes liberorum, valde autem neceſſariæ ſucceſſiones, appetitus quidem naturaliter mouet, & quodammodo vim adhibet, ratio autem ſanctè demonſtrauit præſtabiliorem eſſe ſucceſſionem voluptate. & extra culpam eſt voluptas corporum, ſi quidem rationem, & legem auctoris ſequatur.

Qui autem ſæpius voluptatem capientes, opus quod inde neceſſario prouenit, odio habent, & mandant ſic commiſcere corpora præter edictum, vt conceptus concludant, & eiiciant, & partus tempeſtiuos & maturos non expectare, quippe cum hoc ſolum ſit graue, & difficile, hi inquam, qui inimici naturæ excitati ſunt, & inſanire contra Deum vniuerſi didicerunt. Quare, inquiunt, inſita eſt corporibus libido corporum commiſcendorum?

Sed quomodo eſſet in hominibus decor pudicitię priuatæ, niſi natura eſſet quod titillaret, & ratione coerceretur? vbi eſſet apud mulieres virginitas, aut apud viros intractatio nuptiarum, niſi ratio amorem ſanctitatis haberet, quæ naturaliter certans eos, qui rectè cupiditatem inſitam reprimunt, & domant, victores declararet? idque non ad contumeliam naturæ, ſed ad exercitationem tolerantiæ, & ſanctitatis? ſic ſane cibis, & potionibus delectamur, non criminoſa voluptate fruentes, naturalis enim hæc eſt, & tamen ieiuniis nos exercemus; non quod eſt ſupra naturam contra naturam exercentes, ſed tolerantiam amplectentes, & Deum per humiliationem placantes, & propitium reddentes. nunquam exercitationem ieiunij ſuſciperemus, niſi fames eſſet in corpore.

Vbique igitur appetitus aſciſcit laudem & moderati vſus ciborum, & abſtinentiæ pro viribus. non enim vſus eorum, quæ ſecundum naturam ſunt, peccatum parit. vini quidem moderata potio ſalutaris eſſe poteſt, vitium verò ebrietatis per intemperantiam introducitur.

Simi-

Digitized by Google

Similiter vſus cibi ſecundum naturam moderati culpa vacat, gula verò arguitur, & reprehenditur propter nimium, & quia eſt præter rationem. ſic etiam vti legitime, & moderate appetitu miſcendi corporis, omnino caret crimine, præter legem autem, & immoderate vti crimen affert incontinentiæ. Manichæus igitur, & eius aſſeclæ nihil ratione perſpicientes, omnia ferenter contumeliis affecerunt, tanquam omnis cupiditas ſit mala, cuius quidem modus, & temperamentum legitimum extra culpam, & crimen eſt, abſtinentia verò pro viribus ſpectata laus eſt admirabilis virtutis.

Si enim quis abſtinens laudabilis eſt apud Deum, non male in poteſtate eius eſt, id cui' abſtinentia officiū eſt perfectę virtutis, maxima enim iactura fieret, ſi in poteſtate eius non eſſet, tanquam non poſſet edi virtus per abſtinentiam. niſi enim contrarium fieri poſſit, non poteſt fieri malum. neq; rurſus fieri poteſt bonum, niſi poſſit malum, vt ſæpe demonſtrauimus. Manichæus autem bonum, & virtutem inhonorat, cum poteſtatem, & libertatem vituperat.

Præterea non pudet dicere animatos eſſe lapides; & introducere omnia animata, & quæ manifeſta ſunt inanimata, tanquam illa virtus boni in lapidibus etiam contineatur. qui vſq; à Deo quod ab ipſis honoratur, ad ludibrium, & vilitatem deiicit, vt naturam boni in lapidibus inanimis ligatam eſſe dicat. affirmare autem ſic ſe habere iſta, quæ dicit, qualis inſaniæ indicium eſſe dicitur? ſi enim in lapidibus cōtinetur, quod à Deo miſſum eſt, iam vicit nequitia, contra ligato, quod ad ligandum veneret: dicit animæ lapidum, & lignorum indicium eſſe ſonum in aëre lapidis, & virgæ, tanquam audierit aliquando vocem ipſorum articulatam.

Eſt autem apud nos etiam cogitatio, & ſermo animæ, qui nequaquam auditur. quod enim auditur, percuſſo aëre per inſtrumentum corporeum, auditur, quod quidem abſq; motu rationis in animantibus ratione carentibus inueniri poteſt, quæ clamant quidem, ſed non articulate, quia ratione priuata ſunt.

Eſt autem proprium corporis licet ſit inanimatum, percuſſo aëre ſonitum reddere. quod enim caret corpore, non reddet vocem, quæ audiri queat, quia non percutit aërem, cum ſit ab inſtrumento percutiente liberum.

Quamobrem incorporeæ poteſtates inanimæ videbuntur, quia nihil quod ſenſu auditus percipiatur, ab eis ad nos fertur. quod igitur oportebat fieri indicium corporum prorſus anima carentium,

vt quæ neceſſario aërem pulſant, (hoc enim corporis eſt, non animæ) hoc accepit Manichæus tanquam ſignum animationis. hinc etiam eſt, quod grauiter accuſat eos, qui mactant quadrupedes, & volucres, quæcunque homines ad veſcendum adhibent, tanquam hæc etiam illa virtus boni animet, in eiſque contineatur. Sic ſtudet, vt modis omnibus contumelioſe vituperet, quem bonum ſcilicet appellat. interrogandus quippe eſt, cuius pro curatione tradita ſunt hæc à principio hominibus ad veſcendum? an nequitiæ tanquam contumelioſę in bonum? at non fuit illa tantæ rei conſcia, vt quæ cognitionem non habuit. non enim alius creator mundi fuerit; neque Deus, vt ait, creauit, & virtutem ex propria natura produxit ad correctionem materiæ.

Extiterunt igitur omnia animalia volente eo, qui creauit, & quæ ad alendum homines idonea ſunt, & quæ non. nemo igitur alius procurauit, vt hæc hominibus in cibum, & alimentum adhiberentur, niſi qui ea creauit. non enim vniuerſa natura, quid ſibi vtile eſſet, cognouiſſet, niſi qui eam fecit, ſic ſanxiſſet. Ex quo continuo factum eſt, vt hæc fuerint diuitiæ natura, quippe cum nunquam earum vſus deficiat, & quo magis quædam vſu conſumuntur, eo ſunt diuturniora. ac partim quidem alunt homines, partim veſtiunt, & alia alios vſus præbent, facta homini ſerua à creatore. vnde ſubiecta ſunt ei etiam, quæ ſunt vaſta mole, manſuetè obedientia. & quæ in aëre, artificio rationis ad nos trahuntur, & quæ in aquis, educuntur, atque ea magis, quæ vtilitatem hominibus explent. Sic patet, non homines ſibi per vim animalia ratione carentia ſubiecisse, præter voluntatem eius, qui ea creauit, quin potius lex creatoris hæc eis ſubiecit.

Dicit etiam Manichæus impium eſſe bouem arationi terræ applicare, ne anima à Deo miſſa, valde ſeruitute preſſa videatur. & quomodo agricultura ſuſtentari poſſet? quomodo durans genus hominum perſeueraret? ſic Manichæus omnia præter communes notiones contra creationem variè furens finxit. Serua enim hominis naturaliter manſueta animalia facta ſunt, & vſui eius deſtinata. non manſueta autem alia ratione ſerua, præter cauſam dictam, vt homo ratione in omnia animalia ratione carentia dominaretur Deo ob varias cauſas id procurante. alioqui non Leo tantum fera fortiſſima, aut aliqua alia huiuſmodi beſtia, aut ſerpens hominem vinceret, ſed culex etiam, aut aliud ex minimis. verùm natura ferarum aliter etiam

quam

Digitized by Google

quam dictum eſt, ad aſpectum, & experientiam hominibus diuerſis de cauſis neceſſaria eſt.

Sed quia ad ſingula, quæ ille nugatur, & fingit, reſpondere & occurrere delirum eſſe videtur, contemplandum eſt intelligentiam ſine diſputatione, quomodo vnius verbo omnia aptata ſunt. Vna lex creatoris in omnibus dominatur, & nihil in rebus pugnat, neque belli indicium, vel diſſenſionis in creaturis apparet, quin potius omnia (homine quidem peccante) pacem inter ſe habent, vt quæ ab vno pacis, & quietis ſtatutum acceperunt, à quo hoc ipſum, quod ſunt, à principio habent. conſpirat enim cum rebus quæ in terra ſunt, cœlũ pluens, cum tempus poſtulat; ac rurſus pluuiam ſuſtinet, cum opus eſt ſolo calore ad maturandum: ſol autem ſuo circuitu lege auctoris conſtituto efficit tempeſtates, nunquam eas commutans, quin immò vnum ordinem earum immutabilem tenet. perſeueratq; in natura varietas. atq; vna & eadem ſumma conſpiratio ſupra & infra cernitur. nox autem omni ſæculo permanſit ſine in conſtantia aduerſus diem, non motu fortuito, & carente ratione diei ſuccedens, ſed ſapientia auctoris addendo, & ſubducendo temperata, idq; non alias aliter, quin potius manifeſtum, ac certum eſt tempus acceſſionis; manifeſtum item & certum tempus ſubductionis. rurſus ſol non grauatur nocti ſuccedere; neque contumeliam ducit legem creatoris, ſed potius more probi ſerui, confecto ſine ceſſatione vlla curſu diei, recedit, vt ei lex impoſita eſt, diligenter ſe abdens, vt nox ſpatium ſibi dimenſum recipiat.

Quid verò de terra, & mari dices? quomodo ambo terminis circumſcripta ſunt? licet videre mare fluctibus elatum, lege autem ab impetu prohibitum, & vi ventorum impulſum in terram, metu autem legis retrorſum reflexum. quamuis non murus adamantinus auxilio eſt ei, ne mare effluat, & inundet terram, & non obediat auctori ſuo. quinimmo ſatis eſt propugnaculum terræ aduerſus mare verbum eius, qui fecit, coërcetq; arena, quin potius lex cohibet & foris flatus ventorum violentos, & intus fluxionem aquarum, vt nullam partem terræ inundet aqua maris. & creaturę quidem amicæ, & tanquam inter ſe germanæ vnum verè auctorem ſibi aſcribunt, ac profitentur. Quis enim vnquam hiſtoricus ſcripſit, in cœlo motum ſtellæ in ſtellam factum eſſe? aut in terra animalia alterum genus oppugnaſſe, vt ipſum delerent, aut ipſa contra delerentur? ſed potius quæcunq; aliud in aliud incurrunt, & inuadũt, ſapientia crea-

Digitized by Google

toris ſtatutum eſt hoc; vt quæ abundant, conſumantur; quæ & eſſe, & conſumi, vtrumq; hominibus prodeſt.

Si quis autem ad ipſa principia corporum conſideranda veniat, & quatuor elementa contempletur, quemadmodum eorum conſpiratio, ac concentus ex contrariis pendeat, magis ſtupebit conſenſum rerum, vt quæ ab vno, & ſolo hoc ipſum, quod ſunt, habeant. in his enim quatuor elementis, id quod contrarium eſt, amicitiæ cauſa eſt: & quod in eis natura pugnat, ſummam pacem facit. quæ quidem quatuor numero ſunt, vnum verò conflatu, ac concurſu; quin potius ſe ipſis inter ſe indigent, vt ſint; & ipſa natura contrarij ſe viciſſim adiuuant, & in ſe ipſis inter ſe abdita ſunt, & per ſe ipſa inter ſe apparent. & vt paulum dicam, neq; calidum frigidi frigore frigeſcit, nec humore humidi extinguitur. neque ſiccum ab igne combuſtum eſt: nec ab humido humore perfuſum. ex his enim inter ſe cōſtituta ſunt, & conſiſtunt; & in ſe ipſis mirabiliter inſunt. ac putabis quidem ſolum ignem eſſe, non tamen abſq; humido, & ſicco, quibus quidem alitur, & ſplendet. Sicut alia in ſe ipſis inter ſe inſunt, tactu tantum contrarium indicantia, ſit tamē ſibi inter ſe amica, vt nullam diſcordiam habere videantur. Hæc autem ſilentio prædicant admirabilem vnius ingeniti ſapientiam, à quo facta poſtea concreta, ac miſta, ſunt. non enim corpus ex vno quopiam & ſimplici elemento fieri poteſt, miſtione enim & concretione conflatur corpus. quæ autem concretio, ac miſtio eſſe poſſit ſicci tantum? quæ humidi ſolum?

Igitur neceſſaria eſt varietas ad miſtionem corporis, neceſſaria item natura contrariorum, quæ in auctoris admirationem ad coagmentationem vnius vrget. quę quidem non primum per ſe ſola conſtituta ſunt, atq; ita coierunt ortum pariter inter ſe capientia; & ſimul vt facta ſunt, ſenſibus ſunt diiudicata. Cum enim corpus per ſe extitit, ratio & mens coniuncta, & concreta, ſenſu diſcernit. quamobrem natura contrariorum poſtea deprehenſa eſt ſenſu corporis, quod ex ipſis concretum, & temperatum eſt. quæ quidem non prius ſunt, quam corpus ipſum, ſed ſimul cum eo incipiunt eſſe. Quis digne, ac meretur, admirari poteſt poteſtatem creatoris, & concordiam, ac concentum creaturarum? quàm in pace, & ſine pugna omnia, excepta iniuſtitia hominum.

Permanet igitur ac perſeuerat omnis fabrica in ſuo & ordinato motu conſeruans in ſe immutabilem legem auctoris. ecquis velit, ſi ſenſus animæ ſanos habeat, cum hæc ita ſint, & infinita alia, quæ

Digitized by Google

omnem mentem ſuperant, aliud principium cogitatione fingere, & hoc ſoli Deo ingenito opponere? concors enim, & conſentiens principium ſomniare ſuperuacuum eſt, cum vnum ſufficiat, contrarium verò ſuſpicari, furioſi prorſus eſt, cum vniuerſa inter ſe conſentiant, varietate quidem ornata, in quibus ſapientia veri auctoris factum eſt, vt ſanitas, & tranquillitas cum auſteritate appareat, quia omnis ſuauitas nimis mera, nocens eſt, & ratione aliena. ſeueritas verò, & auſteritas ſola, ſuauitatis expers, ad feritatem & inhumanitatem ſpectat. Vtrumq; autem corrigit, & delectat, exhilarat, & deterret. promittit ſuauitatem, & minatur terrorem. protendit ſpem donorum, & obtendit periculum ſuppliciorum, ne ratio eorum, qui in terris verſantur, mollicia, & laxitate propriarum rerum in ignauiam demergatur; neque perpetuo metu percuſſa cæca fiat. Sed potius ex vtraque parte & ad timorem, Dei & ad virtutem inſtituatur.

Finis libri ſecundi.

PRÆ

Digitized by Google

PRÆFATIO IN LIBRVM TERTIVM TITI BOSTRENSIS CONTRA MANICHÆOS.

QVÆ ſuperioribus libris tum ex rebus ipſis, tum ex communibus notionibus dicta ſunt, fortaßis omnium, qui extra eccleſiam ſunt, mentem munire poſſunt, vt blaſphemiam Manichei in auctorem vniuerſi non admittant. Quia verò aliam venationem contra eos, qui intra Eccleſiam ſunt grauem quidem illam & periculoſam meditatus eſt, quædam in ſcripturis ſanctis dicta ad ſuam falſam doctrinam per vim detorquens, tempus eſt, vt ex diuinis ſcripturis confutationes contra eum agitemus, ad muniendum eos, qui ipſis ſcripturis ſanctis credunt, qui abſurdis, & improbabilibus earum interpretationibus interdum ab illo decipiuntur. vario enim fallendi artificio errorem, quem adiutore diabolo ex cogitauit, firmare nititur. apud Gentiles quidem non refellens illorum dogmata, quæ verò minora mala ſunt, in maiorem molem impietatis extollens, peruerſiorem Helleniſmum introducit.

Quibus ferè ad omnia conſimili opinione malarum, & falſarum doctrinarum circumuectus, acceßionem fictionum ſuarum immittit. apud Chriſtianos verò, ſcilicet quæ Chriſtianorum ſunt, ingreſſus, & probabilitate nominis Chriſti, & verborum ſcripturæ, &

ra, & modeſtiæ ſpecie lupum quidem qui eſt ipſe, intus tegit, pellem vero ouis extrinſecus indutus, efficitur falſa ſtella gregi. atque ita imprudentioribus, & minus cordatis nocet, cui propoſitum eſt, impietatem maxime omnium nouam tum à ſe, tum ab aliis colligere. Vt autem nullus Chriſtianus nouitatem eorum malorum, quæ collegiſſet, expendere ſaltem, & conſiderare aggrederetur, Paracletum ſe appellauit, vſu nominis, quod nō ſolum ſupra hominem, ſed ſupra Angelum eſt, fallaciam ſuam tegens, ac diſſimulans, vt auctoritate appellationis probabili, homines alioqui ſtulti, nullo adhibito iudicio, quæ dicit, amplecterentur. aliquando etiam tanquam Apoſtolus Ieſu Chriſti, barbaris genere, idem genere & mente barbarus impietatem per epiſtolas tradit. ſed de his poſtea.

Ex ſcripturis, quæ ſunt veteris teſtamenti, illas aſcribit Nequitiæ, quam vocat, legem ſcilicet, & Prophetas. euangelia vero & reliqua noui teſtamenti à Bono data eſſe dicit, vt putat. ſed nec hæc quidem iſte inuentor blaſphemiæ affirmat eſſe ex toto à contrario Dei vacua & pura, ſed eſſe in his multa à materia, quam vocat, admiſta, oportereque his ablatis ſola relinquere, quæ ad partem boni reputat pertinere.

Sic correctionem Sanctarum ſcripturarum, vt opinatur, ſolus aggrediens, & hac potiſſimum ratione auſus videri paraclitus, plurima quidem tollit, pauca vero noui teſtamenti relinquit, quæ concentum, ac concordiam cum cognatis ſermonibus deſiderant.

Putat quidem omnem blaſphemiam eis impoſuiſſe, vt qui illa ſolum reliquerit, quæ ad illa monſtra, quæ fingit, trahi poſſint, nihilo vero minus etiam hæc ipſius amentiam, & furorem ſummum coarguunt, vt iuuante Deo aperte diſputatio cum in eis verſabitur, docebit.

Oſtendendum igitur primo eſt quam dementer in ſanctas ſcripturas veteres blaſphemus eſt, conſentiens hactenus cum ſe anti-

quioribus, viris prauis, & ab Eccleſia eiectis: impietate verò omnes illos ſuperãs. Si igitur ſicut Gentiles hiſtoriis ſcripturarum penitus non credunt, ſic etiam ille non credens ſcripturis, nequaquam, aut fortuito facta eſſe, quæ in eis narrãtur, diceret, neq; nos quicquã contra eum de his diſputaremus: nec ipſe maiorem confutationem per hæc ſubiret.

Sed quia veritatem Dei in eis fuiſſe atteſtatur, cauſam verò horum eſſe ait nequitiã, quæ nihil eſt; Age, doceamus nunc, quomodo magna opera, ac magis admiranda nequitiæ, quam ipſe accuſat, attribuit, quippe qui cæca ratione nõ intelligit admirabiles Dei creatoris vniuerſorum gubernationes, ac prouidentias, quæ in hiſtoriis feruntur.

Ait igitur ad verbum ſiue ille, ſiue alius quiſpiam eius diſcipulus, qui caput inſcripſit de prima formatione humana. Quia cognouerunt magiſtratus materiæ, quod ſi omnino pars luminis, quod in eos incidit, omnino auferretur, mors eis aduentura eſſet, machinati ſunt deſcenſum animæ in corpora, quæ quidem ne vllo modo rediret, vnde deſcendiſſet, ipſi curarent; reuerſa verò, vt non reperiretur digna habitatione ſupera, vtpote fœditate carnis inquinata, & polluta.

Et Paulo pòſt: Quamobrem vnusquiſq; eorum, qui ſunt magiſtratus materiæ, ſicut diximus prius, propter motum factum; & propter eum, qui primum apparuit ad redemptionem animæ, ianua primum aperta, præ terrore inuitus dimiſſa virtute, quæ in eo erat, formauit ſe ipſum ad venandam animam, & imitationem ſui finxit in terra, coëgitq; animas delinitas, vt difficile ab ea imitatione abſtraherentur.

Ac primum quidem Adam ab eis formatus, ac fictus eſt inſtrumentum cupiditatis, & eſca animarũ è cælo deſcendentium, & Machina ad trudendum eas in corpora. Primum autem conſiderandum eſt, quantam ſapientiam opinione ſua aſſcribit, & atteſtatur magiſtratibus materiæ, quam omnino de ignorantia condemnat, & vituperat,

Digitized by Google

ſuperat, tanquam machinatus per carnem deſcenſum animæ ad eos, ne priuarentur lumine eis admiſſo, qui rurſus redire animã non ſinerent. Sin verò rediret, indigna ſuperna habitatione tanquam ſordibus carnis polluta declararetur. quaſi non poſſet Deus animam à ſe creatam integre ſeruare victus Machinis magiſtratuum materiæ. Ac de his quidem adhuc dicere an non eſt ridiculum?

Quia verò ait, primum, quod magiſtratus materiæ formauerunt, eſſe Adam inſtrumentum cupiditatis, & eſcam ſupernarum animarum; didicimus hinc clare eum dicere, eſſe hominem formatum à materia quæ minimè eſt, qui materiæ, & nequitiæ vbiq; plus tribuit ſimulatione accuſationis. nunc autem ipſam dicit hominem feciſſe animal omniũ animalium, quæ in mundo corporeo ſunt, præſtantiſſimum, ac maxime regium, vtpote ratione præditum, & admirabile tum ratione naturæ, tum inſtitutis, atq; exercitationibus. Quæſtionem autem ponit de vniuerſo mundo, quare factus eſt?

De homine autem, dum nititur demonſtrare, nõ eſſe à Deo formatum, mouet alias quæſtiones dementes. Quomodo, inquit, dedit Deus Adæ mandatum? alterum enim ex duobus neceſſe eſt, aut cognoſcebat, quod transgreſſurus eſſet, & ſic non ſolũ fruſtra, & inaniter dedit, ſed ipſe eſt in culpa, & reus peccati illius; aut ſi dicatur ignoraſſe, neceſſe eſt dicere, Deum ignorantia præditum eſſe. vt iam mandatum quidem à nequitia, vt opinatur, datum fuerit ad inſidiandum homini, & non ad alium vſum. adiutum verò magnopere fuiſſe, & liberatũ hominẽ, cum credidit conſilio ſerpentis, quem angelum Dei eſſe decernit. cæcus enim, inquit, erat. cum autem guſtaſſet vetitum, cognouit ſe eſſe nudum, & tegumento inuẽto vſus eſt; cognouitq; bonum, & malum. Sic magnam cepit vtilitatem.

Quomodo, inquit, Deum decet, vt dicat; Ecce Adam factus eſt tanquã vnus ex nobis ſciens bonum, & malum. nunc autem ne forte mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum? Si enim poterat recuperare immortalitatem, inuidus fuit, qui ex paradiſo virũ eiecit, & à participatione ligni vitæ excluſit, quo participato ſemper immortalitatẽ habere poterat.

Digitized by Google

TITI BOSTRENSIS CONTRA MANICHÆOS LIBER TERTIVS.

POſtquam autem de principio breuiter diſſeruimus, pertractemus quæſtionem de lege. decreuerunt enim amplecti euangelium, legem verò, & Prophetas reprehendere ſtuduerunt. ac totum quidem vetus teſtamentũ calumniati ſunt, Euangelia verò honorare ſe ſuſpicati ſunt, honorem potius Euangeliorum ſimulantes, vt eſſet ſimulatio inuitamentũ eorum, quos deciperent. nec enim q aſſentiuntur euangeliis, honorare ſe euangelia confitentur. quin potius quia honorant nomen Ieſu, fingunt honorem euangeliorum. oportebat autem eos, ſi quidem euangelia honorabant, non circumcidere euangelia; non demere de euangeliis; non alia apponere, neq; verbis, & propria ſententia euangelia adſcribere. nec enim eorum lingua hæc euangelia habet. & eorum lectionem prætermittunt. adſcripſerunt itaq; quæcunq; voluerunt; & detraxerunt, quæcunq; iudicauerunt. & poſtea nomine appellant euangelia, qui corpus euangelij non ſeruauerunt, ſed potius aliud corpus litterarum, quod vſque ad nomen tantum euangelij pertingit, propria voluntate fecerunt. plus enim quam Gentiles euangelia inhonorauerunt; illi non recipiunt, & non recipiendo non corrumpunt, ſed ſolum reiiciunt; non tamen calcant litteras. hi vero cum recepiſſe videbantur, calcauerunt, inſultarunt, & adulterauerunt litteras: & quod præſtigiatores, & improbi faciunt, fecerunt. illi non crediderunt ſolum, & quibus non crediderunt, de eis à ſe diſſeri non patiuntur. hi vero in medium prodeuntes conati ſunt concentum ſoluere; modulationem doctrinis artificiq fabricatis tollere auſi ſunt, præparato nomine euangelij, vt eſſet

fallaciæ

Digitized by Google

fallaciæ cauſa. ſi enim euangelium cognouiſſent, legem non ignoraſſent. quod ſi legem ignorauerunt, quomodo Ieſum receperunt? ſine lege enim Chriſtus non recipitur. nam qui finem deſiderat, principium inueſtigat. contra verò, qui eſt principij contemptor, vanus eſt, vane loquitur, non poteſt in finem euadere.

Si autem finis legis eſt Chriſtus, fruſtra laborant, qui legem fugiũt, & cognitionem Ieſu ſe habere profitent. Niſi lex loquatur, Dominus non agnoſcitur. taciturnitas enim legis, ignoratio eſt prædicati. rurſus vero cognitio legis, noticia eſt prænunciati. ſi enim Moyſem audirent, crederent in eum, qui venit. Sane quidem neq; ſuſcitato creditur, niſi lex fidem faciat audientibus. Etſi quidam dicat, Mitte Lazarum, vt nunciet fratribus meis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormenti; & reſpondente Abraam, Habent Moyſem & Prophetas, dicat, Niſi quis ex mortuis reſurgat, non credent; audiet tamen iſte, Si Moyſem & Prophetas non audierunt, neq; ſi quis à mortuis reſurgat, audient. O rem miram! neq; ſi quis à mortuis excitatus nuncium afferat, ei creditur ſine lege, & Prophetis. immo neq; Dominus Ieſus Apoſtolis apparere voluit transfiguratus, niſi adhibitis lege, & Prophetis. & qui potuit teſtimonium à patre ferre, non inhonorauit conſortionem Sanctorum, quin potius cum vellet certiſſimam fidem in conſpectu Apoſtolorum facere, quod in montem eos adducebat, & transfigurabatur, oſtendebat Moyſem, & Eliam, vt teſtimonio eſſet conſociatio ſanctitatis illorum. & vt is, qui Ieſum recipit, ſocios eius ne dedecoret; ne ſi eius ſtipatores, & miniſtros paruifaciat, regem ipſum inhonoret.

Deniq; tantam curam legis, & Prophetarum Saluator habuit, vt nihil ex lege non perfecerit; omnia autem, quæ ſcripta erant, patrauerit, clamaretq;, Nõ veni ſoluere legem, ſed adimplere: ingrederetur autem in templum, & turpes inde adminiſtrationes domus Dei eiecerit, vt reddens domum puram, re ipſa pleniſſimè perſuaderet ſe ſuorum, ac paternarum rerum procurationem ſuſcipere. Clamat enim, Domus patris mei domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum. & quia ſunt infinitæ ſcripturæ, quibus illorum abſurda opinio redargui poteſt, nos ne prolixe ſcribentes librum in longum producamus, permittemus aliis vti verborum analogiis, nos autem breuitate vſi ad ea, quæ contra ſcripturas dicunt, pergemus. recipientes euangelium non recipiunt legem. quia non totum & integrum euangelium recipiunt; alioqui legem reciperent, ſi vni- *Qui enim analogiis verborum id eſt, com-*

Digitized by Google

Illi cauponantur euangelia, qui in fabulam illud verterunt, & cogitata ſua cum gratia miſcent. Sic Theodor. 2. Cor. c. 2. interpretatur cauponari verbum.

ſi vniuerſum euangelium tenerent. nunc autem primo cauponati euangelium, conſentaneè legem non recipiunt. Conuincuntur igitur non tenere legem, propter latrocinium in euangelio. Si autem euangelio teſtimonium tribuunt, & legem non honorant, teſtimoniū inhonorant. non iam enim eſt hoc legem inhonorare, ſed potius non credere teſtanti. ac ſi vnum quidem euangelium teſtaretur, aliud vero taceret, & vnius tantum dedecoratio eſſet, non tacerent alia euangelia, quæ dedecorationem vnius communem ducerent.

Si verò Marcus ait principium euangelij Ieſu Chriſti, ſicut ſcriptum eſt in Eſaia Propheta, Matthæus autem, liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraam; & hic quidem progenitorem Ieſu ſecundum carnem ſcit eſſe Abraam, & Dauid honorat, coniungit euangelium cum lege, & legem cognouit eſſe principium euangelij, fatetur verum ſaluator, cum ait; Qui vos ſpernit, me ſpernit. nō enim vsq; in legem euadit dedecus, & ibi reſidet, ſed in ipſum Saluatorem redundat. Ac Iudęi q̄dē audiant, ſi Moyſem audiretis, audiretis vtiq; me; de me enim ſcripſit ille. Manichæi verò audiāt: ſi euangeliū audiretis, & legem audiretis, de lege enim ſcripſit euangelium. Verum Iudæi quidem velo oculis adhibito, neq; legem intellexerunt; neque nunciatum agnouerunt. Hæretici verò oculos habent cœcos, & aures ſurdas. Quia non introſpiciunt in euangelium, legem oppugnauerunt. Ioannes enim clamat: Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes; hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine. cognouit teſtem, & cognouit de quo erat teſtimonium. & teſtem præſcribit inquiens: Lex & Prophetæ vsq; ad Ioannem. Ioannes igitur teſtatur; & lex teſtis eſt; & teſtimonium legi perhibetur.

προγέγραφε.

Eadem voce patris ſcilicet, quia Dauid patrē Chriſti vocauit ſicut Matthæus.

Vide, non credere teſtimoniis, quantū abſurdi afferat. atq; hi q̄dē cum talia dixerint, neq; Lucas ſilet eadem enim voce vſus eſt, & aliis euangeliſtis conſona loquit̄. narratque ꝙ Gabriel q̄dē apparuit Mariæ, & cœleſtē ſalutationem ei attulit, inquiens: Aue gratia plena, Dn̄s tecū; quę cum audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio. & ait angel⁹ ei: ne timeas Maria, inueniſti enim gratiā apud Deū: ecce concipies in vtero, & paries filiū, & vocabis nomen ei⁹ Ieſum. hic erit magn⁹, & filius altiſſimi vocabit̄. & dabit illi Dn̄s ſedem Dauid patris ei⁹, & regnabit in domo Iacob in æternū, & regni ei⁹ non erit finis. Honorat̄ Dauid, & pater eius eſſe conceditur, & ſtat ac durat principat⁹ eius, traditurq; Dn̄o, & finē non habet, cuius gloria perpetua eſt. atq; hęc q̄dē ſunt principia euangeliorū. oportebat

tebat enim, vt ex principiis ſermonē texeremus. poſt quę, q pone gradiatur, conſecutionem, & concentum ſermonū ex vniuerſis euangeliis intelligat.

Quia verò etiā Apoſtoli miniſtri euangelij ſtylū euangelicū ſeruāt, & Paul⁹ quoq; eū nouit, & miniſteriū paſſionū ſuarū in parte euangelij metit̄. ait enim: Secundū euangeliū meum per Ieſum Chriſtū. nos neq; principia Apoſtoli prętermittemus. quin illa cōmemoremus. vt oēs ſcripturas, & principia ſcripturarū percurrētes, vna earū voce legē diſpenſemus. Scribens igit̄ Hebręis ſic ait. Multifariā, multiſq; mod⁹ olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouiſſime diebus iſtis locut⁹ eſt nobis in filio, quē cōſtituit hęredē vniuerſorū, p quē & ſęcula fecit. hoc in loco patrē filij cognouit, & patrē filij cognoſcens, nō partit̄ rē. nō tacet de antiquis, nō adſcribit aliōs Prophetas, ſed Deū Prophetarū, & patrē filij. Paulus non partit⁹ eſt, neq; diuiſit; immo totū prędicat, illū q dē à Prophetis adoratum, hunc vero partu editū, atq; huius q dē patrē, q illos habuit adoratores, & ſibi ſupplices. cui enim ſupplices ſunt illi Prophetæ, hui⁹ fili⁹ eſt Chriſt⁹. Si autē filiū honoras, eos verò, q patri ſupplicant, accuſas, & conuitiis inſectaris, ore effers quæ vis. ſuccenſet filius, nō patit̄ cōtumelia patrem affici. Si enim pater filij inhonorationem ſuam ducit, quāto magis filius contumeliam patris vilitatē ſuam eſſe reputabit?

Sed vt ſenſim pergentes, paulatim ad erubeſcendū cōpellamus, ſic aggrediemur argumētari: Si Dei eſt lex, quare legē nō tenēt? Sin verò legē criminaris, cuius verba, ac vox lex eſt? cuius poteſtate, quę ſcripta ſunt, locuta eſt lex? Hic partitę ſūt hęreſes; nec iā vno modo ſermocināt̄, ſed ſibi repugnātes. ac Valentiniani q dē ſic; Manichęi verò aliter. ſecus Marcion. Sputa nō verba teſtimoniū ſunt contra legē. Valentiniani q dē, iuſtus, inquiunt, erat Deus legis, & cū iuſtus eſſet, non erat pater filij. Ieſus, inquiunt, bon⁹, bonus autē & pater, ac pater q dē bonus, & bonū, q genitū eſt; Deus verò legis iuſtus. taliter diſſerētes nō intellexerūt, qualē habitudinē habeat iuſtū ad bonū; neq; de eo cogitauerūt. cū autē huiuſmodi cogitationes cōcipere nō potuerint, hoc ſolū eos interrogemus: Si iuſt⁹ eſt Deus legis, & nō eſt pater filij, nō eſt iuſt⁹ Ieſus, quomodo iuſtitiā à filio req rim⁹, ſi non eſt genitus à iuſto? Quomodo iudicat? Quomodo iudicio decernit? Quomodo cōmiſſum eſt ei à patre tribunal? Quomodo vnicuiq; reddit ſecundum opera ſua? quomodo verum eſt quod ait Paulus, iis qui ſecundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam; iis autem, qui ſunt ex contentione, & qui non

acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio, & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum? ſoluta enim ſunt & euanuerunt hæc verba, ſi definitio iuſti non accommodatur, & redditur filio. Si autem iis, qui deliquerunt, conſtitutum eſt ſupplicium, & iuſtus qui præeſt, ſupplicium metitur, contra vero honores, & munera ſeruantur bene meritis, & honor delectu, ac diiudicatione iuſti ponderatur, quomodo non diſcindunt, & comprimunt petulentiam? Si autem talis quidem eſt vnigenitus, pater vero non eſt talis, non iam ex ſimili ſimilis genitus eſt. non iam eſt imago eius, qui genuit; non figura, non ſplendor, non iam qui videt filium, videt patrem, ſi non quæcunque habet filius, habet pater. & clamat ſaluator in euangelio: O pater iuſte, mundus te non nouit, ego vero te noui. Quid agemus? terga demus verbo ſaluatoris, ne credamus ſcripto; aut habeamus in admiratione verbum, eſt enim verbum veritatis. Valentinos vero tanquam inſanientes, & à dæmone actos extra conuentus, ac conſeſſus ſanctos, & Deum decentes collocabimus.

Sed quia aliquid indecorum nobis accidit, dum ſermonem contra iſtos hæreticos longe protrahimus, cum nos negotium ſuſceptum non eo trahat, reuocemus ſermonem, & ad propoſitum, & inſtitutum pergamus. His hactenus vtiliter conſideratis, vt ſermo de iſtis non omnino nobis præteritus ſit. Tripartita enim nequitia contra legem locuta eſt, totidem miniſtris, & præfectis blaſphemiæ vſa, Valentino quidem ad minuendam, & extenuandam legem, & ſeparandum euangelium; Marcione vero ad tradendum eſſe ſcripturam legis abortionem quandam; Manichæo autem ad mentiendum, eſſe legem cuiusdam mali, ſplendore carentis, & ex toto tenebricoſi. talia enim agit, talia verba componit; vana loquitur; aures rudes & inexercitatas compoſitione verborum in admirationem traducens.

Quamobrem percontari oportet, ſi malus ille ſine ſplendore, & totus, & ex toto tenebræ, legem ſcripſit, quomodo non cognouit aduentum filij? quomodo cum adeſſe? Quomodo ante euentum rerum intellexit quæ Deus conſilia ceperat, & prænunciauit ea, & prædixit? manifeſtæ enim ſunt ſcripturæ legis, quæ à principio aduentum filij teſtantur. Si enim dicent contra ea, quæ in manifeſto ſunt, loquentes, non prænunciaſſe legem, neq; Prophetas præſignificaſſe, redarguentur non à nobis noſtris cōfutationibus, ſed ab ipſis euangelijs apertis verbis, cum vbique clamant, nunc quidem, vt impleatur

Digitized by Google

pleatur quod dictum eſt per Eſaiam Prophetam, nunc verò non veni ſoluere legem, ſed implere. Si vero ex his conuicti. conſentiunt, quid ad hoc reſpondebunt? ſi enim nemo nouit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus Dei, qui autem legem ſcripſit, nouit quæ erant in Deo, & ſciebat, quæcunq; Deus volebat, & idcirco ſcripſit accuratè, & ſcienter, erat igitur ex Deo, & Deus, & in Deo. & ideo quæcunq; volebat Deus, locutus eſt, ſciens quæ in Deo erant, & non ignorans. Si autem nemo cor noſtrum nouit, ſed ſolus nouit, qui eum fecit, & latet cor noſtrum alios, non poteſt tamen latere Deum. quæ autem volebat Deus, non ignorabat nequitia, ſed ſciebat, & hic quidem volebat, illa vero cognoſcebat: quomodo non tribuunt nequitiæ magnam amplitudinem, quam non potuit cælare Deus de conſiliis, & voluntate ſua? Quomodo non detrahunt Deo, qui non potuit cælare nequitiam? ac ridemus quidem viros, qui cum aliquid contra hoſtes moliuntur, & machinantur, conſilium excogitatum in apertum efferunt.

Qui talia loquuntur, & huiuſmodi ſermonem ſerunt, non vident facere ſe, vt ludibrio ſit Deus, qui cum militet tanquam dux exercitus aduerſus nequitiam, conſilia ſua non occulte ſeruauerit, ne nequitiæ patefierent. Quòd ſi diuinæ & angelicæ poteſtates non poſſunt intelligere, quid conſilii capiat pater, ſolusque filius intelligit, & enarrat, Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus filius qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit, quomodo malæ poteſtates ea, quæ in Deo erant, cognouerunt, cum neq; diuinę poteſtates hæc ſcire poſſint, niſi ea tradente, & enarrante vnigenito diſcant? Quòd autem ipſa lex omnia, quæ ad aduentum eius pertinent, prius narret, Ecce, inquit, virgo in vtero habebit, & pariet filium. alius propheta non ignorat locum; & tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda. alius locum definite, vbi poſitus. cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. alius fugam in Ægyptum, & reditum ex Ægypto. Ex Ægypto vocaui filium meum.

Alius habitationem in ætate puerili. Terra Zabulon & terra Nephtalim viam maris vltra Iordanem populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam. alius etiam pręcurſorem non ignorat. Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Deniq; ſi quis vellet Prophetias ex lege colligere, totum euangelium componere videretur conſcribendis rebus in eo geſtis Propheticis verbis, narrans ſtudioſe, & φιλολόγως non ſine ſpiritu eius diſci-

plinas, eius doctrinas, eius baptiſmata, eius miracula, iudicium factum, perditionem Iudæ, quæ in patibulo facta, fel, acetum in ſiti porrectum, ipſam ſepulturam, & monumentum, deſcenſum ad inferos, ipſam reſurrectionem, & ad extremum aſſumptionem. tunc enim, ꝙ ſupereſt, clamabit; Tollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ; tunc adiunget hoc, quod à Dauid ſcriptum eſt: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Si igitur Lex à Deo diligenter aduentum filij deſcripſit, & longinquo tempore antequàm res euenirent, eas prænunciauit, non iam accuſatur; non iam alteri adſcribitur. Qui genuit, prædixit. Qui deliberauit, res dicto anticipauit. Deus genuit. Deus dicit: filius meus es tu, ego hodie genui te. Deus miſit me. Deus per Moyſem locut⁹ eſt: Prophetam nobis ſuſcitabit Dominus Deus ex fratribus veſtris; ipſum audietis, quæcunq; loquetur vobis. de iis ipſis omnib⁹ Deus deliberauit; & cum deliberaſſet, non tacuit, conſilium, ac deliberationem prænunciauit, per prænunciata fidem faciens. vocatur, inquit, nomen eius, magni conſilij angelus, admirabilis conſiliarius, princeps pacis, pater futuri ſæculi. atq; hæc quidem confutatio ſic habet.

Quia verò legem attribuunt malo, quid dicturi ſunt, ſiquis eos percunctetur, ſi malus mala ſuadet; & nō poteſt nō ſuadere mala, ſi quandoq; bona ſuadebit, etiā bona conſilia dabit? ſi enim dicāt, aptū eſſe natura ad ſuadendū bona, ad dandū bona cōſilia, rurſus definitionē ſuā ſoluunt. non enim iam malus eſt, q̃ bona dat cōſilia. Sin autē nulla bona voluntas, ac deliberatio à malo proficiſcitur, cuius ordinis dicēt eſſe illas ſuaſiones, ac monitiones; Non fornicaberis; Non adulterabis; Non furtum facies; Nō falſum teſtimoniū dices. cui⁹ ordinis dicent eſſe illud, ꝙ ſcriptū eſt; Nō facies tibi idola, nec vllius ſimilitudinē, neq; quæcunq; in cælo, neq; quæcunq; in terra, neq; quæcunq; in aquis? cuius partis eſſe illa dicturi ſunt; Non concupiſces bouē fratris tui, aut ſubiugale, aut vxorē, aut omne iumentū? Si enim hæc honeſta, & diuina, atq; amabilia eſſe dixerint, ipſę monitiones efficient, vt ſe ipſi erubeſcant, q̃ amplitudinē eius, q̃ monuit, ignorauerūt. Sin vero dixerint praua eſſe hæc, & in crimine, & prauū eſt non ſcortari, & prauum, ac vitioſum eſt non concupiſcere aliena, & huiuſmodi ſunt, quæ mala ſunt, aduerte, qualia bona eſſe intelligunt. & quo modo proſtitutores ſunt voluntatum, & conciliatores idolorum, ac turpium cupiditatum inuentores. Qui enim legem accuſant, pro vitio à lege alieno obeunt legationem.

ὑπὲρ ἀνομίας.

Qui

Qui legem, quę voluptates tollit, quæ fallaciam euertit, quę ſuperſtitionem extinguit, relegant, quid aliud faciunt, quam voluptates domum introducunt; & cupiditates accerſunt? vt autem voluptas licenter in mentes irrumpat: legem ex habitationibus eiecerunt, ne lege vſi, à lege pudore afficerentur. Sed quomodo lege eiecta aures ſuas venales præbent cupiditatibus. apparet lex eſſe interfectrix nequitiæ. hi autem indocte, & inerudite aggreſſi ſunt accuſare legem. ac lex quidem nequitiam odit, hi verò legem oderunt. euertit quidem ſuperſtitionem lex, hi verò audent legem euertere. opponamus igitur res. Si lex nequitiæ contraria eſt, hi autem legem oppugnant, ſuccenſent propter nequitiam, quia lex nequitiam criminatur. etenim quia non patiuntur, vt accuſetur nequitia, idcirco legem ipſi accuſauerunt, vt accuſatio nequitiæ nullas vires haberet lege in crimen vocata. Si Lex idola tollit, & multitudinem deorum ſoluit, hi autem tela in legem torſerunt, conſentaneum erat, vt multitudinem deorum denunciarent. vt igitur multitudo deorum confirmaretur, legis pręceptum apud eos vetitum eſt, quod ait: Audi Iſrael, Dominus Deus tuus Dominus vnus eſt, & diliges Dominum Deū tuum. & ne forte aſpiciens in cœlum, & videns ſolem, & lunā, & ſtellas, adores ea. Contra hæc verba tela iecerunt; contra hæc præcepta exaſperati linguam tanquam gladium acuerunt. idcirco à dæmonibus aguntur; & omnia venerantur, nec aliud ſciunt, quam omnia adorare. ac ſemper ſe humi ſternunt, & mentem habeāt elatam; errantq; ac vagantur ſenſu animi. omnia pro ſua licentia verterunt in deos. vicerunt Gentiles & multitudine, & vanitate, Gentiles ex Gentilibus oriundi, & magnitudine flagitij Gentilium ignorantias illorum ſuperantes.

Nequis autem arte fallaciſſima ſtudioſè & accurate vſus dicat, Simulauit lex, & quædam pulchra furata, tanquam ſua protulit, cum vellet ſua flagitia honeſtare, & partes honeſtatis inſeruit ſtudio obtegendi turpitudinem aliarum partium. Age excutiamus primò, vtrum aliquid abſurdum, & flagitioſum apud Legem appareat. atq; ita flagitium iſtorum redarguatur. Secundo, ſi quaſdam partes vitij vlciſcendo diſſipauit, reddens eos, qui credebant liberos ab omni parte vitij, non iam lex ſimulata apparebit, quin potius inimica, & hoſtis vitij, & nequitiæ. Tertio, ſi quædam honeſta circumſeminauit, & nō omnem ſpeciem virtutis cum littera legis coniunxit, vt quædam videatur ſcripſiſſe, plura verò reliquiſſe, habeat vim aliquam refutatio-

τῶν καλῶν.

legis. Sin vero vniuerſa, quæ honeſta, & decora ſunt, omninò in litteris legis poſita ſunt, admiremur legem, & Dei legem confiteamur, dicamusq; ſermonem Dei eſſe. in hos vero accuſationem à lege transferamus, quorum ſententia adulterina, & deprauata eſt. Quòd igitur nullam partem vitij lex habet inſeminatam, neq; partem abſtulit aliam, & alij pepercit, ſed potius pura eſt lex, & ſancta, & Dei lex; Paulus clamat: lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum. &: ſcimus enim, quod lex ſpiritualis eſt. quod enim ſanctum eſt, & ſpirituale, & bonum, ab omni turpitudine liberatum eſt, & nulla culpa in eo hæret, gloriaturq; virtutibus, & cum Deo loquitur. Sermocinatio enim cum Deo non patitur, vt alterius ordinis ſit. Sed gubernatione Spiritus ſancti temperatur. Deus enim ſpiritus eſt; & qui eum adorant, in ſpiritu, & veritate oportet adorare. Lex autem cum ſpiritualis ſit, ſermocinationem cum Deo parat. etſi poteſt ſpiritualis alia quidem iudicare, ipſe autem à nemine iudicatur, quantò magis lex ſpiritualis poteſt quidem aliorum omnium ſermones iudicare, ipſa vero à nemine iudicabitur.

παραγραφόμενα.

Quòd autem omnem ſpeciem vitij ſuſtulit, & nullam partem prætermiſit, aut neglexit, ſed potius omne genus vitij vindicauit, tollens & exſcindens illud, conſtat ex legibus ac regulis de vitio conſtitutis, cuius ſunt ſpecies quatuor, imprudentia, intemperantia, timiditas, & iniuſtitia. ſiquid autem praui lex reticuiſſet, imperfecta eſſet lex. Sin verò vt omnes ſpecies nequitiæ præcideret, eas vindicauit, & retractauit, ſequitur vitium à lege coërceri, & reprimi, quæ neque reliquias eius patitur. Vbi igitur valet, & viget lex, & ſuaſioni neruos adhibet; ibi neq; humor vitij reperitur. vbi autem debilitatur, obambulat nequitia compilans, & depaſcens, licenter gradiens, & licentiam nacta propter cuſtodiam animæ neglectam. Clamat enim lex: Si populus meus audiſſet me, Iſrael in viis meis ſi ambulaſſet, pro nihilo inimicos eius humiliaſſem. Cum enim lex perſuadet, neruos amittunt vitia humi iacentia, quę nec animam ex aduerſo intueri poſſunt. Si enim lucerna pedibus meis lex tua, & lumen ſemitis meis, omnis offenſio ſublata eſt, illuninato corde & ſplendente. etſi enim quis ætate illa adoleſcentiæ lubrica ſit, cuſtodiam tamen verborum conſeruet perſeuerans erectus, clamabit, In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos. Dauid comparatis ſibi viribus ad non labendum, abdendo in mente diſciplinas legis aiebat; In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi.

Atq;

Digitized by Google

Atq; ita qui legem pro cuſtode adhibuerit, intelliget, quomodo lex ſingulas ſpecies vitij abigit, & eiicit. imprudentiam quidem per ſcripturam, quæ ait, Nolite fieri ſicut equus & mulus, quib' non eſt intellectus. timiditatem verò per ſcripturam, quæ dicit, Ne timueris, cum diues factus fuerit homo, ne timeas probrum hominum, & ὀνειδισμόν vituperatione eorum ne vincaris. & time Deum, & valebis, præter ipſum autem ne alium timeas. timiditate hic eiecta, & extruſa, & robore impoſito ac fortitudine immiſſa lex clamat, Iuſtus tanquam leo confidit, qui non timet, neq; horret iumentum. duabus partibus vitij ſublatis imprudentia, & timiditate ſimul tollit intemperantiam, inquiens; non fornicaberis, non mæchaberis. vbi cohibentur perturbationes, frænum temperantiæ in mente reperitur. ac tribus extinctis, extinguit etiam iniuſtitiam: Non facies tibi pondera parua, & magna; pondera iuſta & æqualia ſint tibi.

Atq; ita ſingulis partibus nequitiæ deletis ſoluta eſt nequitia, quæ non poteſt amplius obambulare in mente. Quas igitur vitij ſpecies non ſuſtulit lex? quas partes voluptatis non deſtruxit? quas timiditates, quas imprudentias non vsq; adeo vindicauit tollens voluptatem, vt etiam curam oculorum habuerit; auditioni non pepercerit, & linguam non neglexerit? poſui enim oculis meis cuſtodiam, & non intelligam ſuper virginem. Sanctus vsq; ad curam oculorum procedito, ne voluptas animam titillans, eam ad concupiſcendum adducat. alius ſanctus clamabat, ne circumſpicias pulchritudinem alienam, ne voluptas cum veſtibulum animæ ceperit, ſpem ingreſſus concipiat, quin immo à ianuis repulſa inſidias ſuas deſperet. progrediens autem ad aures, & ad linguas, vigiles, & cuſtodes membris præfecit, non cedens loco ſuo; quinpotius clamat, Pone Domine cuſtodiam ori meo, ne ſermo turpis ſine vtilitate emiſſus in vitamentum voluptatis turpia loquenti adiungat. Habens præterea curam lũborum, præcauit, ne mens huc & illuc agitata vincta eſſet. præcepit enim: Sic comedetis paſcha, lumbi veſtri erunt præcincti, ne ſi membra habeant diſcincta, facili motu prehendere poſſimus; rurſus verò in ſic præcinctis optimum ordinem ad res gerendas, & ad negocia reperiamus.

Ad hunc modum partibus voluptatis ſublatis, in ſpecies vitiorum partis ratione præditæ & in ſpecies iniuſtitiæ inuaſit. ſi enim tollere, quæ ſunt alterius, & per vim tollere, & inuito domino, iniuſtitia eſt, & tollentem, quæ aliena ſunt, dare ea meretricibus, vel luxurio-

xurioſè conſumere, ſpecies iniuſtitiæ eſt, iniuſtus eſt, qui honorem Deo eripiens, lignis & dæmonibus eum adhibet; & honorē Dei conſumit, & in mente luxurioſus eſt. nec enim ita luxurioſè viuit, qui opes conſumit, vt eſt iniuſtus, qui magnas & affluentes diuitias honoris Dei ex animo delet. quamdiu enim diuitiæ cognitionis Dei in animo permanent, reſpondet in ea charitas erga Deū. cum autem oēs diuitiæ dilapſæ, & cōſumptæ ſunt, & ad inopiā redacta eſt anima, relinquitur tunc, vt honorem Dei lignis & arti pictoris, & ſculptoris deferat. Vnde Apoſtolus, cum ſciret ipſam iniuſtitiam eſſe culturam falſæ religionis, dixit & auaritiam, quæ eſt idolorum ſeruitus.

Ergo quia teterrima pars iniuſtitiæ eſt ignorantia in Deum, leuius autem eſt delictum in homines, & in partes duas diuiditur iniuſtitia, in ignorantiam in Deum, & in delictum in homines, ab vtriſque principium ſumpſit lex ſcripta. ac primum quidem clamat; Non facies tibi idoli vllius ſimilitudinem, ne ſcil. ſi in honorem eius, qui te fecit, luxurioſus ſis, totum honorem Dei funditus labefacias. iratus eſt autem populo iuſtè, cùm facto vitulo clamabat; Hi ſunt Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt ex terra Ægypti. etenim quia dona Dei illi aſſignabant & attribuebant, qui mouere ſe nō poterat, eratq; flagitioſiſſima iniuſtitia diuitias beneficiorum ſui auctoris arti & ſculpturæ attribuere. idcirco veritas excitata, & lex ſcripta, & iniuſtitia vetita eſt; & qui diſcebat, erudiebatur. atq; ita ſublata prius iniuſtitia, quæ iram Dei prouocauit: iniuſtitiam quoq; in hominem ſuſtulit.

Ac primum quidem noluit, vt amor diuitiarum in anima inſideret, quoniam amor diuitiarum parit iniuſtitias, & cupiditas habendi diuitias generat auaritiam. radix enim malorum eſt cupiditas diuitiarum, erunt autem rami, & ſurculi cupiditatis pecuniarum iniuſtitia, & auaritia. & quoniam à cupiditate pecuniarum incipit auaritia & iniuſtitia, præoccupat Lex, prius tollit, priusq; denunciat. diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. ne diuitiæ mentē cum fluxu diuitiarum confluentem fluxis diuitiis capiant. Si enim opes fluunt, & nō ſtant, meritò reſiſtit mens, quę ſtatum ſuum fluxis diuitiis nō violat, & quia tum auaritia moleſta eſt, tum cupiditas gloriæ, cui⁹ flos in anima prædatur, erudiuit, inquiens; Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros libani: tranſiui, & ecce non erat. vt mens nulli gloriæ quamlibet magnę facile flacceſcenti magnitudinem ſuam illecta vendat, quin potius ſupra hæc omnia ſe erigens amore veritatis teneatur. idcirco moderationem honorat, & iniuſtitiam expellit, &

diuina

Digitized by Google

diuina loca ad habitandum rependit & aſſignat iis, qui modeſtiam ſeruauerunt. συμμετρίαν.

Sic autem clamat; Domine quis habitabit in tabernaculo tuo; in monte ſancto tuo? qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam: qui loquitur veritatem in corde ſuo, vt omni ſpecie auaritiæ relegata locum iniuſtitiæ non relinquat: atq; ita omnem ſpeciem iniuſtitiæ ſuſtulit lex. idcirco qui ſecundum legem loquitur, pro veritate loquitur. idcirco qui ſunt operarij veritatis, non excandeſcunt, cum lex aduerſus vitium loquitur. loquebatur aliquando Dominus aduerſus auaritiam, exaſperabantur Iudæi, & moleſtè ferebant. amor enim diuitiarum aſperos, & duros eos aduerſus loquentē efficiebat. ita profecto eſt, cum pædagogus cum puero ignauo, & pigro diſſerit: odio habetur ab eo, quem inſtruit. Omnis enim qui motus adoleſcentiæ à ratione auerſos exſcindit, in odio eſt propter amorem voluptatum. ob hanc cauſam Lex in odium venit hæreticis. Quia contra perturbationes tendebat, contra peccata ambulabat; contra adamata diſſerebat, rem æquo animo non tulerunt.

Vt autem ſermo, & diſputatio noſtra ampliſſima ſit, & ſcelus hæreſis, quæ iniuſtè ad legem vituperandam ſe contulit, appareat, non ſolum quòd omnes ſpecies, & formas vitij ſuſtulit, dicamus, ſed reddamus inſuper ſermonem, quod omnem ſpeciem virtutis lex enarrat, & exponit. Si enim omnia vitia lex ſuſtuliſſet, non autem omnes virtutes inſeruiſſet, manca eſſet lex relicta virtutum exſtructione, quæ quidem omnia vitia cùm relegaſſet, non iam omnes virtutes animæ deſpondiſſet. Sin verò in diſputatione noſtra apparent, apud legem & Prophetas omnes virtutes poſitæ, an non oportet legem Dei admirari, & amplecti? Cum enim ſint quatuor virtutes prudentia, temperantia, fortitudo, & iuſtitia, omnes virtutes apud legem cernuntur. vnde qui vult eſſe temperatus, habet in lege diſciplinas. Qui ſtudet, vt ſit prudens, adhibitis ſubſidiis legis, præclarè ſe in rebus geret. Qui vult eſſe fortis, inſtruat ſe præceptis legis. Qui vult iuſtitiam aſſequi, pondus iuſtitiæ teneat, & nihil inæquale faciet, faciens omnia ad perpendiculum iuſtitiæ. & qui factus eſt particeps prudentiæ, dicat, Dominus docuit me ſapientiam, & prudentia hominis non eſt in me, vt hac ficta & errante eiecta, & repudiata, optimam, & diuinam amplectatur.

Pudicitiæ verò exempla infinita reperiet, qui legendo quæret, vt exempla pudicitiæ exprimat, & antiqua exempla ad firmamentum,

tum,& robur caſtitatis complectatur, vt illius adoleſcentis in ipſo flore ætatis, qui fuit à fratribus venditus & ab Ægyptio emptus, qui libertatem corporis mutauit, libertatem verò animæ immutabilem conſeruauit; q. exuit pallium, ne pudicitia exueretur. cui vis quidem pallium abſtulit, neceſſitas verò non eripuit caſtitatem: qui maluit affligi, quam in morbum voluptatis incidere. maluit eſſe in vinculis, quam capi voluptate. qui inuidiam turpi actioni præpoſuit; qui exiſtimari, & non eſſe voluit. melius enim iudicauit, haberi turpis, quam eſſe, & latere. ſi enim eſſet, & lateret, metuebat teſtem Deum. Sin verò haberetur, contentus erat teſte facta inſpectante. atq; pudicitiæ quidem hoc ſit exemplum.

Fortitudinis verò multa quidem ſunt alia, ſatis verò nunc ſit illud Iudith, quæ muliercula erat, & infirma erat, & non audax erat, quia muliercula erat. audax tamen fuit, & fortis, quia credibile ei fuit, quæ expectatione hominum fieri non poſſunt, poſſe fortitudine, quæ cum fide miſta, ac temperata, ad fidem & ſpem adduxit inſperata: muri enim aperti ſunt, & exiuit adoleſcentula, & cũ ſola ancilla exiuit non formidans, quod erat in pulchritudine ſuſpectum, non metuens gladios, non timens, ne in libidine eſſet, ne vis inferretur pudicitiæ. non formidans, ne quid repentinum ex gladio accideret. quin potius terrorem gladij fortitudine vincens, formoſitatem verò Deo commendans. Deum enim cuſtodem pulchritudinis dignum, cui fideret, exiſtimabat eſſe, gladios verò ſarmenta, & papyrũ ducebat, animi fortitudine formidinem ſuperans; tranſiuit mulier, & non eſt iudicatum temerarium, quod auſa eſt. non fuit in ea criminatio duritiæ. nec enim imperfecta fuerunt, quæ fuerant iudicata, & decreta, vt duritia accuſetur. perfecit ea, de quibus deliberatum fuerat. ad finem perducta ſunt conſiderata. Idcirco in admiratione eſt, quia prudentiam fortitudini admiſcuit, quia omne conſilium cœptum ad exitum perduxit.

Duritia. n. ſtupori ſimilis patientiam imitatur.

Hoc fortitudinis exemplo ſumpto, iuſtitiæ etiam exemplum ſumamus. Cum Abraam iniuria affectos vlciſcens pro eis pugnauit, & cum poſt auxilium allatum audiret à liberatis, Accipe tibi equitatum, & omnia, non in quæſtum aſpexit, ſed iuſtitiam attendit, quomodo conſcius ſe gratis cepiſſe, non debebat vendere donum, quia gratia non patitur, vt venumdetur, ſiquidem iniuſti ſunt, qui dona vendunt. & non iuſtè quis venalia, & beneficia venundat. veſtis, & res pretioſa vendatur in foro, beneficium vero, ne habeatur vendibile,

bile, quod magno animo gratis indigenti dari debet, tale exemplum habemus; dona, & beneficia non oportere multa pecunia vendere, ſed ſeruare quemque honorem ſuum, & non prius pecunia corrumpi.

Atq; hęc quidem hactenus perſecuti, probauimus vtrumq; eſſe in lege, & vitij extirpationem, & virtutis officium, atq; exercitationem. atq; hæc quidem ſatis eſſe, vt ſe iſti erubeſcant. Aliquid ſimile reddimus in Euangelio, & lege. Si enim eſſent Euangelia, & eſſet lex, & nihil lex haberet æquale Euangelio, crimini daretur diſſimilitudo. Sin autem ſimilitudo eſt, quid de ſimilitudine contendimus? cum ſimilitudo non patiatur, vt controuerſia ſit. Proclamat cognationem ſtylus, ſimilitudo germanitatem ſignificat. ad vnam cauſam aliorum omnium, patrem autem ſaluatoris lex, & euangelia ducunt mentem. Lex dixit: audi Iſrael, Dominus Deus tuus Dominus vnus eſt. Dixit euangelium: Nemo bonus niſi vnus Deus; clamauit Apoſtolus Paulus: Vnus Deus, ex quo omnia. ex lege, & ex ſaluatore, atq; ex Paulo cognitus eſt ingenitus, & ſine patre, genitus verò ex ſinu, & filius eius, qui genuit. Rurſus hic ſcripturę conſentiunt: Lex ait: Ex vtero ante luciferum genui te; euangelium verò, Vnigenitus, qui eſt in ſinu patris, ille enarrauit. Sinum dicit euangelium, & vterum lex. & filius legitimus ſimilis ei, qui ex vtero & ſinu genuit, denunciatur. ac teſtimonium quidē perhibet vox euangelij: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. teſtatur etiam Dauid in Pſalmo: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Vna vox & tunc, & nunc miſſa eſt, & vnus, qui miſit, locutus quidem tunc eſt, nunc autem nobiſcum ſermocinatus, non mutatur, qui tunc locutus eſt. Qui enim ſerò tandem hanc vocem miſit, iam ante in Pſalmis eam prænunciaſſe reperitur, fuitque facta denunciatio ſanctis angelis, vt in ſeruirent filio, & religionem venerationis, atque adorationem ei adhiberent. ſcriptum eſt enim: & adorent eum omnes angeli Dei. aſtipulatus eſt huic denunciationi Paulus. immò hanc retractat, & interpretatur; ſtudetq;, vt ſit interpres eius, quod prius dictum, & prius ſcriptum eſt. cum enim, inquit; Introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes angeli Dei. Videbisq; Apoſtolum ſtuduiſſe, vt vetera interpretaretur, & non neglexiſſe legis explanationem. aliquando enim dicit, omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ſtatim enarrat inquiens, cum autē dicat, omnia ſubiecta ſunt ei; ſine dubio præter eum, qui ſubiecit ei omnia, nihil reliquit non

S ſubie-

Digitized by Google

ſubiectum illi, vt ſit Deus omnia in omnib⁹. quandoq; dicit: Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, Sacramentũ hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſtum & in Eccleſiam.

Atq; Apoſtoli quidem interpretes ſunt veteris legis; conſonantq; vetera nouis. at verò, qui ſunt non Apoſtoli, accuſant vetera, qui quidem cum non faciunt, quod Apoſtoli, ſed potius cum eorum ſcripto pugnant, mentiuntur Apoſtolatum, facti Pſeudoprophetæ. explanatores enim veritatis, qui legem honorauerunt, iidem legem expoſuerunt. Hi verò qui legem criminati ſunt, legem feriunt, & eos, qui legem explanauerunt, pungunt. Parem ſimilitudinem euangelij atq; legis cognoſcunt Apoſtoli. qui cum legem ſumunt, euangelium aſpiciunt; cum euangelium aſpiciunt, legem non tollunt. iſti verò dum, quæ ſunt ſimilia, ſemper diſſimilia eſſe putãt, & quę ſibi inter ſe amica & germana, inimica, & aduerſaria eſſe profitentur, nõ quidem effugiunt, quin malitia eorum conuicta ſit: diſiungere verò, & dirimere ſimilia dum ſtudent, neq; tamen poſſunt. ſiquidem lex ab euangelio diuidi non poteſt, inuidiæ ſuæ fructum perceperunt obiurgationem. Quæcunq; enim de patre in lege ſcripta ſunt, hæc etiam ſunt in Euangeliis: quæcunq; de filio, hæc in vtriſq; ; quæ de Spiritu ſancto, hæc quoq; in ambobus reperire poterimus, neutra enim ſcriptura non meminit de Spiritu ſancto. immo in euangelio eſt donum, ibi eſt petitio. & aliquando dicit Dauid: Spirituum ſanctum ne auferas à me. interdum dicit euangelium: Accipite ſpiritum ſanctum vt quod quidem habet Dauid ne auferatur ei rogat: quod verò hic donat, id cum ille acceperit, habeat. familiaritate etiam Spiritus S. animæ honorantur, nec à familiarite eius auulſæ, neq; ſine eius familiaritate permanentes.

Quomodo de dando & accipiendo Spiritu S. conſonant vetus & noua ſcriptura,

Ad eundem modum poterit quis elaborando, de angelis, & archangelis, & aliis poteſtatibus, & de cælo, ac terra, aliiſq; creaturis ſimilitudinem legis & euangelij, contemplari. atque ita inueſtigando vſq; ad minimum deuenire. nos verò tantam molem recuſantes, & principio tantum vſi, prouocanteſq; ſtudioſos, vt ſuſcepto ad tractandum argumento ad omnia theoremata procedant, id ſolum ad librum adiungemus, quod hæretici cum quadam reprehenſione accuſant, vt eorum accuſationem diſſoluamus, & legis diſpoſitiones perſpiciamus. Si enim illi legentes, quæ contra ſcripturam obiciunt, ore contumelioſo vſi ſunt: at nos amentiam ſimilitudine redarguemus, & quę in crimine obiiciunt, apponere non dubitabimus.

Accu-

Accuſant enim veterem legem tanquam acerbam, & crudelem; accuſant prẹterea veteres miniſtros tanquam auſteriores, & magis ad obiurgationem propenſos, & ab affectione miſericordiæ alienos, non intelligentes, quod ſcriptum eſt: Miſericordiā, & iudicium cantabo tibi Dñe, neq; ſcientes, perfectionem ratione gubernationis ex miſericordia, & vindicatione pendere. idcirco cæcati, miſerationes legis tacent; & vindicationum potius meminerunt. & vbiq; clamant: Non videtis, quia pueri parui conuitium fecerunt Eliſſæo, maledixit eis, & duobus vrſis tradidit pueros ad deuorandum? Non videtis, quia quibusdam militibus miſſis à rege ad vocandum Eliam inuitis, noluit ire cum eis, ignem iaculatus eſt, & viros conſumpſit, inquiens, Si vir Dei ego ſum, deſcendet de cælo ignis, & deuorabit te, & quinquaginta tuos? Si huius mali accuſationes, & vindictas inter vitioſa & praua referũt, quid dicturi ſunt de Paulo, q̄ cũ videret aliquando Bar ieu magum, qui erat cum Sergio Paulo proconſule, diſſerentem, & artificioſa machinatione orationis mentem eorum, qui veritatem didicerant, deprauantem, non eſt paſſus, increpauit, puniuit, priuauit oculis, clamauit, O plene dolo, & omni fallacia, fili diaboli, non deſinis ſubuertere vias Domini rectas? & nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cœcus non videns ſolem vsque ad tempus.

Quid de Petro dicent, quando Ananias, & Sapphira vendita poſſeſſiuncula partem pretij ſibi auerterunt, partem attulerunt? cum Ananiam iudicatum, & mendacij conuictũ morte affecit, Saphiram autem eidem ſepulchro tradidit? iacebant enim mortui, verbo interfecti. Illic ignis allatus conſumpſit ad Eliam profectos; hic verbum emiſſum in conſpectu diſcipulorum efficit, vt q̄ fidem cauponati erant, morerentur. illic Eliſſæus corpora puerorum beſtiis dedit; hic Paulus aſpectum oculorum ademit, & eũ, qui videbat, cœcauit. & qui talia patrauerunt, pœnas dederunt. Si igitur pœna ac vindicta in malis numeratur, mali ſunt Paulus, & Petrus: ſin autem boni ſunt, quia Apoſtoli ſunt, boni ſunt, quia pœnas exegerunt. Quid pœnas accuſas, idq; Apoſtolis irrogatione pœnarum vſis? quod ſi Apoſtolos quidem approbamus, pœnas verò improbamus, non decernunt, vel ius dicunt leges ſecundum perſonam de factis; non diſceptant contra perſonas, ſed aſtipulantur ſimilitudini factorum,

Sed rurſus aiunt; Miſericors eſt filius, miſericors, qui euangelia ſcripſit, & qui miſericors eſt, fili⁹ eſt miſericordis. Lex verò dura, & aſpera eſt non parcens delinquentibus. miſericordiam autem continet euangelium, quod delicta quidem coërcet, pœnitentias verò prędicat. Ecce, dicent, Petrus negauit, & ſaluator pepercit. & eum, qui tam graue peccatum commiſerat, diſſimulat, & minas clemētiæ ſubiecit, vt eſſet omnibus per vniuerſam vitam exemplum, & imago clementiæ Saluatoris. Quid igitur lex? an caret imitatione exempli, & non habet imaginem parem, & huic reſpondentem? ac Petrus quidem ſtudio virtutis deditus, & lapſus, venia, & condonatione honoratus eſt: in lege autem nemo poſt peccatum & quidem magnum veniam ſibi per pœnitentiam conciliauit? Si enim ignorant, recitabimus quod ſcriptum eſt: Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. Et ſecundum multitudinē miſerationum tuarum dele iniquitatem meam, & à peccato meo munda me. Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci. Si autem non ignorant, ſed ſciunt, ſilentium tenent in malo ſermone.

Cognatæ igitur & germanæ ſunt res, ſimiles imagines. atq; hic quidem Petrus, illic verò Dauid, vt magnorum virorum lapſus magna etiam venia curentur; & iis, qui grauiter deliquerunt, magna etiam miſericordia tributa ſit. Si igitur admirantur euangelia, quia Petrus miſericordiam conſecutus eſt, admirentur etiam legem, quia & Dauid miſericordiam adeptus eſt. Si autem legem accuſant, quia poſt tanta delicta non eſt Dauid data venia: neque Petrus opinione eorum querelam, & accuſationem effugiet. & videbitur quidem contra ſolum Dauid facta accuſatio; ſed reipſa eadem accuſatione accuſabitur Petrus. Si autem dixerint, bonam quidem eſſe veniam, ſed veniam veteris legis vſq; ad vnum pertigiſſe, in euangelio autem multam eſſe veniam, & pelagus condonationis. & clamat ibi Saluator: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. legant vetera, & ſubeat admiratio eorum, quæ ſcripta ſunt.

Si autem propter deſuetudinem exercitationis nolunt legere ſcripta, etiam hic deſinant accuſare. Saluator dicit: venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos, neminem prætermiſit, neminem reliquit, omnes complexus eſt. Dauid verò ait: Omnes gentes plaudite manibus. & rurſus, Auribus percipite omnes, qui habitatis orbem, quiq; terrigenæ, & filij hominum. ſimul in vnum diues, & pauper. omnes in Euangelio excitati ſunt; omnes in

lege. neminem reliquit euangelium; neminem lex omiſit. clamauit euangelium, agite pœnitentiam, appropinquauit enim regnum cœlorum. omnibus dimiſit hanc ſermocinationem; cum delinquentibus loquebatur, cum lapſis ſermonem habebat. cum iis, qui iam erant rei mortis, loquebatur, libertatem per prædicationem præconciliabat.

Profectus eſt Ionas Niniuem, quæ erat ciuitas non parua & magna gentium frequentia habitata. edidit comminationem, non reticuit pœnam, clamauit, perterruit ſermone. vidit viros, ad mutationem vitæ impulit, fecit, vt peccatum repudiarent. prænunciata cõminatio abiit, ſucceſſit miſericordia. factum eſt, q̃ vt fieret, curabatur. non enim interitus quærebatur, ſed mutatio morum indagabatur. poſtquam factum eſt hoc, & viri mutati ſunt, apparuit donum Dei, clamauit iudex patrocinium ſuſcipiens, dixit miniſtro ſuo: Si tu triſtatus es pro cucurbita, pro qua non laboraſti, quæ ſub vna nocte nata eſt, & ſub vna nocte periit, ego verò non parcam pro Niniue ciuitate magna, in qua habitant plusquam centum viginti millia hominum, & multa iumenta? & pepercit Deus, qui nunc quidem hæc dixit; in alio autem Propheta clamauit, inquiens: Nolo mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur, & viuat, qui ab iis, qui ſciunt laudes eius canere, in laudibus vocatur miſerator, & miſericors, patiens, & multæ miſericordiæ. tam ingens. n. pelagus miſerationum apud Deum eſt, vt minimã, & breuiſſimam etiam flagitioſiſſimorum ad pœnitentiam inclinationẽ non relinquat inhonoratã. Achab enim fermè ad extremũ nequitiæ proceſſerat, & cũ paulùm compunctus eſſet, honorauit eum Deus, & rem miniſtro oſtendit, & minas repreſſit, ac cohibuit, protrahens interim tempus ſupplicij, Vides, inquit, quomodo compunctus eſt Achab? non inducam mala in diebus eius, ſed in aliis diebus, idq; vt minimam aſperſionem pœnitentiæ decenti honore Deus honoraret.

Sed hæc hactenus, ne diſputatio de lege omnino prætereatur non tractata & excuſſa. Hoc ſolum addemus, fuiſſe legem vmbram futurorum bonorum, pædagogum verò adiuuare puerum, & ętatem pueritiæ, quouſq; magiſter ſuſcepta grandiore ei⁹ habitudine, maioribus diſciplinis eum tradat. commodius enim & aptius hoc principio tanquam fundamento iacto, poterit quis confirmare, quomodo lex per Moyſem data, gratia verò & veritas à Chriſto facta ſit. nos autem alias argumentationes abortionis iſtius attingamus, propoſita

alia huius opinione in ſcripturis abſona, & abſurda, vt ea excuſſa & euoluta, quoad fieri poteſt, mentes illaqueatas ex opinione amente eripere poſſimus.

Porrexit enim ſe vsq; ad fabricam mundi, & hoc, quod cernitur creatum, à diabolo creatum eſſe vult. eſſeq; hominem à diabolo formatum. atq; animam quidem à Deo, eſſe tamen corpori à diabolo aptatam, & factum hominem, qui ſubſtantiam quidem corporis ex ſubſtantia diaboli acceperit, ſubſtantiam verò animæ tanquam ſpolium & exuuias ex Deo ſumpſerit. vt anima quidem ſumpta ſit ex Deo, traxerit verò de Deo ſpolium diabolus. atque ita ex ſubſtantia diaboli, & ſpolio Deo detracto fabricatum eſſe hominem ex corpore & anima conſtantem. atq; animæ quidem non eſſe auctorem diabolum, neq; ſubſtantiã eius feciſſe, ſed ſolius ingreſſus animæ in corpus effectorẽ eſſe. detractã enim tanquam ſpoliũ, vt ipſi aiunt, in carnẽ immiſit, carnem verò ipſam, & formationem, & figuram, & talem formam, ac totam ſubſtantiam opus eſſe & formationem diaboli. Fatentes igitur factũ eſſe hominem ex contrariis, neq; quę ſit contrariorum ratio ſciunt; neq; ſciunt, eſſe quædam contraria, quæ inter ſe commiſceri non poſſunt, quia nullam inter ſe communionem, neq; miſtionem habere queunt. quin potius cauſa ſunt interitus ſui in illa, quæ putatur, communione, quia non poſſunt ſimul eſſe, immo aliud tollitur, quia aliud dominatur.

Ecce, in vno cubiculo dies & nox inueniri non poteſt, quia ſolum lumen inuentum prius ſuſtulit tenebras. Ecce, in vna anima pudicitia, & ſcortatio non poſſunt cerni, quia ſola pudicitia, ſi apparuerit, fugat, & amandat ſcortationem. ecce, pietas, & impietas in homine vno nunquam erit. vbi enim pietas cernitur, neq; ſtilla impietatis apparebit. confirmat autem Apoſtolus, & ſignat, quæ dicta ſunt. Quæ, inquit, ſocietas luci ad tenebras? Quæ pars Chriſto cum Belial? Quæ enim ſunt ſibi contraria, non poſſunt eſſe ſibi amica, & vnus concentus non poterit facere, vt quæ ſunt vnius concentus diſcrepent. nec enim ex numeroſo, & non numeroſo vnus concentus, & vna modulatio efficitur. nec ex ſilentio, & locutione vna compoſitio fit. Vnum enim ſolum eſſe oportet, altero ſublato, quod non patitur, vt ſimul ſit. Si autem corpus eſſet diaboli, & anima Dei, quomodo vnus concentus hominis ex eis conflatus eſſet? Quomodo vna amicitia, & affectio? en, aptatus, & factus eſt vnus homo, & concentu, ac conuenientia vnus eſt, ecce anima copulata eſt cũ corpore, & illud amat, & affectione

ſectione complectitur, nemo enim vnq̃ carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fouet eam. Si autem alterũ alterius curã habet, & dolorẽ corporis ſuũ ducit anima, & non diſiungit affectionib⁹; ſed adiungit ſe ad vulnera, adiũgit ſe ad affectiones; & cũ corpus dolet ꝓpter vulnera, in triſtitia & moleſtia eſt anima, quę poteſt eſſe expers doloris.

Cum verò voluptatẽ percipit, & a voluptate titillatur, anima etiam motus corporis participat; & titillationes ſimul attingit. ac ſimiliter quidẽ deſinit, accipit verò ſimiliter incrementum. Cum anima, inquam, deſinit perturbationibus moueri, ſimul deſinit corpus, & conquieſcit. Cum verò cupiditas in anima remoratur, titillationibus etiã in corpore remoratis, corpus ſuauitate perfundit, & inflammat: fiuntq; æqualiter titillationes, & æqualiter titillationum abiectiones, & defectiones. Si autem ex contrariis eſſet homo, ac corpus quidem diaboli eſſet, anima verò Dei, primum quidẽ non facta fuiſſet coniunctio vtriusq;, nec ipſa diuturna miſtio perficeretur. Secundo, quamuis alterũ ab altero reciperetur, & vtrumq; tamen, quæ ſua eſſent, propria, & priuata duceret, quæ verò alterius, aliena. & neq; voluptas corporis, animæ voluptas fieret; neq; vulnera corporis dolores animæ eſſent: ſed vtrumq; per ſe voluptatẽ, & dolorem ſibi impertiret. Quomodo diabolus illinc, ꝙ ſuum non erat, ſumere potuit? quomodo anima, quæ non eſt huius, ſed alterius, & nullã admiſtionẽ eius habet, ſed eſt alterius ſubſtãtię, & ſubſtantię oĩo à diabolo alienę, quomodo, inquã, in alienis & externis eſt? & admiſtionem corporis diaboli, tanquã vinculum patitur, & tolerat? & ligata eſt in non ſuo? quomodo carnem propriam eſſe ducit, & ſanctam facit, atq; eam ad virtutem præparat, vt quo ad fieri poteſt, ſimilem Deo efficiat? cum enim corpus caſtum eſt, & non ſordidatum, neq; maculatum, cum ſanctum eſt, & honeſtum, cum ſermo eius ſanctus, & rectus, cum aſpectus iuſtus, cum motus eius diuini ſunt, quid aliud eſt hoc, quam ſimilem eſſe Deo? ac de his quidem hæc dicta ſunt.

Pauca autem ex ſcripturis apponamus, vt appoſitio ſcripturarum illos ad erubeſcendum ſe adigat, & nobis fidem maiorem concilict. Saluator enim cum in euangelio de formatione viri & mulieris meminit, formationem ad patrem ſuum, & conditorem vniuerſi referens, aiebat: qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fœminam fecit eos, & dixit: propter hoc relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carnẽ vnam. Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit,

homo

Digitized by Google

homo non ſeparet. nouit cuius eſſet corpus, & cuius anima confitendo auctorem vtriusq;, & patrem confitendo: & retinet, accohibet humanas cogitationes, volens, vt non poſſint diſiungi, quæ facta ſunt, non concedens, vt vlla humana ſententia, ac voluntate, quæ bene aptata ſunt, ſeparare liceat· in euangelio autē iis, qui falsò videbātur eodem ſtudio & cura teneri, occulta tamen & quæ intus erant in homine, negligebant. aiebat, ſtulti, non ne qui fecit, quod foris eſt, quod intus eſt, fecit? Si autem, quod intus eſt, anima eſt, quod autem foris, corpus, & qui fecit, quod intus eſt, animam fecit, & qui fecit, quod foris eſt, corpus fecit, igitur qui eſt animæ auctor, & effector, corporis auctor & effector eſt, & Deus eſt, qui vtrumq; fecit, & aptauit, & coniunxit, qui hunc harmoniam decentiſſimam coagmentauit. ipſe autem Saluator quam accurationem corpori in ſermonibus ſuis adhibet, cum ait: ſunt eunuchi, qui ſe caſtrauerunt propter regnū cœlorum. Qui poterit capere, capiat? adhibens enim hanc diligentiam, & ſtudium corpori, & efficiens ipſum ſanctum & perturbationibus, ac voluptatibus vacuum, & omnem cupiditatem verbo amputans, & detondens, procurationem corporis demonſtrat, & curā carnis prouidam ſignificat. ſolicitudine autem, & accuratione ſuam eſſe prædicat, progrediens vsq; ad curam aſpectus. ne ſi aſpectus fortuitò, ac temerè moueatur, omni labe, & macula impleatur. quin immo ſi conſtanter, & grauiter cietur, in apta modeſtia perſeueret. ait enim in Euangelio; Omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo. commotionem in corpore cum corde commetitur, & aſpectum curans, communem curam adhibet cordi, commotionem aſpectus commotionem cordis reputans eſſe, & accurationem aſpectus, accurationem mentis. nec enim aliter nocebit oculus, quam vt nocebit mens. quia non poteſt oculus deprauari, non deprauata anima; ſi enim anima eſt in æquitate, & recte videt; aptè, & conuenienter oculi cernent.

Hic igitur repudians turpem aſpectum oculorum, ſanctum aſpectum inducit. vt oculi, inquit, recta videant, & palpebræ iuſta intueantur. erigit enim & extollit oculos, non permittens ſimul, vt flectantur, ſed potius excitat, & vt erecti ſint, facit. idcirco ſaluator gerens magnam prouidentiam, & procurationem corporum corpus geſtauit, & in corpus venit. Si igitur non venit in corpore, quid dicturi ſunt de cruce, & fixura clauorum, & lanceæ, & monumento, ac ſepultura? Sin autem his conuicti corpus ſumpſiſſe Saluatorem

confitentur, quid dicent, ſi non ſunt dicturi ipſum quoq; à diabolo formatum eſſe? & non iam ſolum corpus humanum eſſe diaboli, ſed etiam corpus Saluatoris benefici noſtri? non enim parcent, nec abſtinebunt ſe, quin vſq; in hanc cogitationem euadant, & linguam in Saluatorem protendant. Qui enim contra ea, quæ ad illum pertinent, diſputat, hic linguam acuens contra ipſum diſputabit. Saluator autem baptiſmo etiam in Iordane abluebatur, & aquis aſpergebatur, quis erat? & quid erat? Si enim corpus non geſtabat, neq; corpus habebat. Quid commune eſt ſpritibus cum fluminibus? Quis angelus, quæ virtus, quæ dominatio, quis principatus, quæ poteſtas ad lauacrum deſcendit, & aquas experta eſt? quod ſi neq; virtus, neq; poteſtas, neq; thron' in aquas deſcendit, extra quæſtionem poſita eſt res, factum eſt perſpicuum, quod quærebatur. immo aſcendit ab aquis, tenebatur à diabolo, eſuriebat, ſitiebat, nauigabat, dormiebat, iter faciebat, defatigabatur, ambulabat, eſuriens venit ad ficum. poſtremo judicatus eſt, & crucifixus. quis hæc proclamabat? quis hæc teſtabatur? taceant linguæ, loquantur acta. Os habent res, res amplius aërem pulſantes, ſonum emittamus, os habent ſcripta. & ſi nos taceamus, non tacent res. & ſi nos non loquamur, quæ ſcripta ſunt, non poſſunt non loqui.

Igitur quia ſic ſunt hæc. & acta fidem habent, & narratio actorum vera eſt, & clamant ipſæ actiones vi ſua, habuiſſe corpus Saluatorem, & corpus mortale, & quod propter noſtra corpora corpus geſtauit, quod reliquum eſt, ſimile quærit, propter nos venit illius corporis ſui effector, & noſtrorum effector. Si enim aliud fuiſſet illud, curam aliis non adhibuiſſet corporibus. Si autem factum eſt, & factum à Deo, factum verò eſt propter nos, igitur propter propria fiebat, vt quæ propria erant, ſalua eſſent. illud fecit, illius effectione omnium ſuorum libertatem operatus; gratiæ igitur debentur ei, qui corpora noſtra fecit, qui eorum ignauiæ, atq; pigritiæ proſpexit, & conſuluit: qui miſit filium ſuum in corpore, & noſtris corporibus pignus dedit, vt non iam amplius flectamur, & humi cernamus, ſed ſimus elati, & erecti communitate corporum.

Id eſt, ſi non fuiſſet eiuſdem naturæ corpus ſcilicet humanum anima intelligente præditum.

Illos igitur deceptores & fallaces in hoc etiam attenuemus, quod in corpora inuaſerunt, & in corpus auctoris proceſſerunt, ac contra œconomiam, & diſpenſationem Dei linguam extenderunt, ac contra libertatem noſtram ad vſum & exercitationem linguæ loqui non dubitauerunt circulatores quidam, & circumforanei. congeſſimus

Digitized by Google

acervuum verborum prauitatis iſtius. licet enim ex vno aliud accuſare, immo omnia deinceps perſequentes, omnia inutilia, & aliena exiſtimare, idcirco nos omnem ſermonem ipſorum huc vſq; delapſi, ne magnitudinem libro præbeamus, his hactenus dictis terminemus, facta ex paucis aliorum indicatione, & ex dictis prius eorum confutatione confecta. opus autem eſt diligentia ſtudioſis, vt omnes præſtigias præteruecti aures ſeruent, ne à prauitate capiantur, vt ſint cuſtodes ſuarum aurium. partim eas aperientes, cum verus ſermo pulſat, partim claudentes, cum falſus, & doloſus, veritatem ſimulans laborat, vt in conclaue mentis irrumpat. multi enim ficti, & ſimulati pulſant aures, dicentes, ego ſum Chriſtus, & multos decipient. vnus autem ſolus Chriſtus, qui eſt liberator, præſes victoriæ, beneficus, qui diſpoſitione pulſat, qui libertatem in ipſo aditu conciliat, qui ſimul vt ingreditur, peccata excludit, qui in ingreſſu, amicitiam cum patre tribuit, qui mox ingrediens trophæa in anima ponit.

Finis libri tertij.

Digitized by Google

ZACHARIÆ
MITYLENENSIS
EPISCOPI
Syntagma
Aduerſus
MANICHÆOS
Nunc primùm in lucem editum.

Interprete.

Franciſco Turriano,
Societatis IESV.

Digitized by Google

DE ZACHARIA EPISCOPO MITY-LENENSI EX EPIT. BIBLI-OTH. GESN.

ZAchariæ Scholaſtici (aliâs Sophiſtæ) Et Epiſcopi Mitylenenſis Dialogus, qui inſcribitur Ammonius aut Philoſophus, Græcè exſtat Venetiis apud Diegum Hurtadum. Item liber de mundi æternitate. Fertur & Romæ quippiam Zachariæ Philoſophi exſtare. Eiusdem exſtat Dialogus Theophraſtus, de immortalitate animæ. Vbi duplex error, primus, cum Dialogum, cuius inſcriptio, Ammonius, diſtinguit, tanquam diuerſum opus, à libro de mundi æternitate; cũ ſit vnus & idem liber. Secundus, cum Dialogum, Theophraſti nomine prænotatum eidem Zachariæ adſcribit: Eſt enim Æneæ Gazæi Platonici Philoſophi, relatus in tomum nonum Bibliothecæ ſanctorum Patrum.

Porro

Digitized by Google

Porro Dialogum contra Mundi æternitatem in latinam linguam tranſtulit Gilbertus Genebrardus, inſertusq; eſt in tomum quartum Bibliothecæ SS. Patrum. De eodem Zacharia hæc annotauit collector Bibliothecæ SS. Pp. in Indice Chronologico, *Zacharias ex Scholaſtico Mitylenenſis Epiſcopus, deputatus à Mena Patriarcha, & concilio Conſtantinopolitano ſecundo, Oecumenico quinto, centum ſexaginta quinq; patrum, contra Anthymũ & Theodorum ſub Vigilio Pontifice, temporibus Iuſtiniani & Iuſtini Impp: cum Voſporio Neocaſarienſi Metropolita Prouinciæ Ponti Polemoniaci, & Acacio Peſsinuntino, ad notificãdum Anthymo, quæ à concilio geſta eſſent de eius exauctoratione ab Epiſcopatu Conſtantinopolitano, & inuitare ipſum infra tres dies ad ſynodum ad faciendam ſuper annunciatis congruam ſatisfactionem. Retulit cum aliis, quæ in ea re geſſerant, ſubſcripſitq; Concilio poſt conſulatum Fl. Belliſſarij.* Hæc ille. Tu ipſamet Acta Concilij Quinti conſule; quæ Zachariam non modò Epiſcopum, ſed & Metropolitam Mitylenenſem appellant.

ZACHARIÆ EPISCOPI MITYLENES DISPVTATIO CONTRA EA, QVÆ DE DVOBVS PRINCIPIIS A MANIchæo quodam ſcripta & proiecta in viam publicam reperit Iuſtiniano Imperatore.

SI ſunt in omnibus contraria principia, quæ ponis, vnum bonum, quod vocas, & alterum malum, neceſſe eſt, ſi bonum ſubſtantiam eſſe dicis, malum non eſſe ſubſtantiam. Si bonũ dicis principium eſſe, malum non eſſe principium: Si bonum eſſe ingenitum, & æternum, malum non eſſe ſic. Si enim hæc communia habent omnia, quomodo ſunt contraria? Præterea. Contraria non quatenus ſubſtantia ſunt, dicuntur eſſe contraria, ſubſtantiæ enim nihil eſt contrarium, ſed aut quatenus ſunt ad aliquid, aut ſecundum qualitatem, & accidens, aut ſecundum habitum & priuationem: ex quo fit, vt primo & ſoli bono, cum nihil horum habeat, nihil ſit contrarium, quia ſecundum ſubſtantiam eſt bonum, ſubſtantiæ verò nihil eſt contrarium. contraria enim dicuntur ſurſum, & deorſum non quatenus ſubſtantia ſunt, ſed quatenus ad aliquid. Quæ autem ſunt ad aliquid, cum natura corporea adnexa ſunt, non igitur in natura incorporea, & quæ omnibus antecellit & quæ intelligitur comprehendi non poſſe, locum habent ſurſum & deorſum.

Et timor contrarius dicitur fortitudini non tanquam ſubſtantia aliqua, ſed tanquam qualitas & accidens, quod ſæpe adeſt, & abeſt. fortitudo enim, & timor in anima ſpectantur non tanquam ſubſtantiæ, ſed tanquam qualitates. Quocirca non dicuntur animæ, ſed circa

animam

animam conſiderantur fortitudo tanquam habit⁹ animæ, timor tanquam priuatio habitus. Sicut ſanitas, & morbus in corpore. vnde neceſſe eſt priores eſſe habitus priuationibus. ſummæ igitur amentiæ eſſet cogitare hoc in Deo. diſtinctio enim boni à malo non habet locũ in Deo, ſed in bono, & malo actionũ humanarum: bono quidem in creaturã Dei ingrediente ſecundũ habitum; malo verò ſecundum priuationẽ habitus ex motu liberæ volũtatis accedente ſæpe. bonum enim in anima, & viuere ſecundum virtutem tanquam optimus quidam habitus, ſicut dictum eſt, aduenit homini: huius verò ignauia ex voluntate, & ex praua cõſuetudine, ac conuerſatione mala proficiſcente, malum tamquam priuatio habitus ſæpe accidit.

Rude igitur eſt, & valde ineruditum dicere contrarium bono ſecundum ſubſtantiam, & per ſe bono, malum, ſicut contraria ſunt ſurſum & deorſum; aut eſſe omnino aliquid contrariũ bono ſecundum ſubſtantiam, quod eſt ſolus Deus. nemo enim bonus, niſi vnus Deus, quia ipſius bonum tantum eſt immutabile, tanquam primum bonus, & ſecundum ſubſtantiam bonus, qua ratione nihil eſt ei contrarium. q[illegible]re malum non eſt ſecundum ſubſtantiam, ei enim quod eſt, opponit̃ diuidendo, quod non eſt, vnde non eſt ſubſtantia, quod non eſt. Si autem quod non eſt, non eſt ſubſtantia, & opponitur ſubſtantiæ, diuidendo, vt ais, bono, quod eſt ſubſtantia, malum; malum igitur non eſt ſubſtantia.

Si autem hæc ſic habent, & aliter bonum, quod eſt in Deo, conſideratur, qui eſt bonum à ſe ipſo motus, & ſecundum ſubſtantiam bonum, & quod primum bonũ intelligitur; aliter verò conſideratur in hominibus, quod ſæpe priuationem habitus proprij voluntariam recipit, & veritas eſt cum iis, quę ſic intelliguntur, & dicuntur, an non eſt barbara, & ſtulta, & ex omni parte repugnans fabula de duobus principiis, quæ communes notiones non probant? Quomodo enim eſſe poterit ἀρχὴ, quæ non in omnibus principatum tenet? *Principium.* ſi autem neceſſe eſt, vt in omnibus principatum teneat ἡ ἀρχὴ, vnus ſolus erit princeps, quod principium vocamus. igitur malum non eſt ſubſtantia, ſed diuinæ legis transgreſſio, quæ ex ſolo motu liberæ voluntatis ignauis ratiocinatoribus accidit, & in ſola actione non obtemperantium legi Dei cernitur. vnde in ea ineſt, vt poſſit deſinere, cum pœnitet ſæpenumero eos, qui maleficium faciunt, & ad virtutem motu voluntatis redeunt, quod quidem documento eſt, non eſſe mala ſecundum naturam.

Quæ

Digitized by Google

Quæ enim ſecundum naturam ſunt, vinci non poſſunt. Si autem mala non ſunt natura, & naturarum fabricator Deus eſt, vnum igitur & ſolum principium erit, quod quia incircumſcriptum eſt, & vbiq; eſſe intelligitur, nullum locum dat nequitiæ, quæ non eſt.

FINIS.

Exce-

Excerpta:

EX LIBRO S. HIPPOLYTI

Episcopi

POTVRENSIS

ET MARTYRIS,

De

THEOLOGIA ET INCARNAtione contra Beronem & Helicem Hæreticos.

Nunc primùm in Lucem edita:

Interprete

Franciſco Turiano, Societatis IESV.

V Lectori.

Digitized by Google

Lectori.

QVis quantusq; Hippolytus Portuenſis accurratè explicatum inuenies apud Card. Baronium Tomo II. Anno Chriſti 229. Summa eſt, fuiſſe Metropolitanum Arabiæ; veniſſe Romam Sub Calliſto Pontifice: honoratum ab illo, Epiſcopatu Portuenſi: ſcripſiſſe, (Euſebio id atteſtante) commentarios in Hexaëmeron. Librum contra Marcionem. Explanationem in Canticum Canticorum. Expoſitionẽ in aliquot partes Ezechielis. Librum de Paſchate. Librum contra omnes hæreſes. Commentarios in Iſaiam, (vt refert S. Hieronymus) In Danielem. In Zachariã. In Pſalmos. In Eccleſiaſten. De Saul & Pythoniſſa. De Antichriſto. De Reſurrectione, & πρὸς ὁμιλιῶν de laude Domini Saluatoris. Epiſtolam ad Reginam quandam (teſte Theodoreto) Orationem de duobus Latronibus. Item in Helcanam & Annam; & in principium Iſaiæ. Librũ de diſtributione talentorum. Item aduerſus Valentinianos, & alia multa. Tandem Martyrium

ſub

Digitized by Google

ſub Alexandro Imperatore ſubiiſſe. Hæc ſumma eorum eſt, quæ illuſtriſsimus Annalium ſcriptor ex veterum monumentis de Hippolyto memoriæ prodidit.

Porrò cum Hippolytus aduerſus omnes Hæreſes ſcripſerit; & Euſebij tempore, ipſo Euſebio teſte, multæ eius lucubrationes (quarum relatione Euſebius ſuperſedet) paſsim fuerint adſeruatæ, difficile creditu non eſt, inter illas etiã fuiſſe hoc de Theologia & Incarnatione opus contra Beronem & Helicen, Valentiniani hæretici deſertores. Ex quo opere Excerpta tibi damus; beneficio ſummi viri Franciſci Turriani: abſq; quo fuiſſet; planiſsimè hæc & alia multa antiquitatis monumenta perierant. Exploratum autem eſt errorẽ illum de humanitate Chriſti in diuinitatem mutata (contra quem diſputat Hippolytus) non cum Appollinari & Eutyche demùm natam, & in orbem introductam; ſed longè Antiquiorem eſſe; cum illius Iuſtinus Martyr meminerit, in Expoſitione fidei vbi huius ſententiæ hæreticos his verbis exagitat. *Dicite nobis vos, qui Chriſtianiſmum profiteri ſimulatis; qui vt duas naturas tollatis, talia inueſtigatis & obtenditis: qui miſtionis & confuſionis & corporis in Deitatem, ita vt*

commiſceatur, mutationis, eiuſcemodi dubias ambiguitates concinnatis; qui nunc verbum in carnem conuerſum; nunc carnem in verbum ſubſtantia ſua conuerſum eſſe aſſeritis; & per id genus mentis emotiones & delirationes vosmetipſos ne tantillum quidem ſapere manifeſtè declaratis: dicite ergò nobis, quomodo Verbum cœlos non reliquit? &c. Diſſerit deinceps Iuſtinus copioſè contra hunc errorem, eumq́; euidenter extremæ vanitatis, & vt ſic loquar, *impoſsibilitatis* coarguit. Hæc eò notare viſum, ne quis ſuſpicaretur Excerpta hæc ex Hippolyti officina non prodiiſſe; quod refellunt dogma à poſterioribus ſectariis demùm excogitatum. Fallitur, quisquis eſt hoc animo. Nam error ille vetuſtiſsimus eſt; vt ex Iuſtino Hippolytum ætate antegreſſo demonſtrauimus.

Excer-

Excerpta ex libro

S. HIPPOLYTI MARTYRIS ET EPI-SCOPI PORTVENSIS DE THE-OLOGIA, ET INCARNATIONE CON-tra Beronem & Helicem Hære-ticos.

VOluntate Dei, quæ infinitæ potentiæ eſt, facta ſunt omnia: & poſtquam facta ſunt, ſalua manent ſingula ſecundum ſuas rationes ordinatè conſeruata ab ipſo Deo in immenſum prępotente, & auctore vniuerſitatis rerum, diuina eius voluntate, qua omnia fecit, & mouet ſingula ſuis legibus naturalibus gubernata, manente cum eis immobili. infinitum enim nullo modo, aut ratione motum ſuſcipit, non habens quo, aut circa quod moueatur. motus enim infiniti natura, cui non ineſt natura, vt moueatur, mutatio ipſius infiniti eſt. Quamobrem Verbum Dei, quod verè, vt nos ſumus, factum eſt homo ſine peccato, operatum & paſſum humanè, quæcunq; naturæ humanæ ſunt citra peccatum; & ſuſtinens propter nos natutalem carnis circumſcriptionem, mutationem non ſuſtinuit, qui eſt idem cum patre, in nulla penitus re factus idem carne propter exinanitionem. quin potius ſicut erat expers omnis carnis, extra circumſcriptionem manſit. per carnem diuinè operans, quæ diuinitatis ſunt & vtrumq; ſe eſſe demonſtrans per ea, quę vtroq; modo, diuinè ſcilicet, & humanè, operatus eſt ſecundum ipſam verè veram & naturalem eſſentiam, vtrumq; inquam ſe eſſe, & intelligi, Deum infinitum, ſi- Cap. I.

Digitized by Google

mul & circumſcriptum hominem, ſubſtantiam vtriusque perfectè perfectam habentem cum ipſa operatione, id eſt, naturali proprietate.

Ex quibus operationibus, & proprietatibus ſcimus manere ſemper ſecundum naturam ſine mutatione ipſarum ſubſtantiarũ differentiam. ſed non, ſicut quidam aiunt, ſecundum comparationẽ, ne eundem ſibi ipſi ſecundum idem, quod non licet, maiorem, & minorem dicamus. comparationes enim ſunt eorum, quæ eiusdem naturę ſunt, & non quæ diuerſæ. cum Deo autem auctore omniũ factorum, & infinito finitore finitorũ, & cum ipſa infinitate nulla ratione comparatur finitum. quæ naturaliter & nõ comparatè per omnia ſemper inter ſe differunt. tametſi facta eſt vtriusq; ſubſtantiæ vnio inexplicabilis, & indiſſolubilis in vnam hypoſtaſim. vnio, inquam, quæ omnem cognitionẽ omnis creaturæ omnino fugit. diuinitas enim ſicut erat ante incarnationem, eſt, & manet ſecundũ naturam poſt incarnationem infinita, ſoluta & libera omni habitudine, impaſſibilis, incomparabilis, immutabilis, immobilis, per ſe fortis, & vt omnia complectar, ſola eſt per ſe ſecundum ſubſtantiam infinitæ potentię & bonum infinitum.

Eiusdem ex eodem libro.

Cap. II. FActus igitur eſt Deus vniuerſorum non mutatus vere homo ſecundum ſcripturas, ſine peccato, ſicut ipſe ſolus nouit, qui eſt natura artifex eorum, quæ intelligentia comprehendi non poſſunt, qui in ipſa ſimul incarnatione operationẽ propriæ diuinitatis carni impoſuit, non circumſcriptam ipſa carne propter exinanitionẽ, neq; ſicut erat diuinitatis, ſic ab ipſa carne naturaliter prodeuntem, ſed oſtenſam per carnem in iis, quæ incarnatus diuinè operatus eſt. non enim caro facta naturæ diuinitatis, caro facta eſt naturà diuinitas, mutata natura ſua. Sed quod erat, manſit ſecundum naturam, & operationem, vnita cum natura diuina, ſicut ſaluator dixit; Spirit' quidem promptus, caro autem infirma: in qua operatus, & paſſus, quæ erant carnis ſine peccato, fidem fecit exinanitionis pro nobis factæ in diuinitate, miraculis, & paſſionibus carnis naturaliter confirmatam.

Idcirco enim factus eſt Deus vniuerſorum homo, vt patiens in carne paſſibili, totum genus noſtrum morti uenditum redimeret; diuinitate autem impaſſibili operans per carnem miracula, ad ſuam immortalem, & beatam vitam reduceret, & in cœlis ſanctos ordines cœ-

Digitized by Google

litum myſterio ſuæ incarnationis ad immutabilitatem roboraret, cuius opus eſt omnium ad eum tanquam ad caput reuocatio. manſit igitur incarnatus ſecundum naturam Deus ſupra quam infinitus habens operationem ſibi cognatam, & conuenientem, ex diuinitate quidem prodeuntem ſecundum ſubſtantiam, per ſanctam verò carnem in miraculis œconomice perfectam, vt crederetur Deus eſſe, qui per carnem natura infirmam ſalutem vniuerſi operabatur.

Ex eodem libro.

Mihi etiam, vt exemplo planum faciam, quod de Saluatore dictum eſt, ratio mea naturalis cognata eſt, & congruens, qui ſum ratione præditus, & anima intelligente, cuius eſt operatio, qua è e anima mouetur, & prima potentia ſemper mobilis ratio naturalis ex ipſa manans. quæ cum verbum à me facta eſt, & lineis bene ſignata, lingua quidem inſtar inſtrumenti aliquando eam profero, & litteris artificioſè per diſſimilia non mutatam oſtendo, vt audiatur. non enim ratio mea naturalis, eſt linguę & litterarũ, etſi per linguam, & litteras eam profero; ſed ex me eſt, qui ſecundum naturam loquor, & eam per linguam, & litteras promo; ex mea quidem anima intelligente naturaliter ſemper manantem, per linguam verò meam corpoream organicè, vt dixi, quando oportet prolatam. Sicut igitur in nobis, quo ad licet aſſimilare (quod penitus aſſimulari non poteſt) per linguam noſtram corpoream, immutabiliter facultas rationalis ſecundum naturam animæ profertur; ſic in Dei corporatione, ſiue incarnatione, quæ ſupra naturam eſt, per ipſius ſanctam carnem in iis, quæ diuinè operabatur, citra mutationem omnipotens, & omnium effectrix diuinitatis operatio oſtendebatur, extra omnem circumſcriptionem ſecundum naturam remanens, quamuis per carnem natura finitam elucebat. non enim poteſt per naturam creatam circumſcribi id, quod natura ſua eſt increatum, quamuis vnitum eſt ei in conceptu omnem mentẽ circumſcribente, neq; poteſt vnquam ferri in eandem naturam & operationem naturalem, dum vtraq; natura intra ſuã naturalem immutabilitatem manet. eorum enim ſolum quæ ſunt eiuſdem naturæ, eſt motus idem operans, qui ſubſtantiam declarat, cuius eſt poteſtas naturalis, quæ nulla ratione poteſt eſſe proprietas diuerſæ ſubſtantiæ citra mutationem. Cap. III.

Eius-

Eiusdem ex eodem libro.

Cap. IV. MYſterium enim diuinæ incarnationis ab Apoſtolis,& Prophetis,& doctoribus iudicatum eſt duplicem & differentem conſiderationem naturalem in omnibus ſubire, perfectæ diuinitatis, & perfectæ humanitatis. itaq; dum non vna ratio ſecundum ſubſtantiam noſcitur, nequaquam vnius operationis motus vnquam vtcunque in ambabus naturis cognoſcetur. Qui enim natura ſemper eſt Deus infinita poteſtate: factus, ſicut voluit, homo ſine peccato, quod erat, eſt cum illis omnibus, cum quibus intelligitur Deus, & quod factus eſt, eſt cum illis omnibus, cum quibus intelligitur, & poteſt natura cognoſci homo. non excidens à ſeipſo, ſed in vtraq; natura ſemper firmiter permanens, ſeruans ſibi perfecta, & immutabilia naturaliter ſecundum vtriuſq; naturę rationem illa, quibus diuinè ſimul & humanè operatus eſt.

Eiusdem ex eodem libro.

Cap. V. QVidam enim Beron nuper cum aliis quibusdã, relicta fictione Valentini, grauiore malo ſe transfixerunt, cum aiunt; Carnem a verbo aſſumptam vnam & eandem operationem habere, quã diuinitas, propter aſſumptionem; diuinitatem verò eandem paſſionem, quam caro, propter exinanitionem; ſic mutationem ſimul & mixtionem, ac confuſionem, & ambarum naturarum in ſe ipſas conuerſionem tradunt. Si enim caro aſſumpta eandem operationem habet, quam diuinitas, liquet factam eſſe natura Deum, habereq; omnia, cum quibus naturaliter intelligitur Deus: & ſi diuinitas exinanita eandem paſſionem ſubit, quam caro, liquet factam eſſe natura carnem, habereq; illa omnia, cum quibus naturaliter noſci poteſt caro. quæ enim inter ſe ſunt eiusdem operationis, & efficientiæ, ac cognitionis, & omnino idem patiuntur, nullam naturæ differentiam recipiunt, atq; ita naturis inter ſe confuſis erit Chriſtus duæ perſonæ, vna verbum, tertia ſcilicet perſona Trinitatis; & altera ſine differentia naturarum, naturis inter ſe confuſis, atq; ita erit pro Trinitate quaternitas, ſcelus maximè fugiendum: & quomodo ipſe vnus eſt, & idem Deus ſimul natura, & homo Chriſtus? Quam eſſentiam habebit eorum opinione factus homo mutata diuinitate in carnem? & quam habebit Deus, mutata carne in Deum? mutatio. n. duarum naturarum inter ſe, interitus eſt ambarum. Sed rurſus conſideremus aliter hanc rem.

Digitized by Google

Eiusdem ex eodem libro.

PIum dogma ſancitum eſt Chriſtianis, eſſe Deum ipſa naturâ, & operatione, & omni alia re, quæ ipſius naturæ conuenit, æqualem ſibi; & † idem ipſum eſſe Deum, nihil eorũ, quæ ipſius ſunt, omnino habẽtem inæquale, & † impar. Si igitur ſecũdum Beronem caro aſſumpta eiusdem cum ipſo Deo operationis naturalis facta eſt, liquet factam quoq; eſſe eiusdem naturæ, habereq; omnia, cum quibus natura Dei intelligitur, carere principio, eſſe ingenitam, infinitam, æternam, incomprehenſam, & ſimiliter in reliquis, quæ ratio Theologica ſuperlatè, & ſupra naturam in diuinitate contemplatur. & vtraq; natura mutationem paſſa eſt, cum nihil eorum, quæ propriæ naturæ ſunt, rationem ſubſtantiæ ſaluam, & incolumem retineat. Qui enim eandem operationem diuerſis naturis Chriſti tribuit, confuſionẽ naturalem ſimul introducit, & diuiſionem perſonarum. cum naturalis eſſentia naturarum per mutationem proprietatum penitus ſublata ſit.

Cap. VI.

† ταὐτὸν. † ἀκατάλληλον.

Eiusdem ex eodem libro.

IN hunc errorem adducti ſunt, cum malè eis ſuaſum eſſet, fieri propriam carnis operationem ipſam diuinam operationem, quæ in miraculis per carnem oſtenſa eſt, qua diuina operatione Chriſtus quatenus intelligitur Deus, vniuerſum & fecit, & continet, & ei dominatur. non enim intellexerunt impoſſibile eſſe operationes diuinę naturæ fieri proprias diuerſæ naturæ ſine mutatione: nec intellexerunt, non omnino proprium carnis eſſe, quod per ipſam quidem promitur, ſed non ex ipſa naturaliter prodit, cum alioqui manifeſta & perſpicua eſſet eis huius rei demonſtratio. ego enim, qui lingua loquor, & manu ſcribo, vnam & eandẽ meę animæ, intelligentis notionem enuncio, quæ naturalis operatio ipſius eſt, quam nulla ratione oſtendo ex lingua, aut manu naturaliter naſci, nec eſſe, aut dici notionem linguæ, aut manus, quia per linguam, & manum enunciata ſit. linguam n. aut manum ratiocinantem nullus intelligentia præditus nouit. Sicut neq; ſanctam Dei carnem factam eſſe natura creatricem, quia aſſumpta fuerit, & quia per eam operatio diuina edita ſit; ſed potius piè credimus, & confitemur, quod propter noſtram ſalutem, & quia vniuerſum immutabilitate indigebat, creator omnium ex ſancta Virgine Maria, in conceptu puro, ſine mutatione animam

Cap. VII.

Digitized by Google

intelligentem cum corpore ſentiente ſibi ſubſtantialiter vniens factus eſt homo natura à peccato alienus Deus verbum idem Deus totus, idem itèm homo totus, diuinitate quidem diuina operans per ſanctam carnem, quæ natura non erant carnis; humanitate verò humana, quæ natura non erant diuinitatis patiens ſuſtentatione diuinitatis, nihil diuinum nudum corpore operans, nihilq; humanum expers diuinitatis, ſeruans ſibi nouum modum, quo vtraque diuina ſcilicet, & humana operatus eſt, vt in neutra natura mutatio fieret, idque ad faciendam fidem perfectæ ſuæ humanitatis veræ reuera & nihil praui habentis. Berón igitur cum ſic, vt dixi, ſentiret confundens diuinitatem Chriſti, & humanitatem ſimul naturaliter, diſſoluit vitam, ignorans vnam & eandem operationem vim habere declarandi ſolam vnam & eandem naturam perſonarum eiuſdem naturæ.

FINIS.

Epiſto-

Epiſtola

S. GREGORII NYSSENI

CONTRA APOLLINARIUM.

Ad

THEOPHILVM ALEXANDRINUM ARCHIEPIſCOPUM.

Interprete

Franciſco Turriano,
Societatis IESV.

Nunc primùm edita.

Digitized by Google

Lectori.

ANTE paucos annos ex tenebris in lucem prodiit Græcè & latinè hæc D. Gregorij Nysseni Epiſtola. Sed quia in ſchedis Turriani iam pridem eam ab eodem Turriano ex Græco in latinũ tranſlatam reperimus; nefas viſum eſt, tanti viri, deq; antiquitate tam benè meriti laborem publici iuris non facere; quia hæc editio fortaſſis eò perueniet, quò aliæ non peruenerunt; & vt cum aliis concurreret; facilè tamen cùm Quinti Tomi Antiquæ lectionis, tum Turriani Interpretis nomine ſeſe in gratiam tuam, amice Lector, inſinuabit.

Vale.

Digitized by Google

GREGORII NYSSENI EPISTOLA AD THEOPHILVM ARCHIEPISCOPVM ALEXANDRINVM

de incarnatione contra Apollinarium.

NOn ſolum vbertate ſæcularis ſapientiæ abundat magna ciuitas Alexandrina, ſed à principio etiam ea, quæ apud nos vera ſapientia eſt, ſcatent fontes. quocirca, vt mihi videtur, ab iis oportet, veritatem myſterij incarnationis defendi, quibus maior eſt ad hoc faciendum facultas: ait enim alicubi ſublime euangelium; Cui multum datum eſt, plus ab hoc exigetur. æquum igitur eſt, vt omnes vires tuas, & eccleſiæ tuæ ex gratia Dei profectas opponas falſi nominis ſcientiæ eorum, qui ſemper aliquid nouum contra veritatem excogitant, à quibus ſcinditur quidem conſenſus, ne idem dicamus ſecundum Deum; tacetur verò magnum, & veneratione dignum nomen Chriſtianorum, & in appellationes ab hominibus ſumptas eccleſia partitur. & quod omnium grauiſſimum eſt, gaudent homines nominibus eorum appellari, quos duces, & magiſtros erroris habent.

Si igitur fieri poſſet, vt quod Propheta optabat, vniuerſè perduceretur ad exitum, & deficerent peccatores à terra & ſcelerati, vt non eſſent ipſi ſuperſtites, eſſet quidem hoc vnicuiq; pręponẽdum; ſed quia ſermones ſceleſtorum valentiores ſunt, & in operatione Satanæ vires contra veritatem habent, contenti eſſe debemus, ſi ſaltem mala imminuamus; prohibeamusq;, ne vlterius malorum accretio progrediatur. Quid igitur hoc eſt, quod volo dicere? Qui dogmata Apollinarii defendunt, conantur accuſando nos ſua confirmare, verbum, & auctorem ſæculorum, filium hominis dico, facientes car-

neum,& diuinitatem filij mortalem. proferunt enim, quaſi quidam ſecundum Catholicam eccleſiam duplicem filium in dogmate profiteantur vnum natura, alterum poſitione poſtea aſcitum. neſcio à quonam hoc audierunt; neque contra quem pugnent. nondum enim intellexi, quis hæc falſo dixerit.

Cæterum quia qui huic cauſę contra nos defendendę pręſunt, opiniones ſuas confirmant, quia videmur illis hoc abſurdo teneri, recte fiet, ſi ſicut ſpiritus ſanctus in animum tuum induxerit, excindas occaſiones eorum, qui contra nos occaſiones quærunt, & eis, qui per calumniam, eccleſiæ Dei hæc in crimine obiiciunt, ſuadeas nec eſſe neq; prædicari apud Chriſtianos hoc dogma. nec enim quia auctor ſæculorum nouiſſimis diebus in terra viſus, & cum hominibus conuerſatus eſt; idcircò duo filij in Eccleſia numerantur, vnus auctor ſæculorum, & alter qui in fine ſæculorum per carnem in vita humana apparuit. ſiquis enim apparuiſſe vnigenitum filium Dei per carnem in myſterio diſpenſationis, ad fabricandum alterum filium valere intelligit, is quidem, cum numerauerit, quoties Deus ſanctis apparuit, antequam vnigenitus Dei filius in carne appareret, & quoties poſtea iis, qui digni habiti ſunt, Deus ante incarnationem filij Dei viſus eſt, ſecundum numerum huiuſmodi apparationum Dei multitudinem filiorum faciet: eritq; ei vnus quidem filius, qui Abraæ reſpondit; alius vero, qui apparuit Iſaac; alius, qui cum Iacob luctatus eſt; alius, qui Moyſi variè apparuit in lumine; in caligine; in columna nubis; facie ad faciem; in poſterioribus; alius rurſus filius, qui adfuit in acie Ioſue ſucceſſori Moyſis; alius qui per procellam reſpondit Iob; & qui Eſaiæ in ſublimi ſolio apparuit; & qui humano habitu ab Ezechiele verbis deſcriptus eſt; & poſtea in lumine circumfulſit Paulum; & qui ante Petro & iis, qui cum Petro erant, in monte in celſiore gloria viſus eſt. Si vero hoc abſurdum eſt, & penitus impium varias vnigeniti filij Dei viſiones in numerum filiorum Dei partitè referre, æque abſurdum eſt, quod in carne apparuit, inde occaſionem ſumere alterum filium fabricandi.

Arbitramur enim ſecundum menſuram facultatis cuiusq; eorum, quibus apparet Deus, apparuiſſe ſemper, magis quidem & diuinius iis, qui poſſunt penetrare in altum; minus autem, & tenuius iis, qui non poſſunt maius capere. quamobrem non ſimiliter vt ante, in diſputatione per carnem facta hominibus apparuit, ſed potius quia omnes, ſicut ait Propheta, declinauerunt, & inutiles facti ſunt,

Digitized by Google

& non erat, ſicut ſcriptum eſt; qui poſſet intelligere, & exquirere altitudinem diuinitatis. idcirco vnigenitus Dei filius apparens generationi magis carni deditæ, caro fit contrahens ſeipſum, pro paruitate recipientis; quin potius, ſicut ait ſcriptura, exinaniens; vt quantum natura capere poſſit, tantum recipiat. fuiſſe enim generationem illam magis damnatam, quam ſuperiores, ex ore Domini apertè intelleximus, cum ait, tolerabiliores eſſe Sodomitas, quam ipſos, & Niniuitas, ac reginam Auſtri condemnaturos eſſe in reſurrectione generationem illam, Dominus pronunciauit. Si ergo omnes potuiſſent ſicut Moyſes, eſſe intra caliginem, in qua vidit Moyſes inaſpectabilia; aut ſicut Paulus eleuari ſupra tertium cœlum, & doceri in paradiſo de rebus ſublimibus, quæ dici non poſſunt; aut ſicut Elias Zelotes ſimul cum igne in ſublime ferri, & corpore deorſum trahente non deprimi; aut ſicut Ezechiel, & Eſaias in ſolio gloriæ videre vel eleuatum ſupra Cherubin, vel glorificatum à Seraphin; plane neceſſe non fuiſſet, vt Deus noſter in carne appareret, ſi tales fuiſſent omnes. Quia vero ſicut Dominus dixit, praua & adultera erat generatio illa, praua quidem, quoniam ſicut ait ſcriptura, totus mundus in maligno erat tunc poſitus; adultera verò, quia ſeparata à bono ſponſo, cum eo, qui per vitium adulterat animas, ſe miſcuerat; ob hanc cauſam verus medicus, qui curat eos, qui malè habent, quam curationem requirebat morbus, hanc adhibuit ægroto, quodammodo ſimul infirmatus cum infirmitate noſtræ naturæ, & factus caro; quæ in natura ſua concretam habet infirmitatem. ſicut diuinus ſermo docet, cum ait: ſpiritus promptus eſt, caro autem infirma.

Si igitur cum diuinum fuit in humano, & immortale in mortali, & potens in infirmo, & immutabile atq; incorruptibile, in mutabili, & corruptibili, permiſit remanere mortalitatem in mortali, & corruptibilitatem in corruptione, & alia ſimiliter in aliis, rectè, & conuenienter duplicia contraria poſſet quis contemplari in filio Dei numerans vtrumque contrariorum ſeparatim in ipſo. Sin verò mortale in immortali, immortalitas effectum eſt; & ſimiliter corruptibile in incorruptibilitatem mutatum eſt, & alia eodem modo conuerſa ſunt in impaſſibile, & diuinum, quæ iam ratio relinquitur diuidendi vnum in duplicem differentiam? ſiquidem verbum & ante carnem, & poſt carnem verbum erat, & eſt: & Deus ante

formam

Digitized by Google

formam ſerui, & cum forma ſerui Deus eſt; & verum lumen priuſquã luceret in tenebris, & poſtea quam luxit, verum lumen eſt. Si igitur omne quod Deum decere intelligit, imutabile ſemper in vnigenito eſſe cognoſcitur, & idem ſemper eſt, & eodem modo ſe habet, quomodo vllus cogit nos, eum qui per carnẽ apparuit, duplicem filium nominare? tanquam vnus ſit filius ante ſæculum; & alter filius per carnem Deo generatus. nos enim naturam quidem humanam ſeruari vnitam verbo in myſterio incarnationis & didicimus, & credimus; filium verò Dei carneum ſeparatim in ſe ipſo ſpectatũ neq; didicimus, nec vlla conſequentia ad in telligendum hoc inducimur. nec enim, qui factus eſt propter nos peccatum, & maledictum, ſicut Apoſtolus ait, & qui infirmitates noſtras, ſicut ait Eſaias, ſuſcepit, reliquit circa ſeipſum ſine medicina peccatum, & maledictum, atq; infirmitatem; quin potius mortale abſorptum eſt à vita; & qui crucifixus eſt ex infirmitate, viuit ex virtute; & maledictum mutatum eſt in benedictionem; & quicquid noſtræ naturæ infirmum eſt, & caducum, vnitum diuinitati illud factum eſt, quod eſt diuinitas:

Scilicet ſecundum Hypoſtaſim, ſunt enim diuinitas & humanitas vnum Hypoſtaſi.

Vnde igitur poteſt vllus cogitare duos filios, tanquam neceſſitate quapiam propter incarnationis myſterium ad hanc opinionem ductus? Qui enim ſemper eſt in patre, & ſemper habet in ſe ipſo patrem, & vnitus eſt ei, ſicut ante erat, ſic eſt, & erit; & alius præter eum filius nec erat, nec factus eſt, nec erit. primitiæ autem humanæ naturæ, quæ ab omnipotente diuinitate aſſumptæ ſunt, quæ ſunt, vt hac ſimilitudine vtar, inſtar guttæ aceti immenſo pelago ad miſtæ, ſunt quidem in diuinitate, ſed non in proprietatibus eius. Sic enim duo filij cogitari potuiſſent, ſi diuerſa natura in diuinitate filij, in propriis ſeparatim ſignis agnoſceretur, ita vt eſſet hoc quidẽ infirmum, vel paruum, vel mortale, vel caducum; illud verò potẽs, & magnum, & immortale, atque æternum. Sed quia omnibus, quæ ſimul cum mortali ſpectantur, in proprietates diuinitatis conuerſis, in nulla re differentia conſpicitur, quicquid enim filij cognoſci poteſt, diuinitas eſt, ſapientia, poteſtas, ſanctificatio, indolentia, quomodo vnum diuidi poteſt in duplicem ſignificationem, cum nulla differentia numerum partiatur? diuinitas n. id, quod erat humile, ſuperexaltauit; & ei, quod more humano nominabatur, donauit nomẽ, quod eſt ſuper omne nomen; quod erat ſubiectum, & ſeruum; Dominum, & regem fecit. ſicut beatus Petrus ait, Dominum eum, & Chriſtum fecit Deus, regem enim intelligimus, cum Chriſtum dicit. &

ἐν ἰδιάζουσι σημείοις. proprietates indiuiduantes ſeu perſonalitatem intelligit.

pro-

propter perfectam, & ſummam vnionem carnis aſſumptæ, & diuinitatis aſſumentis commutantur nomina, vt quod humanum eſt, diuino nomine, & quod diuinum, humano appelletur. vnde crucifixus, Dominus gloriæ à Paulo vocatur; & qui ab omni creatura cœleſtium, terreſtrium, & infernorum Ieſus nominatur. his enim nominibus vera & quæ dirimi non poteſt, vnio declaratur, ex eo, quod appellatione filij gloria diuinitatis, quæ expromi non poteſt, ſignificatur, ſiquidem omnis caro, & lingua confitebitur, quod Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris, ita vt qui paſſionem crucis ſuſtinuit, & clauis perforatus eſt, & latus eius lancea transfixum, Dominus gloriæ à Paulo appelletur.

Si igitur quod humanum eſt, in proprietatibus naturæ non oſtenditur, ſed eſt Dominus gloriæ, nunquam vllus duos Dominos gloriæ dicere audebit, cum ſciat eſſe vnum Dominum Ieſum Chriſtum, per quem omnia. vnde igitur nos accuſant, quaſi duos filios ponamus? qui hanc criminationem ſpecioſam occaſionem ad fabricandas opiniones ſuas faciunt & obiiciunt. Hactenus noſtra contra iſtos defenſio. à te autem, qui in Chriſto perfectus es, maius, & abſolutius ſubſidium veritatis requirimus; vt nullam contra veritatem tendiculam ad accuſationem habeant; qui ſuas opiniones obiecta contra nos reprehenſione firmare volunt.

Non oſtenditur in proprietatibus naturæ humanæ ſeparatim, id eſt, in proprietatibus, quas indiuiduantes ſeu perſonales vocant; hoc eſt in hypoſtaſi humana,

FINIS.

Digitized by Google

S. BASILII MAGNI

RATIONES SYLLOGISTICÆ,

CONTRA ARIANOS.

Quod filius in diuinis ſit Deus.

Nunc primùm in Lucem edita.

Interprete

Franciſco Turiano,

Societatis IESV.

I. SI filius eſt natura Deus,& pater eſt natura Deus, non eſt alius Deus filius, alius verò Deus pater. Sin autem non eſt natura Deus, filius; Deus dicitur, ſicut, qui falsò dicuntur Dij, & non eſt Deus.

II. Si vnus Dominus filius natura. Dominus autem etiam pater natura, manifeſtum eſt, quod non alia natura. Quod ſi vnus Deus pater, dicitur autem Deus etiam filius, non alia natura, ſed vna.

III. Si vnus Dominus natura, cum multi θέσει, hoc eſt, poſitione

ſeu

Digitized by Google

ſeu adoptione vocentur Domini, & vnus filius natura, cum multi nominentur filij, qui vocatur poſitione Dominus vel filius ad imitationem eius, qui natura vocatur: poſitione enim nihil dicetur, niſi antecedat, quod natura. Si igitur nos ſumus filij Dei θέσει, id eſt, adoptione, neceſſe eſt prius eſſe natura filium.

Quæ verè ſunt nomina ſubſtantiæ, ea notæ ſunt eorum, quorum ſunt nomina. Propriè autem & verè pater eſt Deus & filius & Spiritus ſanctus, eadem igitur ſubſtantia, ſicut & nomina. IV.

Si non eſt generationis vnigenitum, ſed propter incomparabilem excellentiam eſt vnigenitus, pater etiam eſt vnigenitus, quia incomparabilis eſt, & omnis creatura non ſimilis, ſed diſſimilis erit vnigenita, multi igitur vnigeniti erunt, ſicut filius eſt Dei vnigenitus. V.

Filius non ſimpliciter eſt vnigenitus, ſed à patre vnigenitus, filius igitur vnigenitus eſt, & non creatura vnigenita. VI.

Si κατὰ μετάβασιν, id eſt, dimiſſionem, & permiſſum patris, & non ſecundum naturam creat filius, nihil aliud quam minor creaturis ab ipſo factis, etiam ſecundum naturam eſt, quorum enim non eſt creator ſecundum naturam, quomodo creata ſecundum naturam? VII.

Si Deus operatur, ſicut nullus alius, & generans, ſicut nullus alius generabit, Deus enim in omnibus, & ad omnia eſt incomparabilis vt Deus. VIII.

Quod fit, non eſt ex ſubſtantia facientis, quod generatur, ex ſubſtantia generantis eſt; non eſt igitur idem facere, & gignere. IX.

Si filius eſt ex Deo, non eſt autem tanquam ex patre, ſed tanquam ex cauſa, cauſa autem vt ſimus etiam nos, Deus eſt, ex ipſo enim ſunt omnia, non igitur aliter pater filij, & aliter noſter, ſed potius ſimiliter; & quomodo non eſt hoc abſurdum? X.

Si nihil eſt ſimile, & æquale Deo præter filium, & non eſt filius, neq; Deo, neq; creaturis erit ſimilis. XI.

Quod eſt in forma Dei, in ſubſtantia Dei eſt, non enim eſt aliud forma, & aliud ſubſtantia Dei, ne compoſitus ſit; igitur qui eſt ſecundum formam æqualis, & ſecundum ſubſtantiam erit. XII.

Si genitus minor eſt eo, qui genuit, non eſt accuſandus, qui genitus eſt; infirmitas autem eſt genitoris, aut enim inuidens, non fecit æqualem; aut quia non potuit, non genuit ſimilem. XIII.

Si pater ante filium erat, omnino pater alterius erat, ſine filio enim non diceretur pater, XIV.

 Si qui

Digitized by Google

XV. Si qui filium cognouit ſecundum ſubſtantiam, cognouit etiam patrem, ſi me enim, inquit, cognoſceretis, & patrem meum cognoſceretis. igitur homouſios eſt patri filius. nihil enim incorporeum, ex diſſimili ſubſtantia cognoſci poteſt.

XVI. Si credere Christum eſſe filium Dei habet vitam; non credere, neceſſariò habet mortem.

XVII. Quorum ſunt eædem ἐνέργειαι, id eſt, operationes, horum etiam ſubſtantia vna: operatio autem patris & filij vna, vt illud, faciamus hominem, & rurſus, quæ facit pater, hæc & filius ſimiliter facit, vna igitur ſubſtantia patris & filij.

XVIII. Si cognitio patris & filij vita æterna eſt, neceſſe eſt, vnius etiam naturæ eſſe. quæ enim diuerſæ ſubſtantiæ ſunt, non vna cognitione percipiuntur, neq; ſimiliter viuificare poſſunt.

XIX. Si imago patris verè eſt filius, omnis autem imago vel ſubſtantiæ eſt, vel formæ, vel figuræ, vel ſpeciei, vel coloris imago: Deus autem in nullo horum eſt, ſed in ſubſtantia ſolum; filius igitur cum ſit imago ſubſtantiæ, eiusdem ſubſtantiæ eſt cum patre.

XX. Si pater omnino non poteſt conferri cum filio, in omnibus autem etiam conferri non poteſt cum creatura, non aliter cum filio, aliter autem cum creatura, ſed ſimiliter; non igitur eſt diſſimilis patri, ſed & ſimilis creaturæ. & quomodo non eſt hoc abſurdum?

XXI. Si cum dicunt filium eſſe creaturam, non tanquam vnam ex creaturis dicunt, quare cum nos dicimus eſſe γέννημα, id eſt, germen, tanquam vnum ex germinibus intelligunt?

XXII. Si non gignit Deus, ne fluxionem ſubeat, neq; κτίζει, id eſt, creat ſiue facit, ne defatigetur; Sin autem creat nihil patiendo, multo magis nihil patiendo gignit.

XXIII. Si ſicut ſplendor ex omni lumine generatur, ſic ex patre quidem, lumine autem non quandoq;, ſed ſine intercapedine temporis, & coæternè cum illo, non n. eſt lumen ſine ſplendore; filius igitur, cum ſit ſplendor patris, non aliquando, ſed coæternus eſt. cum ſit Deus & pater lumen, ſicut ait Dauid, in lumine tuo videbimus lumen: & Daniel, & lumen ipſius eſt; & Apoſtolus, qui cum ſit ſplendor gloriæ, &c.

XXIV. Si germen ſubſtantia eſt, ipſorum opinione, ſicut ingenitum; germen autem Dei eſt filius eſt igitur ſubſtantia Dei.

XXV. Si voluntate, non natura Deus filium genuit, vel cum voluit ſemel,

Digitized by Google

ſemel, deinceps non potuit velle, vel iterum voluit, & iterum genuit. Si autem non eſt vna voluntas eius, ſed diuerſa, non eſt ſimplex; nec vnius auctor, ſed, vt vult, facit.

Si Deus non generat, aut quia non poteſt omnino; aut quia non vult; ſed ſiquidem non poteſt, non ſolum non poteſt, ſed ſuperat eum generatiua, & perfecta natura, infirmior inquam eſt, quam natura generans, & perfecta. Sin autem cum alioqui poſſet, noluit tamen; quod natura potuit, voluntate cohibuit. Quare etſi nondum genuit, igitur volens, generabit aliquando. XXVI.

Si aliquando non fuit filius, ipſum illud, aliquando, erit poſt illum, qui generauit, non autem antequam genitus ſit. non igitur ante omnia filius ſine patre, ſed poſt illud, aliquando, reperietur. & quomodo non hoc abſurdum eſt? XXVII.

Cum nos dicimus patrem ſemper, neceſſe eſt etiam ſemper eſſe filium, aiunt illi, igitur quia ſemper eſt filius, creator, & creatio ſemper, atq; ita erit creatio coëterna patri, & filio. at qui dicit creatorem, non ſimul dicit creationem. non enim cum ædificatore ſimul eſt ædificium, neq; cum opifice nauigii ſimul eſt nauigium. Creatio enim in creatore eſt. quod autem creatur, poſt creatorem eſt: patrem autem dicere, non poſito filio, impoſſibile eſt. & qui patrem dixit, non ſimpliciter dixit, ſed alicuius patrem dixit. XXVIII.

Deus, & Dominus, & omnipotens, & Sabaoth, & Adonai, & Eloi dicitur in ſcripturis Deus, ingenitus verò nequaquam. Si quis verò hoc concedet, vt ingenitus, & aliis nominibus propoſitis dicatur, accommodabit hæc Iudæis, & omnibus; ſolis verò Chriſtianis accommodabit dicere patrem Chriſti. Si igitur, quod ſolum nos ab aliis ſeparat, falſum eſt, & non verum; & nomen eſt θέσει, id eſt, poſitione, & non res natura, falſa eſt fides; vana eſt ſpes. Cuius enim principium eſt infirmum, etiam finis eſt debilis. XXIX.

Rurſus interrogant Ariani, exiſtensne, an non exiſtens genitus eſt filius? obſcura, & rudis interrogatio, quia enim pudet interrogare quando, & in tempore, dicunt τὸ ὤν, id eſt, exiſtens. viciſſim igitur interrogandi ſunt. exiſtensne Deus pater filium genuit, an non exiſtens pater? Si enim exiſtens pater, exiſtentem genuit: Sin verò non exiſtens, genitus, & non natura pater eſt. Omnem autem contentionem excludunt diuinæ ſcripturæ; Cum Moyſes clarè dicat, qui eſt, miſit me. & euangelium, in principio erat verbum, & non ſemel erat, ſed quater, & rurſus aliâs, qui eſt ex Deo, & qui eſt in ſinu patris: & in XXX.

alio loco; qui eſt in cœlo, & in Apocalypſi: qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt. & beatus Paulus: qui eſt ſplendor gloriæ; & cum in forma Dei eſſet. & iterum de filio: qui eſt ſuper omnia Deus, qui eſt benedictus in ſæcula Amen.

XXXI. Si verus eſt Deus, & lumen, & immutabilis, & bonus, & ſanctus, & Dominus, & filius, hæc autem cum pater etiam ſit, non ſimiliter eſt hæc, ſed μειζόνως, id eſt, magis. erit ergo talis non propter ſubſtantiæ præſtantiam, & excellentiam, ſed qualitatis exſuperationem: ſubſtantia enim non dicitur magis, aut minus alia ſubſtantia; bonus verò bono, & iuſtus iuſto magis dicitur; igitur eorum, qui geniti ſunt, eadem eſt natura cuius eſt, qui genuit, etſi aliter genitus habeat τὸ εἶναι. nec enim Abel, qui ex coniunctione viri & mulieris genitus eſt, diuerſæ naturæ fuit quam Adam, qui non eſt genitus, ſed formatus.

XXXII. Si quod eſt cauſa eſt maius, & differens ſubſtantia ab eo, cuius cauſa eſt, omnis autem pater eſt cauſa, & omnis filius eſt ex cauſa: patres igitur maiores, & differentes ſubſtantia ſunt à filiis, & non vnius ſubſtantiæ; at non eſt verum hoc.

XXXIII. Interrogant Ariani, an pater generato filio, deſierit generare; ſi reſpondetur, deſiiſſe, inferunt, cœpiſſe igitur generare, omne enim quod finem habet, inquiunt, etiam habet principium. Quibus reſpondebimus, ſi neceſſe eſt, quod deſinit, principium habere; & quod principium habet, neceſſe item habere finem: igitur Angeli, & omnia incorporea, quæ cœperunt eſſe, neceſſe eſt deſinere eſſe. at hoc abſurdum eſt. poteſt igitur quod cœpit eſſe, non deſinere; & quod deſinet, non cœpiſſe. quod ſi non; ipſe etiam filius, ſi principium habet, & finem habebit, ipſorum opinione.

XXXIV. Eadem eſt natura eorum, quę genita ſunt, & generantis, quamuis aliter cœperit eſſe, qui genitus eſt; non. n. Abel natus ex coniunctione alia natura fuit præter naturam Adæ non generati, ſed formati.

XXXV. Quod in incorporeis eſt vnum operatione, & voluntate, dicitur ſubſtantia vnum. Saluator cum dixit; Ego & pater vnum ſumus, vno quopiam eorum, quæ ante ſcripta ſunt, dixit. igitur ſi operatione vnum dicunt, neceſſe eſt, vt ſubſtantia vnum dicant, eorum enim, quæ ſunt diuerſæ ſubſtantiæ, nunquã erit operatio ſimilis: Sin autem voluntate vnum, nõ ſolum quæcunq; pater vult, neceſſe eſt & filium velle; ſed etiã quæcunq; filius vult, neceſſe eſt & patrem velle. iubebit

ergo

Digitized by Google

ergo filius patri, de quibus vult, & de quibus iubetur. ſin autem ſolum iubetur, coactus, & non volens miniſtrat. Si verò neq; voluntate, nec operatione ſunt vnum, ſequitur ipſorum opinione, eſſe vnum ſubſtantia, id eſt, homouſion patrem, & filium, quod ipſi dicunt, impoſſibile eſſe.

Eiusdem S. Baſilij contra Eunomiū, quod ingenitum non ſubſtantiam, ſed ὕπαρξιν, *id eſt, exiſtentiam declarat.*

SI ingenitum eſt ſubſtantia, & genitum eſt ſubſtantia, & idcirco non ſunt eiusdem ſubſtantiæ pater & filius, neceſſe eſt penitus omnia genita vnius ſubſtantiæ eſſe. ſunt igitur genita homouſia, id eſt, eiusdem ſubſtantiæ cum filio Dei. & quomodo non eſt blaſphemum?

Si ingenitum πρὸς τὸν γεννητὸν υἱὸν ἀντιδιαστελλόμενον eſt ſubſtantia, & increatum πρὸς τὴν κτίσιν ἀντιδιαστελλόμενον ſubſtantia eſt, eſt igitur ingenitum ſubſtantia, & increata.

Cætera deſunt.

Scho-

SCHOLION

EVNOMII: ET DISPVTA- tio Orthodoxi contra eum.

FRANCISCO TVRRIANO, Societatis IESV Interprete.

Nunc primùm edita.

QVòd voluntas non eſt idem quod ſubſtantia Dei, voluntas enim incipit, & deſinit. Subſtantia autem non incipit,& deſinit: quod autem incipit,& deſinit, non poteſt idem eſſe cum eo, quod nec incipit, neq; deſinit. Aliter. Si idem eſſet ſubſtantia Dei atq; voluntas, oporteret, ſi vna eſt ſubſtantia, vnam eſſe voluntatem; at reperitur ſecundum doctrinam ſcripturarum nõ vna voluntas; ſed multæ: cum ſcriptura dicat, omnia, quæcunq; Dominus voluit, fecit. multa enim voluit, & non vnum. clarè licet hoc videre in fabrica mundi, voluit enim eſſe mundum, & extitit ſecundum voluntatem eius, & permanet factus. aliud autem præter voluntatem fabricationis eſt permanere. promiſit mutaturum ſe mundum in aliam formam, & voluntate mutat. non ſolum autem multæ, ſed diuerſæ voluntates ſunt. voluit enim cœlum, & ſolem, & voluit terram. cum autem diuerſa ſunt ea, quæ voluit, neceſſe eſt diuerſas eſſe voluntates de eis. Similiter dicendum eſt de iis, quæ incorporea ſunt, & ſub intelligentiam cadentia.

Orthodoxus. Si igitur opinione tua, non eſt idem ſubſtantia, & voluntas, omnia autem quæ facta ſunt, opera voluntatis eius ſunt, fatere filium eſſe ex ſubſtantia, ſic enim vnigenitum eſſe confitebe-ris,

ris, quia ſolus ſit ex ſubſtantia Dei genitus. etenim ſi ipſe etiam eſt filius voluntatis, nō eſt vnigenitus, cum ſint multi ſecundum voluntatem geniti. ſcriptum eſt enim voluntariè genuit nos verbo veritatis. multæ autem voluntates non ſunt, vt exiſtimaſti: non enim quia ſunt differentes creaturæ, omnino ſunt differentes voluntates. quin potius ſicut vna voluntate fecit hominem, & ex diuerſis membris, & partibus eum fecit: fecit enim oculos, nares, capillos, & viſcerum, atque inteſtinorum compoſitionem, & quæcunque in nobis ſunt, ſic totum mundum vna voluntate fabricatur.

Anom. Si pater maior eſt filio, ſecundum quid maior? mole corporis, an ſecundum naturam ingeniti? & vtrum ingenitum ſubſtantia eſt, an nihil?

Orth. Pater maior filio eſt, vt ſcriptum eſt, non tamen maior mole, neq; tempore, neq; natura; ſed tanquam pater filij, qui factus eſt homo. Propter humanitatem enim dicit Apoſtolus factū eſſe Angelis minorem. eum autem, inquit, qui modico, quàm Angeli, minoratus eſt, videmus, Ieſum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum. propter hanc autem humanitatem aſſumptam Mariæ, & Ioſeph erat ſubditus. erat enim ſubditus illis, ait euangelium.

Anom. At maior dicit, quatenus ingenitus. ingenitum autem eſt aliquid, an nihil? ſi nihil, vt dixiſti, non enim eſt ſubſtantia: igitur ſecundum nihil eſt maior: qui autē ſecundum nihil eſt maior, per omnia eſt æqualis, non enim pater minor eſt filio. æqualem igitur dicit ingenitum genito. & quomodo verum dicit, cum ait; Pater, qui miſit me, maior me eſt?

Orth. Ingenitum in Deo patre non eſt ſubſtantia, ſed ſignificat, Deum non habere patrem. nemo autem, quia non habeat patrē, maior eſt alio. nec enim Adam patrem habuit, nec Eua, ſunt tamen nobis conſubſtantiales. Quomodo verò tu de ingenito Philoſophatus tanquam oblitus tui, induxiſti: Pater maior me eſt? oportebat enim, vt tecum conſentiens, potius induceres, ingenitus, q miſit me, maior me eſt. at non ſic ſcriptum eſt, idcirco recte non ſic dicis. ne ſis multum ſapiens, ἵνα μὴ ἐκπλαγῇς. non enim es ſapientior Daniele, neque Spiritu S. qui patrem nos docuit, ingenitum verò minime.

Anom. Si ſecundum molem pater maior eſt, erit compoſitus ingenitus, cum tamen ſimplex ſit, & figura carens; moles enim aliquid compoſitum, & partibile eſt. Siquidem omnis moles compoſita eſt ex partibus, & partium compoſitionem habet, quod in Deo di-

Digitized by Google

cere abſurdum eſt.

Orth. Abſurdum ſane eſt dicere in Deo compoſitionem, & molem, filius enim, quamuis nolis, Deus eſt expers compoſitionis, & figuræ, & ſimplex. quod ſi hoc verum eſt, non reperietur in his maior pater. filius autem æqualiter ſimplex, & ſine compoſitione, atq; figura, & Deus aſſumpta humanitate dicit maiorē eſſe patrem honorans patrem ſuum. audis enim dicentem: Ego honoro patrem, & vos inhonoratis me. & pater honorat filium collocans eum ad dexteram ſuam, & omnes ad eum trahens. ipſe enim filius ait, nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit eum.

Anom. Præterea, ſi eſt aliquid ingenitum, aut eſt totum hoc, aut pars. ſi pars, rurſus ſui diſſimilis eſt, ſiquidem pars aliqua eius eſt ingenita, & alia non. ſin autem tota natura eſt ingenita, & pater eſt vniuerſè ſiue ex toto maior, recidit ſermo in variationem ſubſtantiæ. Si enim tota ſubſtantia eſt ingenita, & quatenus eſt ingenitus pater, diſſimilis eſt genito: igitur ſecundum totam ſubſtantiam diſſimilis eſt. Quomodo igitur dicis πλὴν τῆς ἀγεννησίας: id eſt, æqualis, præterquam quod eſt ingenitus? Si autem in ingenito antecellit filio, & ingenitum nihil eſt, nihilo maior eſt filio, quod quidem nihilum extra ſubſtantiam patris eſſe dicunt. quod ſi id, in quo antecellit, eſt extra ſubſtantiam patris, æqualitas erit in ſubſtantia, maius autem eſt ingenitum filio, quod quidem omnibus eſt nihil, & æqualitas erit in filio, illud quidem ingenitum, hæc verò genita.

Orth. Rapere oportet non quæ non ſunt ſcripta, ſed regnum cœlorum. quid igitur rapis, quod neq; ſcriptura tibi dat, neq; nos? nemo enim noſtrum tibi concedit, patrem eſſe maiorem, quatenus eſt ingenitus. nec enim filius dixit: Ingenitus eſt maior me, ſed pater, ad quem iturus erat. Sic enim ait, Si diligeretis me, gauderetis vtiq;, quia dixi, vado ad patrem meum, quia pater maior me eſt, vadit autem tanquam qui formam ſerui aſſumpſerat. tanquam Deus enim in ſe habet patrem, ſicut ait: Ego in patre, & pater in me eſt: qui vidit me, vidit & patrem. pater in me manens, ipſe facit opera. ne igitur inſuper ſemines Zizania in agro ſcripturæ diuinæ ingenitum, & diſſimile. quin potius ſi vis philoſophari, philoſophare his ipſis verbis in incorruptibili, & immortali. hæc enim ſunt ſemina agri ſcripturæ. verbi gratia, ſi eſt aliquid immortale, aut totum eſt, aut pars. at ſi pars, rurſus ſibi inæqualis erit, ſiquidem pars eius eſt immortalis, reliqua vero non. ſin autem tota natura immortalis eſt, & incorruptibilis,

exto-

ex toto autem immortalis pater, & incorruptibilis, continuo filius totus in eadem ſubſtantia reperietur. Si enim tota ſubſtantia immortalis, & incorruptibilis eſt, & nulla in eo pars contraria, igitur ſecundum totam ſubſtantiam eſt idem ipſum. Quomodo igitur audet vllus dicere diſſimilem?

Anom. dicitur, aiunt, imago operationis, operatio autem idem eſt atque ſubſtantia: erit igitur filius imago ſubſtantiæ. interrogemus igitur, genuit ne, an non? aiunt, genuit. ex ſubſtantia ne, an ex voluntate? Non ex ſubſtantia, inquit, ſed & voluntate. aliud ne dicis bonitatem, & voluntatem præter ſubſtantiam, an eandem? Si enim eandem dicis, ex voluntate autem, & bonitate genuit, conſubſtantialem dicis patrem filio, quod quidem non vis. Ais verò omnia ex voluntate Dei facta eſſe per filium: voluntas autem idem eſt atque ſubſtantia: eiusdem igitur ſubſtantiæ erunt omnia cum Deo, ſiue ſerpentes ſint, ſiue aquatilia. & reliqua omnia, quæcunque voluit, fecit in cœlo, & in terra. Sic igitur ſi imago operationis eſt, ex quibus ipſe ais, non efficietur, eiuſdem ſubſtantiæ ſine vlla variatione eſſe.

Orth. Si quidem homines opinionis tuæ refellere ſtuderes, ſic fortaſſe collegiſſes. Sin autem verum dicere, nec auditor veri mihi fuiſſe videris. Quòd enim filius ſit imago ſubſtantiæ, Apoſtolus ait, qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, quod nihil aliud eſt, quam imago ſubſtantiæ. & quod nõ eſt idem ſubſtantia, & voluntas hoc nos profitemur. idcirco, filium dicimus ex ſubſtantia genitum; nos verò natos ex voluntate. eſt autem opinione tua non idem ſubſtantia atque voluntas. ſubſtantia autem neque cœpit, neque deſinit, non igitur cœpit imago Dei. voluntas autem & incipit, & deſinit. eos igitur, qui dicunt, idem eſſe ſubſtantiam, & voluntatem, illos habe. nos autem & volumus & confitemur eſſe patri filium, idcirco enim credimus eſſe eum vnigenitum, quoniam ſolus ipſe ex ſubſtantia genit' eſt, ſicut ante dictum eſt: alij vero omnes ex voluntate. cum autem dicimus filium patri conſubſtantialem, non ipſum ſibi ipſi conſubſtantialem dicimus, nemo enim ſibi conſubſtantialis eſt. Sin autem verè confiteris omnia ex voluntate patris per filium facta eſſe; inter omnia autem dicis filium factum eſſe, ipſum etiam per ſeipſum dabis factum eſſe, quod ſi hoc abſurdum eſt, non eſt igitur filius voluntatis, ſed ſubſtantiæ. Si autem ipſe eſt creatura,

vt tu putas, dicit autem ipſe, Omnia, quæcunq; facit pater, hæc ſimiliter facit filius, faciet etiam filius alium filium, vt omnia faciat ſimiliter atq; pater. Si autem non fecit, neq; faciet, non eſt igitur creatura. verum enim dicit, qui ait, Omnia, quæcunq; facit pater, hæc ſimiliter facit filius, non autem facit ſe ipſum, non eſt igitur factus.

Sed dices, Non dixit: omnia, quæcunq; fecit, ſed quæcunq; facit. Scito conſuetudinem ſcripturæ eſſe, vt præteritum dicat in præſenti tempore, vt illud, qui facit Angelos ſuos ſpiritus; & qui fundat terram ſuper ſtabilitatem eius. & qui facit Pleiada, & luciferum, & Arcturum, & auſtri ταμεῖα.

Anom. Ante omnia, & ſupra omnia oportet interrogare, quid ſignificet ingenitum. Si enim ſignificat ſubſtantiam, quod quidem eſt verum, tanta erit variatio, & differentia.

Orth. Nos ante omnia interrogamus, quid ſignificat, genitum. Si enim ſignificat ſubſtantiam, quod quidem eſt falſum, omnia genita ſunt eiusdem ſubſtantiæ. ſin autem non ſunt omnia genita eiusdem ſubſtantiæ, neq; genitum eſt ſubſtantia.

Anom. Si genitum non eſt ſubſtantia, genita ſunt ſine ſubſtantia.

Orth. Quid ais ἄνομε? nos filium dicimus genitum, non autem factum. genitum enim eſſe eſt habere patrem. factum verò eſt habere auctorem, ſiue creatorem.

FINIS.

Expo-

EXPOSITIO SANCTORVM PATRVM NOSTRORVM MAGNI BASILII, ET GREGORII THEOlogi de ſancta, & Orthodoxa fide.

CRedo in patrem, & filium, & Spiritum ſanctum Trinitatem homouſion, in ſeparatã, indiuiſam, inconfuſam, & incomprehenſam vnam naturã, & ſubſtantiam, & regnum, tres perſonas. Si autem interrogeris, quid declarent perſonæ, ſiue hypoſtaſes; reſpondebis: quod perſonas interpretamur mentem, verbum, & ſpiritum. mens generat verbum, & verbum ſine ſpiritu non egreditur. in eo enim agnoſcitur Deus viuere, quod generat verbum ἀπαθῶς. Quod ſi vis exemplis clarius hoc diſcere, audi. homo habet mentem, & verbum inſitum, ſiue naturale, & ſpiritum vitalem. egrediens verbum ab homine facit voluntatem eius, & ab ipſo non ſeparatur: ſic & Deus verbum genitus à patre ſine tempore fecit quæcunq; voluit pater tanquam homouſios illi, & ab ipſo non eſt ſeparatus. aut ſicut ſol eſt circulus, & habet medium lumen, & ex lumine procedit radius. & neq; vn' homo dicitur tres homines, quia ſit mens, & verbum, & ſpiritus; neq; vnus ſol tres ſoles, quia ſit circulus, & lumen, & radius, ſed potius vn' homo, & vnus ſol; ſic vnus Deus eſt, id eſt, pater, & filius, & Spiritus S. tres vnus, & vnus tres indiuiſè, & inconfuſè. hæc eſt autem indiuiſibilitas, quod filius nõ ſeparatur à patre, ſicut neq; ab homine ſeparatur verbum λόγος ſiue ratio. aut à ſole lumen. & vt lumen egrediens ex ſole illuminat mundum, ſic vnigenitus filius, & verbum

non ſeparatus à patre operatus eſt admirabilia opera cœlum, & terram, & quæcunque in eis ſunt. item opus incarnationis ſupra omnia admirabile. manens, enim in patre, nec ſeparatus ab eo Deus verbum diuino condeſcenſu venit ad nos, & ſaluauit Iſrael, & gentes ſecundum veras promiſſiones Dei, quas lex, & Prophetæ prædicarunt, & doctrina Apoſtolorum, & ſanctorum patrum tradidit. inconfuſio autem eſt hæc, primum quidem, quia pater non eſt filius, neque vnquam erit, neque filius pater, neq; Spiritus S. eſt filius, vel pater, quoniam proprietas cuiusq; perſonæ ſanctæ, & beatæ Trinitatis immota manet, & ſeruatur, id eſt, in patre quidem proprietas ingeniti, in filio autem proprietas geniti. quoniam genitus eſt à patre ſine tempore, ſicut lumen à ſole. ſimul.n. pater, ſimul filius, ſimul Spiritus S. ſeruata immota cuiusque perſonæ proprietate. ac de diuina quidem, & immortali natura ſic ſentimus. non. n. dicimus, vt fatui gentiles, ſolem eſſe Deum, ſed tanquam imaginem aſſimilamus incircumſcriptè, & incomprehensè. quoniam Deus eſt infinitus, & à nemine poteſt comprehendi. Illud autem dicitur comprehendi non poſſe, quod experientia cognitionis non poteſt percipi, vt eſt diuinitas propriè, vt ex vniuerſa ſcriptura didicimus tum vetere, tum noua. nullus. n. à ſæculo ſanctorum potuit dicere, quę ſubſtantia ſit Deus. tametſi inſanus Eutolmius hoc auſus eſt nugari. qui non ſolum à ſanctis doctoribus redarguitur, ſed ab ipſa natura, & conſequentia.

De incarnatione verò confitemur, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum vnum ex indiuiſa, atque inconfuſa Trinitate duas naturas, & duas energias, duasque naturales voluntates habere, & Mariam Virginem, quæ eum peperit, propriè, & verè Dei matrem eſſe. neque poſſe explicari modum incarnationis præter hoc ſolum, quod ex Virgine natus eſt per Spiritum ſanctum. pater n. miſit filium Saluatorem Mundi. filius autem vnigenitus, & Dei verbum beneplacito patris, & propria voluntate, & Spiritus ſancti cooperatione carnem ſumpſit mente, & anima, ac ratione prędditam, & vniuit eam cum propria ſua perſona diuina. non enim pater incarnatus eſt, neque Spiritus ſanctus, ſed verbum, & filius Dei in propria perſona, qui deificauit genus hominum. caro alioqui corruptibilis, quam ſumpſit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, incorrupta manſit per mortem crucis, & reſurrectionem. etſi n. cibum guſtauit

ſtauit poſt reſurrectionem, non tamen lege corporis, ſed œconomice, vt probaret carnem illam eſſe, quæ erat ante reſurrectionem, & non aliam. non. n. in ventrem, & inteſtina, atque in ſeceſſum ibat, abſit. immo caro diuina poſt reſurrectionem mutata eſt à materiali in immaterialem, & à paſſibili in impaſſibilem; non tamen incircumſcriptam, aut intangibilem, vel inuiſibilem, alioqui quomodo viſus eſſet diſcipulis poſt reſurrectionem? quomodo dixiſſet Thomæ, tange mei? cibus vero, quem ſumpſit coram diſcipulis, ſi quis quærat, quo abierit, reſpondemus, ſicuti cera appropinquans igni liqueſit, & deſinit eſſe, ſic cibus ille adhibitus carni incorruptibili & πυρφόρω Dei reſuſcitati. poſt reſurrectionem vero conuerſatus ſpacio 40. dierum cum diſcipulis aſſumptus eſt in cœlum, videntibus illis, vt euangelium teſtatur, & ſedit ad dexteram Dei. Sedere autem ad dexteram Dei non declarat aliquid corporeum, Deus n. corporis, & figuræ, & ſpeciei expers eſt, ſed potius honorem, & gloriam in cœlis ſignificat. hanc enim habuit aſſumptus in cœlum homo Dei, id eſt, caro ſumpta. illic n. ſancta eius anima conuerſationis ſuæ in terra recordatur, eſtque rationalis, & intelligens, inſunt præterea ſancto corpori eius ſuæ proprietates naturales, vt triplex dimenſio longitudinis, latitudinis, & profunditatis, item ſpecies, qualitas, & quantitas, & alia huiuſmodi. non enim amiſit hæc aſſumptus Chriſtus. non ergo locum habet hîc fabula Manichæorum, qui aiunt, quod aſſumptus Chriſtus in ſole poſuit ſuum corpus, & Deus nudus aſcendit. id autem ſtulte probant auctoritate Dauid dicentis: In ſole poſuit tabernaculum ſuum. quibus nos reſpondemus, O inſani, & vani! non appellat Propheta tabernaculum ſolis carnem à verbo Dei ſumptam; quæ cum ipſo filio Dei in cœlum aſcendit, ſed potius tabernaculum ſolis appellat ſpeciem, & qualitatem orbis ſolaris, id eſt, lumen, quod quarto die Deus mundi fabricator in eo poſuit. non enim Propheta loquebatur hic de aſſumptione, ſed de creaturis Dei, quemadmodum perpetuo gloriam Dei narrent. poſtea verò veniet in nouiſſimo die reſurrectionis omnium, quando tuba canet magno clangore, & tanquam ex ſomno ſurgent omnes, & aderit iudex animarum iuſtorum & peccatorum ſiue adhuc viuentium tunc, ſiue iam mortuorum: veniet autem quemadmodum viderunt eum aſcendentem in cœlum;

Digitized by Google

ſicut nos docet beatus Lucas, vt reddat vnicuique ſecundum opera ſua; regnum quidem cœleſte, id eſt, Dei viſionem iis; qui purgatam habuerint mentem, perpetuum verò ſupplicium, & ęternas tenebras id eſt, alienationem à Deo iis, qui cœcam. regni autem eius non erit finis, neque terminus, vt ait vir deſideriorum. ipſi gloria in ſæcula Amen.

FINIS.

Digitized by Google

PHOTII PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI EPISTOLA

Ad

MICHAELEM BVLGARORVM *REGEM*,

Vnà cum ſex diſſertationibus eiusdem Photij de diuinitate & Incarnatione.

Omnia nunc primùm in lucem edita.

Interprete

Franciſco Turriano, Societatis IESV.

Digitized by Google

Ad Lectorem.

QVis Photius fuerit, malo vt ex decimo tomo Annalium Illuſtriſsimi Cardinalis Baronij diſcas, quàm ex mea relatione. Vtinam tam probitate excelluiſſet, quam excelluit ingenio & eruditione. Sed & de cauſſa ſeu potius controuerſia Bulgarica reperies multa apud eundem Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ inſtauratorem. vnde intelliges, quo conſilio hæc Epiſtola ad Michaelem Bulgarorum Regem à Photio ſcripta fuerit.

Epiſto-

EPISTOLA PHOTII AD BVLGARORVM PRINCIPEM.

Principi Bulgariæ Michaeli filio ſpirituali Photius Epiſcopus Conſtantinopolitanus.

ALiæ quidem gratię, Clariſſime & mihi Chariſſime fili, exigua, & caduca cõmoda præbent, quibus tributæ ſunt, quæ verò aptæ ſunt ad efficiendum animam meliorem, quæ quidem errorem, & perturbationes depellunt, fulgorem verò, & ſplendorem virtutum, ac veritatis inferunt, hæ ſunt reuera gratiæ, quæ magnos, & immortales quæſtus immortali animæ, & ſimilitudinem Dei gerenti ſuppeditant, & diuitias cœleſtes, quæ ei diripi non poſſunt, comparant. quarum præſtantiſſima, & aliarum princeps gratia eſt, quæ ad Deum ſine errore & cum ſalute ducit, quam prima & ſola puræ, & caſtæ fidei Chriſtianorum diſciplina, & inſtitutio largitur. hæc hominem variis erroribꝰ liberat; & oculos cordis pulſa inde caligine repurgat, vt pura contemplatione animæ in puriſſimam pulchritudinem diuini cultus intueri poſſit. per quem ad illam ſubſtantiam, quæ ſupra mentem eſt & omnium cauſa, & effectrix, eleuati, vnam Trinitatis diuinitatem, quantum homo aſſequi poteſt, tanquam in ſpeculo ſpectamus. hac igitur tanta gratia & dono cum animam tuam ſapientem dignam eſſe repererimus, te enim virtutem, & erga Deum pietatem amare credimus, te magnifico, & optato munere proſequimur, in quo ſa-

Digitized by Google

cram,& diuinam fidei noſtræ diſciplinam collocantes. ſanctas, & œcumenicas ſeptem ſynodos tanquam vallum, & muros diuinæ huius & Orthodoxæ inſtitutionis apponimus,non omnino reticentes quæcunq; vitam moderantur,& rectam fidei normam teſtantur.ſicut.n. niti omnia à principio dicere,inelegans eſt; ſic nihil dicere agreſte, & durum eſt. oportet autem virtutes fide figere & ſtabilire, & vtroque ſtudioſum perfici.Siquidem recta ratio dogmatum vitæ honeſtatem profert; & puritas actionum ſanctitatem fidei denunciat. vtrumq; ſine altero facile ſolet dilabi, & diſſipari, dum non poteſt ſolitarium in animis habitare.Sed de his poſtea, nunc autem ſacram & diuinam ſacri cultus noſtri diſciplinam promamus.

Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem factorem cœli & terræ,viſibilium omnium,& inuiſibilium. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitum,ex patre natum ante omnia ſæcula,lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, Conſubſtantialem patri per quem omnia facta ſunt, qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis.Et incarnatus eſt de Spiritu S. ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt. & reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas,& aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram patris.Et iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos,& mortuos,cuius regni non erit finis. Et in Spiritum S. Dominum,& viuificantem,qui ex patre *filioq; procedit,qui cum patre, & filio ſimul adoratur,& conglorificatur.qui locutus eſt per Prophetas.& vnã ſanctã Catholicã,& Apoſtolicã Eccleſiã. Confiteor vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum: & expecto reſurrectionem mortuorũ,& vitã venturi ſæculi, Amen. Sic igit̃ ſentiens, & credens ſecundum traditionem ſanctæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ,O pulchra imago meorum laborum, Amplectere, & cole ſeptem ſanctas,& œcumenicas Synodos partim tanquam magiſtras,partim tanquam pietatis propugnatrices. per eas enim expellitur vniuerſa nouitas,& hæreſis; & ſenſus rectæ fidei incorruptus, & ab antiquis traditus in animis piorum in venerationem ab omni dubitatione liberam fundatus eſt.Quas narrare incipiam, tempus, locum, & numerum eorum, qui conuenerunt, & cuiusq; ſynodi præſides gratia docilitatis propriis earum actionibus deſignans.

*Ita in Turriani Schedis. Quod ab Interprete additum crediderim.

Nar-

Narrationem de ſeptem Synodis omiſit Turrianus Interpres. Exſtat de eodem argumento opuſculum Photij. Poſt narrationem de ſeptem Synodis ſic pergit Photius.

HÆc eſt fidei Chriſtianorum pura, & omnis maculæ expers confeſſio; hæc eſt puri & ſynceri cultus noſtri, & diuinorum myſteriorum venerabilium inſtitutio. Secundum hanc dum vſq; ad extremũ & occaſum vitæ ſentimus, & credimus & vitã degimus, ad orientẽ ſolis intellectilis properamus, vt fulgore, atq; ſplendore nullã veſperã habituro, inde vibrato clarius, & perfectius fruamur. Hanc te oportet ſyncera affectione; & voluntate recta, ac fide certa, & firma, intuentem in noſtram ſortem pietatis amplecti, & amare, nec ad dextram, nec ad læuam, ne minimum quidem ab ea deflectere, ac declinare. hæc enim eſt prædicatio Apoſtolorũ. Hæc ſententia conciliorum œcumenicorum. quamobrem non ſolum te ſic ſentire & profiteri oportet, ſed etiam eos, qui in ditione, & poteſtate tua ſunt, ad eundem ſenſum veritatis adducere, & ad eandem fidem aptare; nihilq; hoc ſtudio, & cura honeſtius, præſtantiusq; exiſtimare. reuera enim principis eſt, non ſolum ſalutis ſuæ curam habere, ſed populum ſibi commiſſum æquali prouidentia dignari, ac ad eandem perfectionem cognitionis Dei manu ducere, & prouocare. fac igitur, ne me ſpes fruſtretur, quam tua ad virtutes propenſio, & obedientia mihi concitarunt; neq; labores, quos pro ſalute tua alacriter ſuſcepimus, inanes reddas. neque demonſtres incipere te quidem prompte & alacriter ſuſcipere ſermones diuinæ prędicationis; promptitudo verò, & alacritas deſinat in ſegnitiem. quin potius ſit finis principio ſimilis. Conſentiat fides cum vita degenda. fac, vt poteſtas tua cernatur, & nominetur commune bonum & generis, & patriæ, meumque de te gaudium, & lætitiam fac, vt non deleas.

Sed vide amator Chriſti & fili ſpiritualis, & ſi quod aliud nomen illuſtre, & pulchrum & dilectione dignum eſt, vide inquam, quot acies diabol' aduerſus piam, & ſolam veram Chriſtianorum religionem inſtruxit, hæreſes dico varias, & ſeditiones, ac pugnas, & bella, quæ excogitauit. vide, quemadmodum cunctas hæreſes hæc re-

ligio euertit,& profligauit,& de omnibus ſplendida trophæa poſuit. neq; mirere, cum tecum reputaueris machinationes,& inſidias contra eam. primum enim nunquam ſic clara,& fortis, & inſignis victoriis facta eſſet, ſi nihil hoſtile, & bellicum cum ea implicatum fuiſſet. Deinde illud etiam facile eſt aduertere, vbi vehementius oppugnatur diabolus, ſtudioſi' eo tela nequitiæ ſuæ emittit; & machinas collocat. in aliis enim gentibus quia nullum eſt ei acre bellum, nec ipſe contra eas arma ſumit, qui vero ſunt Chriſtianus Dei populus, gens ſancta, regale ſacerdotium, quia quotidie fide roborati contra prauas eius actiones,& ſtudia viriliter,& fortiter dimicant, idcirco & ille infinitis inſidiis,& omnibus artibus aliquos ex ejs ſeducere artificioſè nititur; laboratque vt eccleſiam Chriſti mœrore afficiat, tametſi in dedecus pudendum certamina,& peruerſitates ei deſinunt.

Præterea, aliæ gentes ſententias habent in dogmatibus non diſtinctas,& confuſas, nihilque purum,& perfectè excuſſum: ob hanc cauſam neq; quod deprauatum eſt, apparet: in fide verò puriſſima & ſanctiſſima ac valde perfecta Chriſtianorum, quia ſyncera, & recta, atq; excellens & incorrupta eſt, ſi quis paulum aliquid deprauatum, vel nouum introducere aggrediatur, continuò quod deprauatum, & adulteratum eſt, comparatione veritatis,& recti ſermonis deprehenditur,& coarguitur. nec ad breue tempus patitur generoſa fidei nobilitas, vt lateat fœtus adulterinus ſub nomine piorum dogmatum. Sicut enim in corporibus pulchritudine præſtantibus parua etiam macula citò deprehenditur ac notatur, facta comparatione reliquæ pulchritudinis, quæ in corpore eſt; in iis verò corporibus, quæ turpem,& fœdum aſpectum habent, non facile poſſunt, quæ turpitudinem habent, demonſtrari. latent enim propter affinitatem,& ſimilitudinem deformitatis. Sic euenit in pulcherrima, & ſplendidiſſima religione,& fide Chriſtianorum, ſi quis paululum quid in ea deprauet,& vitiet, magnam turpitudinem, & prauitatem efficit; & ſtatim coarguitur; alia verò gentium dogmata cum alioqui plena ſint fœditate,& turpitudine; non tamen iis, qui eorum ſtudio tenentur turpitudinis, quæ in eis eſt, ſenſum,& cognitionem præbent. nec in his ſolum hoc fit, ſed in omnibus aliis artibus, & ſcientiis hoc ipſum perſpicere licet. in abſolutiſſimis enim, & limatiſſimis etiam minimum erratum facillime deprehenditur, & indicatur; in iis verò artibus, quæ viles ſunt & vulgares, multa negliguntur; & nemo in eis erratum indicat, immo ſi hoc etiam exemplum placet, in magiſtratibus,

& ii

Digitized by Google

& iis maximè, qui alios in ſua poteſtate, & ditione tenent; paruum peccatum grande efficitur, & omnibus peruulgatum: in iis verò, qui in poteſtate aliorum tenentur, & ſunt humiliores, multa eiusmodi peccata ne facta quidem eſſe ſciuntur. quin potius paruitas, & tenuitas eius, qui peccauit, illa tegit, & latere facit. Quanto igitur fides, & cultus Chriſtianorum ob magnitudinem, firmitatem, pulchritudinem, abſolutionem, & puritatem, & cæteram omnem perfectionem præſtantior, & excellentior eſt quam opinationes Gentium, tanto magis diabolus ad bellandum cum ea prouocatur, & tanto magis rurſus quæ homines inſipientes, & male conſulti in eam peccant, continuò apparent; neq; latebram breuem reperiunt. Sed potius eccleſia Dei Catholica, & Apoſtolica, vt antea diximus, omnes diaboli machinas fractas, & diruptas eſſe conuincit, & magis in ipſum machinatorem illas ipſas machinas retorquet, atq; ex hæreticorum blaſphemia à ſe propulſata, & impudentia eorum conuicta inuictum & inexpugnabile robur contra omnes recipit, & pulchris triumphis ſemper decoratur.

Differ-

Digitized by Google

Diſſertatio prima.

PHOTII PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI.

Quomodo dicatur eſſe Deus in omni re, & quomodo diſſolui poßint dubitationes, quæ à quibuſdam contra hoc obiiciuntur.

IN multis quæ de Deo contemplamur, ne omnia dicam, non ſolùm, qui myſteriis pietatis non fuerunt initiati, quamuis acie mentis & cognitione rerum corporearum hominibus ſui ordinis præſtitiſſent, quiq; noſtram ignorauerunt vim contemplandi infirmiorem eſſe, quàm vt intelligentia comprehendere illa poſſent, experientiâ comprobarunt, ſed & quicunq; propter ſtudium pietatis & vitam puram profundiora cognouerunt, nec his quidem inuentio rerum diuinarum facilis eſſe ſolet, quid dico inuentionem? ſiquidem nec ipſa ſcrutatio purè eorum mentem afficit. Hæc autem quæſtio tanquam omnino magis recondita, & quæ mentem, curioſorum excellit, ſtudium, vt intelligatur, poſtulat, non igitur, quæ dicentur, ſic audire oportet, quaſi limatius rem comprehenderimus, & nihil amplius ad cognoſcendum de ea relictum à nobis ſit, ſed beneuolè audire oportet, & amplecti quantū humanis cogitationibus ea, quæ humanam notitiam ſuperant, aſſequi poſſumus.

In omni eſt Deus, (quod tibi in quæſtione nunc poſitum eſt) tanquam nihil eorum, quæ ſunt. Si enim eſſet vnum ex iis, quæ ſunt,

qui

qui eſt omnium auctor & fabricator, vnus vocaretur ex iis, quæ ab ipſo facta ſunt. Hanc enim legem imponit communio cum iis, quæ ſunt, & eorum cognatio à principe & Creatore profecta, ſi quis per vim nitatur, & quod variari non poteſt, mutuam habitudinem cum rebus habeat, & Creator cum creaturis.

Igitur tanquam nihil eorum quæ ſunt, cum ſuis coniungitur, & demittit ſe Deus ad ſuas creaturas, ſed propria diſpoſitione & œconomia diſtincta, ſuam cum rebus habitudinem aptat. Sicut autem eſt Deus ſapiens ſimul & ſupra ſapientes, & fortis Deus & ſupra fortes, & ſupra Deos, & propriè ſubſtantia & ſupra ſubſtantiam, & ipſum per ſe bonum, & ſimiliter ſupra bonum; ſic diiicitur eſſe in omni, & ſupra omne. in ſola enim natura, quæ ſupra naturam eſt, & quæ dici non poteſt, & multorum nominum eſt, forma nominum affirmantium ſignificationem habet conſentientem cum forma vocum negantium, vel priuantium. Ex quo fit, vt eſſe in omni, non neget eſſe ſupra omne, ſed potius confirmet, & non hoc ſolum, ſed nec eſſe ſupra omne, variationem admirabiliorem in Theologia recipit præter eam, quam tradit eſſe in omni.

Quare qui dubitat, ſi Deus eſt in omni, non eſſe ſupra omne, ignorat is vſum ſacrarum vocum de diuina natura; & nihil altius neque diuinius, quàm conſuetudo rerum corporearum fert, de iis, quæ materia vacant, cogitat. Sed quomodo eſt in omni? dictum enim eſt. nullo modo earum rerum quæ ſunt: ſed ſi oportet aliquid adhuc dicere quod ſit maioris contemplationis, iis etiam, qui ſunt altiore mente præditi, & non ſolent formidare & fugere altitudinem dogmatum magis Theologicorum, eſt Deus actu & ſubſtantia in omni. Quomodo igitur eſt ſubſtantia ſicut intellexiſti actu? quia enim alia ſunt quandoq; potentia, quandoq; actu; Deus vero (vt qui aciem mentis acutam habet, intelligere poteſt) ſemper adeſt actu, non enim ex imperfecto ad perfectum procedit, neq; aliud quid eſt eſſe ipſum per ſe bonum, præterquam ipſum eſſe per ſe actum, liquet, in quibus eſt actu, in iis ipſis eſſe ſubſtantia, agit enim conſeruationem & durationem eorum, quæ ſunt. ſuſtentat autem & continet naturam eorum, quæ ab ipſo creata ſunt.

Quomodo igitur ſi Deus eſt ſecundum ſubſtantiam in omni, non conficitur vna ex omnibus συνουσίωσις, id eſt, conſubſtantiatio, & natura? Quoniam neq; eum ipſum intelligis ſecundum actum, & dicis actu eſſe in omni, neq; ſic, inquam, erit conſtitutus & ratio-

Digitized by Google

nem naturæ habens, qui poſſit ſubire integrum quodammodo vſum, conſtitutus inquam ex omni & ex diuina natura, quæ præſtantior eſt, quàm vt poſſit cum alio congredi ad vnam totam hypoſtaſis perfectionem. Et quomodo eſſe ſecundum ſubſtantiam in aliquo (hęc enim quæſtio digna videtur indagatione) non facit, vt intelligamus vnam cum illo hypoſtaſim? Sed non eſt difficilis ad ſoluendum, quia eſſe in aliquo ſecundum ſubſtantiam dupliciter dicitur, vnum enim ſignificatum declarat ſic eſſe in aliquo, vt fiat pars compoſiti, & compleat perfectionē ſecundū hypoſtaſim, ſicut anima eſt in corpore; alterum verò ſignificatum declarat ita eſſe in aliquo, vt nunquam efficiatur pars concretionis, ſiue coagmentationis; neq; proprietatibus immutatur, naturis vtriusq; propriis factis communibus, nec ab altero ex concretis perficitur, ſed potius eſt congreſſus eius conſtituens & conſeruans coniunctam, & perfectam hypoſtaſim, ſicut eſt ars gubernatoris in naui, vt minutiſſima imagine & ſimilitudine eius rei, quæ in promptu eſt, vtamur. Atq; hæc quidem non dogmaticè & immutabiliter dicta ſunt, vt in procemio præmonuimus, ſed potius per coniecturam & exercitationis gratia delineata ſunt. Valeant ergo hæc quoad meliora exeant.

Eiusdem Photij Theologiæ Hypotypoſes, id eſt, informationes notionis fidei.

Diſſertatio II.

I. Non poteſt expromi, ſicut neq; cognoſci Deus, quia neq; notionibus tantum, quæpiam quæ prius extiterint, percipere poſſumus, ex quibus ratio progreſſa illius beati ſpectaculi, quod verbis expromi non poteſt, cognitionem præbeat. Ex iis tamen, quæ poſteriora ſunt, tanquam ex quodam ſplendore tenui, à Deo in ipſis obſcurè oſtenſo, qui facit, vt poſſit mens in illam immenſam pulchritudinem intueri, fieri poteſt, vt quaſdam cogitationes Deum decentes recipiamus. Sicut enim, qui ſunt tenebris denſis circumfuſi, fulgorem quendam paruum & tenuem radiorum ſolis admittunt, ſic qui ſunt concluſi in carne, ex illo ſplendore ſolis intellectilis, tanquam à quodam ſpeculo, deſiderij & inquiſitionis radio vmbratiles elicientes, ad notitiam quandam & cogitationem eleuari poſſunt.

II. Quam igitur rationem ſol in iis, quæ ſub ſenſum cadunt, habet, ſimilem cognitionem Dei poteſt quis præbere, & accipere, tanquam ex imagine in iis, quæ ſub intelligentiam cadunt.

Sed

Sed enim ex negatione etiam omnium, quæ ſunt, adducimur ad contemplationem ſubſtantiæ, extra omnia poſitæ, & diuinitatis; quod enim nihil eſt eorum omnium quæ ſunt, & omni melius eſt, hoc vtiq; eritDeus,qui ex nihilo fecit omne, & prouidentia ſua, quæ facta ſunt,conſeruat,& vt aptè & concinnè moueatur,facit. III.

Et quod potiſſimum eſt, omnium hominum mentibus communiter inſitum eſt, Deum eſſe, & illinc fulgor, tanquam per oſtenſiones quaſdam mentem excitat,& illuminat,tametſi nō vt ſciamus, quid tandem Deus eſt, tamen vt nō ignoremus,eſſe quidē omnino. IV.

Si enim omnis ſimilitudo ſiue nomen continui habeat,ſiue diſcreti,ſicut in infinitum poteſt ſecari & diſſipari, ſic etiam ad fluxionem & interitum deferri, omnino tamen participatione vnius cuiuſdam liberatur, ne iſta patiatur, ſtatim vt participatio vnius prodiuit: quin potius duratione, & conſeruatione fruatur, participationem dico vnius,non vnius propriè,quod eſt ſupra ſubſtantiam,quoniam participatione huius neq; ſecari neq; diſſipari poſſent, nec naturæ eſſent omnino fluxæ & mortalis, ſed participationem vnius dico,quod quidem,qui dixerit eſſe vmbram tenuem vnius propriè & ſupra ſubſtantiam, ad coniecturam iſte prope acceſſerit, quæ nihil audax repræſentet,huiusmodi verò eſt vnum apud nos,cuius, ſic vt dictum eſt, facta particeps multitudo ſecabilis quidem eſt & diſſipabilis, & fluxa, nondum tamen eo proceſſit, vt fluxerit, aut diſiecta ſit. V.

Idcirco ipſa multitudo,quæ natura ſua terminatione & ſpecie caret, propter illud vnum definitur & ſpecie afficitur, quaternarius enim,& ſeptenarius,& denarius,& tricenarius, veluti ſimulacra ſunt, & fœtus vnius, quod apud nos eſt, quæ ſpeciem inducunt multitudini,& eam vniunt & terminant, ac circumſcribunt. VI.

Similiter autem ſi omne vnitum non ſibi ipſi vnit, ſed vnitate vnitum eſt, & ipſum igitur participatione vnius ſaluum, & incolume ſeruatur, vnius ſcilicet non illius propriè, & ſupra ſubſtantiam, ſed ſicut ante dictum eſt, vnius, quod illius vmbra fruitur. VII.

Præterea,ſi in iis, quæ ſunt, licet reperire eū, qui dominatur, & eum qui eſt ſubiectus dominanti;& ipſe q dominat̄,ſi ſubit ordinem eius,q ſubiectus eſt dominanti,ſcilicet nō dominans;nō propriè dominat̄ quia priuatus dominatu ſubiect' eſt dominanti, ꝙ ſi ita eſt, etiā aliquis dominat' ſuperior ſupra collocatus,q nō cępit ex quo qui VIII.

Digitized by Google

dominatur, obſcura ſimilitudinis adumbratione ſuſcepta, habitudinem & nominationem dominatus traxit.

IX. Rurſus aliter; ſicut licet videre ſubiectum tantum alterius dominationi, & non dominantem, ſic licet contemplari eſſe aliquem principatum eximium, & cæteris omnibus antecellentem, qui non ceperit, qui eum decet, qui diuinitate ſua maior eſt, quam vt mente & intelligentia comprehendi poſſit.

X. Si poſſumus in natura rerum reperire bonum, quin poti' multa & varia bona (quod enim non fruitur aliquo bono, ſed ad ſummum malitiæ euaſit, nec omnino poteſt conſiſtere, continuò enim diſſiparetur & interiret, ſiquidem eſt interitus & diſſipatio mali) liquet alia quidem magis, alia verò minus bonum participare, quod ſi ſunt, quæ magis & minus bonum participant, non dubium eſt, quod qui participant, in primo ordine, vel in ſecundo, vel in alio aliquo boni fiunt, omnes autem ſimiliter largitate cuiusdam ſublimis bonitatis fruentes gratiam boni in ſeipſis ferunt; quod ſi hoc ſic eſt, eſt igitur bonitas ſupra bonum, vnde iis, qui boni fiant, donum præbetur, quo fiant boni pro portione ipſorum, qui donum acceperunt. Ex iis igitur quæ dicta ſunt, patet poſſibile eſſe venari quandam cognitionem quod Deus eſt, & hic eſt vnum, quod ſupra ſubſtantiam eſt, & Dominus ac princeps ſine initio, & bonitas ſupra bonum, tanquam bonitas bonitatis, & ex aliis tanquam ex ſimulacris quibusdam, & aſſimilationibus, ſicut principio diximus, quæ poſſunt ſumi à poſteriori, quibus eleuati intueri poſſumus in illam immenſam pulchritudinem, & omni ratione maiorem diuinitatis, quæ ſupra ſubſtantiam, & ſupra naturam eſt, præſertim cum non ſit difficile ea, quæ huiusmodi ſunt, ea ratione & via, quam diximus, colligere, quantum verò pro neceſſitate, quæ in præſentia eſt, & pro inopia librariorum, quibus carebamus, & librorum, qui captiui ducti ſunt, ſatis tibi ſint hæc.

Scripſit ergo hæc Photius deiectus de throno Conſtantinop. & electus in exilium. Vide Baron. Tom. 10.

Eiusdem Photij, quare vsq; ad Trinitatem procedat Deus, & nec intra Trinitatem circumſcribatur; nec vlterius extendatur.

Diſſertatio III.

SErmo quidem de arcanis Dei, & qui cognitionem, quæ in ſpeculo & ænigmate verſatur, ſuperat, in diuinæ & cœleſtis myſtagogiæ ſecretis, quibus abditus latet, abditus permaneat. Quæ verò per

locum

locum ſcenæ ſpectare poſſumus,& auribus terrenis audire, hæc ſi in ſecundis & poſterioribus proponamus,qui, quod quæritur, per prima venari non valemus,nõ debebimus pœnas eorum, qui ſiluerunt. Vnum autem eorum & diuinius dicendum eſt,quod myſticus & ſine intermiſſione decantatus hymnus Cherubicus per trium ſanctitatem in vnam dominationem copulatus,diuinæ Trinitatis perfectionem deſcribit,& nominum ſimplicitas per continuationẽ adhibita, nihilq; mediũ introducens, imò etiam illa verbi ſine vlla variatione repetitio, non minus ſimplicitatem ſubſtantiæ, quæ ſupra ſubſtantiam eſt, depingit & exprimit: proxime verò docet perſonarum inter ſe vnam ſine vlla diſtantia naturam, & ſine vlla variatione ſubſtantiam.

Præterea in iis,quæ perfecta ſunt,conueniunt principium,medium,& finis: primus autem inter omnes alios numeros, numerus Trium hæc ſortitus eſt; conſentaneè enim diuinitas arcana, & quæ cogitari non poteſt, cũ vellet per ea,quæ nobis nota ſunt, vt ſymbola quædam & veſtigia cognitionis ſuæ lucerent,voluit per ſermonem diuinum de tribus nobis noteſcere.Deinde quæcunq; Deum decentia in Deo contemplamur,reperimus à principio naturam accepiſſe, vt ad tria reuocarentur,& nec ad pauciora, nec ad plura. Et quæ iſta ſunt? nempe ſubſtantia, virtus ſiue potentia,& operatio, nec enim fas eſt auferre potentiam diuinitati; immo nec operationem,& multo minus ſubſtantiam,quin etiam neq; licet iſta idem facere, & in vnam perſonam contrahere, ac rationem vnam & eandem reddere potentiæ & ſubſtantiæ,vel potentiæ & operationis,vel operationis & ſubſtantiæ.Cum ergo tria ſint, ad quæ alia nomina, quæ Deum decent, & proprietates referuntur & reducuntur, conſentaneè Deus nec intra Trinitatem includitur,nec extra Trinitatem dilatatur.

Quomodo autem ducantur aliqua etiam in ſingulas ex iſtis tribus notionibus, neq; laborioſum eſt reperire, neq; repertis alios facere vtilitatis participes; ac primum hoc nomen ſupra ſubſtantiam,bonum, carere figura,vnum, carere magnitudine & ſimilia ſubſtantiam declarant, tametſi alia quidem primùm & ſine intermedio, alia verò medio quopiam ſimul cogitato; eſſe liberum,eſſe ſuæ poteſtatis,Dominum,Creatorem,omnipotentem, & ſimilia in contemplatione potentiæ comprehenſa ſunt. Creatio verò, & prouidentia, & ſaluatio,& gratiarum diſtributio,& donum,& quę his ſunt vicina, operationem diuerſis & myſticis verbis ſignificant. Si quæ verò no-

Digitized by Google

mina diuina & notiones, non ad vnum ex iſtis tribus pertinent, ſed in tota Trinitate verſantur, non ſolum non pugnat cum ratione Veritatis, neque cum Theologia de Trinitate, ſed plus etiam confirmat eorum ſtabilitatem, & ab omni reprehenſione vacationem, immo etiam occaſionem præbet ſecundarum rationum, quibus demonſtramus conſentaneè Deum in ambitum trium perſonarum explicari.

Similiter ſi quis alia conſideratione oſtendet nomina diuina & notiones in tres perſonas Trinitatis terminari, multum abeſt, vt propterea cauſam habeat inferendi numerum ſex perſonarum, neq; vnius vel aliam multitudinem, ſed potius immutabilitatem inuiolabilem Trinitatis diuerſis rationibus confirmatam demonſtrabit, magisque fixam & conſtantem doctrinam Theologiæ oſtendet; intelligi enim non vna contemplatione non poſſe contrahi Trinitatem nec dilatari; ex multis verò locis ac rationibus patefieri fixam & immutabilem eſſe, quomodo non erit confirmatio, quæ refelli non poteſt, cauſæ à principio redditæ? Si enim in alio & alio ſubiecto, & non in eadem ipſa & vna diuinitate ſumma Trinitatis demonſtraretur, nihil prohiberet, quin multis notionibus diuinitas alioqui non multiplicabilis, multiplicaretur. Sin verò quoties gratia & munere Dei nobis conceditur, vt Trinitatem contemplemur, in eadem Trinitate ſupra quam bona hunc ſacrum numerum, qui numerum vincit, neque contrahi neque ampliari intelligentia comprehendimus, quomodo non magis multitudo argumentorum docet nos illud non multiplicabile Trinitatis, inuiolabile, & immutabile ac veriſſimum eſſe & tolli non poſſe.

Sunt & alia quibus Trinitas ad ſimilitudinem ſuperioris contemplationis ſuboſtenditur, cuiusmodi ſunt hæc, intellectus, intellectile & intellectio, deinde verbum & Spiritus, & ex quo hæc exeunt. Sed enim & principatus primus, & inſitus, & ſupra principatum, & quorum eſt principatus ſecundum rationem τῆς συμφυΐας, ex quo exit principatus, qui eſt in omnibus, quæ ſunt ſecundum dominationem. Sunt poſtea, genitor, germen, non enim ſterilis eſt, & non fæcundus, qui eſt fons & effector omnium, quæ gignuntur; neque ſine Spiritu, qui præbet Spiritum omnibus, neque creaturis ſuis egentior; eſt præterea viuificus primum & primorum, ſupra naturam quidem, tamen ſecundum proprietatem ſibi inſitam eſt, & ſupra, quam vt ratio eam aſſequi poſſit, oportet enim iis, quæ

q. d. connaturalitatu, naturalis cognationis,

ratio-

ratione creationis & dominationis producta ſunt, & viuificata anteire naturam & vitam ſine initio principem eorum, quæ ſunt eiuſdem naturæ & ſubſtantiæ, & cuius ſplendor eſt, & ad cuius imitationem & exemplum omnis alia natura & vita extitit, licet terrenis natura artis præpoſita & antelata eſſet, quam neceſſe eſſet rurſus, vtpote non liberam, neque ſine initio ad ſimilitudinem alterius, quæ eſſet omnium naturarum effectrix, & ſupra quam dici poſſet, eximia, veluti imaginem formari & cõſtitui. Multa alia eſſent, quæ poſſent ad eandem contemplationem adhiberi..........

Deeſt ferè alterum tantùm, vt notauit Turrian.

Eiuſdem Photij; quomodo dicamus Deum vnum & tria.

Diſſertatio IV.

VNum & tria Deum Theologicè dicimus, & vnum & tria in diuinitate, quæ ſupra naturam eſt, noſtra Theologia dicit, non vnum in numeris, vel tria propriè ſic accipiens, ſicut in iis, quæ ſecundum naturam, & proprie numerari poſſunt, omnem enim numerum & vnitatem, quæ ſunt partes numeri, & omnem aliam quantitatem diuinitas, menſura arcana, quæ expromi non poteſt, ſuperat, ſed ſymbolicè nomine vnius intelligere poſſumus occultam illam & abditam diuinæ naturæ rationem, & ab omni voce & extra ſe egreſſione remotionem, & vt ſic loquar, inclinationem & ingreſſionem ad ſemetipſam; reconditumque illud naturæ ſupra omnem cogitationem & intelligentiam euectæ. Nomen vero trium myſticè docet bonitatem, quæ eam facit manifeſtam, & qua procedit, ſeque expandit, & explicat, non totum fulgorem emittens, ſed quantum natura humana poteſt recipere, in quibus creator & potentia eius, ac prouidentia quæ per ſe exiſtit, actu viuifico & omnia conſeruante ſimul ſplendeſcit & innoteſcit, illa enim παντελὴς ἀκινησία, id eſt, perfecta quies & immobilitas in manſione arcana & abdita, quæ expromi non poteſt, ſicut in thalamis ſilentij occultatur, ſic ab omni mente ſeceſſit, quoniam nec eſt mens, quæ ad ea intelligenda aſcendat, quæ ſupra mentem ſunt.

In primis cogitatio noſtra, vt Deum decet, manſionem, & ſtationem, & quietem immotam, & identitatem, & quantum poteſt humana natura ſupernè illuminari ſplendore illinc miſſo, coniunctè & copulatè contemplatur. Hic verò vnitam,

& dei-

& deificam diuerſitatem, & inſeparabilem in perſonis immotis, vt Deum decet, manentem, tanquam ex fonte arcano & abdito, decenter Deo aſpicit. Vnum igitur & tria eſt Deus, non ſecundum artem numerandi, hoc ſanè ante nos ille arcanorum magiſter magnus Dionyſius ab illo inſtitutus, qui quæ expromi non poſſunt, eum docuit, ſignificans, aiebat, qui eſt omnium, quæ ſub intelligentiam cadunt eximiè, & excellenter effector, nec eſt vnum, nec vnitas, collocans eum ſuper omnia, quæ apud nos ſunt in honore & pretio, declarans que, vt eſt ante alia, ſic etiam eſſe ante numerationem. Et rurſus, inquit, videmus diuinitatem ſacrè laudatam tanquam monadem, & vnitatem (Deum inquam tanquam ſolum & vnum) propter ſimplicitatem & vnitatem impartibilitatis ſupra naturam, ex qua, tanquam vnifica potentia, efficimur vnum, & noſtris diuerſitatibus diuinè complicatis & in vnum conuolutis, in vnitatem Dei ſimilem, & vnitionem, quæ Deum imitatur, copulamur.

Trinitatem verò attende, non enim tanquam numerabile, dicit, ſed propter manifeſtationem trium perſonarum in illa ſupra naturam fæcunditate, ex qua omnis paternitas in cœlo & in terra eſt, & nominatur. Et multa alia huiuſmodi licet reperire apud diuinum inaſpectabilium ſpectatorem, & in myſteriis Pauli inſtitutione dignum. Quod autem Trinitas non ſit propriè numerabilium, tum ex iis, quæ dicta ſunt, licet cognoſcere: tum aliæ rationes variè declarant, ſiquidem in iis, quæ proprie numerari poſſunt, vt, verbi gratia, in hominibus & angelis, & ſimiliter in infinitis aliis dicere poſſumus, trinitatem Angelorum & trinitatem hominum, immo & tres Angelos, & tres homines; in trinitate verò ſupra quàm ſancta, neq; Trinitas deorum piè dici poteſt, neque tres Dij. Rurſus in Trinitate ſupra quàm ſancta & vnius eiuſdemq; ſubſtantiæ perſonæ in ſeipſis mutuò incedunt, integris & ſaluis proprietatibus implet omnia pater; implet omnia filius; ſimiliter etiam Spiritus ſanctus. Et rurſus; vbi adeſt pater, illic & filius, & pater, quin etiam in quibus eſt filius, ſunt ſimul & pater & Spiritus ſanctus. In iis verò, quæ proprie numerari poſſunt, nihil eiuſmodi ne intelligi quidem poteſt.

Adhæc, in iis, quæ ſunt proprie numerabilia, acceſſio fit, & ſubductio eorum, quæ numerantur; in Trinitate verò ſupra naturam, & incomprehenſa, quomodo hoc penitus intelligatur? multa alia eiuſmodi contemplari quis poteſt. Vnum itaq; & tria non ſunt proprie numerus, neq; principium numeri in naturæ diuinæ Theologia,

ſed

ſed potius vnum ſymbolum eſt arcanæ, & in abdito reconditæ naturæ, quæ intelligentia comprehendi non poteſt, ſignificatq; in ænigmate non poſſe efferri & expromi diuinam ſubſtantiam. Tria verò manifeſtationem explicant; & diuinitatis impartibilis, atq; incomprehenſæ cognitionem aliquantum explanant hominibus qui ſunt partibiles; patefit enim ſubſtantia, quæ ſupra mentem, & ſupra omnem comprehenſionem eſt, appellatione Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſicut vno arcani, quod ſupra naturam eſt, & neq; cogitatione firmatur, contrahitur in arcanum: & quod comprehendi non poteſt; & nominibus inter ſe diſtinctis traditur coniunctio ſine ſynæreſi (id eſt, contractione perſonarum) eorum, qui nominibus ſignificantur, & intelliguntur: & quod multiplicari non poteſt, non recedens ab vnitate, exit ſine multiplicatione, trinitate multiplicatum. Et hoc quidem vnum tria profert; hæc vero tria ab illa ſimplicitate vnius & coniunctione non exeunt.

Quamobrem verè eſt incommunicabilis Deus, nihil enim eiuſmodi eſt in Creaturis: ſi verò vnum tantum eſſet, vel tria, Deus infinitos haberet conſortes, & participes, demonſtraretq; Creatura creatorem in ſuis proprietatibus collocatum. Quod ſi Deus, & diuinitas in omnibus eſt, & per omnia meat, quid mirum eſt, ſi & in hominibus eſt tanquam homo. Eſſe igitur in omnibus, tum ex aliis, tum ex ratione Creationis intelligitur, eſſe verò in hominibus, cognoſcitur ex aſſumpta humanitate, quam propter charitatem erga nos aſſumpſit, & ex ortus, quē cœpit, participatione, & communione noſtra, quæ ſecundum honorem poſt primum tulit. Quorum alterum manus creatoris largita eſt; alterum ipſe ad nos veniens. Sicut igitur omnia, cum non eſſent, creatio eius fecit vt eſſent, ſic etiam, quia homines ſingulari ſupra aliarum creaturarum omnium procurationem prouidentiæ beneficio affecit, etſi partus Virginis, & ille ortus, qui expromi non poteſt verbis, ſupra ortum humanum eſt, genitum eſſe dicimus eum, qui ex æternitate eſt, & hominem vocatum, qui naturam humanam finxit ac formauit. Non facimus hominem Deum, apage, hoc enim verè fieri non poteſt, & iudicium rationis hoc non patitur, ſed Deum confitemur veniſſe vt hominem, quod facile eſt Deo, qui naturæ autor fuit, id quod illius in nos charitatis vim magnam prædicat.

Eiuſdem Photii, Quomodo omnino cogitari poſſit, Deum eſſe incarnatum. Diſſertatio Quinta.

NEminem exiſtimo ita à diuina illuminatione vacaſſe, vt non ſit ei inſitum, & communi notione anticipatum, Deum eſſe vbiq; ſine vlla intercapedine, repleręq; omnia. Quod ſi in omnibus rebus adeſt Deus, nulla mutatione facta propter præſentiam eiuſdem in rebus, nec vlla variatione ſtatus in eum inducta, ex eo, quod alii infra alios ſint, nec vlla contumelia aſperſa propter maculas, quæ in Creaturis inſunt, quin potius in illa beatitudinis excellentia, quæ neq; dici, nec intelligi poteſt, ſupra quàm eloqui licet, collocatus omnibus præſens intereſt, & omnia continet, & gubernat, quomodo fuerit impoſſibile, aut quomodo contumelioſum, adeſſe in humana maſſa, & ſuã charitatem maiorem, quàm vt exprimi queat, & prouidentiam per Incarnationem demonſtraſſe? quin immo quomodo non optimum eſt, & aptiſſimum? Sed hæc hactenus.

Fortaſſis aliquis eorum, qui incarnationem Dei impoſſibilem, & Deo indignam reputant, refellet eam, ſentiens non ſolum Deum factum eſſe hominem, ſed etiam omnium aliarum creaturarum naturam ſubiiſſe, & πρὸς οὐσίωσιν ἀναδέξασθαι, id eſt, eas ad ſubſtantialem vnionem recepiſſe. Sed age tu vir valentiſſime, qui mentis tuæ facilem mobilitatem amplecteris, non approbo aliam cogitationem, quia non agnouiſti citò, nec aduertiſti firmè, quod à principio poſitum fuit, quod negas. Qui enim contendit impoſſibile eſſe Deum carnem aſſumpſiſſe, & humanam formam induiſſe, vſque adeo videtur hoc per ſecundam dubitationem confiteri, & comprobare, vt pronunciet, nec naturam vllius creaturæ ex omnibus aliis ſumpſiſſe, & qui in vno vides hoc impoſſibile, rurſus poſſibile eſſe Deum aſſumpſiſſe carnem in omnibus ſimul, quæ nec apud te ſunt impoſſibilia, vides.

EIVSDEM PHOTII,

Quare Deus Carnem aſſumpſerit Diſſertatio VI.

QVia perpaucorum eſt contemplatione mentis cogitationem, quæ Deum deceat, de deo informare, idq; vel ex eo liquet, quod ii, qui videntur inter homines ad ſummum faſtigium ſapientię perueniſſe, inter ſeipſos, & ab aliis plurimum diſſenſerunt; idcirco Deus factus eſt homo, vt non ſolum, qui plus cognitionis, quàm alii aſſe-

Digitized by Google

euti videntur, ſed etiam vulgus hominum, qui magis ſenſu, quàm ratione ducuntur, per ea, quæ vident & audiũt, ad piam & ſalutarem Dei cognitionem recurrere poſſint, per ea, quæ ſub ſenſum cadunt, ad eũ, qui ſub intelligentiã, aſcendentes, & ab iis, q̃ per carnẽ à Deo facta ſunt ad contemplationẽ diuinitatis incorporeæ & ſupranaturam, atq; hoc quidem ex iis, quæ acciderunt, patefit; ex quo enim Deus factus eſt homo, & illa admirabilia, & quæ ſupra naturam erant opera, formam naturæ noſtræ ferens perfecit abſurdas & multiplicibus erroribus implicatas cogitationes abiecerunt, & illis nugis & idolorum fictionibus procul relegatis Deum in carne viſum, hunc verum Deum eſſe confitentur, & venerantur, qui digni habiti ſunt, vt per præſentiam corporis eius & operum eius aſpectu, & auditione eum cognoſcerent. & huiuſmodi cognitione ad cognitionem ac contemplationem eius naturæ inaſpectabilis adducerentur.

Sed hæc quidem vna cauſa; altera vero quod nequaquam fortis ligatus eſſet, niſi fortiter certamẽ hoc ſubiiſſet. Tertia, quod doctrina oculis, & auribus ꝓpoſita valentior eſt, & multò facilior ad exequẽdũ, quam quę è longinquo, & per alia intermedia annunciatur. tum etiam actio per imitationem virtutum facilior eſt & commodior, quam ea quæ citra imitationem exigitur. Imitationem autem non poſſunt habere homines, quæ humanam vitam in altum tollat, ſi nullus ſit, qui hanc actionem virtutis ſuſcipiat humanè. huiuſmodi actio humana quomodo eſſe poſſet, ſi incarnatio verbi Dei facta non eſſet? Amore igitur erga homines, & prouidentia immenſa verbum Dei factum eſt homo, & nobiſcum deificè conuerſatum eſt, & inter homines vixit.

FINIS.

Digitized by Google

Fragmentum.

LEONTII

EPISCOPI CYPRII

Contra Hebræos.

OStende, inquit, mihi ſigna Aduentus Chriſti apud Micheam. Non amplius leuabit gens contra gentem rhompheam, & illud apud Hieremiam, non enim, inquit, docebunt amplius vnus quiſq; proximum ſuum dicens, cognoſce dominum; quia omnes cognoſcent me à paruo vſq; ad magnum, & illud apud Eſaiam, paſcetur, inquit, lupus, cum agno, & pardus ſimul requieſcet cum hædo; & vitulus, & taurus, & Leo ſimul paſcentur, & catuli eorum ſimul erunt, & Leo atq; bos ſimul comedent paleas, & puer paruus in foramen aſpidum, & in cubile natorum ex aſpidibus manum mittet, & non nocebunt. Hæc enim eſt Iudæorum peruulgata quæſtio. Aduertant autem omnia facta, & ad exitum perducta eſſe. Cum n. venturus erat Chriſtus, ſtatim exiuit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis, deinde omni gente in poteſtatem Romanorum redacta, omnes pacem fecerunt, & non amplius inter ſe bella gerentes, quippe qui ſub vno capite eſſent, ad agriculturam ſe conuerterunt.

Quod ſi quæ gentes relictæ ſunt bellantes, idioma ſcripturæ eſt, id eſt, propria conſuetudo, loqui vniuerſè de maiore parte. Huius-

modi

modi eſt illud trium puerorum, non eſt in tempore hoc Princeps, & Propheta. erát enim Daniel, & Ezechiel cum ipſis; & Hieremias Hieroſolymis: & multa huiuſmodi ſunt. aut prophetia eſt de gentibus, quæ crediderunt, ſecundum verò anagogen, non leuabit gens dæmonum in gentem hominum gladium idololatriæ, qui occidit animas, & eripit ſenſum cognitionis dei. vbi enim Euangelium prædicatum eſt, omnes vnum corpus facti ſunt, & vnum caput Chriſtum habuerunt, & terrorem demonibus intulerunt. illud enim; non veni mittere pacem, ſed gladium, non de gladio ciuili dictum eſt, gladius enim quem miſit Chriſtus, prædicatio eſt, & fides prædicationis diuidés fidelẽ ab infideli, & reſecans τὴν ἐπὶ κακῷ χέσιν, καὶ συμφωνίαν αὐτῷ id eſt, affectionem vitii, & cum eo conſenſionem. ſic ad illud Michææ.

Videamus deinceps illud apud Hieremiam. cum enim multa, & magna ſigna Chriſtus faceret, omnes à paruo vſq; ad magnum oculos habuerunt magiſtros cognitionis Dei. cumq; virtutes, quæ Deum decebant, conſiderarent, cito per ſeipſos cognouerunt Deum eſſe, vt licet intelligere non ſolum ex ſcriptura Euangeliorum, ſed ex annalibus Hebræorum, & hiſtoriis Gentilium. Reliquum igitur eſt, vt dicamus de ſigno Aduentus Chriſti apud Eſaiam. Hic Propheta ex differentia feritatis & manſuetudinis belluarum declarauit diuerſos mores hominum: & ex illorum in compaſcendo coniunctione, vnum horum ouile, & Eccleſias ex his conſtituendas in ænigmate ſignificauit. Lupum quidem vocauit velocem ad rapiendum, agnum vero eum, quem facile eſt vexare, & calumniari, pardum vero τὸν ποικιλόγνωμον id eſt, verſipellem, hædum autem ſimplicem; vitulum manſuetum, taurum verò audacem, leonem ſuperbum. quos ducet, inquit, & paſcet homo prudentia quidem ſenex, innocentia verò & humilitate puer, ac magnus quidem virtute, paruus autem vilitate quæ apparet, & tenuitate. huiuſmodi ſunt præſides Eccleſiarum, à quibus qui moribus differunt, temperantur, & coaptantur. ac rurſus bouem quidem vocat operarium, vrſum vero voracem; item leonem quidem principem, & ductorem, bouem verò ſub iugo ſeruitutis viuentem, ac ſubiectum, paleas vilem, & tenuem cibum eius, qui ſub iugo eſt. comedet enim cum ſubiecto is qui ſubiicit, propter vnitatem fidei. puer autem paruus eſt vnuſquiſq; præſul, ſicut dictum eſt, malitia paruulus, cuius doctrina propter multam expeditionem manus vocatur, quæ admouetur, & iniicitur infidelibus, qui ſunt

foramina, & luſtra, ac cubilia, & domicilia aſpidum ſpiritualium, id eſt, dæmonum venenatorum, & mortiferorum. quorum partus, & ſoboles ſunt paſſiones.

Aliter etiam, qui viuunt ſecundum Chriſtum, manum iniiciunt dæmonibus, cum ſignum crucis inferentes eis non ſinunt inhabitantes nocere eis, quos obſident. quod autem beſtias ſiue feras vocat gentes ſæpe numero ſcriptura, ait Deus per Oſeam, diſponam teſtamentum in die illa cum beſtiis agri, & cum volucribus cœli, & cum ſerpentibus terræ, generaliore ſermone beſtias quidem agri nominat ferinos, & immanes; volucres vero elatiores, ſerpentes vero humiliores, aut volucres quidem deditos aſtrologię; ſerpentes vero ſordidatos paſſionibus, & rurſus per Eſaiam, benedicite me omnes beſtiæ agri, & iterum per Hieremiam, dedi omnem terram Nabuchodonoſor regi Babylonis, vt ſeruiret ei, & beſtias agri, vt operarentur ei, & in Ezechiele, delebo malas beſtias de terra, vt omittamus nunc, quæ ſunt apud Danielem, & illud, comparatus enim, inquit, eſt iumentis inſipientibus homo mente præditus, & aſſimilatus eſt illis.

FINIS.

ANTI-

ANTIQVÆ LECTIONIS

Tomi Quinti

PARS SECVNDA.

1. Engelhardus Abbas de vita Mechtildis Virginis. fol. 1.
2. Friderici I. Imper. expeditio Aſiatica. fol. 43.
3. Gulielmi de Baldenſel Equitis Aurati Hodœporicon in terram ſanctam. fol. 95.
4. Theodorici Turingi l. III. de S. Eliſab. fol 143.
5. Halitgarij Epiſcopi Cameracenſis de vitiis & virtutibus & ordine pœnitentium li. V. f. 219.
6. Eiuſdem Halitgarij, ſiue alterius pœnitentiale. fol. 285.
7. Iſidorus de Cōuerſis, ſiue ad Monachos. f. 303.
8. Epiſtola Alcuini de Confeſſione. fol. 323.
9. Anonymus de S. Adalberto Pragenſi Epiſcopo. fol. 329.
10. Guntheri Monachi Hiſtoria de capta à Latinis Conſtantinopoli. fol. 355.
11. Anonymus de Adelhaide Imperatrice. f. 395.
12. Fauſti Rhegienſis admonitio. fol. 423.
13. Eiuſdem Epiſtolæ. fol. 425.
14. Cæſarii, Sedati, & aliorum Epiſtolæ ad Ruricium Epiſcopum. Ibid.
15. Ruricij Epiſc. Lemonicini Epiſtol. li. II. f. 459.
16. Deſiderij Epiſ. Cadurceni Epiſt. li. vnus. 525.
17. Epiſt. variorū ad eundem Deſiderium, fo. 539.
18. Euanthi Abbatis Epiſtola fol. 553.
19. Adamanni Scoti de S. Colūba libri tres. f. 559.
20. Cogitoſus de S. Brigida virgine fol. 625.
21. Acta duplicia S. Albani Martyris fol. 643.
22. Vita Henrici Prioris Oxenhuſani fol. 669.
23. Synodus Regiaticina. fol. 673.
24. Genealogia Caroli Magni fol. 687.
25. Vita S. Cudberti carmine ſcripta â Beda. fol 689.
26. Epigrammata & Hymni illuſtrium virorum Monaſterij S. Galli. fol. 725.
27. Althelmi Epiſcopi de laude Virginum liber carmine ſcriptus. fol. 793.
28. Eiuſdem liber carm. ſcriptus de octo principalibus vitiis. fol. 793.
29. Theodulphi Aurelianenſis Epiſcopi Elegiæ Epiſtolares de ſuo exilio. fol. 877.
30. Modoini Epiſcopi ad Theodulphum Epiſt. Elegiaca. fol. 877.
31. Sermo S. Galli Confeſſoris. fol. 879.
32. Theodorus monachus de S. Magno. fol. 911.
33. Oreſij Abbatis libellus de ſex cogitationibus. 949.
34. Anonymi Carmen de S. Cruce. 949.
35. Alcuini Dialectica. 955.
36. Eiuſdem Grammatica. 988.
37. Synodus Auguſtana. 1053.
38. Synodus Ingelheimenſis. 1057.

OMNIA

NVNC PRIMVM EX MANV-
ſcriptis Codd. edita

AB

HENRICO CANISIO NOVIOMAGO I. C. SS. CANONVM PROFESSORE ET ACADEMIÆ INGOLSTADIENSIS HOC TEMpore RECTORE.

Vita

Digitized by Google

Digitized by Google

Vita
SANCTÆ
VIRGINIS
MECHTILDIS,
PRINCIPIS BERCHTOLDI
Comitis de Andechs
filiæ
Friderici I. Barbaroſſa Imperatoris
cognata,
ABBATISSÆ
in Dieſſen, deinde in Oetilſtetten.
AVCTORE
ENGELHARDO
Abbate in Lanchaim
Nunc primùm ex membranis m.
ſ. monaſterii Dieſſenſis
edita.

A   Ad

Ad Lectorem.

DIxi hanc Mechtildis vitam nunc primum lucem videre. Nam licet D. Philippus Dobereiner Decanus ad B. Virg. Monachii, ex Latino Germanica paraphraſi traduxerit, ediderit q́, tamen neq; Latinè neq; auctoris nomine præſcripto, vnquam integre, quod ego ſciam, prodiit. Nolui latere tantum theſaurum. Grauiter conſcripta, & ſolidis plena virtutibus hæc vita virginis eſt; vt non immeritò quis theſaurum eſſe cenſeat. De Mechtildis parentibus Berchtoldo Comite, & Sophia hæc Hundius in metrop. Salisbur. verbo, Dieſſen. Tertia fundatio facta, anno 1132. iuxta Bullam Innocentii II. Nam alia fundatio non extat, per illuſtres Principes, Berchtoldum Comitem de Andechs, & Ottonem Comitem de VVolfratZhauſen, vnà cum vxoribus, Sophia, & Laurita, & liberis earũ, qui arcem ſuam Damaſiam (id eſt, Dieſſen) ver-

Digitized by Google

verterunt in Monaſterium, conſtruentes ibi Eccleſiam in honorem B. Mariæ virginis, dotantes eam mobilibus & prædiis, nec non pluribus priuilegiis, &c. Hæc Hund. Patet Berchtoldũ (qui cap. 22. in vita dicitur Comes; cap. 21. dicitur Princeps) fuiſſe etiam dominum in Dyengen ad Iſaram, & cap. 1. Mechtildis nata eſt in Dieſſen, vbi de hac donatione. In cap. 1. dicitur de Imperiali ſanguine originem ducere, & cap. 17. vocat Fridericus I. Imp. cognatam.

Quis auctor ſit huius vitæ, ſi quæras, conſtanter affirmo eſſe Engelhardum Abbatem in Lanchaim, cuius Epiſtolæ duæ, vna ad Præpoſitum, Fratreſq́; Dieſſenſes, altera ad Comitiſſam Abbatiſſam Dieſſenſem, in fine vitæ erant ſubiunctæ. Nos has ad initium reuocauimus, quò nimirum debebant, indeq́; coniectura, vt putamus, certa aſſequimur, auctorem vitæ eſſe Engelhardum, luculentum ſanè & diſertum, prudẽtemq́; laudatorem huius virginis. Lanchaim inuenio monaſterium ab Ottone Bambergenſi fundatum, cuius mentio eſt 2. tom. Antiquæ Lect. in vita S. Ottonis fol. 345.

Sed quia S. Mechtildis Abbatiſſa fuit in

Oetilſteten, ſciendũ eſt ex Bruſchio lib. de Monaſt. Germaniæ fuiſſe Edelſtetẽ, ſeu Oetilſtetin, ſeu Ottlinſteten pulcherrimum in Sueuia cœnobium, Vrſpergenſi vicinum, medio fermè itinere inter Auguſtam & Vlmam, fundatum anno Chriſti 1126. à Domina Giſila Wernheri comitis de Schvvabegck & Balzhuſen fundatoris Vrſpergẽſis germana ſorore, quæ apud Laugingiacum etiam Xenedochii, & domus vectigalis fundatrix ac ædificatrix fuiſſe celebratur. Subiungit poſtea catalogum Abbatiſſarum, quarum prima fuit Giſila; altera S. Mechtildis comitiſſa de Andechs, Bauara, ſoror S. Ottonis Epiſcopi Babenbergenſis, octaui, Pomeranorum Apoſtoli, in Damaſiano apud Bauaros monaſterio ſepulta.

Hæc Bruſchius, &c.

EPI

EPISTOLA CVIVSDAM Abbatis.

DOMINO Præpoſito & fratribus vniuerſis in Dyezzẽ, Engelhardus, paup & modicus non modicè in Domino valere.

Seruitiũ ſeruiui vobis neſcientibus, neſcio an & nolentibus, vtinam & patienter ferentibus. Theſaurum veſtrum prodidi ego, quæſo ignoſcite, hoc cogitantes, quia ſecretum regis celare bonum eſt, Dei autem gloriam reuelare honorificum eſt. *Tob 12.* In hoc ſcrupulus, quod mea non intereſt prodidiſſe; veſtrũ fuit hoc. & fortè cauſamini cum Eſau, quod ego præripui benedictionem veſtram. Si facerem hoc ſecundò, rectè cauſaremini. Supplantauit enim, inquit, me altera vice. Semel operatus ſum pro vobis in ſcribendo vitam beatæ Mæthildis, vtinam benedictionem patris in ea meruerim, & ipſa ſit Rebecca pro me, ne inducat ſuper me maledictionem pro benedictione. *Gen. 27.* Vtinam Deus alteram Mæthildim mihi det, in qua ſecundam benedictionem promerear, ſcribendo verum, laudando Deum, proponendo exemplum, extollendo miraculum. Hæc facta ſunt in Mæthilde veſtra, im-

Digitized by Google

mò noſtra, de qua multum rogatus, ſed parùm eruditus ſcripſi quod ſcripſi, & plus feciſſem ſi plus vel melius sciſſem. Vellem apud nos iam & alter Apollo inter vos fieri, fiducialiter agens pro ſancta, eſſetis & vos mihi Priſcilla & Aquila, docentes me quæ neſcio, ad hæc fortè ſcribenda. Eſt tamen locus nobis benedictionis promerendæ, vt omiſſa mea ſuppleatis, errata mea corrigatis, falſa mea deleatis, & laborum meorum in charitate veſtra gloriam faciatis. Chriſtus eſt Dei virtus & Dei ſapientia, virtus infirmis, ſapientia ſtultis, vtriſque corrigendis ipſius vobis officium in me ſumite, infirmum ſupportando, ſtultum emendando. Et hoc cogitate, quia panis Eccleſ. 24. eſt, Qui edunt me, inquiẽs, adhuc eſurient. ſed & fons, Qui bibũt me, adhuc ſitient. Poſtremò quia ſapientia, Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. &, quod prius eſt, vltimum ponam, lapis eſt, Qui operantur in me, ait, non peccabunt.

INCI-

INCIPIT PRÆFATIO A quodam Abbate edita de Lanchaim.

*Dominæ Illuſtræ Comitiſſæ N. Frater * E. quondam dictus Abbas, nunc autem pauper Chriſti in Lanchaim, orationes peccatoris & ſeruitium pauperis.*

* Engelhardum intellige.

Rogatus à vobis vitã ſcribere beatæ Mathildis Abbatiſſæ, vix audeo acquieſcere, cùm ſciã difficilè doctis indocti verba placere, qui ad põdus & menſuram & rationẽ more Dei volunt cuncta conſtituere, & conſtituta oſtendere. Mallẽ illos arripuiſſe opus, & mihi calumniandi occaſionem vel cauſam abſtuliſſe. Sed ipſis dedignantibus, & circa leges vel decreta occupatis, ego ruſticandi ſtudioſus vitam aggrediar fæminæ beatæ, ſanctitatis eius auctorem ſanctum inuocans ſpiritum, vt bona quæ illi contulit facere, mihi largiatur edicere. Ad omnia illius non attingo, quia neſcio. nam vt ſcitis vix hora vna vobis aſſedi, quæ capitula nobis recitante collegi. ſed nec ipſa cùm viueret, ſua vel aliqua ſciri voluit: cum exemplo dominico iubens de ſe taceri, virtutes latere non poſſent, ſed virtus ipſa clamaret. Adſit mihi pietas ſancta, iuuet immeritum meritis ſuis, vt ſi magiſtris & ſapientibus mundi ſcribendo diſpliceo, placeam ei cui ſe ſancta probauit, quæ in vita laudari noluit, quia timuit. poſt mortem, quia non timet pia, laudem pietatis admittit.

INCI-

INCIPIT VITA BEATÆ MÆTHILDIS IN DYEZZEN.

I. IGITVR Mæthildis nobilis carne, ſed mente nobilior de ſanguine imperiali duxit originem. Sed genus eſſe Dei, pluris habuit per pietatem. Ad hãc ſe totam conuerterat, hanc æmulabatur, huic ſtudebat, vt alium patrem ſuum neſciret, quàm Deum, nec aliam matrem, quàm illam in qua oblata fuit, Dyezzenſem Eccleſiam videlicet, illius Eccleſiæ tunc magiſtram. Equidem de Dyezzen ſanguinẽ, inde traxit & ſanctitatem, principis terræ filia, & filio Dei cœli in eodem monaſterio ſolenni oblatione deſponſata. Sponſo ſuo placere contendit in tantum, vt terrena deſpiceret, & amaret cœleſtia; ſciens duobus dominis non poſſe ſeruiri, nec virginem ſequentem amatores ignobiles à nobiliſſimo poſſe a-
Pſalm. 44. mari. Audierat à Dauid: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & concupiſcet rex decorem tuum. Et factum eſt ita. Audiuit in tremore, nunc videt in exultatione. Inclinauit aurem ſuam humilem, & hilarem exhibens obedientiam; & hoc in eam regis excitauit concupiſcentiam. Quinquennis intrauit monaſterium, non pedem poſuit foràs, non linguam, non animum, ſed nec de ore eius auditum eſt vnquam ſeculare verbum. Dulcis infantula infantilia ſuà tàm maturè geſſit, vt maturas ætate, non verbo ſed exemplo corriperet.

Adulta Carne & Vino abſtinuit. II.

CReuit corpore, creuit & mente, creuit & virtute, amplius etiam quàm ætate. Audiebat in fortitudine ſæpè mittere manum ſuam ad fortia, domare carnem ſuam carnis abſtinentia; non vt creaturam Dei, quæ bona eſt, reiiceret, ſed ne carnem edens carnis vitia nutriret.

Digitized by Google

ſitet. Abſtinuit & à vino, in quo eſt luxuria, vt vinum illud lætificans cor hominis in crapula ſæpè biberet, & diceret in lætitia cordis ſui: botrus Cypri dilectus meus mihi. Denique carnem illam agni paſchalis agni peccata mundi tollentis in remiſſionem peccatorum ſuorum frequenter accepit, edens illum potius mente quàm dente, & parans ſe illi templum mundum tàm corde, quàm corpore. Parum fuit hoc in oculis eius; adiecit maiora præſumere, ſpiritu infirmitatem ſexus adiuuante. Contempſit & balnea cum Petro audiens: qui lotus eſt non indiget, niſi vt pedes lauet. quos etiam ipſam lauiſſe negauerim, ne audiret illud tonitruum: ſi non lauero te, non habebis partem mecum. Ephe. 5. Eccleſ. 40. Cant. 1.

Quod medicinam carnalem non adhibuit. III.

SÆpius infirmata cum Paulo dixit: Cùm enim infirmor, tum fortior ſum & potens, libenter glorians in infirmitatibus ſuis, vt inhabitaret in ea virtus Chriſti, certa & experta quod virtus in infirmitate perficitur: vnde & medicinam carnalem corpori ſuo nunquam exhibuit; Agathæ iam ſodalis, & ſimilis; nō quod huic gladius in morte defuit; gladio tamen verbi Dei cottidiè vulnerabatur, totum ad ſe trahens, quod in ſermone, quod in lectione legeret vel audiret, carnem ſuam crucifigens cum vitiis & concupiſcentiis, timens gehennæ ſupplicia, & ambiens promiſſa cœleſtia. 2. Cor. 12.

Quod obediens vltra hominis menſuram fuit. IV.

NIhil tamen ſuo fecit arbitrio. Ab ore magiſtræ tota pendebat, & quod illa prohiberet, iſta nunquam præſumeret, quod iuberet, nunquam negligeret, nunquam differret. Sic obediens fuit, vt antiquum obediendi miraculum ſibi traxiſſet in vſum, & quodlibet opus imperfectum relinqueret, mox vt vocantis vocem vel iubentis audiret. Scribere ſolita & docta apices inchoatos ſæpius inuenta eſt ad ſonum vocantis magiſtræ vel campanæ non impleſſe; vt audiret de ſe præconium domini: in auditu auris obediuit mihi. Sed & viro forti ſe comparans, de quo Salomon: Vir, inquit, obediens loquetur victorias. Victorias loquebatur Mæthildis noſtra vincendo cor ſuum, vincendo ſexum, vincendo diabolum, & in ſpiritu Dei facta cum Deo ſpiritus vnus & cor vnum. Siquidem teſte Paulo qui adhæret domino, vnus eſt ſpiritus. Iam mente quaſi in monte mundo ſupereminens erat: aſpexit & deſpexit ſub ſe omnia, cantans & pſallens in corde Prou. 21. 1. Cor. 6.

ſuo canticum illud caſtitatis, canticum charitatis: Regnum mundi & omnem ornatum ſeculi contempſi propter amorem domini mei Ieſu Chriſti, quem vidi fide recta, quæſiui ſpe firma, dilexi charitate perfecta. Sic Methildis noſtra in medio iuuencularum tympaniſtriarum cantauit in viis Domini, quoniam magna eſt gloria Domini.

Quod patiens in infirmitatibus fuit. V.

VIrtutem virtuti coniunxit, obedientiam patientiæ præferẽs; omne flagellum infirmitatis à Deo, aduerſitatis à proximo, tentationis à diabolo; ad nullum horum murmurans, indignans, vel repugnans. nã cùm tentaretur à diabolo, huic ſe tota virtute oppoſuit, reſpuit & contẽpſit, neminẽ etiã præter eum vnquam inimicũ habuit. Omni maior inuidia, inuidias ſi quæ fuerunt, charitate ſuperauit, virtute confudit, authoritate obruit, humilitate proſtrauit, vt ſibimet feciſſet, ſi qua moliretur aliquid contra illam. Nam nobiliſſima omnium omnibus ſe fecit ancillam, nulli ſe præferens, nulli comparans. facta ipſa vas ſibi perditum, ſed vtile & in honorem omnibus qui erant in domo Dei. Si qua tamen, vt fieri ſolet, aliquando loqueretur, quod poſſet offendere, ſurdis auribus ſtuduit præterire; obdurans aures ſuas ſecundum Prophetam, ne audiret ſanguinem: ſed oculos ſuos auertens, ne videret vanitates. Silentium tantum indixerat ſibi, vt mutam crederes; ſi verò loqueretur, cum angelo te conferre putares. *Eſai. 33.*

Quod mendacium fugerit. VI.

MEndacium ſic cauit, ſic abhorruit, vt non argueret eam omnis caro, ſed & talis eſſe ſtuduit in conſcientia, vt ſecundum Iob nõ reprehenderet eam cor ſuum in omni vita ſua. Hinc dilecta Deo & hominibus, cum multorum peteretur affectu, multorum munuſculis tentaretur, turturi ſuo turturem ſe cuſtodiẽs, contempſit munera, reſpuit blandimenta, fugit colloquia. Inde & fratres ſuos Principes vix videre conceſſit, & tàm breuiter, vt puncto eis aſſediſſe ſuffecerit: hinc eis carior quò eorum colloquia renuit. Sciebat in multiloquio non deeſſe peccatum. quia vix ad interrogata reſpondens linguam placabilem lignum vitæ in ſe oſtendit. Ex hoc non ſororem, ſed dominam ſuam eam nominauerunt, coluerunt & honorauerunt.

Quàm diſtricta ſibi, aliis pia & clemens fuerit. VII.

TAm, nihil vt proprium, & nihil diceret ſuum: tàm communia faciẽs ſua ſingulis, vt ſingulare nihil pateretur habere præ cæteris;

tàm

tàm pia, tàm clemens erat omnibus, tàm patiens, tàm compatiens v-
niuerſis, vt cuiuſcunque dolorem ſuum crederet. gauderet denique
Pauli exemplo cum gaudentibus, fleret cum flentibus, cum infirmis Rom. 12.
infirmaretur, & aliorum ſcandalis vreretur. His cana ſenſibus, his af-
fectibus ſancta iuuencula, ætatem ſenectutis, vitam immaculatam
geſſit, maiori placens & minori. Omnibus debita reddidit, prælatis
ſubiectionem, ſenioribus honorem, iunioribus amorem. Sed & ipſis
ancillis rogans imperauit, ne ſe dominam dicerent, ſed ſororem. Et
ſic dum fugeret, non effugit honorem; dum exhibet omnibus, omni-
um habet vel inuita fauorem.

Quod in magiſtram eligitur. VIII.

TEcta ſub modio, lucerna lucens & ardens, latere voluit; ſed vo-
luit, non potuit. poſita eſt ſuper candelabrum, vt luceat intran-
tibus in domum. Domus illa Dyczzeſis viduata eſt magiſtra ſua, mœ-
ror fit & luctus omnium. Sed præ omnibus Mæthildis, quæ ſeſe or-
phanam tunc primùm ſentiret, cùm vt prædictum eſt, aliam ſe ma-
trem habere neſciret, aliam contemneret. Verſata ſunt conſilia de alia
ſubſtituenda. ſed omne tulit punctum qui miſcuit vtile dulci. Quid v-
tilius quæque diceret, quid dulcius audiret, quàm Mæthildis noſtra
regat, nos gubernet, nobis imperet! Verbum abbreuiatũ fecit domi-
nus, vocem ſequitur effectus, effectum lætitia, lætitiam perſeuerantia.
Mæthildis fit magiſtra, dolet, renuit, reclamat, quæ nihil iniunctum,
nihil rogatum ante renuerat. Cogitur in virtute obedientiæ, obedi-
ens opus facit Euangeliſtæ, monens & ſuadens de regno Dei cum fi-
de, cum feruore, cum dulcedine. Saluandæ vni animæ prius intende-
rat, intendit pluribus nunc ſaluandis; caſtigans corpus ſuum, & in 1. Cor. 9.
ſeruitutem redigens, ne fortè aliis prædicans, ipſa reproba inuenire-
tur, & dicerent ei quaſi in occulto, Medice cura teipſum. Multum
ieiunauerat antè, vigilauerat plus, orauerat plurimum; nihil pu-
tat ſe egiſſe. Accingitur primùm nunc arripiens arma militiæ Dei,
arma ſpiritalia, arma potentiæ Dei, fit altera Iudith pugnatura Iudith 13.
cum Holoferne; fit Heſter Aman hoſtem peſſimum deletura; fit Heſter 7.
denique Maria cum tympanis & choris populum Dei præceſſura.
Exhortatur ſubditas ſuas: Cantemus Domino, glorioſè enim hono- Exod. 15.
rificatus eſt, laudans ipſa nomen Domini cum cantico, & magnificãs
eum in laude; incipiens cum Ieſu facere & docere. Prima omnium Act. 1.
chorum intrauit, ad opus conſedit, & diſciplinæ tenax omnia pietate

Digitized by Google

permiſcuit, ſciens ſecundum Apoſtolum: quia corporalis exercitatio
1. Tim. 4. ad modicum vtilis eſt. Nulla in victu, nulla in veſtitu differentia fuit, non quod ipſa vilioribus vtebatur; nec poſſet inter alias aliundè dignoſci: nam veſte non immunda quidem, ſed omnium viliori. Signum cognitionis eius humilitas & hilaritas vultus tàm nobilis, tàm inſignis, in eo vt angelum exhiberet; tàm grauis, tàm matura, vt nihil petulantia, nihil leuitas coram ea præſumeret. Sic denique ſe, ſic ſuas egit, vt ſchola Chriſti eſſet domus illa, tàm Deo coniuncta per amorem, vt ſecũdum Prophetam nullius os loqueretur opera hominum, & quiſque adueniens, audiens, & recedens verè teſtaretur: quia Deus eſt vobiſcum. hodieque Mæthtildis, quaſi viuens in corpore, eſt eis ſanctitatis exemplum.

Quod in Abbatiſſam eligitur in Oetilſtetin. IX.

AVrum fuit Mæthildis noſtra, quod per ignem tranſierat: purum viſum eſt omnibus, etiam in coronã ſummi regis glorioſi transferendum, malleis productum, ſed adhuc melius producendum. Non ſuffecit Deo, quod laborauerat; ad laborem denuò vocat eam, acquirere ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorũ operum, & vocare non plebem Dei, plebem Dei. Erat domus vna de antiquis Eccleſiis, nobilis in perſonis, diues in ſubſtantia, cuius abierat Abbatiſſa, & religio ſimul deceſſerat, vel ante ipſam, vel cum ipſa. Eſt enim ſolitum & iuſtum Dei iudicium, vt negligentia diſciplinæ certiſſimum ſit rerum & facultatis excidium. In illis diebus non erat Rex in Iſraël, & vnuſquiſq; quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat. Fuerat domus dilapſa, dilapidata ſubſtantia, ſublata diſciplina. De reſtauratione cogitabant, quibus id curæ, vel cordi fuit, vt in loco Dei Deus haberet gloriam, refloreſceret diſciplina, deſinerent vitia, virtutes denuò plãtarentur. Quæſitum eſt, per quem iſtud fieret, & nemo inuentus eſt dignus, qui aperiret librum, niſi leo de tribu Iuda, & Mæthildis eius ancilla Dyezzenſis magiſtra. Hanc eligant, aiunt Principes, in hanc ſuadet antiſtes, huic obediemus, inquiunt, ſorores, hanc eligimus, hanc petimus, dicunt omnes. Fit electio, fit exultatio. Acclamatur, Deo laus & gloria, imprecantur electę fauſta, domui pax, rebus abundantia, moribus diſciplina. Affuit his Deus agendis, mouendis & promouendis, & beato fine complendis. Mittit pro ea electionis titulus pontificalis, commendat authoritas, iunguntur Principum preces, ſororum humilis, & deuota petitio, totius familiæ ſupplicatio, ſed &

pro-

Digitized by Google

prouinciæ ſeruiendi larga promiſſio. Omnia hæc in comitatu nuntiorum, commendata literis, firmata teſtimoniis, approbata perſonis. Venit ad locum, aperiunt nuntium, dant nuntiis litteræ teſtimonium, quorum nobilitas pluris potuit eſſe, quàm ſcriptum. Domum fama peruolauit & inuadit omnes mœror, quòd theſaurum vix inuentum, & optimam margaritam eſſent amiſſuræ, cuius amore amor Dei coaleuerat eis, vt alios amores neſcirent, niſi Dei tantùm & Methildis. Petitio venit ad ipſam, erubuit, renuit, reclamauit, poſuerunt me, inquiens, cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodiui: ſatis eſt mihi in iudicium vnam non cuſtodiſſe, quàm poſt hanc illam quoque negligere. Præualuit enim epiſcopalis authoritas quam iuuit nunciorum & actorum facundia, vt cederet, & fieret voluntas Dei maior quàm ſua. Sorores tamen & familiæ perſtiterunt in triſtitia, damnum intelligentes maximum, vnaquæque profectum ſui quem habuit in eius præſentia. Acquieſcit altera Rebecca, vadit cum pueris Abrahæ, venit ad Iſaac filias ei paritura non paucas, qui & occurrit ei ad puteum viuentis & videntis. Illic inuenit eum poſſidens in patientia animam ſuam. ſiquidem & Rebeccæ patientia ducens ad riſum qui eſt Iſaac, deambulans ad puteum viuentis & videntis ſcripturæ. nam alius riſus non eſt viuentis, niſi qui de promiſſione ſermonis Dei. Sed nec videns, niſi cuius reuelat oculos Deus, vt conſideret mirabilia de lege Dei. Sic proficiſcitur Rachel altera, oues patris ſui adaquare: nam gregem ipſa paſcebat, illa pecorum, iſta hominum. & ecce Iacob hauriens ei aquam de puteo, & adaquans oues cum ea, faciensq; reduci ad paſcua. Nunquid non & Sephora fuit, quam Moſes à paſtoribus violentis defendit, vt gregem cum ea pariter adaquaret, poſtremò & paſceret? Hæc in figura illis contigerunt. Mæthildis pro tribus illis, Iſaac dico, & Iacob, atque Moſe, Chriſtum habuit, gregem ſecum paſcentem panecillo, qui deſcendit de cœlo, & dat vitam mundo; adaquantem illo etiam de fonte, qui de Paradiſo egreditur, & deinceps in quatuor capita diuiditur, quia in quatuor principales virtutes ſeſe partitur. Ad hunc proficiſcitur domina Mæthildis cũ Regina Saba audire ſapientiam Salomonis, oſtenſura ſe amicam, columbam, formoſam, non ſuis meritis, ſed dono gratiæ Salomonis. proficiſcitur, inquam, lætantibus & exultantibus, qui eam deducerent; flentibus & lugentibus, qui eam dimitterent. Quis perdat aurum, & auri maſſam nõ doleat? quis margaritam fulgentem, & gemmam carbunculi pretioſam, & æquanimiter ferat? Id tibi cogita de Mæthildi. Sed quod grauius

Gen. 24. Gen. 28. Gen. 29. Ioan. 6.

Digitized by Google

eſt illis illam amiſiſſe.ſed quid viam prolongem longam ſatis, & non hanc in ſua deducã?ſuis exhibeam? Venit expectata, & benedictio Domini cum ea. Excipitur cantu lætitiæ, oſculis exultationis, familiæ in amplexus nouæ matris irruunt filiæ, ſed & tota clientela inclinatur ante faciem dominæ. Defertur ad requiem: ſed non eſt requies vbi videt laborandum, nec ſine labore grauibus damnis conſulendum. Induit animum viri, mulier fortis, cuius pretium non prope, ſed procul & de vltimis finibus inuenitur. Laborat ac ſi nihil egerit prius, & laborem lætitiæ ſequutus eſt fructus. *Prou.31.*

Qualiter vixerit in regimine. X.

CAuſam cum hominibus pugnandi non habuit prius, nec agere terrena cogebatur: nũc ad nutum eius cuncta pendebant, & de Maria Martha effecta fuiſſet, niſi ad pedes Domini optimam ſibi partẽ elegiſſet. Vnde & reſpondit Dominus pro ea, prouidens illi ſuę ſollicitudinis ſolatia, viros foris, ſorores intus conlaborantes, & fideles & prudentes in rebus agendis, ſupponẽtes ſe totos in parte ſollicitudinis, & dominæ deferentes plenitudinem poteſtatis. Soror Mathildis cõtendit appellari ſine dominæ adiectione; altum omne contẽpſit in nomine; ſed vſus exegit domus, & Monaſterii regula, vt domina vocaretur & Abbatiſſa. Ad hoc nomen habuit ordinari, & ab Epiſcopo ſolẽniter benedici, ad quod vtiq; non conſenſiſſet, niſi & domũ ſuo jure minuere, & domũ Dei in ſe reſpuere timuiſſet. Conſenſit ergò: benedicta eſt, & benedictione aucta, aucta dico per gratiã, ſublimata ad gloriã, non tam nominis, quàm conſumatæ virtutis. Videres in ea pleno plenius adiici, perfecto perfectius, & delitias præteriti tẽporis noua carnis caſtigatione redimere putaretur ab eo, qui neſciret in quanto prius rigore vixiſſet. Cęterũ ita domuerat carnẽ, vt jã non contra ſpiritũ concupiſceret, ſed tanquã domino ancilla ſeruiret, non nolens, aut coacta, ſed volens & ſpontanea, & virtutis ſuauitate delectata. Cantabat ergò in viis Domini, quoniam magna eſt gloria Domini, dicẽs Deo in orationibus ſuis. in via teſtimoniorũ tuorũ delectata ſum, ſicut in omnibus diuitiis. Hoc fecit, hoc docuit & eodẽ affectu poſt ſe gregẽ ſuum traxit, ſimilis ipſa mulieri Euãgelicæ, quæ in ſata tria miſit fermentũ, donec fermentaretur totũ. Nõ tamẽ facile inchoãti: nam durũ aſſueta relinquere, & licẽtias illas illicitas illicitis magis velle prohibere: ſed ꝓhibitæ ſunt Dño Abbatiſſæ cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Quæris

Pſ.118.

Mat.23.

quibus

Digitized by Google

quibus? Primum ſignum quod ſancta dedit, ipſa fuit, Iuuencula nobilis, forma herilis, viſu amabilis, talis erat in moribus, talis erat in motibus, talis eloquio, talis contubernio, vt non argueret eam omnis caro; ſed nec mentiri auderet fama de illa, quod maximũ eſt decus teſtante S. Ambroſio, quo commendatur virgo. Talis fuit mater Dei Maria, talis & Mæthildis pediſſequa eius, imitans eam in omni diſciplina, imitãs eam, dico, vſq; ad partũ illũ diuinũ, qui Mariæ fuit ſingulare priuilegiũ, & ei præ conſortibus ſuis plenitudine gratię ſequeſtratũ. Cęterum qui Mariæ filius hic Mæthildis eſt ſponſus, tam dulcis ei, vt nihil nõ dulce crederet, non ſuaue reputaret, in quo illi placere potuiſſet. Ad ſuadendũ tam efficax fuit, vt duriſſima corda molliret, & ſermone verbi ſalutaris leues quaſq; ad maturitatẽ corrigeret & diceret correcta illud B. Iob: Quę prius tãgere nolebat anima mea, nunc præ anguſtia tibi mei ſunt. Sic fecerat timoratas, ſic vitæ pręteritæ pœnitẽtes, vt audirent ab Apoſtolo: Quẽ ergò fructũ habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt. At ipſa timoris Dei forma erat illis in mandatis eius ſeruandis, in tantũ, vt cum S. Iob dicere poſſet: Semper quaſi tumẽtes ſuper me fluct' timui Deum, & põdus eius ferre non potui. Hinc faciles erãt flecti, & quidquid eſſet retortũ vel recuruũ, redegit ad lineã, ad normã reuocauit, in pondere, mẽſura, & ratione cuncta conſtituens, & poëticũ illud apud ſe dicens: Eſt modus in rebus, ſunt certi deniq; fines. Quos vltra citraq; neq; t conſiſtere rectũ. Recto ſic intendit Mæthildis, vt miſericordiã & judiciũ cantaret Dño: Sed vno dono miſericordiã ſuperexaltaret judicio. Sic moderatur omnia, ſic ſingula ſeparat, vt & fortes plus laboris pro Deo appeterẽt; & infirmæ nõ refugerẽt. Dicebat in ſpiritu diſcretionis illud Iacob, Si greges meos in ambulãdo plus fecero laborare, morientur cũcti vno die. Fortiter illud Salomonis exhortãs ait: quodcũq; poteſt manus tua facere, tu inſtãter operare; qa nec opus, nec ratio, nec ſciẽtia erũt apud inferos, quò tu pperas, & cõſolãs adiecit: Nõ ſũt cõdignę paſſiones huius tẽporis ad futurã gloriã, quę reuelabitur in nobis. Itẽ: momentaneũ & leue tribulationis noſtræ ſupra modũ in ſublime æternũ gloriæ põdus operatur in nobis. Sed & illud admirãs: Quod oculus nõ vidit, nec auris audiuit, nec in cor hõis aſcẽdit, q̃ pparauit Deus diligẽtibus ſe; q̃, inq̃t, talia ſunt, & tanta, vt ꝓ his leue ſit ferre vigilias, jeiunia, vel quęlibet aſpera. Hoc vita probauit & lingua, apponẽs manũ linguæ, opus verbo; imò digitum ſuperponens ori ſuo, vt dictis facta præmine-

Ambroſ.
Iob. 6.
Rom. 6.
Iob. 31.
Gen. 33.
Eccl. 9.
Rom. 8.
1. Cor. 2.

Digitized by Google

minerent, nec alias doceret, quod plus & prius ipſa non feciſſet. Tanta pietatis clementia præerat, vt non verbo vel officii nomine mater haberetur, ſed opere & veritate, tantum cuique apud ſe præbens fiduciæ, vt nihil eam celarent conſcientiæ ſuæ, ſed inſtar Adam & Euæ ſibi nudæ eſſent, nudæ dico corde, non corpore; puritate, non temeritate; non impudentia, ſed innocentia.

Quod apertum Clauſtrum ipſa recluſit. XI.

ADiecit adhuc fructum facere maiorem in gloriam ſponſi, acceſſus prohibere virorum, vt veritas caſtitatis haberet & ab his teſtimonium qui foris ſunt; nec haberet aduerſarius aliquid loqui de eis obtrectandi gratia. Loquitur ſuper hoc ſororibus, contra dicentes aliquas audit, ſed non exaudit. Inſtat eis loqui de propoſito caſtitatis votum grande profeſſione firmatum, fragilem ſexum, multiformem inimicum, nec cum eo in campo congredi fæminis tutum, ſed iuxta Martini ſententiam, ſatis eſſe ad laudem, ſi ſe intra caſtra contineant; fœdiſſimum autem ſi vel illi illas, vel illæ illos frequenter adeant. Flores quoq; ſcripturarũ ad caſtitatem ſuadendam decerpſit multos. odoratæ ſunt plurimæ odorem vitæ ex eis, adeò, vt ſui clauſuram expeterent; quædam odorem mortis acciperent, vt claudi omninò renuerent. Venit foras verbum, acceptatum eſt tãquam à Deo miſſum, & Deo oratione commiſſum. Aduocatur Epiſcopus, panditur verbum prius abſconditum; quæruntur voluntates; inueniuntur diuerſæ. Sed poſtremò præter paucas, omnes poſt Abbatiſſam conuerſæ. Laudes Deo & gratiæ referuntur, clauduntur volentes, remanere claudi nolentes, dimittuntur voluntati ſuæ. Tum demum floruit hortus domini, & emiſſiones eius tanquam paradiſus malorum puni-
Cant. 4. corum cum pomorum fructibus. Illa prius cum militibus vſitata colloquia verſans, ad angelos, & in foraminibus petræ, in cauernis maceriæ verſabantur columbæ, in vulneribus Chriſti & Angelorum frequentia felices, à ſe fuerunt occupatæ. Percurrebant deſiderio paradiſum, & per iubileas amænitates cordibus ferebantur, & ſponſum fletibus inuitabant ad hortum, vt paſcatur inter lilia, quo ſingulis virtutibus ſibi quæq; Deo: quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel & fauum ori meo. loqui autem de ſeculo, amarius eſſet abſynthio. Ita floruit hortus domini, quem conſeuerat ei Mæthildis, adiutorio ſpiritus ſancti, pulcher ad videndum, dulcis ad guſtandum, ſuauis ad odorandum, ſed tener ad tractandum. Noua enim plantauerat, & ne in-

ne incautè mouerentur lingua ſeculari, diligenter cauebat. Porrò ſpiritales viros litteratos gaudebat admittere rigatores, rogans ſingulos, effundere phialas ſuas, & verbo Dei refrigerare plantas ſuas, fouere areolas, areolas aromatibus cõſitas. Sic faciebat Mæthildis, dies per ſingulos offerens holocauſta per ſingulas, dicens Deo: Perfice vineam quam plantauit dextera tua, & ſingularis ille ferus longè ſit ab ea: ſpiritus tuus bonus bonum operetur in ea. Igitur filiæ Dei à filiis hominũ ſemotæ, ſupra homines eſſe nitebantur, cum Maria ſedentes ad pedes Domini, & audientes verbum illius, matre ſuper eas lætante, quod laudarentur voce Dei, quia partem optimam elegiſſent ſibi. *Pſal. 79.*

Quam frequens in Eccleſia fuerit. XII.

QVid ipſa ſtudii, quid feruoris habuerit, non tacui ante, ſed iam quaſi de nouo incipiens, & velut aquila iuuẽtutem ſuam in Dei ſeruitio renouans, cœpit ardua petere, & quaſi nõ ambulare ſuper terram, ſed dicere cũ Paulo: Noſtra conuerſatio in cœlis eſt. Frequens in Eccleſia fuit, veriſſimè cohærẽs mente Deo, cõuerſatione angelis, cohabitatione ſanctis, quorum ſe gaudebat adeſſe reliquiis. Si quis eam alibi quæreret, non inueniret, ſed illic inuentam, pulſare non auderet, ſtante ſuper eam ſponſo, prohibente, & dicẽte: Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit. Talem ſe hora orationis exhibuit, vt Deo videretur iniuriam facere, qui ab eo voluiſſet eam abſtrahere, & ipſum dicere Mæthildi: Qui tangit te, tangit pupillam oculi mei. Hinc ipſa Deo adhærens, & vnus cum eo ſpiritus exiſtens gloriabatur: Læua, inquiens, eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me, & ſic in pace in idipſum dormiam & requieſcam. Quam ſuauiter dormiuit, abſcondita in abſcondito vultus Dei à conuerſatione hominum, protecta in tabernaculo Dei à contradictione linguarum! O felix anima, quoties tibi datum eſt aſcenſiones in corde tuo diſponere in valle lacrimarum, & ire de virtute in virtutem, poſtremò videre Deum deorum in Syon, & dicere cum Paulo: Nos omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur de claritate in claritatem, tanquam domini ſpiritu. Quoties tibi contigit ad inſtar Moyſi velare faciem tuam ob genas tuas madentes lacrimis accipienti à patre tuo cum Axa irriguum ſuperius & inferius: & quaſi ſciſcitantibus dicere: introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. Talis exiſti de conſpectu Domini, plena gratiarum, ſplendens, & ſa-

Epheſ. 3. *Cant. 2.* *Zach. 2.* *Cant. 2.* *Pſal. 4.* *Pſal. 83.* *2. Cor. 3.* *Ioſue 15.* *Cant. 2.*

Digitized by Google

& ſapiens, de conſortio domini ſermonis proficiens cõtemplando & orando magis in Chriſto, Dei virtute, & Dei ſapientia, quàm legendo in pagina, vel audiendo magiſtros in ſchola. Quoties in lectulo tuo per noctes quæſiſti quem diligit, imò quem dilexit anima tua? caritas enim nunquam excidit. Etſi ædicula caritatis caro tua in morte deciderit, verum anima tua inter carnem & caritatem media, caritatis adiutorio & veritatis teſtimonio nunquam non viuit. Gaude & lætare nunc filia Syon cùm per ſpeculum & ænigmate vides regem gloriæ: ſed quantum in carne ambulanti, & non ſecundum carnem militanti licuit videre. Suſtuliſti tamen te ſuper te dicens in corde tuo: O quis dabit pennas mihi ſicut columbæ, & volabo & requieſcam. Tendebas ad illas cauernas maceriæ, maceriæ ex parte deſtructæ, ruentibus ex ea lapidibus ignitis, in quorum medio lucifer ille teſte Ezechiele ambulauit felix, donec igne Dei flagrauit infelix, cùm ignem alienum, hoc eſt, inuidiam, accendit: vnde & ruit, & tertiam partem ſtellarum ſecundum Ioannem poſt ſe traxit, & facti ſunt de principibus lucis principes tenebrarum, contra quos nobis certamen eſt, non contra carnem & ſanguinem. Hæc meditans Mæthildis noſtra, immò Dei, quia ſi *cognouim* eam ſecundũ carnem, ſed nunc iam non nouimus, & ipſa ſecundũ carnem neminem agnouit, Mihi, inquiens, adhærere Deo bonũ eſt ponere in Domino Deo ſpem meam. Quę retro ſunt oblita eſt, in anteriora ſe extendens ſuperiora ſitiens, æterna mẽte complectens. Macerie illa angelica oculum ſuum frequẽter exacuit, purgans eum à puluere terreni deſiderii, inungens ſtibio cœleſtis ſapientiæ, vt ſapientiã ipſam videret, componentem omnia, & ſingulos ordines cœleſtium virtutũ compoſitos in ſapientia, diſpoſitos in ipſa macerie. O quàm illi deſiderabile, cogitare ſapientiam, attingentem à fine vſq; ad finem fortiter, & diſponentem omnia ſuauiter, ædificantẽ Ieruſalem illam de viuis lapidibus, quæ ex parte regnat, ex parte adhuc exultat, & de exilio reuerſos quotidiè recipit, & cauernas illas muri Ieruſalem in animabus ſanctis reædificat! Attendit manſiones illas multas in domo patris datas pro meritis, ſufficientes ſingulis, abundantes deliciis, perpetuis gaudiis permixtas cum angelis, diſtinctas gloriis, ſed vnitas vinculo, & glutine charitatis. Ire iocundũ illi de virtute in virtutẽ, ire, inquam, animo, circuire deſiderio templũ illud, quod eſt in cœlo, offerre laudis incẽſum Deo, ſingulis quoq; ordinib⁹ angelorũ dare gloriam de cordis ſui ſacrificio. Detulit illis animabus beatis vnicuique laudẽ, petens interceſſionẽ, & parans ſibi cũ illis beatitu-

dinis

Pſal. 54. Cant. 2. Ezech. 28. Apoc. 12. Epheſ. 6. Pſal. 72. * Patet hinc S. Mechtildẽ auctori notam fuiſſe. Sap. 8.

Digitized by Google

dinis ſortẽ. Quî putas fuit illi cum Maria virginum domina, virginũ regina? O quoties illi ſuſpirauit, loquẽs illi, & releuans ſe in ſtratu ſuo cum illa à malitia ſæculi, à laqueis diaboli, ab anguſtiis incolatus ſui. Hanc habuit ſingulare ſolatium, hanc contemplationis principem, hanc vitæ ſuæ formam & ordinem. Per hanc acceſſit ad ſpiritum ſui ſpiritus ducem. ſed & ſcripturam ſanctam adhibuit magiſtram, vt hãc potius ſequeretur, quàm ſenſum ſuum ad contemplationem Dei. His præuiis ſecura incedere, intrans in ſancta ſanctorum, corde ſancto cõtemplans tabernaculum illud admirabile, exemplar illius quod oſtenſum eſt Moyſi, & dictum eſt: Vide, fac omnia diligenter ſecundum exemplar, quod tibi oſtenſum eſt. Mirata eſt altare aureum, quod eſt ante oculos Domini, & ſub altari animas occiſorum; thronum etiam Dei, cui viginti quatuor illi ſeniores in ſuis ſedibus aſſederunt: ſed & quatuor animalia ſenas alas habentia, & oculis vndique plena: tum etiam illa centum quadraginta quatuor millia, canticum nouum cantãtia; ſed & ſinum Abrahæ animarum ſanctarũ ſuſceptorem: & poſtremò turbam illam magnam quàm dinumerare nemo poteſt, ex omnibus populis, tribubus, & linguis, ſtantes ante thronũ, & palmæ in manibus eorum. Hæc & his ſimilia contemplari ſolebat Mæthildis noſtra, doctior ipſa in videndo, q̃ ego in dicendo: ſed & beatior in experientia, quàm inexpertus in ſcientia. Adhuc libet ſequi Abbatiſſam noſtrã intro in atrium regis ingreſſam: ſed fulgorẽ quo ipſa paſcitur, ferre nõ ſuſtinens, reuerberatis oculis, ceu cæcutio, & clamo poſt tergum eius: Intra in gaudiũ Domini tui: ſic enim digna es, & memẽto mei, cùm benè tibi fuerit, vt ſuggeras ſponſo, vt mei meminerit.

Exod. 25. *Apoc. 4.* *Luc. 16.*

Quod in ſtramine ſine plumis iacuerit. XIII.

HOc opus eius, immò otium, nõ otioſum in Eccleſia. hoc illi actitare per diem dulciſſimũ; ſed & noctis in hoc plurimum cõſumpſit, vel tempus totum. Vnde ne lectus ei blandiretur, & ſegnior eſſet ad ſurgendum, non in plumis, ſed in ſtramine iacuit. ſed & ſtramẽta reſpuiſſet, niſi fugiſſet laudem, & libentiſſimè quieuiſſet ſuper humũ nudam, aut ſuper lapidẽ, ſororibus tamẽ clementior vbiq; quàm ſibi, prouidit lectiſternia, puluillos & lintea ſtratorũ & indumẽtorũ munditias, dicens nihil hoc animabus nocere, ſi modo non haberentur ſuperbæ vel ſuperfluæ. Modum modis omnibus commendabat, quem tamen ſibi negabat in beneficiis corporis, corpori nõ parcẽdo, ſeruauit tamen in ceteris, à nulla plus, quàm poſſet exigendo. Munditias,

Digitized by Google

vt prædictum eſt, amauit cum paupertate, atq; vt honeſto ſatisfaceret, noluit videri pauper, ſed eſſe. Saccum ergò palearum pro plumis ſub ſe habuit, qui tectus linteamine pompam oſtenderet, & pretium non haberet. Sed quæ cura? Curauit magna præparatione cor ſuum domino, quærens in lectulo ſuo, quem dilexit anima eius, ſed non inueniens, ſurrexit & circuiuit ciuitatē, quærens dilectum; ciuitatē dico illā, quæ ſurſum eſt Ieruſalem, quæ eſt mater noſtra. O quoties inuenerunt eam vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem, quos ſciſcitata eſt, num quem diligit anima mea vidiſtis? Pertranſiuit & illos, & inuenit quem diligit anima ſua. Ipſum habuit ſocium, ſociam ſe parauit illi, & adhærēs illi vnus ſpiritus fuit. Quid dico fuit? Eſt potius amans tūc in ſpe, ſed non in re; tunc in deſiderio animæ, nunc ſaturitate, non quæ faſtidiū generat, ſed dilectio diligendi perpetuet. Dixit autem cum Iſaia domino, immò ſponſo. Anima mea deſiderauit te in nocte, ſed & ſpiritus meus in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Ita dormiuit, vt diceret: Ego dormio, & cor meum vigilat. Sic illa cum ſponſo ſuo vigilauit, vt in palea dormiens palatium cœli ſomniaret; ſed & ſomnium crederet, & paleam reputaret omne quod mundus iſte ſuſpiceret. Vnde & fletibus lauabat lectum ſuum, & lacrimis ſtratum ſuum rigabat. Vigilias communes anteuenire conſueuit, vt principes illos, angelos dico, qui coniungi pſallentibus ſolent, & non præuenirēt, inueniretur tamen ipſa prima in medio iuuencularum tympaniſtriarum.

Gal. 4. Cant. 5. Eſa. 26. Cant. 5. Pſal. 6. Pſal. 67.

Quod honorem fugiens non effugit. XIV.

OPera hæc lucis in lucem venerunt, tegi non poterant, ſicut nec ciuitas ſuper montem poſita. Habuerunt amatores omnes rectos corde & laudatores omnes tranſeuntes per viam, vt & fama virtutis eius peruolaret terram, & perueniret ad curiam. Mirum viſum de perſona, quia nobilis, quia pulchra, quia iuuencula, & ea fama gratior, quo iunior, quo acceptior fœmina: ſolet enim carnis nobilitas ignobilitatem mentis pleriſq; generare, & eo licentius peccant, quo ſe reprehendi, vel redargui tardius putant. Cęterum hoc non in publico, ſed in angulis, quis non vituperet, quis non iudicet, quis non cōdemnet? Vbi duo vel tres congregati fuerint, in medio eorum eſt, cum duobus tertia, cum tribus quarta. Hæc eſt pars nobilium ignobiliter agētium. ſed aliter Mæthildis, quæ hominum laudes cùm fugeret, non effugit. iuxta illud Hieronymi: Gloria virtutes quaſi vmbra ſequitur, & appe-

Digitized by Google

titores ſui deſerens, appetit contemnentes. Hæc ſancti viri ſententia probata in Mæthilde noſtra, quæ quanto plus ſpreuit honorari, tanto magis honorata eſt, & eo celſior apud Dominum, quo humilior in oculis ſuis, & deſpecta penes judicium ſuum. Veram probauit dominicam & Euangelicam vocem: Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur. *Luc. 14.* Exaltationem humiliter experiendo didicit in ſe, humiliationem ſe exaltantis in aliis vidit, vidēdo perfecit, & manus ſuas lauit in ſanguine peccatoris, lauit & peccantem fletu compaſſionis, lacrimis compunctionis, ſuſpiriis pii doloris.

Quanta compunctionis fuerit. XV.

TAntæ quippe compunctionis fuit, vt nullius dolorem præteriret, nullius caſum vel infortunium diſſimularet; ſed mox vt cōperiſſet, prorupit in lacrymas. Ad orationem confugit, & quod factum eſt, Dei clementiæ flendo commiſit. Hinc multis ſubuentum eſt, ipſa orante, vt cederent dolores, minuerentur anguſtiæ, rediret ſalus, ſiue corporis, ſiue animæ. Inde nomen illi ſanctitatis amplificatum eſt, vt colerent illam, non vt exulantem adhuc in terris, ſed vt regnantem jam in cœlis. Hoc illi. Sed illa de laude ſuſpicata judicium, de fauore arbitrata ſupplicium, voluebat apud ſe illud Propheticum: Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & ſemitam greſſuum tuorum diſſipant. *Eſa. 3.* Ecce elongauit fugiens, & manſit in ſolitudine, *Pſ. 54.* perſiſtens in fletibus, & exitus aquarum Dauid, diuiſionesq; aquarum Ieremiæ deduxerunt oculi eius. *Pſ. 118.* *Thren. 13.* Si afflictam videret Eccleſiam, exitus aquarum diffudit in lacrymas, omnium miſeriis miſerādo cōpatiēs; ſi tāgeret afflictio ſingulos, diuiſiones aquarū fecit lacrimādo per ſingulos. Si peccaſſet quis, flebat pro eo; ſi tētaretur frater aut ſoror, flere non deſtitit, donec ceſſaret ſtimulus, & anima eriperetur à laqueo. Cibauit ſe pane lacrymarum, & potum accepit in lacrymis in menſura; *Pſ. 79.* vnguentum faciens ſibi de anguſtiis pauperum, de inopiis egenorum, de orbitate viduarum, de oppreſſorum ſuſpiriis, de orphanorum atq; pupillorum miſeriis, de captiuorum exiliis, aut catenis, de peregrinantium vel nauigantium periculis vel naufragiis; ad vltimum de omnibus in omni tribulatione conſtitutis. Hoc, inquam, vnguento venit cum illis mulieribus Euangelicis vngere Ieſum; *Mar. 16.* ſed illo non inuento, quia reſurrexerat iam in gloria, iſta vnguentum non perdidit; ſed expendit in corpus eius, quod eſt Ec-

Digitized by Google

cleſia. Vnxit omnes, vt dictum eſt, afflictos vnctione miſericordiæ, cōpaſſionis adipe, oleo benignitatis, vnguento clementiæ. Ad hoc lacrimas fudit, vt in iis ſubueniret, & ipſa laudaretur non ab homine, ſed ab eo, qui intuetur cor. Suſcepit enim auris ſua venas ſuſurri eius, & quaſi vocem auræ lenis audiuit ſponſi ad ſe loquentis in

Cant. 1. Canticis: Meliora ſunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis. Et alia eiuſmodi vnguenta parare conſueuerat, vnum quod Domino Maria Magdalena ſuper pedes funderet lacrimando pro peccatis. Aliud quod ſuper caput gratias agendo pro beneficiis: Sed melius priore iſtud. Nec illud deſpicitur: quia ſacrificium eſt ſpiritus contri-

Pſ. 50. bulatus; hoc tamen placet & placat magis, cùm ſit ſacrificium laudis. Tertium quod eſt optimum, compaſſionem proximi, beneficium indigentis, vtriq; præponderans, ab vtroq; non diſcrepans, Mæthildis noſtra tam actu, quàm affectu prætulit; ſciens illa facere, & iſtud non omittere. Vnde placens Deo facta dilecta dilecto, exaudita eſt pro ſua reuerentia, quæ nihil aſperum vlli exhibuit, cùm eſſet grauis quidem & matura, ſed omni dulcedine & ſuauitate permixta.

Quantum fleuerit pro vno otioſo verbo, & quod non riſit. XVI.

DIcere me cogit hiſtoria, quod vtiq; per me non dicerem, niſi dicti teſtem, & dicendi inſtigatricem, matronā nobilem tàm genere, quàm veritate habuiſſem. Sed quid dubito? Quid impoſſibile Deo? Nunquam viſa eſt ridere, nec audita verbū inutile dicere. Finis tamen vitæ cum riſu fuit illi, quod in ſequentibus dico, dum illò peruenero. Cæterum de verbo inutili redarguit ſeipſam; redarguit ſe pter morem conſcientia. Quod ita geſtum eſt. Vna ſororum ſtetit coram illa, portans quiddam in manibus. Cecidit quod portauit in ter-

mit Füſ. ram, & Abbatiſſa ſubiūxit verbum vulgo tritum: CALCA DESVPER.

ſen drauff. Quod vt dixit, prorupit in lacrimas flens, & eiulans, ac ſi Romanas effregiſſet Eccleſias. Multis diebus ſuper hoc afflixit ſe jeiuniis & vigiliis, adiiciens dies pœnitētiæ. Quid ad hæc nos dicimus, loquentes

Pſ. 63. contra interdictū? lacerantes colloquio proximū? ſagittantes in occultis immaculatū? exacuentes linguas noſtras, vt gladiū? Audierat

Mat. 12. illa in Euāgelio: Omne verbū otioſum, q̄ locuti fuerint hoīes reddēt de eo rationē in die judicii. Audierat, & præuenit diem judicii citius, & felicius ipſa Iudex ſui. Audierat à ſapiente, Melior eſt ira riſu; quia

Eccl. 7. per triſtitiā vultus, corrigitur animus delinquētis. Irata eſt ſibi, ce-

terum

Digitized by Google

terum aliis nunquam viſa eſt iraſci. At quomodo, inquies, emẽdauit exceſſus? An nemo ibi peccauit? ſed erant omnes quaſi Angeli Dei in cœlo? Peccantes non arguere peccatũ eſt, & maximũ; dicente Dño ad Heli: Quia nouerat indignè agere filios ſuos, & non arguit eos, idcircò, inquit; Iuraui Heli, vt non expietur iniquitas domus eius victimis & muneribus vsq; in æternũ. Cauit hoc Mæthildis corripiẽs, ſed in miſericordia increpãs, & cũ modeſtia, vt ipſa, quæ peccauerat, non iram deputaret, cùm puniretur; ſed juſtitiã. Cęterum reſiſtere illi nemo auderet, nemo tentaret; tanta fuit grauitas judicantis, vt lux vultus eius non caderet ſuper terram, ſed quaſi tonantis de cœlo audiret ſententiam. ſiquidem cum Eccleſiaſte riſum deputauit errorem, & gaudio dixit: Quid fruſtra deciperis? Quæ cum Iob dum ſederet circumſepta ſororum exercitu, erat tamẽ mœrentiũ conſolatrix, in judicando juſta, in conſolando benigna, in actu ſeuera, & cum Apoſtolo omnia omnibus. In multis erat ſecundum Salomonem quaſi inſcia, nihil tamẽ negligens, quia timorata, ſciẽs mutare quodlibet, ſed ipſa non mutari. Et cũ Anna vultus eius non ſunt amplius in diuerſa mutati. Habes ô lector in hac fœmina multa virtutis inſignia, quę ſi retexas, inuenis ab infantia ſanctitatis exempla, & à prima hora diei laborantẽ in vinea, nõ cauſantẽ de pretio, ſed pretiũ ſibi nõ aliud delegiſſe, quàm Dñi gratiã. Habes ſanctitatem probatam, factis ſanctificatã, meritis quæſitã; ſed nec dũ laboribus manifeſtã virtutẽ virtutũ ſignis. Nec iſta viuenti defuerunt, multo magis defunctæ nõ deſũt.

1. Reg. 2. Iob. 29. Eccl. 7. Iob. 29. 1. Cor. 9. 1. Reg. 1. Mat. 20.

Curiam adiens, ex aqua ter vinum bibit. XVII.

Cauſa extitit, vt & vocata palatiũ adiret, vtilitas monaſterii ſic exegit. damnum maximũ ſi non iſſet. Per alios voluit agi negotiũ. Fridericus tunc Imperator quæſiuit Abbatiſſam, ius ipſum id poſcere vt veniret, & finiretur res per ipſam. Veniat, inquit, cognata mea Ratisbonam: Solẽnis res eſt, nec aliter, quàm ſolenniter agenda corã Principibus & curia. Iuit, licet inuita, comitatum habens nomini ſuo congruentem, & maiorem quàm vellet; cui ſolitudo amabilior, quàm palatiũ. Videres alteram Iudith poſt tot jejunia, nõ pallorem vultus oſtẽdere, ſed oĩm oculis apparere gratioſam: & niſi ꝓbata virtus corriperet inſipientem, inſipiẽs non deeſſet, q putaret eã vacaſſe delitiis potius, quàm laboraſſe jejuniis. Probatum eſt ibi, qđ egerit domi, quod verè habuerit jejunia pro delitiis; & hinc vultus eius, prę crapula ſpiritus, ſimilior ſpeciei roſarũ, quã cineris; reſpuẽs cũ Daniele,

Fridericus I. Barbaroſſa.

le, & ſociis eius, cibos regios, & eſu contenta leguminis. Talis aſtitit Imperatori videnti pulchritudinem, nec ignoranti virtutem, & deferenti ſanctæ plus ob ſanctitatem, quàm propter genus & ſanguinem. Lætabatur quàm maximè, talem ſe habere conſortem generis; mirabatur ſanctiſſimam de non ſanctis, & quaſi roſam proceſſiſſe de ſpinis. Hoc prædicauit de ea, & viſa gauiſus eſt ea. ſed & libentius auditâ, cauſas, pro quibus venerat, fecit & perfecit omnes pro ea. Ventum eſt ad menſam: cœna familiæ; prandium Abbatiſſæ veſperi parabatur: carnes cæteris; Abbatiſſæ poſitus eſt cibus Danielis. Ipſa cum cæteris indifferenter viſu & olfactu percepit omnia; ſed ab omnibus guſtu diuiſa, non habuit in guſtu niſi legumina. Pincerna eius miles erat, maturus ipſe, ſciens quid Deo, quid ſeculo deberet; nec præteriens, quod dominæ voluntatem agnoſceret. Præmonitus fontem clam hauſtum ſolenniter cum ſociis procedens, detulit Abbatiſſæ. Nam aliis omnibus ad omnẽ copiam vinum propinabatur. Et illa guſtans, ſe deceptam, vel contemptam præter ſolitum mirabatur. fons enim non fontẽ, ſed vinum optimũ ſapiebat. quo protinus abſtinẽs, pincernæ modeſtius iñuebat, inobediẽtiã arguebat, auferre vinum, & afferre fontẽ, clanculo faciebat. Miſit ille pediſſequum ſuũ, hauſit fontem, tulit in domum. Propinat denuò, bibit Abbatiſſa vinum ex fonte; pincernam increpat de obſtinatione. Iurat ille, ſeruum aquam haurientem ſe vidiſſe, nec præterquã hauſerat, ſe obtuliſſe. Tunc illa, Bibe, inquit, & teipſum redargue. Bibit alter Architriclin⁹; factus eſt laudator vini huius. Nihil, inquiens, huic BAVVARIA ſimile genuit, nihil Auſtria protulit, nihil Francia vel Alſatia miſit, nihil Cyprus aut Græcia huic comparandum dedit. Laudantem compeſcuit Abbatiſſa, fontem tertio poſcit. Currit ille, hauſit per ſe, & affert. Aſſerit ſe hauſiſſe, guſtatum noluit aliud eſſe, quàm vinum, ꝙ Abbatiſſa voluiſſet occultum eſſe, ſed rei magnitudo latere non valens, venit in publicum.

Dan. 1.

Vides quàm dilectam habuit Dominus, quam omnibus ſuis abundantibus vino, ſolam noluit aquam bibere. Sed de botro Cypri, quod ipſe fuit, vinum miniſtrauit ei, vt dilecta dilecti tali gratuletur conuiuio, & coram principibus, quos latere non poterat, glorificaretur miraculo. At ipſa honoris impatiens, ſuppreſſit, & ſupprimi optauit verbum; ſed exemplo Domini quo magis tegitur, eſt detectũ. Fugit ergò de Curia, nolens grauari rumuſculo, ſed odorẽ reliquit poſt ſe, dignũ Deo, qui contẽptum delitiis, faciẽs amorẽ jeiunio, honorem

Cant. 1.

Digitized by Google

norem Deo, aſpernationem ſæculo. Hoc initium ſignorũ habuit cũ Domino Ieſu domina Mæthildis, vtrobiq; vt credo, commanente, & monente Maria, Vinum non habent. Idemq; fecit hic vinum ex aqua pro vna quam dilexit, qui pro multis ibi, quos diligentes & credẽtes effecit. Ipſa nihil ſibi ſuper hoc laudis vel honoris occultè vel publicè vẽdicans, manus ſuas excuſſit, im̃unem ſe dicens facti huius; Dominum eſſe factorem omnium, nihil propter ſe vel à ſe, ſed propter alios, ſi quid noui accidit, factum. Sic remiſit virtutem ad dominum virtutum, ſicut ad mare fontes & flumina recurrunt, vbi origo eſt omnium. ſiquidem omnia flumina intrant mare, & mare non redundat, & Mæthildis ad locũ vnde exierat, miraculũ reuerti fecit, vt iterũ fluat, fluat, inquam, & non deficiat iteratum. *Ioan. 2.* *Eccl. 1.*

De Dæmoniaca curata. XVIII.

ADiecit adhuc Dominus facere cum ea, & facti ſunt lætantes habitantes ſub ea. Filia cuiuſdam carnalis erat, dæmonium habẽs, cui locũ pater impetrauerat in Monaſterio præbendariæ, non ſororis, ſed à ſororibus ſequeſtratũ; & hoc prece, non pretio factũ. Gen⁹ hoc dæmonis peſſimũ, & ſimile illi de Euangelio, quod in nullo exiret niſi in oratiõe & jeiunio. Vnde nec illud diſcipuli, nec iſtud ſorores potuerunt eiicere, cùm frequenter oraſſent pro ea, ſed adhuc nihilominus dæmon erat cũ ea. Erat in ea videre miſeriam, nudam diſcurrere, implere clamoribus omnia, ſpiritu exagitãte diſcerpere ſeipſam, quærere locum pręcipitãdi ſe, vel in igne, vel aqua, horrẽda viſu & auditu com̃ittere dæmon vt eã perderet. Grauis omnibus, omniũ vicerat grauitatẽ, vt ne dicam ſeruire infirmæ, ſed nec videre, aut audire illã jam eſſet facile. Senſit hic Mæthildis operandũ: & reuelãte ſibi ſpiritu, animata ſpe atq; fiducia, aggreditur dæmonẽ, oratione præmiſſa jubet, vt exeat. reclamãti, ac ſi flagris cæderetur, ne vltra ibi ſit, imperat. Fremit dæmon, dentibus ſtridet, & multũ diſcerpẽs eam Domino Ieſu adiuuante ſponſam ſuã, exiuit, oſtendẽs diſcerptione ipſa, qualis & quãtus fuerit in malitia. Sanata eſt puella, teſtis ipſa virtutis Abbatiſſæ, ſeruiẽſq; dũ viueret Deo vita Sanctitatis & Iuſtitiæ. Volebat & hoc Abbatiſſa eſſe celatum, ſed clamauit miraculum. Ipſa hoc dicente, quia idem eſt IESVS Dominus in cœlis, qui fuerat in terris ad operandum, & idem inuiſibilis facit, quod viſus exhibuit. Hinc factum eſt, vt frequentaretur à multis, frequentia ſigna faceret & multa; quæ ſic obumbrauit, vt benedictionibus verborũ aſcribe- *Mat. 17.*

Digitized by Google

ret,ſibiq; de virtute virtutis nihil arrogaret. Sed non latuit meritū operātis in opere,& de fructibus ſuis nō cognouerūt eā, referentes ab ea ſalutē,& auxilium de tribulatione,reddentes Deo pro ea honorē, cum gratiarū actione. Illa quæ curata fuerat,quod pænè omiſerā, etiam muta erat;ſed Dño curante,& Methilde orante,dæmonem perdidit,& loquelam recepit; Conterens de cætero Sathanam ſub pedibus ſuis,&ore facundo pronuncians laudem Domini Saluatoris,imitansq; & magnificās vitam S. Methildis. Viderūt ſorores ſe nō deceptas,ſed habere fructum ſuum in ſanctificationem, finem verò vitā æternam. Cuius jam ſpiritus maximam prægustaſſent in centuplo, quod eis dederat Deus pro contēptu ſæculi,& imitatione Ieſu Christi. Totis ergò viribus anhelabant ad ſuperna, cupientes diſſolui, & eſſe cum Chriſto:hoc enim multò melius:& currebant omnes deſiderio,feruebant ſtudio,nitebantur affectu. Currebant omnes; Sed Methildis præcucurrit citius cæteris; ſed non introiuit præ cæteris, multas ipſa præmittens ad thalamū ſponſi, à quibus maluiſſet inueniri,quàm præueniri,pręuēta in benedictionibus dulcedinis, vt geſtiret exire de corpore,& Chriſto præſens eſſe. Mundū vidit in maligno poſitū,vidit,inquam,non tantū in locutione, ſed magis in actione;vidit vanitatem cunctā ſub ſole,& contendit animo ſuprā ſolē. O,inquit,quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei? Quādo abſorbebitur hoc quod mortale eſt à vita,& corruptibile hoc induet incorruptelam? Quis me liberabit de corpore mortis huius? Et reſponſum accepit à ſpiritu,reſponſum Apoſtolicum lætum & jocundum:Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Voces iſtæ cordis eius auditæ & exauditæ ſunt in cœlo,introierunt in ſancta & miſſum eſt ei auxilium de ſancto.

Rom. 6.

1. Ioan. 5.

Pſ 14.
1. Cor. 15.
Rom. 7.

Quod obitum præſciuit ſuum, & in Dyezzen rediit. XVIIII.

SCiens ergò ſe in breui morituram,ſimile quid Patriarchæ Ioſeph faciens,qui filiis mandauit de oſſibus ſuis transferendis, Dyezzē ſe oblatam & deſponſatā Chriſto memorauit, & illic cum ſororibus ſuis ſepulchrum optauit. Conuocatisq; ſororibus ſuis,indicat diſſolutionē ſui corporis imminere, Dyezzen ſe oportere redire, valdè infirmā eſſe dicēs;ibi aut cito mori,aut in breui cōualeſcere, Aſſenſerūt vitam eius exinde ſperantes,ſimul etiā nulla in ea mortis ſigna videntes. Iuit non dubia ſe morituram, vel potius tranſituram de morte ad vitam, quę vitæ ſunt mandans ſeruare ſororibus, maximè quæ didiciſſent & vidiſſent verbo & exēplo ipſius. Munda, inquit, ſum à ſanguine omniū veſtrūm: non .n. ſubterfugi. quo minus annunciauerim vobis omne conſilium Dei. Vado à vobis, vtrum reuertar, incertū,certū autem quod reddat Dñs vnicuiq; ſecundū laborem ſuū.

Act. 20.

Apoc. 20.

Digitized by Google

Et exoſculans omnes, Deoq; commendans, abiit Dyezzen. Triſte ſuſcepta eſt. quia infirma; ſed omni cura & humanitate procurata, non vt hoſpita, ſed vt mater chariſſima, & vt loci domina. Dolor creuit, Oſee 10
ſed die & nocte non aliud corde verſabat & ore ſponſa Dei, niſi laudē Dei. Sic vitula, vt in bonam partē interpreter, docta diligere trituram, aliud facere neſciens in tempore infirmitatis, oſtendit commiſerationem ſuā. In vigiliis, in jeiuniis vſum tenuit ſuū, niſi tantū, quātum potuit exorari, vt reficeret paululum. Conuocat ſorores, & carni vim faciens, ſpiritus virtute ſalutat oēs, dulci alloquio, deinde affatur hoc ſermonis exordiō: Deſiderio deſideraui hoc Paſcha māducare vobiſcū, verè Paſcha mihi, quia lætū, jocundū, quia ſemper optatū Luc. 22.
Paſcha inquam, id eſt, tranſitū. En ego dulciſſimæ viam vniuerſæ carnis ingredior, jā ad Patres meos colligor, ego & cū Adam cinis in cinerem redeo. Hoc indeclinabile, hoc fugiūt oēs, & nemo effugere valet. Nihil mihi cōſcia ſū, ſed q judicat me, Dn̄s eſt; miſerator q̄ dem & Ioſue 23.
miſericors & juſt⁹. ſi decreuerit ſaluare me, cōtinuò liberabor. ſi laborē aſpiciat, nihil ſubterfugi, quo nō ſtuduerim placere illi. In oībus laboraui, nō a. ego, ſed gratia Dei mecū. Illi⁹ adiutorio bonū certamen 1. Cor. 4. Pſ 11. 2. Tim. 4.
certaui, curſū cōſum̄aui, fidē ſeruaui, nec dubito q̄ mihi ſupeſt corona juſtitię, quā reddet mihi Dn̄s, q coroā, q finis & merces pugnæ. cōſiderate dn̄æ momētaneū, & leue hoc tribulatiōis noſtræ, q̄ ſupra modū in ſublime æternū gloriæ pōd⁹ opatur in nobis, cōtēplātibus nobis nō ea q̄ vidētur, ſed q̄ nō vidētur, quæ enim videntur temporalia ſunt. quantum antē non videntur æterna. Et tēporalia q̄dem blanda cōtēpſi, aduerſa nō timui, & finē vtrūq; nūc habeo in redditione jocūditatis, in plenitudine gloriæ, in æternitate lætitię. potuerā illā viā Mat. 7.
latā & ſpatioſā ducētē ad mortē cū moralibus ambulaſſe; nūc eſſet finis voluptatū, ſed tormētorū initiū, de quib⁹ nō euadere, ſed cadere Pſ. 123.
de pœna in pœnā ſæculorū ſæcula. Nūc anima mea liberata eſt de laqueo venātiū, ſpirituū dico malignātiū in nos, & trahētiū ad peccatū; ſed laqueus cōtritus eſt, &, Deo gratias, ego liberata ſū. En venit Ioa. 13. Lu. 16.
princeps mūdi huius, & in me nō habet q̄dq̄; q a mūdo me nūquam ꝓbui ſociā, familiarē, vēl amicā. Abrahæ ſinus me recepit, thalamus me Chriſti expectat, & Maria mater Dn̄i mei, cū S. Virginibus, in occurſū mihi ꝓperat, patriarcharū & prophetarū chorus, Apoſtolorū ſenatus, Martyrū glorioſus exercitus, ſed & oīm electorū in̄umerabilis exercitus aduētui meo cōgaudet & tripudiat, cœlū lætatur, paradiſus exultat; & ipſe Chriſtus Dn̄s ad epulas & ad cōuiuiū ſuū me inuitat. Ecce venio, gratias ago. cū his ero, q redēpti ſunt à Dn̄o, qui ve- Eſa. 35. & 51
nient in Syon laudātes, & lætitia ſēpiterna erit ſuper capita eorū. Gaudiū & lętitiā obtinebūt, fugiet dolor & gemitus. O me felicē q̄ euaſe-

rim judicium Dei, ſupplicium ęternum, gehennę pœnā, ignem inextinguibilē, vermē immortalem, vincula manuum ac pedum, tormēta parata peccatoribus, & malleos jugiter percutientes impiorū corporibus. Euaſit per Dei gratiam os leonis, manū canis, facies diras tortorum, mortē ipſam, Sathan & diabolū. Procul à me erit Behemoth,
Iob.40. ille Leuiathan, ſerpens antiquus, draco tortuoſus, aſpis & baſiliſcus,
Pſ.79. aper de ſylua, & ſingularis ferus, idem ipſe multis & diuerſis nominibus appellatur, quibus magna & mille artifex ſignificatur malitia eius. Hunc mihi viciſſe in Christo, quanta ſit gratiæ, gloriæ immenſæ.
Apoc.21. de hoſtis magnitudine vos penſate. Et ecce apertus eſt mihi paradiſus, janua cœli patet, & Ieruſalem illa cœleſtis, quæ fundata eſt in Saphyris, cuius propugnacula Iaſpis, gemmis ædificātur turres eius, & omnis lapis pretioſus ſtructura murorum eius. Plateæ Ieruſalem ſternentur auro mundo, & per omnes vicos eius Alleluia cantatur,
Apoc.4. & Virginum chorus illic canticum nouum cantans, agnū quocunq; ierit ſequitur. His ego coniungor vnà lætantium & cantantiū, in plenitudine gaudii, in ſaturitate conuiuii, cuius micas & minutias cum
Luc.16. canibus ſub menſa dominorum colligere ſolebam & edere: Siquidē plenitudo gaudiorū eſt in cœlis, & inde ſententiæ illæ ſcripturarum, quibus conſolamur in terris. Inde vox illa, vox plena gaudii: Ecce e-
Eſa.65. go creo cœlos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, neq; aſcēdent ſuper cor, & gaudebitis & exultabitis in his, quę ego creo: quia ego creo Ieruſalem in exultationem, & populū eius in gaudiū, & exultabo in Ieruſalem, & gaudebo in populo meo. & non erit in eo vltra vox fletus, & vox clāoris. Eia dilectiſſimæ feſtinate in-
Tob.13. gredi in ciuitatē illā. & ô me beatā, ſi fuerint reliquiæ ſeminis mei in
1.Cor.4. ea; vos dico ſemē non carnis, ſed cordis mei, q̄a p̄ Euangeliū ego vos genui.

Quod ad Charitatis donū ſorores admonuit. XX.

IRe illuc, diligere eſt. nam niſi per charitatem non intratur in eam, nec aliud gaudium, quàm charitas eſt in ea. Hoc mihi dicere notū, vobis autem neceſſarium; quia neceſſe eſt in hac parte vos emēdare, vt maiorem operā detis charitati ſeruandæ. Pulſatis vos, & fatigatis inuicem iniuriis, iras diu tenetis, pro nihilo litigatis, & de feſtuca trabem, de ira odium vobis facitis. Laudo vos, in hoc non laudo. Lau-
1.Cor.11. do vos, quod eſtis alacres ad diuinum officium, quod promptæ ad jejunandum, quod veloces ad vigilias, quod paratæ ad obedientiam, caſtæ ad continentiam, vigiles ad omne bonum; nō laudo, quod cōtentiones inter vos habetis & zelū. Quid eſt Deum laudare, & vituperare

Digitized by Google

perare proximũ? Fons ex eodẽ foramine nõ emanat dulcẽ & amaram aquã, vt ait Iacobus. nec Deus accipit laudem ſui cum vituperio proximi. Quid valet ieiunium cibi, quem Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & comedere carnem ſororis aut fratris calumniis aut detractionibus? Quid vigiliæ proſunt, in quibus ore cantatur Deo, & corde cogitatur malum ſorori, vel mali talio. Quid vtile habet obedientia hominis cum contemptu conditoris? Quid confert continere carnem à luxuria, & non continere cor ab inuidia, linguã à contumelia? Et de his quidẽ, quæ bona ſunt, laudo vos, ſed non laudo, q; inuidiæ & cõtentiones inter vos ſunt. Virgines eſtis; non valdè glorieminí; fuerant & illæ, quæ reprobatæ ſunt, quæ oleum charitatis in vaſis ſuis non habuerunt, quibus pulſantibus dictum eſt: Neſcio vos. Sed abſit, vt hoc dicatur ad vos. Auertite à vobis, chariſſimæ, illam ſcilicet Hieronymi ſententiam: Peſſimum virus inuidiæ vipereo ſemini comparatur, mente interficit matrem ſuam. Hoc eſt ſolum, quod timeo vobis; hoc vltimum moneo emendare, & ſpero certiſſimè, vos ſaluari, nec foris cum fatuis virginibus remanere, ſed cum prudentibus intus ad ſponſum intrare. Cum gratiarum actione admonitio ſuſcepta eſt, emendatio promiſſa, & in omnibus, quæ habuerunt aduerſum ſe aliquid, confeſtim exhibita. Vocat ad ſe omnes, ſigillatim exoſculatur, Deoq; commendans, requieſcit exiguum. *Iac. 3.* *Matth. 25.* *S. Hieron.*

Quod Decima totius ſubſtantiæ patris eius in Dyezzen, data eſt Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Virginis in Dyezzen. XXI.

DOlor creuit in dies. non aliud corde verſabat, & ore ſponſa Dei, niſi laudem Dei; & vt Dei famulos & famulas, fratres, & ſorores eius in Dyezzen Deo famulantes, ſicut viua, ſic & mortua, ſicut & verbo, ſic exemplo, ſic & aliquo reficeret ſtipendio, conuertens ſe ad parentes beata Mathildis patrem ſuum BERTHOLDVM, & matrem ſuam SOPHIAM, coram omnibus leni voce ſic alloquitur: O pater, memor eſto, quòd me iuuẽculam deſtinaſti in hanc Eccleſiam, in qua ſancti ſpiritus, me gubernante gratia ita profeci, quòd quamuis indignè, tamen magiſterii nomen effugere non potui. Deinde in ORTILISTETEN, ſicut ipſe noſti, nomine Abbatiſſæ vſque nunc florui. Conſtat ergò paternitati tuæ, quod in ſeculari habitu vitam honeſtam duxiſſe potuiſſem tecum, ſi Deo hæc mea vita contemplatiua plus quàm actiua non placuiſſet. Patet ſanè omnibus intelligentibus

Digitized by Google

in Oetilinſtettē, magis delicatè quàm in ſæculo vixiſſem, ſi voluiſſem; quia quàm plures libertatis ſocias ibidem habuiſſem. Nunc ergò quia in Dyezzen fui iuuencula & magiſtra, dignum æſtimo, vt ego ancilla & filia tua tecum hic merear ſepeliri. Num pater mi, ſi me deſponſaſſes viro mortali, nonne illi partem ſubſtantiæ tuæ nomine dotis mecum tribuiſſes, & iſdem deinceps non ſolùm pro genere, immò pro hærede totius tuæ ſubſtantiæ ſe geſſiſſet? Verum quia Rex regum, & dominus dominantium Ieſus Chriſtus me filiam tuam ſibi elegit ſpōſam, & nunquam tam dulci ſponſo meo, creatori, redemptori, ac ſaluatori tuo pro me, & pro anima tua, aliqua ſponſalia dare deliberaſti. Cognoſce igitur pater pie, quod Eccleſia DYEZZEN, à te & proſapia mea fundata, in qua thalamus materialis mihi eſt à Deo præordinatus, ſita eſt in loco nemoroſo,* aquoſo & infructuoſo. Da ergo, pater chariſſime, ſponſo meo immortali, non de tuis, ſed de ſuis, quæ ſibi in prima totius mundi elegit conſtitutione, da, inquam, quæſo, mihi, & tàm iuſte congrueque petenti ſponſo, nomine ſponſalium, decimam ſubſtantiæ tuæ, quam habere dinoſceris circa ISARAM, in confinio DIENGEN. Pater verò eiuſdem ſponſę Chriſti præcordialis filiæ ſuæ, intellecta petitione, communicato parentum ſuorum conſilio, gaudenter & affectuosè ipſi adimplens petitionem, dixit: O filia mihi præ omni cognatione tua dilectiſſima, decimam totius ſubſtātiæ meæ circa ISERAM in confinio DIENGEN, ob amorem tui, huic Eccleſiæ ſanctæ Mariæ in DYEZZEN confero, ſub teſtimonio omnium circumſtantium, ſuper hoc altare ſanctæ Mariæ matris & virginis IESV Chriſti delego. Ad quod ſponſa Chriſti beata Mæthildis dixit voce gratulabunda: O pater mi, iam congaudeo tibi, quia meæ per omnia ſatisfeciſti petitioni. Conuertens ergò ſe beata Mæthildis ad Præpoſitum HARTWICVM, & ad conuentum fratrum, & ſororum, flexis in terra genibus, erectiſq; manibus, cum lacrimis rogabat Deum, dicens: Domine IESV Chriſte, ſuſcipe iam tibi collatum munus, & conſerua famulis & famulabus tuis, hic tibi deuotè famulātibus, ad vſum profuturum. Poſt hæc ſubiunxit pater eius, dicens: O dulcis, Deoque dilecta

**Etymon habet Andreas Ratiſponenſis de fundationib. monaſteriorū Bauariæ hīs verbīs: Anno Dñi 802. Embricho Ratiſponenſi Eccleſiæ præficitur Epiſcopus. Iisdem tēporibus Rathardus presbyter apud Dieſenſee (Diſend-ſee) quod per ſonitum aquæ ibi decurrentis, nomen accepit, monaſterium S. Georgii martyris conſtruxit; ibiq; Canonicos Regulares, ordinis B. Auguſtini coadunauit. Hoc poſtea per Arnolphum Ducem Bauariæ, & Comitem Palatinum, perditionis filium, penitus eſt deſtructū, & ab inhabitatione hominum per multa temporum curricula deſolatum permanſit, donec per alios Chriſti fideles extitit reſtauratum. Hæc Andreas.*

Digitized by Google

dilecta filia, mecum, precor, ora Deum, ſi quiſquam, quod abſit, meorum poſterorum donum iam per me datum impedire attentauerit, vt iſdem hic condigna pœna puniatur, & non in extremo iudicio cum Cain perpetuò crucietur. Hac finita prece, audita eſt vox in aëre ſanctorum ſpirituum reſpondentium, & cum dulciſſima voce clamantium, Amen.

Quo euentu mirabili ſemel carnes comederit, vinum biberit, & ſemel riſerit. XXII.

CVm beata Mæthildis cognouit tempus, & horam adductionis decimæ de confinio Diengen, quæ nomine eius, Eccleſiæ ſanctæ Mariæ virgini in Dyezzen eſt collata, accedens Præpoſitum Hartwicum, coram omnibus fratribus & ſororibus, tali vſa eſt ſermone, dicēs: O in Chriſto pater & domine, iam gaudeo, quod dotem pro meæ deſponſationis teſtimonio adduci video, quia ſicut præſentis vitæ refectionem ſentio, ſic & æternaliter in futuro in cœleſti patria refici confidenter ſpero. Poſt hæc cùm fratres & ſorores more ſolito, cymbalo ſonante ad refectorium conuocarentur, Præpoſitus Hartwicus, relicto ordine fratrum ad refectorium ſororum properauit, beatam Mæthildem his alloquens verbis, dixit: O in Chriſto filia, Deo & hominibus dilecta, quia parata ſunt iam cibaria, quæ dulciſſimo tuo interuentu nobis & ſucceſſoribus ad refectionem corporum ſunt collata. Decet itaque tuam piiſſimam deuotionem hodiè in charitate carne cibari, & vino potari; auctoritate eius, qui viſibiliter coram te poſi- *Ioan. 2.*
tam aquam in vinum mutauit, moneo, peto, & in virtute ſanctæ obedientiæ tibi præcipio, vt de omni cibo, quo hodie & deinceps nos & noſtra ſucceſſio reficimur, quòd eodem in inſtanti hora gaudenter reficiaris. Ad huius præcepti verba, ingemuit beata Mæthildis, & tacitè arridens, dixit: O pater & domine, riſus dolore miſcetur, & extre- *Prou. 14.*
ma gaudii luctus occupat. Nunc ergò quid faciam, ignoro, niſi hoc ſolum ſcio, quod nunquam inobediens volo inueniri. Ad hanc vocem omnes ſorores, ad pedes eius proſtratæ, gratias immenſas ei referebant, non tantùm pro ſtipendii, quo fruebantur, collatione, quantum de eius ſolemni refectione, cui omnes congratulabantur. Porrò magiſtra ordinis, dante ſigno, vt ſorores de menſa ſurgerent, & cum Pſalmo, more ſolito, Eccleſiam peterent, beata Mæthildis tremebunda cum ſororibus concinens, vocem audiuit in aëre dicentem: O bea- *Gen. 25.*
ta Mæthildis, ſcias te hodie non cum Eſau reprobato, ſed cum Elia in *3. Reg. 19.*

aëra

aëra leuato eſſe cibatam. Huic voci auditum præbens, tacitè Deo gratias referebat. quod non audientes, ſed intelligentes ſorores, ſciſcitabantur, quid eſſet, quod intra ſe animaduerteret, & cum aliis non
Eſa. 24. pſalleret. ad hoc beata Mæthildis cum Propheta reſpondit: Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi. ſuper tali eius reſponſione vniuerſæ admirantes ſorores, quid facere poſſent, cogitabant. Cumq; mutuo inter ſe, vt dictum eſt, diſceptarent, Magiſtra conuentus piarum ſororum, dixit: Si eſt ad placitum veſtrum, ne diu ſic inter nos diſceptemus, dominum Præpoſitum vocemus. Hoc audito omnes dicebant: O domina magiſtra, placet nobis, quod dominum Præpoſitum vocetis, vt eius per auxilium, quid beatæ Mæthildis fuerit ſecretum cognoſcamus. Ad hæc verba eſt vocatus Præpoſitus Hartwicus, qui veniens inquirere cœpit, quare vocatus eſſet. cui magiſtra pro omnibus; ſicut decuit, ſororibus reſpondit, dicens: O pater & domine in Chriſto venerande, cum hodie more ſolito de menſa ſurgeremus, & Eccleſiam peteremus, domina & ſoror noſtra beata Mæthildis, quaſdam habuit, ſicut intellexeramus, cum ſanctis ſpiritibus collocutiones; & dum piè inquirerem' apud eam, quid eſſet, quod locuta fuiſſet, reſpōdit: Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi. Super tali eius reſponſione pater & domine in Chriſto, vos noueritis eſſe vocatum. His auditis Præpoſitus Hartwicus vocari ad ſe iuſſit beatam Mæthildem, quæ cùm vocata eſſet; dixit ad eam Præpoſitus Hartwicus: O filia Deo & hominibus dilecta, ſi me vereris, vt dominum, & vt patrem
**Leg. Malachia. Malach. 1.* veneraris, dico tibi cum * Zacharia Propheta: Si ſum tibi pater, vbi eſt amor meus; ſi dominus, vbi timor meus? ſub obtentu ergò paterni amoris, & magiſterij timoris, dic mihi, cur dilectis conſororibus dixéris, cùm à te, quid ageres, ſciſcitarentur, & tu reſpōdiſti, Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi? Ad hæc Mæthildis reſpondit: Anima mea liquefacta eſt, ex quo tu pater amande, & domine mihi ſemper timende, ſic locutus es: & ſtatim ad pedes Præpoſiti Hartwici proſternere ſe diſponens, Præpoſitus Hartwicus recepta manu eius, pie eam eleuans, parumper ſeorſum eam ducens, didicit ab ea quod ſpiritus angelici dixerunt ei: O beata Mæthildis, ſcias te hodie non cum Eſau reprobato, ſed cum Helia in aëra leuato eſſe cibatam. Vix finito tali ſermone, cum lacrymis, inquit Præpoſitus Hartwicus: O beata Mæthildis Deo & hominibus dilecta, tu ſis nunc & in æternum benedicta. Et ſine mora præcepit, vt ambo conuentus fratrum & ſororum cum deuotione pſallerent ad laudem Dei, qui hodie mirabilia declarauit

rauit in beata Mæthilde hunc Pſalmum: Benedicite omnia opera Domini Domino. En mirum; cùm iam cantatus eſſet vltimus verſus huius Pſalmi, pater beatæ Mæthildis Comes BERTOLDVS aſtans foribus Eccleſiæ, iterato incepit eundem vltimum verſum cum lacrimis aiens: Benedictus es in firmamento cœli, & laudabilis & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula, qui in filia mea tanta facis virtutum mirabilia. Quo dicto à Præpoſito Hartwico, & à beata Mæthilde, & ab omnibus honorificè eſt receptus: ſuper qua ſalutatione omnibus regratians, ſubiunxit, dicens: Audite precor, & intelligite, & quomodo venerim huc, mecum perpẽdite. Hac nocte circa pullorum cantus dum de filia mea ego, & mater eius colloqueremur, quædam vox inſonuit auribus meis, dicens: O Comes PERTOLDE ſurge, & ad filiam tuam propera. Et cum feſtinatione ſurgens, ſicut cernitis, adueni. Nunc ergò ô Præpoſite Hartvvice, quid ſit geſtum, mihi narrate. Ad hæc Præpoſitus Hartvvicus reſpondit, dicens: Audio & intelligo, quod Deus noluit vos ignorare mirabilia, quæ nuper in domina mea filia veſtra, & Dei ſponſa beata Mæthilde ſunt, vt ex parte cognouiſtis, & plenius cognoſcetis, peracta: & conſedentes, narrauit ei ſingula. Quibus auditis Comes PERTOLDVS, reſpondit, dicens: Deus qui huc venire me fecit ad tantam ſolemnitatem, illi ſit mea deuotio nunc & in æuum oblata, ſitq; ei laus perpes nunc & in perpetuum. — Dan. 3.

Vix Comes Bertholdus ſermonem ſuum finierat, & beata Mæthildis ſubinferens, dixit: Ego dormio, & cor meum vigilat. O quàm dulciſona voce Chriſti ſponſa ſui cordis protulit arcana, quia ſicut omniũ iuris eſt ſponſarum, curam ſuorum gerere ſponſorum, ſic multò decẽtius eſt verá Chriſti ſponſam corde vigili recolere ſponſi ſui Ieſu Chriſti amorem, quẽ in ea habuit, dum propter eam carnẽ induit, cùm in cruce pendens, ſomnum ccpit, & in ſomno mortis corporalis per apertionem ſui lateris de fõte ſui cordis ſanguinem & aquá nobis propinauit. Illi᷒ amoris memor beata Mæthildis, inquit: O in Chriſto pater & domine, venerãde Præpoſite Hartvvice, ego miſella precor, ꝓuida veſtra diſpenſatione mihi detur, vt de decima per ꝑſentem patrẽ meũ huic Eccleſię Dyezzẽ, nomine meo collata, pars tãtæ quãtitatis ad OBLATAS inſtituatur, vt etiã omnibus adiacentibus Eccleſiis largè & perpetim tribuantur. Gaudium etenim mihi generat, & ſalutẽ omnibus reſiduis eiuſdẽ decimæ partibus fruentibus, ſi panis ille myſtic᷒, q de cœlo deſcendens in vterũ virginis, & in cruce pendens, q teſte Oſee Propheta, coctus eſt in clibano, vt nobis fieret eſibilis. Vt ergò nos eo- — Cant. 5. — Oſee 7. — Leuit. 6.

dem pane pariter reficiamur in regno cœlorum, id quod petii veſtra, pater pie Hartwice Præpoſite, mihi præſtet gratia, & confirmetur cõſenſu omniũ cõfratrũ & dominorũ meorũ hui' Eccleſię Canonicorũ.

Completa hac petitione omnes pari voce dicebant: O beata Mæthildis, quod iam petiſti, hoc omnes conſulimus, & fieri poſtulamus. Ad hæc pius caritatiuus Præpoſitus Hartwicus manu fratribus ſilentiũ imponens, dixit: O beata Mæthildis Deo & hominibus dilecta, gratum eructaſti verbum; quia omnium corda noſtrorum excitaſti ad tuum complẽdum deſiderium. Vt igitur tui affectum deſiderii ad optatum ducam effectum, in nomine patris, & filii, & ſpiritus ſancti cõſtituo, & omnibus officialibus præcipio, vt ſingulis annis in tàm ſuperabundanti quantitate medulla frumẽti de Decima in Diengen, & de confinio ibidem ſpecialiter ad oblatas, ſicut beata Mæthildis petiit, perenniter tribuatur; & ſicut ſalutaris illa Euchariſtia in eadem panis forma figurata, nulli pœnitentis ſimul & poſtulantis affectui eſt neganda, ita etiam ipſa panis ſubſtãtia nunquàm cuiquã denegetur. Cõſtat ſanè omnibus Chriſtianiſſimæ fidei cultoribus per hãc ſaluberrimam conſtitutionẽ, dotem deſponſationis beatæ Mæthildis in Eccleſia Dyezzen apud Deum & homines eſſe celeberrimè confirmatam.

Quod oculum excuſſum ſubula, reſtaurauit. XXIII.

CVm ſoror vna, cui vſus erat ſcribẽdi membranam, dum ad lineas punctaret, ſubulam incautè trahens, oculum transfigit, pupillã perforat, & continuò exiuit ſanguis & aqua. Dolor elicit clamorem, concurrunt omnes ad ſororem, geminatur moleſtia de languore deſperabili matris, & de excæcatione ſororis. Siquidẽ vtilis erat, & dilecta omnibus; & hinc magis doletur dolor ei'. Excitat matrẽ tumult' ille, vocatur & adducitur illa, cũ aqua pupilla defluxerat, & adhuc ſanguis riuatim fluebat. Nulla ſpes oculi rehabendi, nulla de cætero videndi; ſolus dolor, vt quieſceret, optatur dolenti. Iubetur accedere, adtractat oculũ manu, & manus domini affuit fugans dolorem, reddẽs ſanitatẽ, & luminis claritatẽ. Stetit ſanguis, & ſanitas perſtitit adeò, vt nunquã clarius viderit, nec ſuauius habuerit. Hoc fecit in morte Mæthildis noſtra, conteſtans ſe non mori, ſed de morte tranſire ad vitam, & viuentibus conſulens ad meliorem vitam.

De exhortatione Præpoſiti Hartvvici ſuper ægram. XXIV.

INterim auditur foris Abbatiſſam infirmam, formari iam ad mortem.

-tem. Præpoſitus Hartwicus accurrit exanimis, irruunt fratres cum fletu maximo & lamentis, fit ſuper eam mugitus, & gemitus proprius cuiq;, & planctus in commune ſolennis. Sciebant quod per eam Dominus ſalutem dediſſet domui, & ſequentia præcedentibus raro ſimilia. Tunc Præpoſitus Hartwicus exorſus eſt fari, Abbatiſſam conſolans, & conuentum exhortans: Te quidem ô mater video in defectu corporis maximo, non tamen adhuc de vita tua deſpero: potens eſt Dominus te reddere nobis in ſalutem domus, quæ tota pendet in te, quam plangimus, quam lugemus. Scimus te Chriſtum deſiderare, quẽ diligis; ſalua ſunt tibi præmia meritorum, nec dilata minuentur. Noſtri potius miſerere, quos deſeris. En quod in duobus locis Chriſto lucrata es tuę ſanctitatis exemplo, en fratres & ſorores, quos per te Chriſtus acquiſiuit, omnes ad coronam tuam pertinentes, & gemmarum inſtar in decore tuo fulgentes. En omnes vicini odorantes de te odorem ſuauitatis in operibus tuis, quæ compererunt in verbis, quæ de te audierunt, ſed & in diſciplina morum tuorum quam viderunt, in his omnibus gloriam Chriſto acquiſiſti, nec eſt quod neget tibi orãti. Oramus ergo vt petas vitam aduci tibi, neceſſariam nobis magis, quàm tibi. Quis vltrà, te ſubtracta, proteget nos orationibus, fouebit ſermonibus, muniet conſiliis, releuabit auxiliis? Principes genus tuum ſunt, omnes tui gratia gratũ habuerunt locum, impenderunt beneficium, auerterunt omne contrarium, inclinauerant ad nomen tuum. Te viuente pacem habuerunt noſtri; omnes tui fuerunt ex te honorati; nihil audebãt maligni; ipſi qui oderunt pacem, tuis fuere pacifici. Optamus vitam tuam, ſed ſi Chriſto magis placet, vt migres, vade ſecura, certa de corona, glorioſa de victoria. Et vos, inquit, ô ſorores, ecce via quam currimus ad finem, hinc tendimus, vt vitam hanc morte terminemus. Atque vtinam morte hac terminaremur, nos qui malè viuimus, & non alia mors ſequeretur immortalis, qua peccatrix anima in æternum moritur, & nunquam permoritur. Viuit enim ſemper recens ad ſupplicium, nec defertur ad terminum, conſumimur, & non conſummamur, habens in æternum, quod doleat deſperans, & deſperata, quod euadat. Eia nunc ſorores beatas vos dixerim, quas Dominus aſſumpſit ſibi, quas non ancillas, ſed ſponſas ſuas vult vocari; quia non à nobis vult timeri, ſed diligi; vel ſi timetur, timore delectatur filiali, immò ſponſali non ſeruili. Cernitis ante vos Ducem veſtram currentem, & curſum iam conſummantem, & pulſantem ad ianuam cœli; & ecce iam aperietur ei.

Sophon. 10. Felix ipſa quam deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei, & dedit illi ſcientiam Sanctorum, honeſtauit illam in laboribus, & compleuit labores illius, deducens eam auxilio, oſtendens regnum, conſilio dans illi ſcientiam, ſapientia honeſtans in laboribus conſtantiam, complens labores perſeuerantia. & vos filiæ eadem vir-
1. Petr. 4. tute armamini, veſtigia matris veſtræ ſectamini, vt cum ipſa currentes perueniatis ad brauium, & ipſius meritis perueniatis ad regna cœlorum, ſponſo ipſius & veſtro parante, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum; Amen.

Quomodo exitum eius Angeli vel dæmones obſeruabant. XXV.

Exitum ſanctæ ſancti Angeli obſeruabant, & dæmones obſeruabant, & ſorores. Tum ſubitò illa flere cœpit amariſſimè; poſt fletum, quod antè nunquam viſa eſt feciſſe, riſit cum lætitia magna: & ſic tertiò fletum iterauit, & riſum, non impos mentis, vt ſæpè fit, ſed optimè habens ſenſum. Nulli tamen indicauit, quare id eſſet factum. Super hoc coniectandi quiſque licentiam habeat. mihi non vt ſapienti, videtur, cauſam fletus ſui dæmones fuiſſe, quos ſancta vidit, mala eius numerantes & penſantes; angelos autem ſanctos bona opera è contra numerando ſuperantes; & ex hoc rectè ridens exultauit, ſicut defleuerat, dum malignos fore victores extimuit. Ter verò ideò factum; quia tribus modis bonum vel malum committitur, cogitatione, locutione & opere, quæ ſingula inimici dæmones trutinant, vt primùm opera in trutina ponant, quæ ſi bonis præponderent, animam malè operantem vendicant ſibi; minora ſi ſint bonis, fugiunt victi. Adhuc tamen de verbis cauſantur, quæ & ipſa deducunt ad libram; & his victi ſecundam exhibent fugam. Poſtremò ne vltimam cogitationem prætereant indiſcuſſam, vbi ſi vincantur, vltra nihil iuris habent in animam. Sicut autem ſpiritus mali ſtudent rapere, ita boni conantur eripere animas, vt nihil malorum patiantur deduci ad medium, quod fuerit ſatisfactione deletum: tantumque exaggerant boni bona, quantum mali mala. Credo huic ſanctæ de ſe vidiſſe iſtud datum, ſed dicere non fuiſſe datum, vt ipſa lætior, quò ſecurior de corpore exiret; & alium minus ſanctum fletu ſuo ſollicitum redderet, riſu quoque fiduciam non negaret.

Digitized by Google

Quod in morte gauiſa eſt ad Viſionem ſanctæ Mariæ. XXVI.

QVod & ipſa perſeuerantia gaudii probauit. Nam ita læta iacuit poſtea, tanquam ad epulas inuitata, & cum Angelis conuiuata. Vidit enim ſanctam Mariam dominam noſtram, vidit & ſalutauit. Aue, inquiens, Maria, gratia plena, Dominus tecum. & in Benedicta tu, defecit, & riſit, & magno tripudio exultauit. Obtulerunt ei ſorores imaginem ſanctæ Mariæ: manu auertit illam, conuertens oculos ad viſionem quam vidit in ſpiritu, quaſi diceret, Ego ſaluto ſanctam Mariam, non in imagine, ſed in veritate. Et ſicut extrema gaudii ſtultorum luctus occupat, ita expectatio iuſtorum lætitia, & ſicut mors peccatorum peſſima, ita pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum, in hac Sancta probatur. probauit de ſe dictum: Vſque ad tempus ſuſtinebit patiens, & poſtea redditio iocunditatis. Vidiſſes eam ad præceptum IESV obmutuiſſe, nec verbum de ore eius exiſſe, circuiſſe muros ſeptem dies, & tunc clamaſſe, & clamore muros diſieciſſe, & morti mortem inſultaſſe, nec mortis amara præ dulcedine vitæ ſenſiſſe. Riſit tunc, ante non ridens, & videns impletam illam Baldad Suitis ſententiam: Deus non proiicit ſimplicem, nec porrigit manum malignis, donec impleatur os tuum riſu, & labia tua iubilo. Euaſerat omnem anguſtiam, vidit ad vitam ſe transferri; perfecta merito, certa de præmio, vocatione Chriſti, & Angelorum conductu. Hæc illi cauſa riſus, hæc materia iubili; quæ potuiſſet in occulto fieri, niſi paraſſet illi Deus apud homines in benedictione memoriam, ſicut apud ſe gloriam, vt & nos traheret ad ſimilem viuendi formam.

Pro. 14. *Pſ. 33.* *Pſ. 115.* *Eccleſ. 1.* *Ioſ. 7.* *Iob. 8.*

Chunrado gratias egit. XXVII.

NEc dum tamen penitus defecerat, reſpirauit, & locuta eſt in gaudio, mirantibus cunctis, ſingulas quaſq; conſolando exhortans & confortans manus earum in Deo, & gratias ſingulis agẽs pro impenſo ſeruitio. Vidit Chunradum nomine, fidelem & deuotum ſibi, qui de milite conuerſus, & familia parentum eius omne Monaſterii fecit opus. quem alloquens, multa conſolatione repleuit, inſtruens verbis ſalutaribus. Tu, inquit, mihi adiutor & miniſter fidelis in Domino, benè ſeruiſti mecum in officio domus Dei. en ego cucurri ad terminum, & hodie percipio brauium: Su- *2. Tim. 4.*

pereſt mihi corona iuſtitiæ, & requies æternæ vitæ; confide & tibi ſupereſſe, nec diu differri, quia tu mihi coronam magnam ex parte præparaſti. Si quid oratione, meditatione, vel lectione profeci, tu me reddidiſti expeditam, & tui laboris inſtantia, fuit requies mea; ita nunc erit merces tua cum mercede mea. Sta ergo nunc, & perſta, quaſi miles bonus, certa vt fidelis bonus athleta. Labor quidem eſt, ſed breuis & modicus, ad futuram gloriam, quæ nec modum habet, nec finem; quam ego nunc video, non tantùm per fidem, ſed certè per ſpeciem. Video coronas noſtras pro labore noſtro reddendas, tantæ iucunditatis, tantæ gloriæ, vt nullius ſenſus, nullius lingua tibi poſſit edicere. Perſeuera benefaciens, adijcis quotidiè diuitias tibi & gloriam in cœlo, ſicut ille qui theſaurizat, nihil contemnit in lucro. Hæc locuta eſt, & reincipiens à Dei laude nō ceſſauit, quamdiu linguam mouere præualuit.

Quod inuiſibiliter communicauit. XXVIII.

Exod. 12. Num. 9. SAna frequentius communicauit, agnum comedens cum lactucis agreſtibus; quia nunquam ſine lacrimis & amariſſimis fletibus communicauit, & poculum ſanguinis Chriſti cum fletu temperauit. Communicauerat, & in lecto doloris accipiens de conſilio ſancti Iacobi Apoſtoli, & Sacramentum vnctionis ſanctæ, atque in ea indulgentiam peccatorum. Iſtud ab hominibus inter homines viuens. Sed iam cum Angelis victura, manibus communicauit angelicis. Ad finē deducta vocem vltrà non habuit, geſtu corporis præſentiam maieſtatis oſtendit, inclinans reuerenter, hians ore competenter, glutiens gutture decenter, ſed & geſtum bibentis imitans, & inclinans frequēter. Hoc viſo miratæ ſunt ſorores, & qui aderant, ſed miraculum exhibens, animam mox ſoluit, communicans communicatoribus ſanctis in gaudio, & abiens cum eis ad rem Sacramenti de Sacramento, & de re fidei ad vultum ſpeciei. *(Iacobi 5.)*

Erat illic videre miraculum, ſigna non mortis in mortua; ſplendorem, ſed vitæ viuenti ſimilior, vultu roſeo, roſis martyrum admixtum oſtendit ſpiritum ſuum; ſed lilij candorem imitans corpus reliquum, virginibus ſociam teſtabatur animam, tàm ſpiritu quàm carne incorruptam.

Pſal. 115. Gaude nunc & lætare Mathildis, filia Syon, & non captiua Babylonis, canta cum Dauid canticum Domino in terra tua, quod plenè non poteras in aliena. Dic, dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſti-

hoſtiā laudis, eo quod effugeris de fornace ferrea Babylonis, & habites in luce cum filiis lucis.

Quod in tranſitu eius pius fuit fletus, ſed magis pium gaudium omnium. XXIX.

CElebrantur exequiæ; ploratum ibi non eſt multum; nam lacrymas abſorbuerat gloria. magis gaudebant de virtute manifeſta; fletus ſi q erant, erant per ſe cuiq; ad ipſam nō pro ipſa. Corpus olim ieiuniis attenuauit, acceſſu infirmitatis prorſus abſumptum, nihil reliquit vermibus deuorandum, ſed ſuper oſſa cutis extenſa hanc ab ea vocem Iob elicuit: Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meum, *Iob 19.* & derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos. Nonne & diſ- *Iob 15.* ſimilis erat illi, qui cucurrit aduerſus Deum erecto collo, & pingui ceruice armatus eſt? Operuit faciem eius craſſitudo, & de renibus eius aruina dependet. Nihil horum in Mathilde: Spiritus eius texerat artus, ad ferendum faciles, quò ipſe vellet, nec velle ipſius aliud, quàm vt de morte ad vitam tranſiret. Et factum eſt ita. Nihil exequiis defuit gloriæ ſpiritualis, Pſalmis, Hymnis, & canticis ſpiritualibus celebratæ ſunt, accenſa luminaria plurima, ſed vento vehementi & frequenti extincta. Fecit autem Deus miraculum, vt cum præ flatu ventorum homines ſtare non poſſent, candelæ inceſſanter arderent, & cùm iam extinctæ viderentur, arderēt denuò inuiſibiliter reaccenſæ, & qui imperauit ventis & mari, voluit ſponſam ſuam luce, quam ſemper dile- *Matth. 8.* xit, nec in morte priuare.

De Chunrado quodam qui à graui Capitis dolore ibidem curatus. XXX.

VOluit Deus oſtendere, quod viueret, & poſt mortem ſignum dans in fratre, qui mortuus fuiſſet, niſi mortua ſubueniſſet. Nomen illi Chunradus, non ipſe, quem proximo, ſed homo liber, ſpiritali amore conuerſus, ita infirmus capite, vt reſponſum mortis haberet quotidiè, ſed præcipuè poſt fletus in morte Abbatiſſæ: quid ageret? Vno tantùm gradu ipſe morſq; diuidebantur. Cœpit concepta fide audaciam, accedit ad mortuam, cogitans Euangelicæ mulieris exemplo, Quod ſi tetigero fimbriam veſtimenti eius, ſaluus ero. Tetigit ipſe *Marc. 6.* caput ſanctæ, & ſuo capiti ſalutem acquiſiuit, quod ad mortem vltra vſq; non doluit, & ſe de cetero virtutis Abbatiſſæ teſtem & præconem dedit.

Digitized by Google

De gloria exequiarum eius. XXXI.

AFFuit de prouincia plebis multitudo, exequias celebrantis. offertur pro ea ſalutaris oblatio, offerunt ſinguli ob ſui memoriam, commendantes Sanctam Deo, & ſe Sanctæ commendantes coram Deo. Vicini aderant fletu eiulantes, viduæ & orphani damna ſua plorantes, ac ſi Dorcas iaceret præſens, & oſtenderent Petro, quas illi tunicas feciſſet & veſtes. Affuerunt & infirmi ſanati ab ea, confitentes illas, & illas infirmitates ſe euaſiſſe per eam: ſed per hoc celaſſe, ne Sancta grauaretur. Siquidem fuerat comminata, ſi proderent, quòd in eadem mala reciderent. Hæ minæ finem acceperũt in morte ipſius; illuc vſq; pactum fuit; poſtea quod vellent, dicere licuit. Proceſſerunt plurimi tunc, qui dicerent, ille, ſe cæcum fuiſſe, & vidiſſe; ille, ſurdum & audiſſe; ille paralyticum, & conualuiſſe; & alii atque alii diuerſas & innumeras infirmitates per eam euaſiſſe. Venerunt etiam infirmi ad exequias: plurimi ſanati ſunt, quorum numerum ideo non ſcribo, quia præſentium negligentia non annotauit. Inuidia quoque ſi affuiſſet, pro euidenti miraculo celare non potuiſſet.

Act. 9.

Sepulta eſt cum honore, poſita in Dyezzen, ante altare ſancti Ioannis Baptiſtæ, ſpiritu eius exultante in Domino, & corpore eius in teſtimonium illic poſito, contra eos, qui agunt vitæ illius cõtraria.

Age nunc Sancta Dei, cognoſce figmentum noſtrum, cognoſce & tuum, & te nihil potuiſſe, præter auxilium diuinum, idemque nobis impetra ad faciendum bonum. & ſi tuum non poſſumus attingere meritum, ad gloriam eminentem, vel pœnam poſſimus euitare per te, Deo coniunctam, in omnipotente nihil non potentem. Regnas cum Deo, da vt non regnet peccatum in mortali corpore noſtro. & qui tibi contulit fructum centeſimum cum virginibus, conferat nobis ſexageſimum cum continentibus; imò vel triceſimum cum coniugatis ſibi placentibus. Ornet te lilium in corona gloriæ, & ſerto exultationis; nobis fiat vel viola teſtis pœnitẽtiæ & humiliationis. Tu ſedeas cum ſponſo ſponſa in throno regni, dormias in ſinu eius, conſors quietis, & ſocia thalami; nobis ſufficiat euaſiſſe ſupplicium, & in regno cœlorum vel vltimos fieri. Tu cum virginibus virgo ſequaris agnum, quocunque ierit, & cantes canticum nouum; nos verò per lamentationes propheticas decline-

Rom. 6. *Mar. 13.* *Apoc. 14.*

declinemus illud væ tormentorum. Tu poſtremò ſedeas cum Chriſto judex viuorum & mortuorum; nos cum dextris aſſiſtamus in numero benedictorum, percepturi regnum tuis precibus, quod non poſſumus juſtitia meritorum, ipſo præſtante, qui viuit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. *Mat. 19.*

Defunctæ crines abſciſſi contra tonitruum valent. XXXII.

AD finem nimium feſtino. Supereſt vnum dicere, quod hiſtoria prohibet reticere. Conſilio Pauli comam nutrierat dicentis: Mulier ſi comam nutriat, gloria eſt illi. Quod audiens, & obediens, nequid mandatorum præteriſſe videretur, cogitauit obſeruare, acquieſcens verbo doctoris, non ſpeciei corporis. Nam capillos ita velatos habuit, vt nunquam viderentur; & laboris plus quàm decoris fuit, eos non tonderi, cum laſciuiæ eius nihil ſeruierint, ſed totum oneri corporis, totum militiæ ſpiritus; & oculus eius ſimplex eſſet in omnibus. Defunctæ abſciderunt eos, ſeruantes pro reliquiis: nec fallit pietas fidei. nam tactu eorum ſæpe ſanantur infirmi. Certiſſimo autem ſunt remedio contra tempeſtates & fulgura; & ſurgẽtibus ventis, atq; minitantibus, capillos Sanctæ ſuſpendunt in aëra; ſicq; tempeſtates conquieſcunt, conticeſcunt tonitrua, ac ſi Dominus Ieſus imperet eis, ſicut in mari quondam, ita nunc in terra. Hoc tamen ſolitum in Monaſterio tam notum in prouincia, vt capillorũ S. Mæthildis oſtenſio, ſit tempeſtatum depulſio: nec poſt mortem eius illic noxiæ fuerint, cum prius ſæpe nocuerint. *1. Cor. 11.* *Mat. 8.*

Oremus & nos Sanctam, vt ſanctitatis ſuæ meritis nos defendat à tẽtationum tempeſtate, protegat precibus ſuis à diaboli laqueis ignitis; accendat potius ſpiritu judicii, & ſpiritu ardoris, vt zelum habeamus Dei per dilectionẽ, & animum contemperatum proximo per diſcretionem. Impetret nobis S. Mæthildis S. Spiritus gratiam; depellat iram, ſedet inuidiam, extinguat odia, premat ſuperbiam, ſanet conſcientiam, occidat luxuriam, tribuat caſtitatem, adaugeat fidem, cumulet ſpem, adiiciat charitatem, vt ipſum, qui charitas eſt, videamus Deum in illa bonitate electorum viuentem, & regnantem in ſæcula ſæculorum. Amen.

In m.ſ. erat præterea hymnus de S. Mechtilde; & officium Miſſæ de eadem.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

FRIDERICI PRIMI IMPERATORIS

Cognomento

BARBAROSSÆ

Expeditio

ASIATICA

& ad Sepulchrum Domini

AB

aquauo Auctore conſcripta.

Nunc primùm ex m. ſ. codice monaſterii Salmenſvveilenſis edita

Beneficio Cl. V. Matthai Cloc Iuris-conſulti, qui apographum m. ſ. communi-cauit.

Digitized by Google

INCIPIT PROLOGVS IN HISTORIAM PEREGRINORVM.

In apographo m.ſ. etiam hic titulus Germanicus erat: Keyſer Friderici Barbaroſſe Reiß zum H. Grab.

SÆpe, diuq; vir venerabilis, proprias vires conſului, quid ferre recuſent, quid valeant humeri, & quod dudum paruitas diſſuaſit ingenii, tandē adgredi tua me præceptio compellit. Quocirca licet forte ironicè me ſomniaſſe dicant aliqui in Parnaſſo, mihi tamen tolerabilius judico, Muſam meam apud illos argui præſumptionis, ſiue morſibus detractionis exponi, quàm prorſus tuæ contradicere iuſſioni. Et ſi minus in hoc opuſculo venuſtas carminis, ſeu verborum ſchemata, lectoris aures demulceāt; perorare ſaltem poteſt ad veniam ſtyli incultioris, auctoritas materiæ, de qua, prout dictandi facultas ſuppetit, leuiter & ſuccincte ſcribere propoſui, vt de rebus geſtis, & via peregrinorum *noſtrorum nudam eliciens veritatem, nullum annectam figmentum, nil inſeram fabuloſum; præſertim inter cætera dignum ducens memoria, quomodo Chriſtianiſſimus & inuictiſſimus Romanorum Imperator FRIDERICVS vir vtiq; magnæ experientiæ, ſtrenuitate KAROLVM repræſentans nec nō & inclytiſſima, eius proles, illuſtris ſcilicet SVEVORVM Dux, patrii nominis, & probitatis hæres nō degener, velut duo cādelabra lucentia, & propugnacu-

Hinc auctori auctoritas cōciliatur vt æqueuo.

Digitized by Google

la FIDEI ROMANÆ, ſub vexillo ſalutiferæ CRVCIS, fauorabiliter & ſtrenuè militantes, duces & rectores fuerunt exercitus Chriſti; & vt exinde merito & retributionis æternæ ſtipendiis fruantur in cælis, & in terris fama illorum celebrior impoſterum extendatur.

Tu enim domine Deus ſimul cum ipſis dux fuiſti in miſericordia tua populo tuo, quem redemiſti, vt ne GRÆCORVM *perfidiam, nec* TVRCORVM *fraudes & prælia in eum ſineres præualere. Quippe non humanæ potentiæ, ſed diuinæ virtutis miraculum fuit, quod tàm modicus Dei populus, clauſuras & fines* GRÆCIÆ *triumphaliter ingreſſus, totam ferè terram vſque ad deditionẽ perdomuit. poſtmodum per multiformes anguſtias, per diuerſa tribulationum genera, quæ ſuis in locis ſequens explicabit hiſtoria, tandem laqueo proditionis contrito, & ſexcentis millibus* TVRCORVM *equitum debellatis,* ICONIVM *expugnauit. Contra quem paulo antè, quaſi ſecurus & glorians de triumpho, dicebat inimicus: Et perſequar inimicum, & comprehendam, & diuidam ſpolia; implebitur anima mea. Sed longè aliter ordinatio diuina prouiderat, vt rei poſtea probauit euentus.*

Apud modernam ætatem interdum fortia veterum geſta legendo reuoluere, & iuuat Auditores & congruit incitamento virtutum. Verùm quid dignius memoriæ? quid magis congruum ædificationi, quàm labores peregrinorum ſiue agoniſtarum ſanctæ crucis recolere? qui noſtris temporibus pro Chriſti nomine multa malorum & bellorum experti diſcrimina, æmulandæ ſtrenuitatis & patientiæ reliquerunt exempla. Siquidem arcta eſt via, quæ ducit ad vitam; Matth.7. *& quoniam gaudet patientia duris, fiducialius à Chriſto retributionis æternæ expectant præmium, qui deuoto & intrepido corde pro ipſo pati dura & aſpera elegerunt. Et verè felices, quorum animus nec laborum metu obtunditur, nec corporalibus terretur incommodis, quin talium incitetur exemplis. Non iniquus enim ille,* Ioan.15. *qui eſt vitis vera, purgans palmites ſuos, vt fructum plus afferant,*

& in camino aduerſitatum dilectos ſuos examinans, eos vocare conſueuit ad præmia per tribulationum amaritudinem & laborem. Ad proſequendum igitur ex ordine tractatum hiſtoriæ, prælibandũ eſt, quæ & quanta peregrinandi neceſſitas contra nefandam Turcorum gentem tot egregios exciuerit bellatores.

Incipit hiſtoria.

ANno verbi incarnati milleſimo cẽteſimo octogeſimo ſeptimo, peccatis hominũ exigentibus, viã fecit dominus ſemitæ iræ ſuæ ſuper ſanctam ciuitatẽ, & vniuerſum regnũ Ieruſalem, vt rurſum Threni Ieremiæ poſſent competere miſerãdis eius doloribꝰ & ærumnis. Nec abs re, ſed diuino iudicio tota ferè Chriſtianitas tranſmarina data eſt in excidium & ruinã. Quippe veritas non erat in terra, fides & iuſtitia claudicabant. Totius mali fomes & ſeminariũ vigebat, cupiditas hominum corda ſubuertẽs & auertens à ſemita veritatis. Nam ſecundũ illud poëticum, quid nõ mortalia pectora cogit auri cœcus amor? pace ſiquidem inter regnum Ieroſolymitanũ & Saladinũ pridem cõpoſita, & iuramento vtrobiq; firmato in ſeptenniũ .... contigerat infra eundem terminũ, congregationes negotiatorũ Saladini, quos vulgariter RARAVENNAS vocãt, cũ inæſtimabili pretioſarũ opum mercimonio tranſmeare ab ALEPH in BABYLONIAM, nonnullis comitãtibus Admiraldis. Quibus in dolo & ꝓditione ſeorſum vocatis & cõprehenſis, cõmilitones & ſatellites RENALDI, q̃ fuerat vitricus BOAMVNDI Principis Antiochiæ, velut catuli leonum rugientes, vt rapiant, liberiꝰ in cęteros, & in pecuniã manus rapaces iniecerunt. Renaldus verò quia grauatus erat alieno ære, turpiter faſcinatus amore pecuniæ, maluit impudẽter periurii reatũ incurrere, q̃ pro reſtituenda præda, memoratæ pacis intuitu, Saladini precibus obaudire. Sic ad ſuam ac totius terræ perniciem & ignominiã, & ſibi retinuit prædam, & homines carcerali cuſtodiæ mancipauit. Saladinus igitur ad GVIDONEM regem incunctanter miſit legationem, poſtulans, vt ex conſideratione Baronum & Iuriſperitorum in curia ipſius regis id de præda reſtituenda ſiue retinenda fieret, quod ipſa iura & conſuetudines Chriſtianorum dictarent. Quod cum nullatenus obtinere poſſet, omni querimonia ſuperſedere, & omne damnum ablatæ pecuniæ volebat remittere, vt ſaltem ſui, qui detinebãtur in carcere liberati reſtituerentur. Qua in re ſimiliter paſſus repulſam, vehementer indignatus

Pſal. 77.

Digitized by Google

natus eſt, legatos ſuos ineffìcaciter remeaſſe. Ex eo nimirum tempore, quærens opportunitatem, vt aduerſus regnum Ieroſolymitanum inſurgeret, de peregrinis Sarracenorum nationibus magnum valdè & fortem exercitum congregauit.

Timuit vniuerſa terra, & ſtatus regni Ieruſalem iam nutare inceperat ex diſſenſione, quæ inter Regem & Raymundum Comitem Tripolis emerſerat, cuius cauſa hæc extitit & origo.

Rex, peregrinus fuit & aduena, Pictauienſis natione, mediocris quidẽ genere, ſed miles elegantis formæ & armis ſtrenuus; in quem cũ Regina oculos inieciſſet, vt amans, vt fæmina, indulgẽs animo, & nupſit ei præter ipſius comitis & aliorum principũ voluntatẽ; exinde accidit vt Comes in odiũ Regis ſe familiarẽ redderet Saladino. Barones tamen & optimates Regni vna cum templariis & hoſpitalariis in tantæ neceſſitatis articulo, ſaluti & defenſioni terræ volentes proſpicere, feſtinanter partes ſuas ad bonum pacis interponere ſtuduerunt. Interea decem millia Turcorum clam conuenerant inter Tabariam & mõtem Thabor, qui in inſidiis tranſitum illorum obſeruabant, qua venturi erant ad Comitem propter pacem, de qua promiſſum eſt, reformandam. Comes autem vt Turcorum inſidias deprehendit, ad ſe venire parantibus, vt eas præcauerent, celeriter nunciauit. Illi vero de ſua nimium præſumẽtes audacia, ꝓpoſita via nihilominus ꝓceſſerũt, & quo vſque Turcis vndique in ipſos irruentibus inſidiæ patuerunt. acre bellum committitur, in quo noſtri, licet temere congredientes, ea die ſuos enſes multo Turcorum ſanguine imbuerunt. Sed tandem præualentibus Turcis, quorum maior erat numerus, Rogerivs hoſpitaliorum magiſter, cum multis aliis non ſine magna ſtrage hoſtium in bello occubuit. Qui autem euadere potuerunt, peruenerunt ad Comitem, & inter Regem & ipſum pace, illis mediantibus, reformata, Comes miſit ad Saladinum, prædictæ familiaritatis amicitiam contradicens.

Saladinus cum peregrina manu Sarracenorum, terram ingrediens, in odium Comitis Tabariam obſedit. Rex verò & exercitus eius interim conuenerunt ad fontes Tabariæ, & diſſuadente Comite, inde progredientes, caſtra metati ſunt in loco, qui vulgo dicitur Marscalcia.

O res mirabilis, ô terribile vicinæ cladis præſagium. Ea nocte in tentorio Patriarchæ, vbi erat ſancta Crvx, in matutinali officio caſualiter euenit legenda de archa fœderis à Philiſtæis capta

in

in prælio & deducta. Vnde nimirum cunctorum audientium & intelligentium corda metu ſubitò percelluntur, quod iuxta illud poëticū; peſſimus in dubiis augur timor.

Manè autem facto Saladinus Regi obuiare feſtinans, cum innumerabili exercitu appropinquauit ad bellum. Turci fortiter ſe accingunt ad prælium, buccinis & ſagittis noſtros acriter cientes ad pugnā. Inprimis acies Templariorum congreditur, & demiſſis haſtis veloces equos vrgens calcaribus, Turcorum Cuneos audacter irrumpit. Quæ cùm de hoſtibus ſtragem feciſſet innumeram, tamē recollecto agmine redeundi non habuit facultatem. Nam vndique denſis Turcorum vallata agminibus, tota ferè ab ipſis intercepta eſt & retenta. Hoc viſo infortunio Comes TRIPOLIS, cum paucis ſuorum, abiectis armis aufugiens, venit IAPHET. Turci verò qui ignem miſerant circa exercitum Regis, videntes exercitum æſtu & ſiti iam miſerabiliter fatiſcentem, inſiſtunt audacius, aſſultum in noſtros vndique inceſſanter, & cominus facientes; tandem permiſſione diuina, capta ſancta CRVCE & Rege, Turcis applaudit victoria, noſtris iraſcitur Deus & fortuna. Quidam enim ex eis miſera nece occumbunt celeriter, quidam in vinclis ad longioris pœnæ cruciatus reſeruati, & poſt cōſummatā belli victoriam adducti in præſentiam Saladini, de præcepto illius in ore gladii trucidantur.

S. Crux capitur.

Peracta cæde tàm miſerabili, & * Renoldo, de quo ſuperius mentionem habuimus, manu propria Saladini perempto, Saladinus cum triumpho Tabariam reuerſus, qui fortioribus & præſtantioribus regni iam peremptis in prælio, & liberius non ſolùm ...... illam, verum etiam * ACCON, ASCALONAM, & cū tota ferè terra ipſam IERVSALEM ad deditionem coegit.

Otto de S. Blaſio vocat Reinaldum Principem Antiochiæ.

** alii Acaron.*

Interea nutu Dei, qui in iracundia nouit miſericordiæ reminiſci, & ne in partibus illis reſiduum Chriſtianitatis omninò ſuccumberet, contigit CONRADVM Marchiſium de Monte Ferrato, peregrinādo nauigare à Conſtantinopoli ad ſepulchrum Domini adorandum. Et hic natione Italicus erat, de conſanguinitate sereniſſimi Imperatoris Friderici, vir vtique ſolers & ſtrenuus, in rebus bellicis longo armorum exercitio ſapienter edoctus. Hic cùm iam pararet portum nauigando attingere, videns ciuitatem Achon, & totam terram adiacētem nuper debellatam, & à Turcorum agminibus occupatam, frena maris vertere maturauit, & in ſecundo vento nauigans apud Tyrum appulit, quem ciues velut acephali & gubernatoris præſidio deſtituti, gra-

Digitized by Google

gratanter excipiunt, ſe & ciuitatem eius tutelæ & moderamini ſupponentes. Comes verò Tripolis iam apud aliquos de perfidia ſuſpectus, de Tyro egrediens, venit Tripolim, vbi poſt modicum tempus ſecundum quoſdam letifera veneni potione ſuccubuit; ſecundum alios, propter mala & deſolationem terræ, vitam tædio & angore finiuit.

Porrò Saladinus venit TYRVM, REINERVM Marchionem de Monte Ferrato, quem in bello ceperat, ſecum adducens, quòd per illum ſaltem filium eius Conradum ad deditionem vrbis de facili ſperabat induci. O quàm memoranda, quàm pia impietas, quæ patris amori amorem Dei iudicat præferendum. Saladinus conſtantiam viri liberatione patris labefactare non valuit, non minis flectere, nõ promiſſis. Abiit ergò ad tractanda, quæ ſibi incumbebant negotia de regno & vrbibus nuper ſubiugatis, & in eis Satrapas & Iudices ordinauit, Admiraldos inſtituit, quorum regimine tenerentur. Poſt modicum temporis interuallum cum exercitu magno rediens, Tyrũ duobus ferè menſibus terra & mari tàm acriter obſedit, vt ciues iam vehementer & extra bellico premerentur aſſultu, & intus penuria victualium arctarentur, nihil aliud iam habentes, niſi nuces auellanas, quib⁹ vtcunque ſuſtentabantur. Tandem callide nacti bellandi opportunitatem ciues cum paucis nauibus, quas habebant, nocte quadam nauali bello eos aggrediuntur, qui per mare vrbem obſederant, & ita nauibus Saladini partim captis, partim confractis & ſubuerſis cum hominibus ipſum Archipiratam debellatum, & captum cum tumultu & plauſu maximo in vrbem adducunt.

Audito naualis belli tumultu, & qui erant in obſidione terreſtri ſuorum tamen adhuc infortunium ignorantes confeſtim machinis & aſſultu bellico ad expugnandam vrbem communiter ſe accingunt. Turci autem muralib⁹ vi effractis, iam interiorum partem murorum diruerant, iam vrbis mœnia conſcendebant. Conradus verò vt vir magnanimus & gnarus bellandi, cum ſuis iam animatis ad pugnam egreditur, facta ad Deũ inuocatione ſtatim clamore & congreſſu bellico viriliter irruit, & per virtutem Dei victrici dextra illorum fortitudinem diſſipauit. Trecenti ex Turcis ibi nece merita occumbunt, cæteri vertuntur in fugam, & eorum caſtra cum machinis fabricatis ad vrbis excidium incenduntur. Noſtri ſpoliis ditati gloriantur in Domino, qui ſuis ciuibus Tyri duplici triumpho cornu ſalutis erigens ciuitatem, & populum liberauit.

Digitized by Google

Præterea Hugo de Tabaria priuignus memorati Comitis Raimundi, & aſſumpto militari agmine de Tyro egreſſus venit Arſur. Quo expugnato & ſpoliato, & Turcis rebellantibus, qui intus erant interfectis, capto etiam Admiraldo, qui præfato oppido præſidebat, lætus cum victoria remeauit. Saladinus itaque turbatus vehementer, ſed vt erat elati animi pro tempore infortunium belli diſſimulans abiit, &, exceptis adhuc aliis duabus ciuitatibus, Antiochia ſcilicet & Tripoli, & paucis caſtellis, reſiduum terræ & munitiones potēter obtinuit, & ferè vniuerſa terra ſiluit in conſpectu eius.

Poſtquam fama ſolito pernicior index, cum lugenda refert, apud Romanam ſedem Ieroſolymitani Regni cladem & exterminium diuulgauit; Romanus Pontifex paterno nimirum affectu, tantū Chriſtianitatis conſpiciens detrimentum, vehementer indoluit, & propter ingruentem neceſſitatem, maturioris habita deliberatione conſilii, neceſſarium duxit incunctanter mittere legationem ad Reges & Principes, præſertim ad inuictiſſimum Romanorum Imperatorem Fridericum, à quo tunc maxime vtpote maximo & excellentiſſimo ſanctæ Matris Eccleſię tutore & Aduocato, ſpes & fiducia hāc propulſandi iniuriam dependebat. Legatio verò ſcripti ſeu prædicationis officio generaliter ad omnes vſibus armorum idoneos, qui Chriſtiano cenſentur nomine deſtinatur, eos auctoritate Apoſtolica in remiſſionem peccatorum ad dominici liberationem ſepulchri monens attentius & inuitans.

Reuerendæ ſedis Apoſtolicæ nuncii directo itinere profecti in Germaniam, ab Imperatore alacriter & benignè recepti ſunt apud ciuitatem ARGENTINAM ſecus fluuium Renum ſitam, vbi curiam pro tractandis negotiis Imperii indictam, tunc ipſe Imperator celebrabat, terrarum Principibus conuocatis. Nec caſualiter, ſed diuino nutu magnam illuc ſublimium virorum conueniſſe multitudinem, vt de Ieroſolymitana expeditione lætis ibidem inchoaretur auſpiciis, quod poſtmodum apud MAGVNTIAM curia Dei & peregrinorum, de qua dicetur inferius, tractauit plenius & promouit. Poſtera die ſimul reſidentibus Epiſcopis, cæteriſque Principibus coram Imperatore, quo etiam ingens militum ciuiumque multitudo conuenerat, indicto ſilentio præfati nuncii verbum Dei de exhortatione Ieroſolymitanæ expeditionis, in auribus aſtantium ſeminare cœperunt; ad quorum prædicationem, licet gratioſa eloquii ſuauitate conditam, inter

tot

Digitized by Google

tot millia, miles vnicus, zelo deuotionis accenſus, ibi aſſumpto CRVCIS ſignaculo, ſe ſponſione itineris obligauit.

ARGENTINENSIS autem venerabilis Epiſcopus * HENRICVS nomine, vir vtiq; tàm diuinarum quàm ſecularium rerũ gnarus & prouidus, videns, & dolens omnium ferè corda ad huius exhortationem negotii, de ſomno obſtinationis minimè excitari, tanquam diuinit⁹ audiuiſſet, Aperi os tuum, & ego implebo illud; nacta opportunitate loquendi, hoc modo Tullianæ ſuadela facundiæ cunctorum ſibi conciliauit auditum: *Fuit Baro ab Haſenburg. Bruſchius in 57 ep. Argent. Pſal. 80.*

O res miranda, ô milites egregii, quos animoſitas & probitas innata, armorum exercitio famoſos reddidit, & præ cæteris gentibus inſigniuit: miramur plurimũ, & miratione dignum eſt, ꝙ in tanta neceſſitate erga Deũ, ſic modo turpiter alget & torpeſcit veſtra deuotio; quòd obliti eſtis virtutis aſſuetæ, velut degeneres & ignaui. Veſtrum vtiq; auditũ mim⁹ aliquis, ſeu fabula theatralis demulcendo alliceret; & verba Dei vobis non ſapiunt, quæ tàm difficili & ſurdo percipitis intellectu. Proh dolor in corde omnium charitas refriguit. Proh pudor, omnes declinauerunt, ſimul inutiles, non eſt qui faciat bonũ; non eſt quem ſui moueat Saluatoris injuria, vt rurſum dicere poſſit, Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum. *Pſal. 13. Eſa. 63.*

Et viderit ſi veſtrum quiſpiam dominum ſuum terrenum exterminii ſiue exhæredationis iniuria moleſtari; certe pro illo arma non ſumere turpe dicitis & probroſum. Quanto magis omnes vnius capitis membra, Chriſti ſcilicet, ei debemus totum quod ſumus, quod viuimus, quod habemus? Et de plenitudine eius accepimus omnes. ſed arbori non reſpondent ſurculi, palmites vitis beneficium non attendunt. Pietatis eſt flere cum flentibus; nec vos mouet ad lacrymas terræ Ieroſolymitanæ dolor & deſolatio, q̃ nuper audita, omni animæ fideli amaritudinis & mœroris calicem propinauit? Neceſſitas amicum examinat. Et ecce rurſum patiens Chriſtus ſuos examinet & probet; ad ſuum vos inuitat auxiliũ, qui pro veſtra redemptione humanatus, & crucis patibulo affixus, operatus eſt ſalutem veſtrã in medio terræ. Hæc eſt terra hæreditas Domini, vbi ſteterunt pedes eius. Vnde primũ per Prophetas, deinde per Apoſtolos primitiua fidei noſtræ plantatio in orbe terræ eſt propagata. Et cum in omni loco dominationis ſuæ glorificandus ſit Deus, ea præſertim loca propenſiori veneratione amplecti nos conuenit, quæ Dei filius ad noſtram redemptionem exhibendam, prælecta, & tactu ſuæ præſentiæ conſecrauit. *Ioan. 1.*

Compungat igitur corda veſtra, moueat vos & incitet ad vindictam, quod mater & nutrix noſtræ fidei ſancta ciuitas Ieruſalem, deleto & eliminato ab ea Chriſtianæ cultu Religionis, prophanis paganorum ritibus ancillatur. Si enim, quod abſit, non eſt qui adiuuet, vel cõſoletur eam, ex omnib⁹ charis eius; quid reſtat deinceps, niſi vt graui⁹ Chriſtianitatis emutiletur plantatio, & latius paganiſmi propagines extendantur? Si quilibet veſtrum ad prædam, vel aliud maleficium opem alterius flagitaret, profectò multos de facili inueniret complices iniquitatis ad iniquitatem. & de tot millibus vix vnicum dominus ſibi militem adquiſiuit. Penſate igitur milites egregii, quàm felix, quàm fauorabile & excellens militandi genus, quàm fructuoſus labor; cuius merces, peccatorum remiſſio, quam reuera Dominus ſuis ſpondet & exhibet peregrinis.

His dictis cunctorũ, quaſi prius dormitans, excitatur deuotio, de cordibus compunctis erumpunt lacrymæ pietatis: Comites & Barones plurimi, nec non & multa millia tàm equitum quàm peditum, ad ſuſcipiendum crucis ſignaculũ cateruatim accurrêre. In breui rumor iſte longè lateq; diuulgatus, remotas etiam & diuerſas nationes gentium exciuit.

al. inſtiuidæ.

Imperator vero, vt vir * multiuidæ circumſpectionis, quod iamdudum intra ſe vouerat de peregrinandi voluntate, adhuc diſſimulabat, quo vſque maior Principum ac aliorum virorum copia crucem ſine retractatione arriperet, quorũ ope & opera annitente, facilius & efficacius poſſet expeditionis negotia promouere. Ad hoc igitur prouida & neceſſaria deliberatione ordinandum peregrinis ſpecialiter in media quadrageſima, quæ * tunc euenit ſexto Kalendas Aprilis, curiam indixit apud MAGVNTIAM, quam rectè CVRIAM DEI voluit appellari.

Anno 1188. Vide Ottonem de S. Blaſio, cap. 31.

Interea vir quidam religioſus litterarum ſcientia præclarus, & ſuauis eloquio HENRICVS ſcilicet Albanenſis Epiſcopus, Cardinalis, de latere ſedis Apoſtolicæ miſſus in eadem legatione, vt prædicator egregius, primò, vt dignum, adiuit Imperatorem. A quo, vt decuit, ſatis accurate receptus eſt & benigne. Qui cum de bono Imperatoris ipſius animo, circa peregrinãdi negotium, familiari inquiſitione & alloquio cognouiſſet, gauiſus eſt in Domino, & abiens per Alemaniam, verbi diuini ſemine iacto in terram bonam, multos ad viam Ieroſolymitanæ expeditionis in breui temporis ſpatio lucrifecit. Deinde profectus

eſt

Digitized by Google

eſt ad ſereniſſimum Francorum Regem * PHILIPPVM, & HENRICVM Regem Angliæ, qui tunc diſcordes erant; ſed eius ſermone perſuaſorio, pacis reuocati ad concordiam, cum multis vtriuſque Regni Principibus CRVCIS ſignaculum acceperunt. Inde in Germaniam redire decreuit ad præfatam CVRIAM DEI, cuius terminus inſtabat.

Errat Otto de S. Blaſio ib. cum Ludouicũ vocat. Nã Philippo Ludouicus natus eſt anno 1187. teſte Roberto de monte, ex edit. Ioan. Piſtorii tom. 1, Ger. ſcript. Quãdo Henricus rex Angliæ cum filio Richardo Crucem accepit, vide Rigordum de geſtis Philippi edit. Pithoei fol. 181. &c.

Statuto curiæ termino adueniente, ſereniſſimus Imperator, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Duces, Marchiones, Comites perplurimi & Barones, ad locum deſignatum cum innumerabili peregrinorum & aliarum gentium multitudine conuenerunt. Lætatur ſe nominatam & electam, ad determinãdum in ea tàm fauorabile communis cauſæ negotium, & ſuis applaudit hoſpitibus ciuitas MAGVNTINA. Cum ingenti apparatu de diuinis negotiis celebratur Curia, communi fauore & veneratione omnium amplectenda.

Affuit inibi venerabilis Herbipolenſis Epiſcopus * GOTHEFRIDVS nomine, vir diſcretus & eloquens, propter honeſtatem & alias virtutes ſibi inſitas commendabilis & famoſus. hic ſalutiferæ crucis peregrinus, & verbi diuini ſeminator egregius, lepido ſermone & placido ſibi concilians intellectum audientium, multa ad exhortationem viæ congruentia benè & efficaciter perſuaſit.

Godefridus à Piſemberg, Friderici I. Cancellarius, cathedralem Eccleſiam Herbip. de nouo conſtruxit. moritur in hac expeditione Antiochiæ. Ex hoc loco patet error Bruſchii circa annos huius Godefridi.

Nam ipſe Chriſtianiſſimus Imperator, & filius eius Dux illuſtris SVEVIÆ, * multi quoque Epiſcopi & Principes, cum aliis viris ſublimibus de manu ipſius aſſumentes crucis ſignaculum, ibi publicè ſe voto & promiſſione itineris aſtrinxerũt. Feruet in ipſum tot aliorum deuotio; tot & tantorum virorum audacia; quaſi viſo hoſte, auida bellandi contra odioſam Turcorum gentem, mente & deſiderio iam decertat; quòd ex rumore tanti apparatus bellorum, meritò & Chriſtianis accreſcit lætitia, & formidationis terror incutitur Sarracenis.

Præcipuos nominat Tageno Pataxienſis, in expeditione Aſiatica Friderici I, inter quos Epiſcopus Herbipolenſis, & Bertholdus Dux Meraniæ ex Bauaria de caſtro Andechs natus, qui fortè eſt frater Mechtildis, cuius vitam ſuprà dedimus, nam de patre vix credo.

De præfato verò * Duce maximè gaudendum fuit omnibus pe-

Fridericũ,

regrinis. Nam poſtea, ſicut facta ipſius teſtantur, celſitudo ſanguinis & animi ſæpè, imò ſemper per multa bellorum diſcrimina, & grauium experientiam laborũ, pro ſtatu exercitus Chriſti animoſitatem illius ad actus ſtrenuos inuitauit; & ipſe ſtrenuitate ſua ſibi omnium fauorem aſciuit.

Imperator itaque videns, & gaudens, militiam Chriſti ſic læto affluere incremento, edicto prohibuit, vt nemo pedes, nemo vſibus armorum minus idoneus, nullus etiam, qui ad minus in * biennium ſumptus itineris habere non poſſet, peregrinationis viam ſecum arriperet: Quoniam ad tàm laborioſam expeditionem magis impedire, quàm expedire vulgus imbelle & debile conſueuit.

Cæterum quia tàm arduum negotium moram & inducias ad præparamenta itineris cõpoſcebat, de cõſilio Principũ ſeorſum habito, viſum eſt Imperatori, ad quod etiã omnes vnanimiter cõſenſerũt, vt ꝓpoſita expeditio à ſolēnitate inſtãtis Paſchę in annũ ꝓtelaretur, & nono Kale. Aprilis in feſto ſancti Georgii peregrini omnes ſimul apud Ratiſbonam in itinere cõuenirent. Conſtitutionis huius negotio diffinito ſinguli ad propria remeandi licentiam habuerunt.

Quia verò ſereniſſimus Imperator, & SALADINVS tàm per nunciorum, q̃ per donatiuorũ alternam miſſionē à longo tempore amici fuerant ad inuicem; Imperator ſuæ Maieſtatis proſpiciens honeſtati, duxit cõueniens, ad eum ꝑmittere legationē, & cũ denunciatione belli ſe illius hoſtē fateri, niſi ſanctã CRVCEM, in prælio Chriſtianis ablatã, redderet cum terra Ieroſolymitana, quã ſuæ ſubiugauerat ditioni.

Ab HENRICO verò de DIECH, rogatu Imperatoris ſuſcipitur hæc ad Saladinum legatio deferenda. Præter hæc alia ab Imperatorē legatio deſtinatur in Hungariam ad Regem BELAM pro mercato, pro vi e ſecuritate & pacis certitudine vtrobique firmanda. Similiter & in Græciam ad Yſachium Imperatorem; nec non * SOLDANVM ICONII, apud quem à multis diebus, propter bona de ipſo per internuncios remandata iam ſæpius & audita, ſpecialem dilectionis & amicitiæ fiduciam obtinebat.

Rex * Hungariæ ſuper iam dicto negotio Imperatoris peti-

*Hinc intelligũtur iſta Ottonis de S. Blaſio cap. 31. Pauperioribus ad minus triũ marcarũ expenſam, ditioribus pro poſſe expenſas præparare iudicẽs. Egentibus antē pondo triũ marcarum ſub anathema te profectionē fecit indici, nolēs exercitum vulgo minus idoneo prægrauari.

Iſaacius.

* Otto de S. Blaſio c. 31. Nuncii Soldani regis Iconienſis ad Imp. venerant, fœduſq́, quamuis in dolo, renouantes, commeatum per totam Ciliciã cunctoq́ exercitui, ſi pacificus veniret, ex parte domini ſui obtulerunt.

Extat tomo Germ. ſcript. Vrſtiſii epiſtola cuiuſdam de expeditione hac Frid. I. vbi hæc: Ab amantiſſimo rege Vngariæ Bela honorifice recepti, & benigne ab ipſo & humaniter tractati.

Digitized by Google

tioni & negotio peregrinorum benignè & alacriter adquieuit.

Porrò Cancellarius & Legati Conſtantinopolitani Imperatoris accedentes ad præſentiam ſereniſſimi Romanorum Imperatoris, benignè ab eo recepti ſunt apud NOEREMBERC. Vbi per eos tractatum eſt de negotio memoratæ pacis. Vnde ab inclyto Sueuorum Duce, & cæteris Principibus, ac potentibus viris, qui aderant, ſecuritatem iuratoriam receperunt; & è conuerſo ſeipſos in idipſum iureiurando aſtringentes, ad plenariam pacis ordinationem, perſuaſerunt, magnos & ſublimes nuncios adhuc mittendos eſſe Conſtantinopolim, pro maiori ſecuritate per eos ibidem recipienda, & pace plenius confirmanda.

Inter cætera verò forma condictæ pacis id ſpecialiter continebat expreſſum, vt peregrini, ex promiſſione, fructus arborum, olera hortorum, ligna ad ignem, ſine vaſtatione domorum, gramen & paleam ad vſus equorum acciperent; cætera competenti foro ſecundum ſtatum regionum & temporis exigentiam compararent.

Ad huius legationis executionem honeſti nuncii ſcilicet venerabilis * Monaſterienſis Epiſcopus, Robertus Comes de Maſſouue, & Henricus Iunior Comes de Diech, ex deliberatione ipſius Imperatoris, & Principum eliguntur; & ita præfatus Cancellarius cum ſuis collegis ab Imperatore munificè & honeſtè dimiſſus, in Græciam remeauit.

Prædicta Epiſtola, fol. 560. Regnũ Græciæ intrauimus, in manus furum & latronum incidimus, nulla in Græcis fide reperta. Nam contra communem non violandorum legatorum legem, Epiſcopum Monaſterienſem, & Comitem Rupertum ceperant, Vide annales Godefridi mon. S. Pantaleonis anno 1189. &c.

Præter hæc iam dudum contigerat, alios Legatos ad Imperatorem accedere, omne bonum amicitiæ de Soldano mendosè pronunciantes, non ſolùm pro mercato, & viæ ſecuritate, verum etiam de antiqui amoris perſeuerantia, ac totius honoris exhibitione, quem, vt aiebant, illi præſentialiter impendere peroptabat. Sed vt rei probauit exitus, quidquid mandauerat, vacuum erat à fide, & minimè veritati conſonabat. Dignum ergò erat illi accidere ſicut & accidit. Nam poſtmodum detecta fraude, ſicut de patrata perfidia meruerat talionem recipere fallax & mendoſa eius promiſſio, meritò in ipſius detrimentum & ignominiam redundauit.

Imperator itaq; vanæ promiſſioni credulus, & qui in omnibus pri-

pridem circumſpectus ſollerter ſibi præcauerat, modò incautus, & à verbo mendacii circumuentus, præfatos nuncios, cùm eos benignè receptos apud ſe diutius & accuratius, quàm cæteros tenuiſſet. Benigniſſime quendam à ſe dimiſit nomine GOTHEFRIDVM ſimul cum ipſis in legatione pacis & amicitiæ dirigens ad Soldanum.

Godefrid. Monach. S. Pãtaleonis Coloniæ in annalibus anno 1188. hæc: Philippus rex Franciæ, & Richardus rex Angliæ, abruptis crucibus, bella renouant, terras mutuò deuaſtant, & nulli ætati parcunt. Poſtea confœderati contra patrẽ einſdẽ Richardi prælia inſtaurant, donec eo defuncto ad rediuiua iterum bella relaxantur.

Deſignato peregrinationis termino iam inſtãte, zyzaniorum ſeminator, & malorum omnium inuentor diabolus * rediuiua diſſenſione pacem turbauerat inter Regem Francorum, & Regem Angliæ. Qua de cauſa tàm ipſi quàm alii, multi bellorum occupationibus implicitі, tunc à via propoſita remanſerunt. Nonnulli etiam elegerunt nauigio transfretare; reuocati à propoſito terreſtris expeditionis, quę plus laboris & periculi videbatur habere. Quidam verò prætendentes occaſionem ad excuſandas excuſationes in peccatis, penitus retro abierunt. Sed nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno cœlorum.

Chriſtianiſſimus tamẽ Imperator, vt erat magnanimus, nihilominus animo conſtanti iter arripuit. Dignum ducens & fauorabile, ſi tandem in diuino obſequio, ſequentibus triumphorum titulis, quibus antè claruerat, digna virtutum ſuarum conſummatio reſponderet.

Nono igitur Kalendas Aprilis peregrini apud Ratisbonam; ſicut ſtatutum fuerat, conuenerunt.

Monaſterienſis Epiſcopus, Rubertus Comes de Naſſouue, & Henricus iunior de Diech, miſſi Conſtantinopolim, in præfata legatione, iam præceſſerant, ducentes ſecum centum milites, & alios multos ipſorum agmini adhærentes. Qui cùm per multos labores Bulgariam & Macedoniam tranſiuiſſent, Conſtantinopolim peruenerunt; vbi aliquandiu morati ſunt Imperatoris Conſtãtinopolitani qui tunc aberat, reditum præſtolantes.

Imperator reuerſus illis venientibus ante ſuum conſpectum, hilarem vultum exhibuit, ac ſi de ipſorum peregrinorum aduentu non modicum lætaretur. O ſcelus inauditum, ô immanis perfidia. Reuera iuxta illud Claudiani:

Edidicit ſimulare fidem, ſenſusq; minaces

Protegere, & blando fraudem prætexere riſu. Legati ergò fruſtra exhilarati ad hoſpitia reuertuntur.

Cur autem ſubdolus Imperator contra Chriſtianitatem ſe exhibens petram offenſionis & ſcandali, pacis, & fidelitatis, hilarẽ vultũ præ-

prætenderat, quandoquidem illorum exitium cogitabat? Sequenti die, illo præcipiente, nuncii capti, ſpoliati, affecti iniuriis, ad vltimum inter ſecures per diuerſa terroris & metus genera ducti, & miſerabiliter diſtracti, in locum pœnarum & carceris detruduntur; & ſic antiqua nunciorum & hoſpitii iura turpiter in viros inſontes & pacificos temerantur, ad fauorem & gratiam SALADINI, cuius legationem nuper admiſerat amicabiliter ſceleratiſſimus Imperator, qui prius attendere debuiſſet, illud ſaltem gentilis dictum:

T*urpius eiicitur, quàm non admittitur hoſpes.*

Interea ſereniſſimus Imperator FRIDERICVS ignarus tanti, à Ratisbona deſcenderat nauigio ad partes Auſtriæ, exercitu cum equis & curribus per terram eunte. Et oppidum MVTVSIN, ſitum in ripa Danubii, flamma vindice funditus euerterat, eo quod habitatores illius vectigal indebitum à peregrinis tranſeuntibus arroganter præſumpſerant extorquere.

Cùm autem WINAM perueniſſet exercitus, LVPOLDVS Dux Auſtriæ, qui apud omnes liberalitatis præconio famoſus & celebris habebatur, neceſſitati peregrinorum laudabiliter conſuluit, tùm in miniſtratione mercati, tùm de rebus propriis hilariter largiendo.

Inde progredientes in ſpatioſa camporum amplitudine, qui vulgo VIRIVELDEN vocantur, caſtra metati ſunt ſecus Danubium præterfluentem, in oppoſita ripa * BOSOMIVM quod PRESBVRC Teutonicè nuncupatur. Ibi quatuor diebus quietare diſpoſuerunt, quouſque vniuerſus exercitus illuc conueniſſet. Cæteris autem luſibus armorum & quieti vacantibus, imperialis tamen induſtria minimè vacans à curis, interim tractabat de ſeriis, & expeditionis cauſas, atque negotia ſollicita deliberatione penſabat. Nam * ibidem ex conſultationibus principum & virorum prudentum, ad regendum facilius & coercendum exercitum, ſub edicto & iuramento pacis nouarum legum condidit inſtituta, quibus ſecundum differentiam emergentium caſuum, tranſgreſſorum enorm itas animaduerſione debita puniretur.

Latini recentiores vocant Poſoniū. Lazius Piſonium, ex ſcriniis eiuſd. vrbis, à Piſone quodā videlicet, cuius opera Tiberius Pānones ſubegit. Boſa in Pannonia, quod Bresburg, inquit Otto Friſingenſis. Vide Ortelii theſaurum Geograph.

* *Erat autem exercitus eius xxx. millia hominum, inquit Godefrid. inter quos erāt 15. millia electorum militum. A prædicta ergo vrbe (Ratiſbona) per decurſum Danubii iter monſtrantes venerunt in ciuitatem, quæ dicitur Brisburc, & eſt initium Hungariæ. Ibi in die Pentecoſtes Imp. conuentum habuit, & iurata eſt pax ab omnibus, & lex malefactorum lata eſt,*

& de proceſſu itineris actum eſt. Feria quarta inde mouerunt, & in octaua Pentecoſtes venit eis rex Vngariæ cum regina, obtulitque Imperatori tentorium operoſum, quod portare vix poterant tria plauſtra, & alia inſignia. Filiam quoque ſuam filio Imperatoris Friderico deſponſauit.

Sic die ſanctiſſimo Pentecoſtes ibi ſolennizato, ante portas Vngariæ peruenerant. Vbi Epiſcopi & cæteri optimates terræ, nuncii ſcilicet Regis Vngariæ magnifice venerunt obuiam Imperatori, ipſum ex parte Regis ad introitum regni ſui benigne & alacriter inuitãtes. Imperator ergò cum exercitu ingreſſus eſt fines Vngariæ, & Pannoniæ partes tranſiens, peruenit STRIGONIVM, vbi ab ipſo Rege & Regina plenius, & cum maiori honoris exhibitione præſentialiter ſalutatus, magnificè, ſicut decebat, ab eis receptus eſt, & iucunde. Ibi etiam diebus aliquot demorante exercitu, Rex filiam ſuam inclyto Duci Sueuiæ deſponſauit, & in collatione victualium multa impendit beneficia peregrinis. Cùm autem inde placuiſſet abſcedere, Imperator & Rex in ſylua quadam venatica, vndique amœno decurſu Danubii circumfluentis ſepta, quatuor diebus commorati ſunt in venatione; exercitu interim per terram ſatis opimam & paſcuis refertam moroſius præcedente.

Ibi tunc primùm ſuperueniens exercitus de Boëmia gratanter ſe noſtro exercitui ſociauit. Deinde venientes ad a Thrauum fluuium, nec eum inuenientes vadabilem, illum tunc licet cum difficultate, nauigio tranſierunt. Inde per regionem bonis omnibus opulentam, vicum ſancti Georgii, Francam villam, & b Smirmium, ciuitatem olim quidem famoſam, ſed modo dirutam tranſeuntes, quarto Kalendas Iulii ad Sauum ſiue Souuam fluuium peruenerunt. Huc vſque in tranſitu regni ſui noſtris ſatis accommodus & benignus extiterat Rex Vngariæ, niſi in quibuſdam poſtea ſe ſuſpectum reddidiſſet.

Poſt tranſitum Saui fluuii, noſtri iam tunc in finibus regni Græciæ in Bulgaria conſtituti, caſtra metati ſunt apud c BELGRANVM; vbi quidam ex peregrinis propter violationem pacis membrorum truncatione plexi ſunt, quidam etiam propter grauiores exceſſus coram Imperatore capitalem ſententiam ſubierunt. Vnde cunctis potuit euidenter innoteſcere, in quantum Imperator & exercitus Chriſti pacificum per terram illam tranſitum exoptabant.

Sed inſtinctu perfidi Imperatoris YSACHII, nequiſſimo Duce

a Godefri. *Emenſa Vngaria ventum eſt ad flumina Marovvum, Sovvam & Drovvi, quibus nauigio tranſitũ, &c.*

b leg. *Sirmium.*

c *Habita eſt ibi ab Imp. ait Godefrid. curia in villa quæ Belgraue (Belgradum) dicitur, ad quam duo nobiles de Alſatia pro violata pace decollati ſunt.*

BRVN-

BRVNDVSII procurante, GRÆCI, * BLACCI, BVLGARI, cum innumerabilibus aliarum populis nationum, iam noſtris * exitiales machinabantur inſidias, & conuenticula eorum de ſanguinibus, & de pernicie gentis noſtræ. Exercit' verò de BELGRANO digrediens, & duorũ dierum itinere incedens per ſylueſtria, peruenit ad * MARVBIVM, quẽ etiam nauigio transmeauit; & defixis tentoriis ſecus DANVBIVM in campis BRVNDVSII, ſeptem diebus continuis quieti vacauit, quo & HAINRICVS Comes de SALME cum ciuibus METENSIBVS, & agmen peregrinorum Vngariæ ſuperuenit.

Valachi.

Vide Tagenonem, & Godefrid.

Godefrid. Marovvũ

O nefanda & innata Græcorum perfidia! de quibus non ab re legitur; timeas Danaos & dona ferentes. Dux Brunduſii & maiores Prouinciæ, præmiſſis donatiuis ſuis, Imperatorem ſub ſpecie dilectionis adeunt, hunc labiis honorant, mala autem in cordibus eorum. Porrò quia neceſſarium erat, tantam multitudinem, vtpote per terram nemoroſam, & viam difficilem tranſituram, per agmina diuiſam incedere;

In primo agmine inſtituti ſunt VNGARI ET BOEMI, vt ad explorandum de ſitu locorum & viarum tranſitu antecedant.

In ſecundo verò DUX SVEVIÆ & RATISPONENSIS Epiſcopus cum ſuis.

In tertio tres Epiſcopi cum ſuis HERBIPOLENSIS ſcilicet, LAODICENSIS, BASILIENSIS.

In quarto & vltimo agmine Imperator, & reliquum robur exercitus deſignantur.

Interea præfatis hoſtibus, quorum veloces pedes ad effundendum ſanguinem, ad latrocinandum egreſſis, armigeri de caſtris egredientes, ad comportandum gramen ſiue pabulum ad vſus equorum, de die in diem necem toxicatis eorum ſagittis incurrunt. Nonnulli etiam ad caſtra ſpoliati & ſaucii reuertuntur. Noſtri tamen vana & fruſtratoria ſpe decepti, ſuper his omnibus Conſtantinopolitani Imperatoris conſcientiam excuſantes, & ſuſpenſa vltione adhuc patienter hæc duxerunt incommoda ſuſtinenda.

Relictis ergo nauibus, & curribus oneratis, à Brunduſio caſtra mouentes, prius ordinatum iter arripiunt. Præcedunt Vngari & Boemi in manu armata, flammis atque ſecuribus, præcluſos viarum tranſitus reſerantes. Dux verò Sueuiæ cum ſuis illos ſubſequens in ſylua, vbi nocte præterita caſtra poſuerant, ſine requie pernoctauit. Nocturnis enim excubiis adhuc in agmine ſuo minus

Digitized by Google

prouide ordinatis, damnum inopinatum ab hoſtibus recepit, qui ex improuiſo de noſtris intra caſtra pluribus ſauciatis, vnum militem & quoſdam alios occiderunt. Noſtris tamen expergefactis, protinus expelluntur. Dux itaque ex damno ſibi illato cautior effectus, ſequentẽ exercitum, & præcipuè patrem ſuum celeriter præmuniuit.

Imperator verò callidè cum armata manu militum præfatis hoſtibus tetendit inſidias, qui meritò in foueam, quam noſtris parauerãt incidentes, addicti patibulo pœnas debitas exſoluerunt. Quoſdam quoque impatienter viuos retinuit, quorum iudicio quoſdam ex ciuibus BRVNDVSII, necnon & alios multos ſuorum maleficiorum cõplices in quadã munita munitione nuper ab eis conſtructa obſedit, & comprehenſos ad necem ſimilem patibulo commendari præcepit. Et quoniam fraus Conſtantinopolitani Imperatoris, & Ducis Brunduſii, ex illorum quoque confeſſione innotuit, pars militiæ reuerſa, Brũduſium prorſus incendio deuaſtauit. Procedente ergo exercitu, & prædonum malitia in noſtros, cæde, rapina, furto, de die in diem rediuiuis aſſultibus, degraſſante, quidam ex noſtris incautè tranſeuntes, illorum ſagittis intereunt. Sed plures ex hoſtibus vbicunq; in manus noſtrorum incidunt, velut canes immundi, ſeu lupi rapaces, à pedibus ſurſum, & deorſum ceruicibus, ſecus viam arboribus ſuſpenduntur.

Inter hæc dum tranſiret miles quidam egregius, FRIDERICVS ſcilicet de BERGVEM, equum, cui inſidebat, ictu ſagittæ repẽte vulneratum aſpexit, & circumquaque intuens, & nuſquam auctore vulneris comparente, miratus eſt vehementer. Tandem ſuſpiciens quendam ex hoſtibus in ſummitate arboris vidit inter frondoſos ramos infeliciter latitantem, quem ad ipſam arborem cui miſer male inhæſerat, firmo alligauit ſuſpendio, ſociis ſuis prius ad tàm monſtruoſæ rei ſpectaculum conuocatis.

Sic peregrini variis caſibus bellorum decertando peruenerunt ad oppidum RABINEL, pæne omnino dirutum & deſtructum. Ibi acceſſit ad Imperatorem nuncius Regis VNGARIÆ, excuſantis moram generi ſui, Imperatoris ſcilicet Conſtantinopolitani; quòd iam dudũ Helleſpontiacum mare, quod dicitur brachium ſancti GEORGII tranſierat, obſidere PHILADELPHIAM, tunc temporis ſub quodam THEODORO nomine rebellantem.

Vide Leunclauium in pandect. hiſt. Turcicæ cap. 118.

Præterea venit & alius legatus in dolo deferens litteras Cancellarii Conſtantinopolitani, quarum tenor per omnia bonum mendaciter promittebat: Imperatorem videlicet Conſtantinopolitanum

valdè

valdè mirari ſe nondum certificatum fuiſſe de aduentu Imperatoris & exercitu peregrinorum, vt eis honeſtorum virorum procuratione mercatum cum honore debito faceret exhiberi. Præter hæc quoque miſſos eſſe à Conſtantinopoli viros ſublimes, qui apud vrbẽ * STRALICIVM magnificè præſtolabantur aduentum exercitus, vt Imperatori decenter occurrerent cum præparatione fori, & honoris debiti exhibitione. Sed prorſus vana & ſterilis hæc erat promiſſio. Nam iniqu' Dux Brunduſii iam præceſſerat, qui vbique fuga omnibus indicta, frangi molendina præceperat, & mercatum ſubduci.

alii vocant Straleiz, & Stralitzen.

Inter bellorum turbines ſerenitate tunc temporis arridente, noſtri iam appropinquabant * NISSÆ ciuitati, quam cum tota adiacente Prouincia de Conſtantinopolitano præreptam Imperio NEAMAN & CHRAZIMERVS magni Comites de SERVIGIA & RASSIA, cum tertio fratre MECCHILLAO nuper in ſuam redegerant poteſtatem. Illi ſiquidem gratanter egrediuntur obuiam peregrinis, maxime Imperatoris aduentum, pro vt decebat, cum ingenti pompa & apparatu magnifico ſalutantes. hunc honorant propenſius, hunc benignis ſtipant obſequiis; ſingulis etiam Principum boues, oues, vinum, frumentum, & hordeum diuidentes munifice, & mercatum omnibus miniſtrantes, omnimodum ſpondent Imperatori obſequium, aduerſus quamlibet gentem, & maxime contra Conſtantinopolitanum Imperatorem, voluntarium offerentes auxilium, tàm de ſe, quàm de ipſorum coniuratis & amicis, KALOPETRO ſcilicet & ASSANIO fratre illius, qui quoque partem BVLGARIÆ circa Danubium, & partes THRACIÆ ſibi ſubiugatas virtute bellica obtinebant.

** Tageno Paſſanienſis. Decimo Kal. Auguſti venimus ad ciuitatem Niſſeam, ibi magnus Comes Seruiæ, cum magno apparatu obuiam nobis venit, quẽ dominus Imperator honeſte excepit, & multa cum eo pertractans, honeſta ei donaria dedit ſicut & ipſe magna ab eo recepit. Similiter omnes Principes à prædicto Comite vino, medone, & animalibus multis honorati fuerunt.*

Suadent etiam, ſummopere cauendum eſſe à fermento Græcorum, & de manu ipſius Imperatoris quærunt recipere memoratam ciuitatem Niſſam cum illius compertinentiis, & totam aliam terram ipſorum, non metu Imperatoris Conſtantinopolitani, ſed ſolo Romani amore imperii, cui per hominium deſideranter ſubiici affectabant.

Ad hæc ſereniſſimus Imperator, vt amator pacis & fidei, ſollerter pro tempore & conuenienter reſpondit, ſe, quia crucis geſtabat ſignaculum, contra Ieroſolymitanæ terræ inuaſores velle inſurgere; nec veniſſe ad terram Chriſtianorum debellandam; ſi tamen per Græciam pacificum tranſitum poſſet obtinere. ſin autem, diuino cooperante auxilio, viam ferro facturus erat ſibi & ſuis fratribus peregrinis. Apud Niſſam igitur ſex diebus continuis ad recreationem exercitus demo-

demoratus, præmiſſis gratiarum actionibus, de honore & commoditate percepta, præfatis comitibus valedixit.

Exercitus à Niſſa digrediens ordinatè, ſicut prius, & diuiſus per agmina incedebat. Qui cùm iam per quorundam abrupta montium, & ima vallium, laborioſè tranſiret, reiteratis bellorum aſſultibus, acriter infeſtatur ab hoſtibus, qui iam pridem vndique conuenerant, necem & incommoda peregrinorum palàm & clanculo machinantes. Ibi ex noſtris * vnus miles occiditur, multi vulnerantur ſagittis, nonnulli etiam currus in agmine PATAVIENSIS Epiſcopi, & Ducis MERANIÆ, militari abſente præſidio, ſpoliantur.

Tageno: honeſtus miles de Hals ibi occiſus, & ait accidiſſe 3. Kalen. Aug.

Inter hos bellorum tumultus accidit, vt cum hoſtium proteruitas die quadam in peregrinorum agmen inſurgeret. Vnus ex militibus noſtris grauiter ægrotans, & nimium imbecillis, baiularetur in feretro, qui audito clamore bellico, & cominus viſis hoſtibus, velut ſibi reddita ſanitate, protinus lorica indutus, de ſtrato proſiliit, & vno ex illis viriliter proſtrato, ceteriſq; in fugam verſis, reuerſus ad lectum, quẽ tàm audacem timor fecerat, infirmitate decubuit recidiua.

Noſtris deinde in quandam vallem aliquantum ſpacioſam ingreſſis, rurſum prędones tàm equites quàm pedites ex omni parte cõueniunt, illos dieq; noctuq; irremediatis incommodis premunt; hos occidunt, illos ſauciant, & in quos prædandi facultas non datur, furtiua diſpendia moliuntur.

Ventum erat ad quandam nemoroſam vallem, & anguſtam, vbi hoſtes, inter quarundam fauces rupium, qua noſtri erant tranſituri, viam præcluſerunt muro, & denſitate nemorum excíſorum. hac tamen Vngari & Boemi cum manu armata, diruto murorum obſtaculo, præceſſerunt; hac quoque illuſtris Dux Sueuiæ vi bellica tranſiuit indemnis, niſi boues abductos à prædonibus amiſiſſet. Poſt hos quidã incautè nimium gradientes, inciderunt in manus hoſtium, à quibus ſpoliati ſunt, duobus ibi peremptis militibus, & aliis multis, qui currus minabant, lethaliter ſauciatis. Porrò accidit, vt dum eadem via BARTHOLDVS inclytus Dux MERANIÆ vellet tranſire, ecce hoſtium magnus valdè exercitus ab vtroque latere aſſiliens, erumpit de montibus, quorum clamore terrifico totum nemus & concaua montium echonizant, quibus vndiq; nimis acriter inſtantibus, noſtrorũ paucitas illorum multitudini iam vltra reſiſtere non valebat. Cum ipſe Dux haud ſegniter aſſumens proprium vexillum, ſuos iam quærere meditantes fugæ præſidium, ad pugnam reuocat, & hortatur. Et velut

trux

Digitized by Google

trux aper fulmineo dente ſe ingerit medijs canum latratibus; ſic vir magnanimus audacter in medios hoſtes viam ſibi ferro aperuit, quòuiſq; cedere compelluntur. Noſtri reſumpta audacia ſui Ducis exemplo viriliter inſiſtentes, varia ſtrage hoſtes afficiunt: hos membratim truncant, illos de arboribus, quos deliteſcere fruſtra ſperabant, præcipitando in necem paratam excipiunt, & ad terrorem aliorum, ſecus viam in vno patibulo triginta ſuſpendunt. Qui autem præſidio fugæ potuerunt euadere, viſa ſuorum ſtrage, perterriti. & exinde illorum aliquandiu ceſſauit proteruitas quouſque ſubſequens peregrinorum exercitus pertranſiuit.

Cùm autem peregrini inde duorum dierum itinere proceſſiſſent, ingreſſi ſunt aliam vallem, in imo arctiſſimam, hinc inde montibus in altum porrectis, quam labore maximo tranſierunt. vbi quia quoddam agmen noſtrorum contigit vehementer infeſtari ab hoſtibus, qui deſuper inſultando in peregrinos deorſum mittebant lapides & ſagittas. Quid ergò facerent noſtri ſic vndique intolerabiliter laceſſiti? eis nullatenus licebat procedere; retroire non poterant; ad hoſtes cominus bellando propter arduitatem montium attingere non valebant. Iam hæſitabant, iam currus meditabantur deſerere, vtrum ſic interim fugiendo aliquatenus poſſent euadere, dum hoſtes ad tollenda ſpolia properarent. Tandem vnus eorum ſpiritu fortitudinis animatus, fugam omnimodis dehortatur. Et inuentis paucis, qui ſecum tanta audeant ſubire diſcrimina, collem alacriter aſcendit, & ſtricto ferro in medios hoſtes irruens, quoſdam necat, quoſdam mittit in præcipitium, ac demum firmiter apprehenſo illorũ duce & ſignifero, conluctantur ad inuicẽ, ſicq; conluctando per decliuiũ montis vſque ad imum vallis inſimul deuoluuntur. Noſtri verò celeriter accurrentes duellum dirimunt, prædonem adiudicantes ſuſpendio, peregrinũ de virtute audaciæ commendantes. Poſtquam autem peruenerunt ad vrbem STRALIZION, quam inuenerunt à ciuibus derelictam; Imperator edixit, vt primi vltimos expectarent. *Tagino ait perueniſſe tertio Idus Auguſti.*

Iam multos in exercitu cupiditatis morbus, licentia prædandi indulta ex neceſſitate, per auaritiam vltra metas Imperialis edicti nimium euagante. Quos HERBIPOLENSIS Epiſcopus ad monitionem Imperatoris redarguit hoc ſermone exorſus:

Pollutus eſt populus anathemate, non ero cum eis, niſi mundentur. Illud videlicet innuens & proponens de furto Iericontino Achan, propter quod peccatum vnius vniuerſus populus dicitur corruiſſe, *Ioſue 7.*

ruiſſe, vbi etiam legitur Dominus dixiſſe: Anathema in medio tui eſt Iſrael, non poteris ſtare contra inimicos tuos. Poſt hæc rumor in caſtris inſonuit, innumerabilem Græcorum exercitum expectare in cãpeſtribus Græciæ, qui noſtris ad portas ſancti BASILII, vbi erat vltima & firmiſſima clauſura BVLGARIÆ, parabat congreſſu bellico obuiare. Exinde Græcorum fraudes iam euidenter pateſcere cœperunt. Imperator ergo in exercitu, quinque bellicas turmas inſtituit, vt ſi fortè hoſtes ſuperuenire contingeret, noſtros paratiores & munitos ad bellum inuenirent.

Prima ſiquidem acies fuit inclyti SVEVORVM Ducis, RATISPONENſis Epiſcopi, & quatuor Comitum de BAVARIA; cuius ſignifer BERTOLDVS Comes de Nuwemburc in Briſigaudia.

Secunda Boëmorum & Vngarorum, vtraque gente ſuum habente ſigniferum.

Tertia BERTHOLDI Ducis Dalmatiæ ſiue Meraniæ, & quinque Epiſcoporum Wirziburgenſis, ſeu Herbipolenſis, Laodicenſis, Baſilienſis, Patauienſis, Oſnaburgenſis, huius vexillarius ipſe Dux & Popo Comes de Henniberc, Herbipolenſis Epiſcopi.

Quarta ipſius Imperatoris, in qua Tharentaſianus Archiepiſcopus, & Miſſinenſis Epiſcopus, Comes de Hollant cum germano ſuo, & reliquum robur militiæ computantur.

Quinta & maior de armigeris & peditibus poſtmodum apud PHILIPPOPOLIM eſt inſtituta. His ita prouidè ordinatis, inde progreſſi, caſtra metati ſunt apud MONOCHON. Ibi tunc primùm ſuperuenerunt PETRVS TVLLENSIS Epiſcopus, & GOBERTVS de aſpero monte cum ſua militia, laborioſe per Bulgariam ſubſecuti; vbi & noſtrorum cadauera defunctorum nuper exhumata de tumulis, viderant ab arboribus dependere. O dira & inaudita vindictæ ſpecies! ô perſecutio monſtruoſa! Quid putas feciſſent, quorum ira, imò furor ſic deſęuit in mortuos, ſi in viuos vlciſcendi locum & copiam habuiſſent? Hominem poſt fata perimere velle, crudele & veſanum.

Ad tranſitum verò præfatæ clauſuræ Dux à patre ſuo iuſſus præcedere, quingentos milites loricatos elegit de præſtantioribus agminis ſui, quorum etiam ferreos equi habebant amictus. Sub tanto & tali Duce talis acies, talibus inſtructa armis, quorum ſplendor reuerberat intuitũ cernentis, vt quendã terrorem hoſtibus poſſit incutere, quaſi ad bellum progreditur ordinata: quam vt viderunt Græci, qui fuerant præmiſſi ad PORTAS ſancti BASILII, confeſtim timor & hebetudo

tudo mentis cecidit ſuper illos. Et reuerſi quantocius diuulgauerunt per vniuerſum exercitum Græcorum, indomitam & ferream ALEMANORVM Gentem in equis ferreis aduenire, & eſſe tutius maturare fugam, quàm illorum terrificos expectare incurſus.

His auditis exercitus valdè extimuit, & retro abiit feſtinanter, reuerſusq; PHILIPPOPOLIM; ciuibus fugā indixit, denuncians aduentum gentis ALMANICÆ, cuius fortitudini vis humana in bello obſiſtere non valebat. Interea noſtri effractis omnibus & ſuccenſis clauſurarum repagulis, cum armata manu libere tranſeuntes, ingreſſi ſunt terram adiacentem * CIRCVIZ, terram ſcilicet planam, fertilem & amœnam, vbi meſſis trituratæ, & vuæ, iam maturæ ad vindemiā & omnium bonorum copiā inuenerunt. Deinde venerunt Philippopolim *nono Kalendas Septembris; vbi, antequam vrbem ex præcepto ſereniſſimi Imperatoris intrarent, aliquot diebus in caſtris extra mœnia commanſerunt.

Tageno: Circuicem.

Tageno ait 8. Kal. veniſſe.

Eſt autem Philippolis vrbs prædita & ſublimis metropolis in capite MACEDONIÆ ſita, vbertate glebæ & pingui territorio adiacentis Prouinciæ circumquaque referta. Ibi Imperator de captione nunciorum ſuorum certificatus eſt, cui quidam PISANVS nomine IACOB, impetrata prius ſecuritate, obtulit * litteras, hoc modo in ipſo ſalutationis exordio Conſtantinopolitani Imperatoris faſtum & arrogantiam exprimentes: YSACHIVS à DEO CONSTITVTVS IMPERATOR SACRATISSIMVS, EXCELLENTISSIMVS, POTENTISSIMVS, SVBLIMIS, MODERATOR ROMANORVM, ANGELVS TOTIVS ORBIS, HÆRES CORONÆ MAGNI CONSTANTINI, dilecto fratri imperii ſui maximo Principi Alemaniæ, gratiam ſuam & fraternam & puram dilectionem.

Et erat continentia literarum, ipſum de præſumptuoſo Imperatoris & peregrinorum aduentu in Græciam contra ſui voluntatem Imperii plurimum indignari. Attamen, quia peregrini erant, ſi pacificum deſiderabant tranſitum, & mercatum, exceptis nunciis, quos apud ſe detinebat, adhuc erat neceſſe prius ſibi dari obſides, ipſum ſcilicet filium Imperatoris Ducem Sueuiæ cum aliis ſex de Epiſcopis & Principibus cæteris, quos mallet eligere inter omnes.

Non mireris, cū Tageno ait literas Imp. Conſt. à Friderico acceptas 12. Kalen. Sept. Nam ex Godefridi annalib. patet ternos nuncios miſſos. Ibi (Philippoli) reſponſales regis Græciæ, ait Godefr. ad eum venerūt, per quos ei demandauit, ſe ſaluum eſſe, & nihil aliud. Iterato per alios ei demandauit, ſe poſt Deum eſſe dominum dominantium. Tertiò ei demādauit, quod ſi regnum Romanorum dare vellet in manus eius, & ab eo loco hominii reciperet, conductum ei daret per terram ſuam, & mercatum ſufficiens.

Sed nondum ſciebat ſuperbus & ſtolidiſſimus Imperator à quãto & quali principe ad ignominiam ſuam tàm ſuperba & ardua requirebat. Multis enim non indignè cedit in contrarium, qui in ſuperbia & abuſione præcogitant & diſponunt. Audito itaque literarum tenore, peregrinorum ira vehementer efferbuit in gentem Græcorum. Imperator verò licet de captione nunciorum ſuorum interno angeretur dolore, exterius tamen tàm vultu quàm ſermone ſolitam modeſtiam exhibebat, & ſecundum illud Vergilianum:

Spem vultu ſimulat, premit alto corde dolorem. Præfatus ergò nuncius ſine reſponſo pacis Conſtantinopolim remeauit.

Henrici de Calendin (quæ familia hodie de Bappenhaim dicitur) fortitudo.

Erat oppidũ quoddam haud longè à Philippopoli in arduo montis ſitum, nomine SCRIBENTION, tàm naturali poſitione loci, quàm mœnibus turritis firmiſſime communitũ. Illud tamen ab HENRICO de CALLENDIN Imperialis curiæ Marſchalco in primo aſſultu coactũ eſt ad deditionem, cui tenendo Imperator militarem cuſtodiam deputauit.

Interea relatu quorundam ſtrenuo Sueuorum Duci innotuit, Græcorum exercitum in propinquæ regionis cònfinio demorari, ad inſidiandum noſtris; ſi forte aliquos incaute contingeret in prædam exire. Dux igitur aſſumpto ſibi agmine militari, ad illos nocturno tẽpore properauit. Qui in primo diei diluculo licet præmuniti fuiſſent, non tamen omnes terribilem noſtrorum incurſum potuerũt euadere. Perempto ibi ſignifero & aliis quinquaginta de populorum ALANORVM; qui erant conductitii milites Imperatoris Græcorum. Sic hoſtibus inde exterritis, & acceptis ſpoliis terræ, Dux ouanter regreditur cum triumpho.

Tageno Vereæ. leg. Beroæ Vide Ortelii theſ. Geogr verbo, Berrhoea.

Paucis diebus euolutis fama rurſum aduolat, apud vrbem *VEROI nuper alium Græcorum exercitum conueniſſe, quem præfatus Dux & conſanguineus eius Dux MERANIÆ in forti manu ſimiliter adire diſponunt. Græci verò intellecto noſtrorum aduentu, turmis ad prælium ordinatis de vrbe exeunt, velut ſe facturos aliquid grande promittentes. Sed poſtquam agmina & arma noſtrorum coruſcantia cominus aſpexerũt, ꝓtinus vrbe relicta, ſtupidi velut oues ad incurſus luporũ diffugiunt ad montana. Noſtri vrbẽ introeunt cuius præda & ſpoliis ditati in equis & curribꝰ victorioſe PHILIPPOPOLIM reuertunt.

In apographo, m.

Præter hæc in breui temporis ſpacio noſtri in manu forti obtinuerunt circiter decem oppida, duabus aliis ciuitatibus PERMIS ſcilicet & *BRANDEVOI ad deditionem coactis. Sic in conſpectu gentis noſtræ

Digitized by Google

noſtræ terra ſilente, incolæ ſupplicantes pro pace, mercatum promittunt, & ſub tributo pace Imperatoris impetrata, & exercitus, reuertuntur ad propria, promiſſionem fori ſatis fideliter adimplentes.

f. erat: Poteſt etiam legi, Brandeum.

Iam numeroſitas curruum in prædam egrediens, totam terram depopulando ſpoliis & victualibus onuſta redibat. Oues & boues, inſuper & pecora campi tot erant in exercitu, quod bos vnus quinque denariis, & duobus vel tribus vnus aries emebatur. Quicunque affectabant prædam, aurum, argentum, & pecuniam multam nimis de facili conquirebant. Præ multitudine ſpoliorum operoſa tapetia, & ſerica indumenta nihili pendebantur. Prouidè, qui:

Luxuriant animi rebus plerunque ſecundis.

Luxus & ſuperbia ex temporalium bonorum affluentia cœperunt in exercitu pullulare; iuxta illud Rabani dictum; Plerumq; ſubiectorum inflatur animus, dum in luxum ſuperbiæ ipſo potentiæ faſtigio lenocinante corrumpitur.

In cunctis tamen vir modeſtiſſimus Imperator ſollicitabatur plurimum, & ſuper tàm tædioſa exilii prolõgatione intra ſe anxius, nunciorum etiam ſuorum captioni miſericorditer condolebat. Nec minus perfidus Imperator CONSTANTINOPOLITANVS interno metu & tædio triſtabatur, ſic videns, ſui ſtatum Imperii ruinoſis diſtractionibus peſſum ire.

Contigit ergò tandem hinc inde pace mittendis nunciis impetrata, alternas legationes intercurrere, ad bonum pacis & concordiæ reformandæ. Deinde memoratus IACOBVS, & quidam Græcorum proceres acceſſerũt ad Imperatorem apud PHILIPPOPOLIM ad bonũ reconciliationis, nunciorum liberationem & fœdera promittẽtes. Sed fide non adhibita verbis eorum, inefficaciter redierunt.

Poſtmodum iam noſtris deſperantibus de pace reformanda, & de reditu nunciorum, ecce rumor præambulus, illos iam abſolutos; ac CANCELLARIVM quoq; & alios quatuor Græcorum Principes ratione dignitatis Græco vocabulo [a] SEBASTON dictos cum eis denunciat aduenire. Quib⁹ peregrini in feſtiuo gaudio deſiderãter [b] occurrunt,

a f. Sebaſtos. Quis Protoſebaſtos, quis Sebaſtocrator, vide in Curopalata de officiis aulæ Conſtantinop. *b Tageno: plus quàm 3000 electiſſimorum militum cum lanceis & ſcutis, equos in gyrũ vertentes crebro, ſex pene miliaria noſtris nunciis occurrerunt; ita vt Cancellarius Græcorum, & alii Græcorũ optimates multũ terrerentur, timebant inſidias ſibi paratas fuiſſe. Quod cũ audiſſet Dux Sueuiæ & alii proceres, ſtatim depoſitis ſcutis Græcos benigne exceperunt, dicebant, talẽ eſſe conſuetudinem Teutonicorum, & factum fuiſſe ad lætitiam & honorem excipiendorum, & gloriam Græcorum. Deinde nunciis Græcorum in hoſpitiis collocatis, nuncii noſtri ad Imperatorem vſque magno tripudio deducuntur; quibuſdam cantantibus: Aduenisti*

Digitized by Google

deſiderabiles. Et etiam quibuſdam cantantibus, Hutte iſt Herr din tach. *Dominus verò Imp. de domo ſua exiens, in amplexus Epiſcopi & Comitis irruit, cum multis lacrymis eos ſuſcepit, dicens; Gratias ago Deo, quia filii mei mortui fuerant, & reuixerunt, perierant, & inuenti ſunt. Hæc Tageno apud quem extat epiſtola Friderici ad Lupoldum Auſtriæ Ducem, vbi dicitur, legatos veniſſe in feſto SS. Simonis & Iudæ.*

gaudentes merito de receptione fratrum, qui quaſi mortui fuerant, reuixerunt, perierant & inuenti ſunt. O quanta gaudia, quàm iucunda fuerunt illis oſcula! vbi ipſe piiſſimus Imperator lacrymatus eſt præ gaudio, ſuorum tàm deſiderabili exhilaratus aduentu.

Græcis itaque conductis ad hoſpitium, coram Imperatore conticuere omnes intentique ora tenebant, Epiſcopo Monaſterienſi ſuorum caſuum & laborum ſeriem exponente. Poſt miſerandorum verò & inexplicabilium malorum narrationem idem Epiſcopus ſubiunxit de perfidia Græcorum, de confœderatione ſcilicet Imperatoris YSACHII cum SALADINO, de prædicatione * Patriarchæ, quomodo Græcis iniunxerat in remiſſionem peccatorum peregrinos occidere & delere de terra. Præterea de machinationib⁹ fraudium, quomodo in trãſitu maris, quod dicitur brachium ſancti GEORGII, Græci terreſtri & nauali prælio peregrinorum delere exercitum intendebant; qui etiam idcirco in Græcia moram noſtrorum in hyemis aſperitatem protraxerant, quando illos tranſituros ſperabant; vt vel ſic qui per eos bello domari non potuerant, in Romana, vtpote terra frigida & ſterili, tabeſcentes fame & frigore deperirent. Græci noſtris has machinabantur inſidias; ſed fruſtrà iacitur rete ante oculos pennatorum.

Tageno; Græci Hæreticos nos appellant, clerici & monachi dictis & factis maximè nos perſequuntur.

Prou. 1.

Poſtera die Cancellarius & ſui collegæ imperatorio ſe repræſentauerunt conſpectui, parati iureiurando in dolo confirmare pacis capitula, quæ iam pridem ipſo CANCELLARIO procurante apud NOEREMBERC fuerant ordinata. Illos igitur verbis Imperator talibus affatur:

Lege apud Tagenonẽ orationem Friderici.

SVBLIMES viri eſtis, & magni proceres, ſatis vos commendat honeſtatis opinio, vt iuramento veſtro fides ſit adhibenda. ſed aquâ læſo feruidâ, frigida ſuſpecta habetur. Nouit ipſe Cancellarius quis fecerit irritum quod apud NOEREMBERC iuramento firmauit. Quæ ab initio ſufficere potuiſſet ſacramenti ſecuritas, iam nobis minus ſufficiens, & incerta videtur. Per multa iam damna ſatis experimento didici, quàm integra, quàm ſecura eſt pax domini veſtri, qui indigni faſtus exhibitione per literas iam ſæpius mihi Græciam ſuam demandauit.

Sciat

Sciat autem me nec ſua, nec vllius egere gratia, niſi ſolius Dei, & apud Deum bonorum hominum interuentu. Deſinat ergo. Vel de ipſo nō fero æquanimiter, ſi tàm arroganter me præſumat de cætero ſalutare.

Anne ſcit dominus veſter quis ſim? nondum forſitan me agnouit? Sum vtique & dicor FRIDERICVS ROMANORVM IMPERATOR ET SEMPER AVGVSTVS, à quadringentis annis Romani ſceptrum imperii legitima & ſucceſſiua anteceſſorum meorum poſſeſſione mihi tranſmiſſum, tricennali poſſeſſione huc vſque inconcuſsè tenui, & adhuc obtineo, nullo Principum reclamante. Quod qualiter propter deſidiam, & tardum ſuccurſum cuiuſdam ex prædeceſſoribus domini veſtri à Conſtantinopoli Romam translatum ſit, teſtificantur illi, qui geſta Romanorum & Friderici ſeriem reuoluerunt. Non ergo ROMANORVM, ſed potius ROMANIORVM moderatorem ſe dicere debuiſſet.

His auditis Cancellarius & cæteri Græci exiſtimantes, iam ſibi carceris imminere ſupplicium, timuerunt valdè; & viſus eſt eis nouiſſimus error peior priore. Imperator verò metum illorum conſiderās, & notans palloris indicia, verbis prioribus hæc continuando adiecit.

Manifeſtum eſt omnibus, nec nos latet, in quantum Dominus veſter erga nos contra ſuæ debitum dignitatis exceſſit: nec tamen cōuenit, hoc in veſtrum redundare diſpendium. Quia non eſt conſuetudo imperii; nec veſtrorum mouemur exemplis; legatos aliquos læſionis iniuria moleſtare. Vnum tamen de fratre meo, domino veſtro confido; vt antequam regni ſui fines egrediar, ad plenum reſtituat, quidquid adhuc de rebus & ſpoliis nunciorum meorum dignoſcitur detinere.

Hæc locuto Imperatore, Græci dixerunt; ſe non veniſſe inſtructos vel miſſos ad talia reſpondere. Sic indeterminato pacis negotio reuerſi ſunt Conſtantinopolim, nihil aliud niſi rumorem diſſenſionis & minas bellorum annunciantes.

Interea coram Imperatore inter Principes habita deliberatione ſuper negotia & ſtatus exercitus; quidam ſuadebant hyemandum eſſe apud PHILIPPOPOLIM; præſertim quia iam tempus hyemale inſtabat, tempus ſcilicet mouendis caſtris minime opportunum. Alii verò expeditius eſſe dicebant, dimiſſis in vrbe cuſtodibus, ad aliam terram debellandam procedere, Græcorumque exercitum, & vrbem ADRIANOPOLIM in manu forti adire: quorum ſententia demum placuit vniuerſis.

 Tranſ-

Digitized by Google

Tranſactis itaque ibi vndecim hebdomadibus Imperator cum exercitu inde egreſſus eſt quatuor Epiſcopis LAODICENSI ſcilicet, [a] MONASTERIENSI, [b] PATAVIENSI, & [c] TVLLENSI, & aliis multis remanentibus ad cuſtodiam ciuitatis. Deinde progreſſi caſtra metati ſunt apud GLISMON, vbi bonorum omnium vbertatem, quæ humanæ vitæ ſunt neceſſaria repererunt, & feriati ſeptem diebus cōtinuis, inde ad vrbem [d] Coſtaution peruenerunt.

Imperator verò qui nuper acceperat legationem regis VNGARIÆ, licentiam reuertendi petentis Vngaris; neminem ferentem crucē in angaria curabat vltra ſecum ducere; ſciens vtiq;, & attendens, quòd coacta ſeruitia dominus non acceptet.

Reuerſus eſt ergò [e] Iabarenſis Epiſcopus, & omnes alii peregrini de Vngaria, præter paucos, ducentes turpe, referre pedem, & ab incepto itinere reuocari.

Inter hæc rurſum nuncius quidam obtulit Imperatori litteras plenas faſtu & arrogantia, quarum tenor hic erat: CONSTANTINOPOLITANVM videlicet Imperatorem gaudere plurimum de aduentu noſtrorum, quia ſic illos intra ſua retia, de quibus euolui non poterant, detinebat, quod retroire vel procedere iam nequibant.

Fruſtra tamen ſperabat, magnanimum Imperatorem, videlicet his minarum tonitruis deterreri. Siquidem,

> Extorquere minis dum ſic putat, vt timeatur.
> Qui terret plus ipſe timet, trepiduſque minatur.

Porrò dum noſtri in manu potenti procederent, tota terra circumquaque vrbium, oppidorum, & villarum incendiis relucente, Græcorum exercitus illos ſine mora fugiens anteibat. Quo veniente ADRIANOPOLIM, & nullam ibi expectationis moram facere iam audente, non immerito ciuium corda metu diffidentiæ quatiuntur. Tollentes igitur quæcunque ſecum ferre vel ducere potuerunt, protinus vrbe relicta egreſſi ſunt; quorum pars CONSTANTINOPOLIM, pars verò ad vrbem [f] DIMOTHICON fugiendo peruenit.

Vrbs autem ADRIANOPOLIS à fundatore nomen accepit, vrbs ſcilicet tàm loci amænitate, quàm fertilitate adiacentis Prouinciæ commendabilis & famoſa. Quæ licet à meridionali & occidentali plaga duorum fluminum amænis decurſibus ſit munita, exterius tamen murorum & turrium ſuarum iactitans firmitatem, intus etiam ſuperbire videtur altis palatiorum ædificiis inſignita. Hanc noſtri de-

a Hermāno. b Theobaldo. c Berchtoldo. d lege Conſtantinam. Tageno: Anno 1190. pars illa exercitus noſtri, quæ hiemauerat apud Philippopolim, ſecuta eſt dominum Hadrianopolin verſus 18. Kal. Feb. Conuenit Conſtantinam 12. Kal. Feb venit ad Imp. Hadrianopolim 8. Id. Feb. e ſ. Iauarenſis. f Tageno: Demotege, quod fuit egregium caſtrum circa maritima. Legēdum eſt Didymoichon. Vide Cantacuzenū.

cimo

timo Calendas Decembris ingreſſi, diſpoſuerunt ibi tranſigere tempus hyemale.

Illuſtris verò DVX SVEVORVM, vt audiuit oppidũ * DIMOTHICON, quod vrbi imminebat, munitum & plenum eſſe rebellantibus GRÆCIS, illuc aſſumpta ſibi militia feſtinauit, & ſtatim in circuitu ſitu munitionis explorato, licet ſibi inexpugnabilis videretur, de ſua tamẽ ſuorumq; confiſus audacia, omnes ad bellicum animauit aſſultum. *Leg. Didymotichon.*

Omnibus ergò extra vnanimiter, & vndique ad impugnandum inſurgẽtibus, Græcis verò intus fortiter inſiſtentibus defenſioni murorum, tandẽ contigit HVGONEM WORMACIENSEM, & ſigniferum Ducis primos audacia militari muros conſcendere, quibus cæteri ſtatim ſubueniũt, portis effractis viriliter irrumpentes. A quibus de militia Conſtantinopolitani Imperatoris, GRÆCI cæteri, ALANI mille & quingenti ſtrage miſera perimuntur.

Hac peracta belli victoria, quis ſpolia, quis opes referat in oppido & vrbe acceptas? Interea militare agmen RATISPONENSIS Epiſcopi, q́p ad aliam vrbem nomine PROBATON debellandam exierat, illam obtinuit, in qua immenſam victualium copiam & ſpolia multa nimis accepit.

Præter hæc pincerna Imperatoris, & MARCHOARDVS SENESCALCVS expugnauerunt oppidum NIKIZ, vnde Conſtantinopolitano Imperatori annua penſione tributum toxici mittebatur. Ibi ab incolis didicerunt in multis iam ſæpius locis latices, & ollas vinarias infectas fuiſſe toxico ad perniciem noſtrorum; quos tamen Deus ſuæ miſerationis antidoto conſeruauit. *al. Niriz.*

Porrò quorundam exercitum, CVMANORVM ſcilicet & GRÆCORVM, qui armigeris peregrinorũ inſidiantes, quotidie neci illorum inuigilabant, cõtigit ab oppido vulgariter dicto MANIKAVA rebellare. Illorum agmina die quodam egreſſa ad inſidias, noſtri viriliter propulerunt in fugam, quouſq; fugentia ſe infra oppidum receperunt.

Peregrini verò ſuorum cæde, ſed tamen modica laceſſiti acriter ad pugnam, vi bellica expugnauerunt; vbi de hoſtibus circiter quatuor millia tùm armis tùm incendio perierunt.

Deinde cùm FRIDERICVS Sueuorum Dux, & quædam peregrinorum agmina intrauiſſent vrbem ARCHADIOPOLIM, contigit quoſdam ex noſtris caſualiter ſuperuenire, vbi erat quidam exercitus CVMANORVM, & ſic inter eos bello acriter inchoato, rumor ad vrbem deuolat, peregrinos in prælio cum hoſtib' decertare. Dux igitur

& ſui

Digitized by Google

& ſui celeriter, equis velocibus inſidentes, noſtris parabant auxilium ſubuectare; cùm iam aliquot ex peregrinis, ſed multo pluribus de hoſtili agmine peremptis in prælio, CVMANI vexillum Ducis eminus cõſpicati, dimiſſa pugna ſtatim fugiunt, & noſtris inſtantibus; fugiendo, ſpolia multa, & trecentos equos de ſuis relinquere compelluntur, & vnam mulierem in virili habitu armatam mirabiliter arte & exercitio ſagittandi edoctam.

DVCE ADRIANOPOLIM reuerſo, noſtris arridet bellorum proſperitas, GRÆCIS dolor & trepidatio cumulatur.

Interea verò rerum copia ſic exuberante, ſuperfluitas nouerca modeſtiæ, & otium fomes laſciuiæ nonnullos adducebant à ſemita diſciplinæ. Quibus exinde procliuioribus ad inſolentiam iam effectis, prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum. Quorundam enim animos ſupra ſe extulit tumor elationis, nimis intra ſe de proſperis gloriantes.

Sic leuiter faſtus alludit proſperitati.

Nec facilè eſt æqua commoda mente pati.

Sed iuxta illud Salomonis dictum, Proſperitas ſtultorum perdet illos. Chriſtianiſſimus Imperator, velut alter Phinees zelum legis habens, in multos de tranſgreſſoribus iram ſuam effudit. Quidam enim propter grauiora flagitia plectebantur capite, quidam in fornicatione deprehenſi, vnà cum mulierculis denudati flagellis cæſi, & turpi expoſiti ludibrio vapulabant.

Dux autem interea ducebat honeſtius militaribus inſudare negotiis, cui' erat labor & otium primum caſtella & vrbes finitimas expugnare, deinde potenter armata manu perquirere & ſcrutari ſtatum vrbium, & terrarum in maritimis, quas deſolatas inueniebat, à facie illius fugientibus vniuerſis.

Inter hæc rurſum contigit legatos Græcorum ad Imperatorem accedere, dicentes, ſe veniſſe ad pacem, procul dubio reformandam. Quibus ſecretum habentibus cum Imperatore colloquium, conſilio virorum prudentum tractatur de pace, & forma illius prius redacta in ſcripto, deinde in propatulo recitata. GRÆCI ſolita tergiuerſatione vti volentes, inficiati ſunt quædam capitula, quæ redintegrationi pacis videbantur plurimum expedire; & ſic caſſatis omnib', magis cum denunciatione belli, quàm concordiæ reuertuntur. Trepidat ergò tota vrbs CONSTANTINOPOLITANA, iam ſuum excidium & exterminium ſuæ gentis exiſtimans imminere.

Dum hæc gererentur APVD ADRIANOPOLIM, qui erant in vrbe

be PHILIPPOPOLI, iã circa remotiores partes terris & vrbib' ſubiugatis, regionem GRADNIZ ingreſſi ſunt. Vbi quoniã in picturis templorum & ædium viderunt Græcorum imagines equitando peregrinorum ceruicibus inſidere, totam terram præda & incendio vaſtauerunt.

Sic tempore effluente noſtris iam erat neceſſarium de ſtatu exercitus maturo & communi peregrinorum conſilio deliberare in dubiis quid expeditius videretur. Sed his qui erant apud ADRIANOPOLIM incertis de ſtatu aliorum in vrbe Philippopoli exiſtentiũ, illi ſimiliter, quid iſtis contigiſſet, penitus ignorabant.

Dux igitur MERANIÆ, & magnus Comes HOLLANDIÆ, & FRIDERICVS de BERGVEN cum trecentis electis militibus PHILIPPOPOLIM ab Imperatore mittuntur; ante quorum aduentum quatuor milites, & quidam alii de noſtris, dimiſſis ad cuſtodiam eiuſdem vrbis, nuper in bello fuerant ab hoſtibus interempti. Dux verò MERANIÆ in vltionem illorum ſtatim exſurgens, aduerſus exercitum præfatorũ hoſtium apud BACCON, vbi noſtros occiderant, ex eis in prælio trecẽtos peremit. Deinde vniuerſus exercitus, qui erat apud Philippopolim, vrbe diruta, ne hoſtibus eſſet refugium, adiuit ADRIANOPOLIM, ſicut ab Imperatore acceperat in mandatis.

Interea KALOPETRVS, qui cum ASSAMO fratre ſuo dominabatur populis BLACORVM, miſit legationem ADRIANOPOLIM, diadema regni *Græciæ* de manu Imperatoris capiti ſuo rogans imponi, & aduerſus Imperatorem CONSTANTINOPOLITANVM promittens ſe venturũ illi in auxilium cum quadraginta millibus CVMANORVM. Imperator verò illius petitioni amicabile & placens pro tẽpore dedit reſponſum. Quamuis alia cura & maiori ſollicitudine propoſitum iter perficere moneret. Amplius namque deſiderabat partibus tranſmarinis ſuccurrere, & videre bona IERVSALEM, quàm in Græcia demorando alienum ſibi imperium vendicare.

Porrò Imperator Conſtantinopolitanus videns in deſolationem terræ omnia proditionum ſuarum molimina redundare, ſero pœnitentia ductus, rurſum pro pace legatos ADRIANOPOLIM deſtinauit: & quod pridem ſibi dari ad firmandam concordiam arroganter exegerat, iam à ſe recipi humiliter flagitabat. Legatis ergò proponentibus firmandæ pacis capitula, ſereniſſimus tamen Imperator nõdum fidem adhibuit, ſed nuncios ſuos vna cũ illis direxit CONSTANTINOPOLIM, ad rei veritatem ſuper his plenius inquirẽdam. Cognita

Digitized by Google

demum rei certitudine, paci finaliter tractandæ impenditur labor & opera. Reuertuntur nuncii, condictæ pacis capitula reportantes in ſcripto, hæc ſcilicet:

Imperator CONSTANTINOPOLITANVS omne damnũ in rapinis rerum, in deſtructionibus ciuitatum, in mortibus hominum, cunctáque ſibi iniuriam inexplicabiliter illatam voluntariè pureq; remiſit; & in tranſitu *a* GALLIPOLIS, vel inter *b* SISTON & ABIDON nauium ſufficientiam exhibebit ad transfretationem glorioſi Imperatoris ROMEOS exercitus Chriſti; & forum rerum venalium.

Et ſuper promiſſorum fide ac certitudine habenda, obſides lectiſſimos de ſanguine regio quatuordecim, gratiaq; ducatus domino Imperatori YSACHIVS dabit Imperator filium fratris imperii eius IOHANNIS, dominum ANDRONICVM, & alios iudices ſex, & de melioribus CONSTANTINOPOLEOS alios ſex, & dominum MICHAELEM filium patrui ſui, & alios nobiles viros *c* quinque degant cum Imperatore, & ambulent cum eo, donec ſecure poſſit ambulare citra PHILADELPHIAM ciuitatem, inde reuerſuri ſine læſione.

De damno quoq; quod receperunt apud CONSTANTINOPOLIM Epiſcopus MONASTERIENSIS, & Comes RVBERTVS, ſociiq; ipſorum, faciet Imperator Conſtantinopolitanus ſecundum voluntatem & conſilium victorioſiſſimi Romanorum Imperatoris.

Et ad hæc omnia conſeruanda iurauerunt intra templum ſanctiſſimæ Dei magnæ Eccleſiæ ad ſanctam SOPHIAM, præſente Patriarcha DOSYTHEO, quingenti viri ſublimiores ciuitatis & imperii.

Huius itaq; pacis capitulis perlectis, & approbatis in medio Doctorum, etiam ex noſtris, ad poſtulationem Conſtantinopolitani Imperatoris præſtiterunt iuramentum concordiæ tenendæ, ſi erga ipſos inuiolabiliter teneretur.

Sic pertractato pacis negotio, legati SOLDANI & MELICH eius filii venerunt ADRIANOPOLIM, flexis genibus, & manu Imperatoris deoſculata, ſimulantes gaudium magnum valde in dolo, cauſabantur Græcorum perfidiam, à quibus fuerant & detenti. Sed malorum omnium, quæ in captione pertulerant, ſe oblitos dicebant; quandoquidem iam eis erat liberum tamdiu deſideratam imperatoriæ Maieſtatis præſentiam intueri.

Poſt hæc adulatoriæ prælocutionis verba obtulerunt epiſtolam SOLDANI, in qua ſe maximum dominũ TVRCORVM, ARMENIORVM, & SYRIORVM nominãs, & Imperatorẽ, quaſi affectuoſiſſime ſalutãs, omnimo-

a lego: Callipolis. Tageno vocat Calliopolin. Vide Ortelii theſ. geograph. v. Nicopolis.

b lego: Seſton & Abydon. Vide de hoc maris trãſitu Ioann. Leonclauii pandectas hiſt. Turcicæ cap. 128. vbi de brachio S. Georgii differit copioſe.

c al. qui

nimodum eius filium ſolatium & auxilium contra hoſtes quoslibet promittebat.

O mira aſtutia, quæ ſic callebat ſub melle blandiloquii doloſæ mentis abſynthium occultare! Quis tàm cautus, quis tàm circumſpectus, vt tot inſidiarum tendiculas perpendere, tot proditionũ laqueos indemnis valeat declinare? Imperator reuera iam in terram ſcorpionũ deuenerat, quibus non eſt in facie, quod timorem incutiat, ſed pungunt à cauda. Legati ſiquidem ſecundum tenorem epiſtolæ talia perſuadere cœperunt.

Epiſtola Soldani ad Fridericũ.

Maxime & excellentiſſime Romanorum Imperator, ille tuus tibi ſpeciali amoris fœdere colligatus, Magn' ſcilicet SOLDANVS & MELICH filius eius, tuum cum maximo deſiderio præſtolantur aduentum; cupientes de tua voluntate prænoſcere, qua terras ipſorum ingreſſurus es, vt cum copioſa fori præparatione & magnificè & iucundè veniant in occurſum. Qui inter eos diſcordiam belli ſeminauerat, meritæ necis pœnas exſoluit; & ambo, ſicut illi accidit, optant omnibus hoſtibus tuis euenire: tibi verò incolumitatem, & proſperam dierum longitudinem arridere; ambo idem volunt, in idem cõſentiunt; præſertim ad exhibenda tibi omnimoda dilectionis & honoris obſequia ſcilicet inuicem concordantes.

MELICH patris ſui gratiã adeptus illius hæres verus & legitimus cõprobatur. A te igitur, quaſi hæreditario iure repoſcit & dignum eſt, vt deinceps illa antiqua & ſpecialis amoris tui ſinceritas transfundatur in filium, quia patrem hactenus dilexiſti. Cùm regnum SOLDANI, quod tuum fiducialiter reputare potes, intraueris, quaſi in propria terra & munitione conſtitutus ſecure & pacifice ambulabis; tota terra ad tui ſpem exhilarata aduentus intimo exardeſcit deſiderio te videndi.

His verbis credulus Imperator nuncios receptos benigniſſime apud ſe tenuit. Sed malè & ad detrimentum ſeruantis fouetur vipera in ſinu, ignis in gremio, mus in pera. Siquidem

Teſtor, & edico, quiſquis ſe credit iniquo,
Iure datus venum, recipit pro melle venenum.

Porrò ne aliquorum inconſtantia diſcordiam & ſciſſuras mentium operetur, in exercitu Imperator attendens ſollicite, quia melior eſt obedientia quàm victimæ, ſacramentum ſubiectionis exegit ab omnibus: quod vnanimiter & voluntariè cuncti præſtiterunt.

Et receptis obſidibus tertio Calendas Martii de præcepto Impera-

Digitized by Google

peratoris omnes ab vrbe ADRIANOPOLI, in qua iam quatuordecim Hebdomadibus commanſerant, exierunt, & antequam peruenirent ROSSAM ciuitatem, plurima incommoda in caſtris pertulerunt, nimio ſuperincumbente gelu, & inundantia pluuiarum. Vnde nonnulli ex vulgo Græcorum ſequentes mercatum, paſſim in exercitu & in campis deficientes frigore occumbebant. Quorundam etiam peregrinorum currus, vna cum hominibus & iumentis, in tranſitu cuiuſdam riui ſubita vi torrentis rapti ſunt & ſubmerſi.

Inde prætereuntes oppidum BRACHOL venerunt * Gallipolim, vbi dimiſſis curribus DUX SVEVORVM inprimis cum ſua militia transfretauit. Imperatori verò ad vltimum tranſeunti Græci ſolenniter applauſerunt, tota claſſe buccinis, tibiis, variiſq; Muſicorum inſtrumentorum generibus reſonante.

leg. Callipolim. In margine m. ſ. vndenis demptis annis de mille ducentis, eſt Chriſtus natus, tranſit mare rex Fridericus: qui duo verſus ſunt apud Ottonem de S. Blaſio cap. 32. hoc modo: Annis vndenis demptis de mille ducentis, Chriſtus vt eſt natus, tranſit mare rex Fridericus.

Vt autem vniuerſus transfretauit exercitus, omnes obſides, exceptis quinque, impetrata ab Imperatore licentia redierunt Conſtantinopolim. Sic omnibus per HELLESPONTIACVM mare tranſuectis de EVROPA in ASIAM, mox in ROMANIÆ partibus conſtituti, ingreſſi ſunt minorem ASIAM, olim diſtinctam duabus Prouinciis, PHRYGIA ſcilicet & PAMPHYLIA.

Et duorum dierum itinere promontana & ſylueſtria tranſeuntes, & veterem Troiam relinquentes à leua, die tertia ſecus fluuium * DYGA ante vrbem SPIGAST, caſtra metati ſunt, vbi mercatum biduo receperunt. Deinde duobus itinerantes diebus, peruenerunt ad magnum fluuium AVELONICA dictum, quem difficilem ad tranſeundum, & vix vadabilem inuenerunt.

Tegana: 4. Non. Apr. trãſiuimus Digam fluuium, ſequẽti die Auelonicam,

Haud procul inde Græci latrocinantes nuper quoſdam de armigeris peregrinorum occiderant, inter quos peregrinus quidam natione SVEVVS VLMENSIS, ciuis germanum ſuum inuenit, miſerabiliter interemptum. Vnde nimio commotus dolore, cum ad inquirenda prædonum veſtigia ſecum aſſumptis decem viris armatis, circumquaq; nemorũ abdita exploraſſet, aſpexit decem ex hoſtibus. Sed locus in quo ſe receperant, palude vndique ſtagnante, inacceſſibilis videbatur. Sociis ergo reditum ad caſtra ſuadentibus, ait ille, cui dolor de nece fraterna audaciam ſuggerebat, Expectate paululum, & ego

vado

Digitized by Google

vado requirere de manibus iſtorum ſanguinem fratris mei. Sic locutus continuo miſit ſe in lacum. *Vlmenſis ſecundus.*

Cùm autem nando ripam oppoſitam attigiſſet, ſolus decem adire non veritus, in illos fortem exercuit dextrã, & ſtricto mucrone ſuper hoſtes ictus ictibus inculcare non deſiit, quovſque nouem illorũ proſtratis, decimum in fugam propulit, qui viſa ſtrage ſuorum ſociorum exterritus fugiendo in gurgitem ſe coniecit. Sic peregrinus hoſtibus peremptis victor ad ſocios remeauit.

Sic rediens tantæ virtutis adeptus honorem,
Funereum peragit fratris de funere morem,
Dum de fratre dolet, doleat licet interiorem,
Solatur tamen & munit vindicta dolorem.

Poſtquam peregrini à flumine AVELONICA iter mouerunt inter oppidum YPOMENON, & ciuitatem ARCHANGELON, ad caſtra, tranſeuntes calamos per terram montuoſam & ſylueſtrem, ad vrbem THYATIRAM deuenerunt.

Græcorum verò latrunculi & prædones noſtros aſſiduis moleſtabant inſidiis. Sed VLTRICVS Comes de KIBVRC, FRIDERICVS de BERGVEN, & multi alii militari ſtrenuitate proni ad vindictam quotidie ſtrage miſera illorum audaciam redundebant. CONRADVS quoque Comes de DOREMBERC cum ſuis, die quadam præmiſſis, viarum tranſitus explorare, vidit in introitu cuiuſdam vallis tentoria prædonum, qui venerant peregrinis machinari inſidias. Noſtris itaque cum clamore bellico impetuoſum curſum equorum illuc dirigentibus, prædones ad cœnam iam diſcumbentes repente exterriti fugiendo de tabernaculis equos, ſpolia, vaſa argentea reliquerunt. Quibus acceptis CONRADVS & ſui cum gaudio redierunt ad caſtra.

Deinde noſtri per diruta Melcos tranſeuntes venerunt ad vrbem dictam * Agios, vbi COSMAS & DAMIANVS fuerunt martyrio coronati. Et procedentes ad aliam vrbem, quæ vocatur SARDIS; Inde etiam digreſſi ad vrbem PHILADELPHIAM acceſſerunt. Ibi culpa noſtrorum, qui ante portas ciuitatis ſegetes nimis damnoſe & inclementer ſecabant, & mercatum enormiter requirebant, inter ipſos & ciues rixam contigit exoriri. Qua de cauſa quidam ex noſtris, ſed multo plures de ciuibus vulnerati & perempti. ** leg. Ægea.*

Quidam ergò Imperatori ſuadebant, vt ciuitas expugnaretur, quod ſapientiores ob Eccleſiarum & ſacrorum reuerentiam, omninò dehortabantur; præſertim quia locus ille ſolus in illis partibus ab in-

Digitized by Google

curſibus TVRCORVM, CHRISTIANIS erat refugium & tutamen. Dux verò qui præerat ciuitati, humilitatem ſatisfactionis exhibens Imperatori, ſacramento ſe & ciues de culpa diſſenſionis penitus excuſauit. Cùm Imperator dimiſſis à ſe Græcorum obſidibus, receſſit à PHILADELPHIA. Quingenti equites inde poſt illum egreſſi, temerè inſecuti ſunt exercitum in aſcenſu montium circa HIERAPOLIN à TVRCIS dirutam; vbi paſſus eſt beatus PHILIPPVS. Imperator autem & alii qui cum eo retro exercitus gerebant cuſtodiam, hoſtes ſuperuenientes viriliter exceperunt, & de illis pluribus interfectis, alii victi & diſperſi in fugam, PHILADELPHIAM cum detrimento & dedecore coacti ſunt remeare. Multos enim peſſumdat & deprimit, quod iniurias ſuas acerbius vlciſci contendunt.

Sic noſtri potiti victoria prætereuntes HIERAPOLIN LAODICIAM venerunt; vbi quoniam intraturi erãt deſerta & ſylueſtria TVRKIÆ, feriati ſunt propter forum. Deinde inuenerunt eos mala, & viginti dieb' continuis irremeabiliter vexati ſunt à tribulatione malorum & dolore, ex quo ingreſſi ſunt terram horroris & ſalſuginis terram ſiccam, ſterilem, inamænam. Prima ſiquidem die inueniebant ſecus viam tabernacula TVRCORVM & pecora. Sed Imperator fruſtra ſperans bona de SOLDANO edixerat, ne aliquis diriperet res illorum, ſicque via nimis prolixa gradientes, nec inuenientes gramen ad refocillationem animalium, vix peruenerunt ad locum vbi propter graminis & alimentorum penuriam iumentis labore & fame deficientibus, multi equites in breui pedites effecti cœperunt miſeriarum, & caſus & labores inſolitos experiri.

Eſt autem conſuetudo incolarum illius terræ, qui SYLVESTRES TVRCI ſiue BEDEBBINI dicuntur, carere domibus, & omni tempore degendo in tabernaculis, de paſcuis ad paſcua ſe transferre cum gregibus & armentis. Hi ſemper in armis ad bella proni ſunt & accincti, horum innumera multitudine iam contra peregrinos ad bellum vndique confluente, noſtri deinceps ipſo neceſſitatis articulo edocentur propriæ defenſione viriliter inſudare.

Turci primùm paulatim ſe oſtentantes, & emergentes de montibus, mox vndique cateruatim conueniunt, quaſi cum noſtris bellorum præludia incepturi. Nec mora cum accedentes propius inſurgerent in aciem, quæ retro tuebatur exercitum, decem ex illis, qui equis præſtantioribus inſidentes animoſiores cæteris videbantur, à noſtris

in-

intercepti, celeri nece, diſſenſionis & bellorum primitias exſoluerunt. Sic noſtri procedentes ſecus fluuium quendam caſtra metati ſunt, vbi ad refocillationem equorum & iumentorum modicum graminis inuenerunt.

Die poſtera illuceſcente, innumerabiles Turcorum Phalanges in quodam colle ſecus viam, qua noſtri erant tranſituri, conueniunt, ſuo more belli incitamenta, buccinarum & tympanorum ſonitu inchoantes. Nõnulli etiam inprimis aciem pone ſequentẽ ad bellũ prouocant. Quibus Imperator parãs inſidias, iam collectis omnibus aliorũ tentoriis, in ſuo nondum detenſo milites armatos abſcondit, & in circuitu ignem mitti præcepit, vt ſic tenebroſitate fumi intus latentes inſidiæ celarentur. Cũ autem exercitus inde paululũ proceſſiſſet, Turci vidẽtes tentorium illud, metu & ſocordia noſtrorum exiſtimabant derelictum. Quò dum accurrerent, quaſi ad diripienda ſpolia feſtinãtes, noſtri haud ſegniter erumpunt de inſidiis, & illos * non modica cæde bellando afficiunt; extrema ipſis peregrinorum acie feſtinanter in auxilium reuertente.

* Tagenõ occiſos 300, ait.

Cætera verò Turcorum agmina iam acriter cum exercitu præcedente inceperant decertare. Sed tamen fortius noſtris inſiſtentib' cedunt. TVRCI collẽ quem occupauerant, ſecus viã coguntur deſerere, quingentis ſuorum ſtrage miſera ibidem peremptis. O mira nefandæ gentis atrocitas! quæ armis propriis equos ꝓprios, ne in vſus noſtrorum cederent, euiſcerabat, cum exſpes vitæ iam videbat fugæ diuortia ſibi vlterius non prodeſſe. Quin iam ſemineces, & lapſi proprio palpitabant in ſanguine, ſaxa & ceſpitem, vt in noſtros iacerent, auellebant de terra.

Videntes autẽ nuncii SOLDANI, qui adhuc erant apud Imperatorem, hanc ſuorũ ſtragẽ, turbati ſunt valdè; ſed dolum & dolorem intrinſecum ſimulatione gaudii palliabant, dicentes: Gens iſta, gens odioſa, ſylueſtris, indomita, & effrena, nullius eſt ſubdita ditioni; hi ſunt prædones, qui ſoliti deuaſtare terras transfinitimas, ipſum etiam SOLDANVM inquietare non verentur bellis frequentibus & rapinis. O quanto iam gaudio fluctuaret animus SOLDANI, ſi ſciret hoc eis infortunium accidiſſe!

Poſt huius belli triumphum exercitus præteriuit SVSOPOLIM, & cũ duorum dierum itinere ambulaſſet per regionẽ ab omni amœnitate vacuam & immunem, rurſum innumera agmina TVRCORVM ad bellum conueniunt; quia noſtri erant inter quendam lacum, &

mon-

montes contiguos tranſituri. Iumentis ergò cum Sarcinis & vulgo debiliore in medio conſtitutis; Imperatore verò cum ſuis retro tutelam exercitus procurante, acies Ducis prima feruens ſtudio militandi, ad tentanda belli imminentis diſcrimina antecedit.

Facta itaque irruptione bellica in hoſtes, & ex illis protinus quadringentis occumbentibus, ſic alii omnes terga fugæ dedere, vt quaſi ex denſitate fugientium tota ipſorum montium ſuperficies videretur nutare. Ibi de ſpoliis victorum noſtri libentius tulerunt panem, hordeum, & farinam, quia iam nimis in exercitu victualia rareſcebant. Progredientes itaq; cum triumpho ſecus præfatum lacum tentoria defixerunt.

Iam apud Imperatorem bona ſpes de SOLDANO pridem habita titubabat, & exercitus Chriſti ductore gnaro viarũ carebat. Quid ergò noſtri facerẽt, ſic in arcto poſiti? niſi ille, qui ſperantes in ſe non deſerit, opportunum & maturum eis ſolatium prouidiſſet.

Dum in tanta perturbatione ſic corda illorum titubantia triſtarentur, ecce nutu diuino vnus ex hoſtibus, qui nuper in manus noſtrorum inciderat, vinctus adducitur, quem ante ſe iuſſum adduci ſic
» alloquitur Imperator: Quoniam vt ipſe vides, tua vita in noſtro con-
» ſiſtit arbitrio, ſi teipſum cupis à morte redimere, expedit, vt de his lo-
» cis deſertis & inuiis via compendioſiore ad TVRCIÆ campeſtria nos
» educas, alioquin gladius imminet tuo capiti, vt de medio tollaris. Ad
» hæc TVRCVS fertur huiuſmodi dediſſe reſponſum: Nemo tàm prodi-
» gus vitæ, vt libenter, ſi poteſt, imminentis mortis laqueum non eua-
» dat. Ego vtique nihil adhuc reputans mihi dulcius vita, ſub illius ob-
» tentu, ſi mihi adquieſcitis, ſalutare vobis conſilium exhibebo. Noue-
» ritis ergò quod ſi hac via, quæ ad dexterã, inceditis, profecto mors &
» proditio vos manet ineuitabilis, quia terram intrabitis ſterilem, ina-
» quoſam, & inuiam; vbi etiam ad præcluſos tranſitus infinita TVRCO-
» RVM millia vos expectant.

Verum ſi ſano adquieſcere vultis conſilio, me duce ad leuam declinabitis, quam viam vtique inuenietis difficilem, ſed ſecuram & ante craſtinam noctem in campeſtribus TVRCIÆ vos conſtituam, vbi & aquæ ſufficientia vobis non deerit, & deinceps plano itinere de vrbibus ad vrbes vſque ICONIVM per terram opimam poteritis ambulare. Sic TVRCVS ferrea catena ſibi ad collum nexa, ducatum exercitus ſub obtentu capitis recepit, & noſtri illo præuio ſubſequentes eodem die repererunt in montibus armenta & greges TVRCORVM, vnde opportunum

Digitized by Google

tunum leuamen ſuæ neceſſitatis & indigentiæ perceperunt. Quibus de vertice montium ante ſe ad ima ſpeculantibus, mox ſub eis ſpacioſa terræ amplitudo cœpit ſe illorum viſibus explicare. Vnde admodũ gauiſi ſunt, adhuc tàm laborioſi deſcenſus pericula ignorantes. Siquidem in deſcenſu montium nimis difficili, eo die nonnullos equos, & plurima iumenta cum Sarcinis & victualibus lapſa in præcipitium amiſerunt.

Imperator verò interim retro more ſolito pro tutela exercitus portans pondus diei & æſtus, quod via ſuperiore deſcendens per abrupta montium hoſtes arcebat à lęſione exercitus, qui deſcendendo ſub rupibus pertranſibat. Cùm autem ad repellendos intolerabiles hoſtium aſſultus iam ſibi incumberet neceſſitas petendi ſuccurſum, Duci filio ſuo celeriter nunciauit, ſe nimis grauiter infeſtari à TVRCIS retro inſurgentibus, qui ipſum intolerabiliter premebant lapidibus & ſagittis.

Nec mora filio reuerſo, & prono in auxilium patris, pugnatur acriter, vbi de noſtris quibuſdam ſauciis, & perempto vno milite, ipſe Dux ſibi ab hoſtibus fracto vno dentium vulneratur. Quam ob rem mox tàm ipſius Ducis quàm aliorum ira incanduit ad bellum; ſicque noſtris præualentibus cedunt hoſtes, & ſexaginta de fortiſſimis illorum in bello cadentibus, cæteri compelluntur ad fugam.

Vt autem Imperator & Dux ſic triumphantes, ad exercitum deſcenderunt, depoſitis armis pater filii vulnus aſpiciens, illum ſic allocutus eſt ſubridendo; „Huius cicatrix vulneris, fili, in te de cætero erit virtutis & militiæ fauorabile interſignum, quod te iam Deo militaſſe indicat & teſtatur. Equidem bellatoris eſt ſtrenui dimicando ferire fortiter & feriri; ſed miles delicatus & ignauus in hoc certamine, & apud Deum ſtipendiis, & apud homines laude ſtatuit ſe indignum.“

Porrò exercitus turmis rurſus ad pugnam de more bellantium ordinatis, inde profectus eſt quatuor diebus continuis, antequam veniret ad vrbem PHILOMENAM, ſic bellando cum hoſtibus, & ex eis plurimos occidendo.

Inter hos quotidianos bellorum ſtrepitus die quadam accidit, vt dum noſtri TVRCOS in fugam propellerent, equus cui inſidebat FRIDERICVS de HVSEN, omine ſiniſtro corrueret inter hoſtes, vnde, proh dolor, quia miles ſtrenuus & famoſus, lapſus in mortem, nequiuit reſurgere; merito ille caſus lacrymabilis totum exercitum conturbauit.

Digitized by Google

Deinde qui erant maiores inter Tvrcos, cùm viderent noſtros ſic intrepidos propriæ defenſioni conſtanter inſiſtere, Imperatoris tẽtantes conſtantiam, illũ verbis per internuncium cõuenerunt: » Quoniam ſtipendiarii milites ſumus, ſi vis nos ab infeſtatione tua deſiſtere, » cum malle debeas partem pecuniæ tuæ nobis diuidere, quàm totam » vi amittere, expedit tibi, vt de illa nobis munificè largiaris.

» Ad hæc magnanimus Imperator ſic ironicè fertur reſpondiſſe; » Quãdoquidem pacem veſtram pretio oportet nos conducere, de no- » ſtro vobis omnibus largiemur vnum argenteum, ita ſcilicet, vt inter vos æqualiter diuidatur. Hæc audientes Turci, vehementer admirati ſunt de magnanimitate illius, qui ad ſtrepitus tot bellorum cedere & flecti neſcius, cum ſua gente tàm bellicoſa & inſuperabili quotidiè ſic ordinatè & triumphaliter incedebat.

Præter hæc nuncii Soldani, qui adhuc comitabantur exercitum, quærentes in dolo occaſionẽ, qua ab Imperatore poſſent recede- » re, dixerunt ad illũ; Si ſedeat Maieſtati; nos, operam daturi eis, quæ ad » pacẽ comitante vno ex militibus tuis ibimus ad Admiraldvm Phi- » lomenæ, quatenus illo iubente ſiue compellente, gens iſta ferina & » fœtida, quæ ſic nos quotidiè infeſtat, ad propria reuertatur.

Imperatore igitur huic doloſæ annuente ſuaſioni, nuncii Philomenam ingreſſi ſunt, vbi retento Imperatoris nuncio, mox ad illũ miſerunt, & mentientes ſe à Tvrcis detineri in captione, quæ apud eum de rebus ſuis diuiſerant, repoſcebant. Et licet fraus illorum per hoc euidenter pateſceret, Imperator tamen nihil ſibi de rebus eorum voluit ſibi retineri.

Vt autem exercitus appropinquabat vrbi, infinita item hoſtium multitudo iam noſtros fame & inedia confectos exiſtimans, in illos proteruius ſolito inſurrexit; & iam veluti certa de triumpho ſpolia parabat accipere, cùm Vltricvs de Lvcelenhart, & alii ſtrenui bellatores exercitus, hoſtiles turmas viriliter repulerunt à caſtris; Sicque noſtri ab occaſu ſolis totam ferè noctem duxerunt inſomnem intra vrbem, & extra, vacantes cædi hoſtium, quouſq; ex illis circiter quinque millia proſtrauerunt.

Quibus inde profectis rurſum Tvrci innumerabiles, barbaris circumquaq; perſtridentes clamoribus, & ad pugnam acriores ſolito, denſatis agminibus incedebant. Quantò enim plures cadebãt in prælio, tantò maior illis numerus quotidiè nouis ſuperuenientib' videbatur accreſcere, velut Hydra reddito ſibi fœcundior damno capitum abſciſſorum.

Edi-

Digitized by Google

Edicto SOLDANI TVRCI, quorum infinitus erat numerus à facie noſtrorum victualia terræ abſconderant, vel longè ad abdita ſyluarum & montium aſportauerant & gentis noſtræ paucitas, quæ non ſufficiebat diuiſioni, ad illa quærenda ſecedere non valebat, ab hoſtibuſque obſeſſa tàm grauiter, vt nec modicum graminis ad refocillationem equorum ſine quotidiana decertatione poſſet accipere prope caſtra.

Ad laborum itaque & miſeriarum cumulum iam apud noſtros famis inualeſcebat anguſtia, quæ ad eſum carnis equinæ ſiue aſininæ magnos etiam viros & nobiles compellebat. Quippe bos vnus duodecim marcis; & quinq; ſolidis immò pluris modic⁹ panis emebatur; nec ſibi emptor prodigus videbatur, cùm magis de nimia ciborum venalium raritate, quàm de immodica ſoluendi pretii quantitate doleret. Sic vētri, famelico res, licet magni empta, paruo cōſtare videbatur, vnde famis remedia ſentiuntur.

Heu quid non cogit rabies famis imperioſæ!
Quanta nefanda iubet vis peſtis pernicioſæ,
Cùm nimis eſuriat ieiunans impatienter?
Nil ſibi turpe putat ſuadens immania venter.

Siquidem nonnulli ex noſtris tàm famis, quàm bellorum anguſtiati incommodis coacti ſunt apoſtatare, ſeipſos hoſtiū ſeruituti miſerè mācipantes. Sed melius temporali necis ſupplicio libertatem ſibi perpetuā acquirebāt, q̄ fame, ſiue corporis imbecillitate feſſi, nec iam vlterius valentes ꝓcedere, res ſuas diuidebant cæteris ad bella fortioribus vt ſtando pro fide fortiter dimicarent. Mox in formam CRVCIS ſolo proſtrati, ſic ſeipſos martyrio, tranſeunti exercitui exponebant.

Quàm feliciter perſeuerat, ſic ſeipſum offerens in ſacrificium, cuius conſtantiam timor necis à ſoliditate fidei non auellit.

Quàm benè pro Chriſto pugil in certamine fortis
Dimicat, & ſuperat ſic guſtans pocula mortis.
Perpetis hic vitæ cupiens attingere portum,
Lætus obit, gaudetq; mori feſtinus ad ortum.

Inter has tribulationes noſtri fortiter & miſerabiliter agonizando cum hoſtibus, peruenerunt ad fluuium quendam, vbi vicini lacus gurgitem influebat. Quibus rurſum inde caſtra mouentibus, Dux cum ſuis videns exercitui pone ſequenti graue & importabile bellum à tergo incumbere, conuertit ſe ad aciem patris ſui, & ſimul

cum illa reflexis loris rurſum equorum, ad hoſtes accelerans, agmina Turcorum irruptione bellica penetrauit.

De quibus centum ilico proſtratis, nonnullis quoque è noſtris fugàm illorum à terra præuenientibus, metu mortis mortem in gurgite incurrerunt. Haud procul inde mons quidam in media camporum latitudine ſitus verticem porrigebat in altum, ſub quo interea pars anterior exercitus iam tranſibat. Quæ deſuper laceſſita ab hoſtibus, mox colle alacriter aſcenſo, & vndique à noſtris celeriter occupato bellando plurimos interfecit. Sic propter duplicis laborem victoriæ, noſtri ea die non longo itinere proceſſerunt.

Inde rurſum aliquot diebus inter bella, aſſuetis vię laboribus inſiſtentes, ſacrato die PENTECOSTES in loco ſterili, & nudo paſcuis caſtra poſuerunt, ſic ipſius neceſſitatis articulo compellente. Rumor enim certus præconabatur [a] MELICH cum [b] d. millib' equitum appropinquantem ad prælium noſtris velle in craſtino obuiare.

Ad edictum igitur imperiale, vnius, ſed electi proceres & bellatores exercitus, conuocati ſimul in vnum coram Imperatore in forti, ſed miſerando habitu conſederunt. Quippe qui prius delicatè & ſplēdidè viuentes, ad tàm ſacratæ diei ſolennia præfomentari balneis, & mollibus veſtiri conſueuerant; modo longis attriti ieiuniis, in ſqualore, & armorum ferrugine, aſperioris vitæ incommoda ſentiebant; & ex eis multi iam facti pedites incedebant quotidiè loricati, vnde nimirum mala inaſſueta illos vexare durius videbantur. Siquidem

Cui venit in morem conſuetum ferre laborem,
  Fert tolerabilius iam tolerata prius.

[c] HERBIPOLENSIS verò Epiſcopus ſtans in medio illorum, indicto omnibus ſilentio ſic fari incepit:

„ De commonitorio veſtræ ſalutis aliqua vobis dicere & veneranda diei ſolennitas, & ipſa ingruens nobis neceſſitas me compellit. Ante aduentum ſpiritus ſancti, quem hodierna repræſentat feſtiuitas, diſcipulorum corda nōdum confirmata, adhuc ſub perfectæ charitatis ignorantia titubabant. Accepta verò illius conſolatione, mox igne diuini amoris ita accenſa ſunt, vt etiam pro nomine Chriſti diuerſa pœnarum & mortis pati genera non timerent. Hinc illorum paſſionibus adulta creuit Eccleſia; hinc prima & nouella Chriſtianitatis plantatio ſurrexit; poſtmodum ſanctorum MARTYRVM latius propagata exemplis. Nos autem, fratres chariſſimi, ſicut videm', quotidiè pro Chriſto in agone mortis & martyrio deſudamus; pro quo ſi mori-

[a] Tageno: Melach. [b] an legēdum, quingentis, an ducentis, an duobus? Tageno ait, Turcas innumerabiles veniſſe. Certè paulo poſt numerantur hic quadringenta millia Turcorum. [c] Godefrid. vocabatur Herbip. Ep.

morimur, & benè erit nobis, vitam acquirendo perpetuam, & morte noſtra titulus Chriſtianitatis poterit exaltari. Aliter enim fides noſtra non accepiſſet incrementum, niſi, vt præmiſſum eſt, ſanctorum exemplis Martyrum niteretur.

Faciamus itaque hoc tempus nobis pœnitentiale, nec in tabernaculis cordium murmuremus contra Dominum. Pro illo potius iſta patienter incommoda ſuſtinentes. Teſte etenim beato GREGORIO, vera patientia, quæ & ipſum amat quod portat. Nam tolerare, ſed odiſſe, non eſt virtus manſuetudinis, ſed velamentum furoris. Proinde ſic iam in arcto poſiti, neceſſe habemus propter peccata noſtra recogitare annos noſtros in amaritudine animæ noſtræ, vt in vera pœnitentia & confeſſione noſmetipſos ei pro quo hæc pati elegimus, placentem hoſtiam exhibere poſſimus. Ita pro certo idem Conſolator Spiritus, cuius aduentus hodiè recolitur, erit nobis adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis.

Confortamini ergò, orantes beatum *GEORGIVM, vt ipſius interuentu labores noſtros reſpiciat, nec vos deſerat in tempore malo Dominus Deus veſter.

**Tageno: inſpirauit in corda Epiſcoporũ, & ipſi populum excitarũt, & hortati ſunt ad implorandum Deũ, & S. Georgium.*

Nonne in ſacra legitur ſcriptura, vnum mille, & duos decem millia fugauiſſe? Fiduciam habete in Domino. Nam in brachio virtutis eius hæc facta ſunt. Nec vos pigeat laboris, in breui per illius miſericordiam gratius deſideratæ quietis ſolatium habituri. Siquidem

Poſt mala dulceſcit magis vſus deliciarum,
Dulce ſapit melius, ſi prægustetur amarum.
Sic optata ſalus poſt hæc mala noſtra leuabit
Omnia. Forſitan hæc olim meminiſſe iuuabit.

His dictis ipſe quoque Conſtantiſſimus Imperator omnes animabat, & exhortabatur ad pugnam. Mox omnes ſimul vna voce cantum bellicum extulerunt de more Alemannico, & reuerſi ad tentoria, diſcumbendo ad menſas tenues, citra ſaturitatem, & nimis exiliter cœnauerunt.

Mane facto celebratis MISSARVM SOLENNIIS ſinguli acceperunt *VIATICVM, & quoniam præter expectationem maioris belli ante imminentis, hoſtes vndique ſolitos attentabant aſſultus, tot' exercitus in formam trianguli per tres equitum acies ordinatur, primæ gubernandæ duo præficiuntur Epiſcopi, MONASTERIENSIS ſcilicet & HERBIPOLENSIS.

**Sacrã cõmunionem intelligit, ſicut & de alio die ait Tageno: audita ſacra miſſa, cõmunione accepta.*

Secundam retro à dextris moderatur IMPERATOR. DVX regit ter-

Digitized by Google

tertiam à ſiniſtris. Inter has vulgus imbelle ab vtroque latere ſtipatum militibus & peditibus incedit; baliſtariis & ſagittariis opportunè ad defenſionem exterius conſtitutis.

Interea vir quidam magnus in exercitu MELICH, brachium vnius TVRCI, q̃ nuper inuenerat cum lorica truncatum, domino ſuo MELICH obtulit, hæc dicens ad illum: Non ſunt imbelles dextræ, non enſes obtuſi, qui ſic hominem loricatum demembrant. Non eſt tutum tali genti talibus armis inſtructæ cominus in bello occurrere. Non eſt leue tã fortes milites, tã edoctos armorũ vſibus, armis in p̃lio ſuperari.

Præterea non modicum terroris poteſt incutere, illa TERRIBILIS CANDIDATORVM ACIES, quoniã & armis eiuſdem coloris ſic procedens videtur ad prælium expedita. Nam vbi tot ſimiles, quot putes eſſe alios diuerſi coloris, voluntate & animo bellandi conformes? Facili⁹, crede mihi, ex dilatione belli victoria nobis indemnis proueniet; & gens iſta ferrea ferro indomabilis, leuius ſine bello domabitur; vincetur fame, & in breui deficiet & tabeſcet.

De hac viſione paulò pòſt plura.

Poſt hæc verba MELICH nihilominus in ſua confidens virtute & multitudine, noſtris vi bellica obuiare parabat. Illi è contra propinquabant ordinatè, more bellantium, & cantu bellico diuinum implorantes auxilium, iam animati & velut obliti famis & laborum, pugnã deſiderio feruenti gliſcebant. MELICH verò, vt primam noſtrorum aciem ſic vidit intrepidè accedentem, & iam cominus parantem dextras bellicoſas ad pugnam exerere; mox cum tota fortitudine ſua cedens ad aciem Imperatoris diuertit.

IMPERATOR itaq; primæ aciei gradum ſiſtere præcepit DVCEM, & ad ſuum inuitans auxilium, quaten⁹ ſecũ in MELICH & exercitum eius inſurgere non differret. Et ſtatim inito conflictu, noſtri diuino freti iuuamine, in brachio extento TVRCORVM agmina penetrant & dirumpunt, obuiantia quæq; dantes in interitũ & ruinam. Ipſe quoq; MELICH deiectus ab equo, ſed heu nimis feſtino ſuorum reſurgens auxilio, iam fugam accelerat cum ſuis vſq; ICONIVM per abrupta & deuia propinquorum montium reuertendo.

In ipſo bello quidam eques ARMENIVS de exercitu MELICH ad noſtros ſe cõtulit, de LEGIONE CANDIDA, memoratam, TVRCI, præmiſſo modo, allocuti ipſum MELICH, referens viſionem.

* Quidam etiam potens in exercitu noſtro LVDOVINCVS nomine, vir vtiq; bonæ opinionis, & vita commendabilis, bonorum hominũ probatus teſtimonio, candem viſionẽ ſibi contigiſſe dicebat. Idipſum ſub

** Tageno videtur loqui de viſione hac. Cuidã etiam religioſo laico apparuit angelus, haſta proſternens Turcos. Et paulò pòſt S. Georgius cum S. Victore viſus eſt aliquoties cum agminibus Angelorũ nos comitari & adiuuare.*

ſub atteſtatione ſuæ peregrinationis & ſancti SEPVLCHRI perhibens; & CANDENTIS FERRI IVDICIO ſe paratum exhibens, ad pleniorem ſuper hoc fidem ac certitudinem faciendam.

Noſtri ergò ſuper his benedicentes & laudantes Dominum incedebant, lętiq; de triumpho nuper adepto. nondum tamen ſciebant, quanta ipſos manebat vicinæ noctis aduerſitas & ærumna.

Siquidem memoratus TVRCVS, qui erat ductor exercitus, ea die, prodigus vitæ ſuæ, vt mala mortis & perditionis ſuper noſtros induceret, ad loca inaquoſa & deſerta ex induſtria deuiauit.

Iam noſtris fame laborantibus, labor viæ prolixioris, & immoderatus ſolis æſtus, ardorem ſitis nimium incitabant. Vnde aliqui illorum auidè incubabant cadaueribus equorum in via deficientium, vt eorum ſanguine immoderatam ſitis anguſtiam temperarent. Quod videns mãſuetiſſimus IMPERATOR, ſuper his pietate motus, talia verba ſuis dixiſſe militibus memoratur: Siſtite gradum milites egregii, " quoniam libenter iſti vitam ſuam producerent. Sic ecce videtis, ſub- " ueniamus fratribus noſtris, ne pereant, & interimantur ab hoſtibus, " qui nos à tergo iam iterum inſequuntur. "

Inter has miſerias via longiore ferè vſq; ad noctis crepuſculum inceſſerunt. Hinc puluis & noctis propinquitas ſuperinducebant tenebras: inde hoſtes rediuiuis aſſultibus circumquaq; obſtabant. In loco ergò ſterili, carente omninò aqua & paſcuis, defiguntur tentoria, ſibi inuicem plus ſolito coniunctione funium intricata, propter hoſtes exterius impugnantes.

Heu quàm tenues ſomni, quàm inamœnum & ſiccum doloroſæ noctis hoſpitium! Vbi in locum quietis, labor, inedia, fletus, & eiulatio ſubierunt. Hi ſanguine de venis equorũ elicito; illi propria vrina; alii telluris ceſpites ruminando ſibi ſitis nimiæ q̃rebant leuamen. Præ nimio ſitis ardore minus cruciare famis anguſtia videbatur. Fit enim,

Quando ſuperueniunt mala vulneris aſperioris,
Immemores faciunt plagæ nos eſſe minoris.

Die poſtera vix expectata, noſtri inde miſerandum iter arripiunt, equos & iumenta plurima, fame & ſiti pereuntia, relinquendo. IMPERATOR verò ibidem rumore accepto, de quorundam apoſtaſia, ſic ad noſtros dicitur fuiſſe locutus:

Oportet in exercitu noſtro cribrari granum de palea & mundari. " Vix aut nullatenus aliqua nobis arrideret fortunæ ꝓſperitas, quãdiu " iſti eſſent apud nos, qui ſic apoſtatando, filios perditionis & diaboli ſe " demonſtrant.

Noſtris

Digitized by Google

Noſtris in hunc modum laborioſè progredientibus, tandem, ſicut venantes fugiens ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ſic aqua paluſtri viſa de longe mox illuc gens properat ſitibunda; cui latex paluſtris & corruptus potum ſapere nectareum videbatur. Ibi propter gramen ad recreationem exercitus qualemqualem, noſtri duabus noctibus remanſerunt. Vbi ab hoſtibus ſuperuenientibus circumquaq; obſeſſi: & omninò carentes lignis ad ignis materiam, de propriis veſtibus, & equorum ſubſelliis fouendo ignem fumoſum; carnem equinam ſiue aſininam ſtudebant vtcunque decoquere. Et ſic ad famis remedium maiores viri, nedum minores, malecoctis, & miſerabilibus veſcebantur pulmentis, abſque ſalis & piperis condimento. Quidam quoque ad mitigandam ventris eſuriem, herbis & effoſſis de terra radicibus vtebantur.

a Tageno: Id. Maii, ſicut præmortui, itinerãtes, aquã in paluſtrib. locu inuenimus, & in illu equi aliquantulũ refocillati ſunt. Ibi Magnus Melach Satrapa Soldani, miſſo legato, dixit: Si Imp. noſter & exercitus darent 300. centenarios auri, & terrã Armeniorũ, velint Turci trãſitum concedere, & poſt tres dies forum exhibere.

In tanta eis malorum accumulata congerie contigit legatos SOLDANI, pace impetrata, ad a IMPERATOREM accedere, ſic dicentes:

A MAGNO SOLDANO ET SATRAPIS miſſi venimus, quatenus ſi pace illorum & miſericordia illorum frui deſideras, eis trecenta auri centenaria incunctanter tranſmittas, alioquin cum tota ſua fortitudine cras procul dubio bellum tibi indicet.

Quibus IMPERATOR reſpondit; non eſſe ſui moris, velle redigi ſub alicuius tributum. nec dignum videbatur, viam peregrinorum Chriſti, apud aliquem pretio debere conduci.

Legatis itaque inde abeuntibus, noſtri vehementer anxiati ſunt, & multorum animi coram IMPERATORE, circa deliberationẽ ſanioris conſilii cœperunt ab inuicem diſſentire.

Quibuſdam enim tutius videbatur, in quantum procedendi facultas ſuppetebat, de terra hoſtium feſtinare in ARMENIAM ſine expectatione ICONIVM trãſeundo. Cùm tanta ciuitas à tàm paucis b poſſe expugnari credatur: tot præcipuè intus & extra rebellantibus; à quibus etiam in campis mediis, gens noſtra clauſa & obſeſſa quotidiè, vix poterat ſe tueri.

b fort. non poſſe.

Quiſquis verò animoſior & fortior, in contrarium ſuadendo dicebat: Etiamſi hoſtes bello ſuperſedeant; nobis tantùm victualibus denegatis; ſic tamen, vt vides, procedere, & diu viuere non valemus. ARMENIA adhùc nimiùm longè diſtat; & equis noſtris innumerabiliter deficientibus nos ipſi deficimus, longiore fame, & miſeria iam deuicti. Nobis magis expedit audacter pugnando, honeſtiùs in bello occumbere, quàm trepidè languendo morte deficere tàm ignaua.

Equi-

Digitized by Google

Equidem nullus adeò timidus, quin ſemel malit cadere, quàm ſemper pendere. Malo ſemel mori, quàm ſæpius, & ſine meta.

Aut cita mors veniat, precor, aut victoria læta.

Hoc demùm ab omnibus approbato conſilio ipſe Chriſtianiſſimus IMPERATOR publicè votum vouit, Domino ſe fundaturum BASILICAM ad titulum beati GEORGII, ſi per eius auxilium à Deo ſibi concederetur euincere neceſſitatem eminentem.

Inde ſimul percepta conſolatione, & fiducia concepta ex prædicatione HERBIPOLENSIS EPISCOPI, ad vrbem iter arripiunt; & prope illam aliquanta hoſtiū prius ſtrage peracta, caſtra ponunt iuxta * hortum ferarum.

* *Tageno: Imp. licet clam angebatur de caſtris craſtinæ diei, quæ habere propoſuit in ferali horto & viridario Soldani, dixit amicis ſuis: Si cras, Deo iuuāte, proſperè tentoria figere poterimus, maximum erit argumentum tranquillitatis futuræ.*

Vbi ſuper tàm vrgentiſſima neceſſitate inito rurſum conſilio, inter ſe deliberant, & diſponunt, quomodo in craſtino procedant ad pugnam.

Præ nimia paucitate militum, armis militaribus & equis adhuc nitentium, qui in toto exercitu, vix mille poterant æſtimari. Omnes equites, pro vt poſſunt, æqualius in duas tantùm acies diuiduntur. vna vt ad vrbem expugnandam antecedat, DVCI committitur; altera ſubeſt IMPERATORIS regimini, extra vrbem quadringentis millibus Turcorum equitum obſtatura. De cuſtodia verò ſarcinarum, & vulgi imbellis, nihil aliud reſtat ordinandum; niſi vt inter bellorum euentus, ſine aſſignatione militaris præſidii, fortunæ caſibus exponantur. vbi inter milites duo reperiebantur fratres, vnus in acie vna, alter conſtituebatur in altera; hinc pietate fraterna ad lacrymas vtroque commoto.

Dum iſta inter eos de ordinatione belli, pro vt melius datur perficere, ſtatuuntur, IMPERATOR DVCEM inter hæc ſi affatur;

FILI vtrique noſtrum grandis incumbit ſarcina; tibi vrbem expugnando; mihi tot hoſtes exterius ſuſtinendo. Quidquid igitur ſiue bonum, ſiue ſiniſtrum ambobus accidat, nullum tibi feram præſidium, nec aliquod à te ſubſidium expectabo. Tu autem ſatage quatenus ad inuictæ virtutis exercitum te inuitet, & vrgens neceſſitas, & probitas indefeſſa.

Omnibus verò grauiter hoc edico, vt nemo ante conſummationem belli prædam appetat, aut cōtingat; nullus cadentem amicum ſubleuet, ſed conculcans illum ad hoſtes debellandos tranſeat viriliter procedendo. Qui aliquid habet alimentorum, ſubſidium impertiat non habenti. cras enim, quidquid nobis contingat, ditabimur om-

» nes. Quia vel de hoſtibus triumphando, alimentis & ſpoliis eorum re-
» plebimur; vel moriendo pro Chriſto, cum ipſo bonorum cœleſtium
» vbertate fruemur.

Poſt hæc verba cum ſolis occaſus nocturnas ſuperinduxiſſet tenebras, & iam cuncti in ſollicitis iacerent cubilibus; mox velut deſuper ruptis cataractis cœli, tàm grauiter infeſtantur imbribus & tonitruis, vt præ nimia imbrium inundantia, de ſtratis ſurgere compellantur. & modo de nimis aquoſo queruntur hoſpitio, quos malè prius vexauerat inaquoſum.

Poſt tàm pluuioſæ verò noctis intemperiem, cœlo nubibus deterſo, & ſole matutino iubar clarius effundēte, omnes celebrato MISSARVM OFFICIO COMMVNICANT. Et madidantibus vix collectis tentoriis, præſcripto ordine procedunt ad bellum.

Procedunt pariter, tendunt ad prœlia læti.
Sic animoſq; viroſq; dabat fiducia leti.

Hæc videns SOLDANVS iam ſibi & vrbi timendo; IMPERATOREM de pace per nuncios requiſiuit. Imperator verò ſole iam altiore incipientem æſtum die ſentiens imminere, mandauit DVCI, quid ſtaret, quid moraretur ingredi vrbem. Ac ſi id paruum ac facilè videretur.

Duce igitur procedente, & TVRCIS obuiantibus, ante portas vrbis bellum ingens committitur. Et iam aliqui ex noſtris, qui quodam anguſto tranſitu inter foſſatum & muros vix proceſſerant, à nimia TVRCORVM obuiantium denſitate, & telorum grandine retrocedere compelluntur. Cùm ipſe DVX fugam illorum arguit in hunc modum:

» O viri ſtrenui, quorum animoſitas, & virtus per multa bellorum
» diſcrimina huc vſque ſatis enituit; vt quid modò ad ignominiam ſan-
» ctæ CRVCIS, & veſtræ PEREGRINATIONIS, velut degeneres & trepidi,
» ſic vitando bellum ante vos, fugitis in interitum; cùm retro maior
» hoſtium denſitas parata ſit excipere fugientes. Nuſquam patet fuga.
» Hic neceſſe, vt ipſa ſtrenuitas veſtra ſit nobis refugium. Hic totis viri-
» bus eſt nitendum. Eia milites egregii, redite ocius ad pugnam, & ve-
» ſtram incitet audaciam illius diei memoria, qua SALVTIFERÆ CRV-
» CIS SIGNACVLVM aſſumpſiſtis.

His verbis cuncti pariter animati ad bellum redeunt, à quibus mox TVRCORVM agmina, qui prius acriter oppugnabant, per portas ſe infra ſepta murorum recipiunt fugiendo.

Sic

Digitized by Google

Sic tandem noſtri bellica, immo diuina virtute, effractis portarum liminibus, & mœnibus aſcenſis irrumpunt.

Dum itaque DVX intus vrbem occupat expugnatam; IMPERATORI, adhuc illius ſtatum & victoriam belli, quæ ſibi proſperè ſucceſſerat, neſcienti, & extra vrbem, cogente neceſſitate, interea cum hoſtibus decertanti, ſimiliter triumphus arridet.

Quis hoſtium ſtragem enumerare, quis valeat opes & ſpolia duplicis æſtimare triumphi? Præda accepta in ſolo palatio MELICH, æſtimata eſt ad a decem millia marcarum. Et hæc contra noſtros à SALADINO illuc miſſa fuerat, ad opus ſtipendiorum exercitus conducendi.

Qui paulò antè fuerant egentes & miſeri, modò inuentis equis, mulis, aſinis, & à fructu frumenti, vini, & olei multiplicati ſunt & ditati.

Sic optata quies feſſis datur; & nimiorum
Creticus ille dies noſtris fit meta malorum.
A cunctis igitur de tanto iure trophæo
Redditur, & canitur b gratia, lausq; Deo.

SOLDANVS & MELICH, vt viderunt ſe in foueam, quam fecerant, cecidiſſe; de oppido in quo erant, ſed magis de ſe ipſis timentes, conturbati ſunt, & commoti; ſcilicet timor apprehendit eos. Miſerunt ergò nuncios ad Imperatorem dicentes:

SOLDANVS culpam ſuam, & tuæ manſuetudinis lenitatem attendens, adhuc apud te de venia non diffidit cum ad rumpenda antiqua amoris fœdera, prius ſuggeſtionibus, & vi ſuorum coactus ſit, vt vir iam annoſus, decrepitus & imbellis, pro pace & miſericordia tibi ſupplicat; vt ſibi, ciuitati & terræ ſuę tua parcere dignetur maieſtas. Pacem ſecuriorem, & ſufficiens forum equorum & victualium vſque ad exitum regni ſui promittit. Ad certitudinem ſuper his habendam; paratus, excepta ſola perſona MELICH filii ſui, obſides, quantoſcunque volueris, exhibere.

IMPERATOR ſuper his communicato peregrinorum conſilio, attendens hinc nimiam adhuc hoſtium multitudinem, inde noſtrorum paucitatem, qui vrbi tenendæ, & terræ occupandæ non valebat ſufficere; nec aliundè CHRISTIANÆ gentis auxilium expectabat; hæc locutus eſt ad legatos:

SOLDANVS de pace immeritò nos requirit; ſiquidem plurima „ nobis iam dudum bona promiſerat, nos ad terram ſuam officiosè „

a Tageno: aurum & argentum plus quàm 100000. marcarum inuenta in domo magni Meloch, theſaurus maximus, quē à Soldano cum filia illi dos datus erat.

b Tageno: Sequenti die 14. Kal. Iun. gratias egimus Deo, Miſſa, Churna Dei diffuſa, & Epiſtola, in qua Iconii mentio facta eſt.

„ inuitans. Sed vbi nunc illa bonorum promiſſio? vbi obſequia præmãdata? MELICH cum tota fortitudine ſua nobis venit obuius; & illius „ agmina malis & ingratis ſtipantia nos obſequiis, circumdederunt nos ſicut apes. Aurum SOLDANI verſum eſt *a* in ſcoriam, & malè exinanita eſt fides illius, ſimplicitati dolum, paci bellum, odium dilectioni rependens.

a Tageno alibi etiam hac phraſi vtitur, 4. Non. Maii &c. aurũ Soldani & amicitia ſit verſum nobis in ſcoriam.

Attamen de his omnibus liberauit nos Dominus, qui ciuitatem hanc dedit in manus noſtras; & redemit nos ab his, qui oderunt nos iniquè.

Verùm quia ſupplicat, vt pax & miſericordia noſtra fiat ſuper eum, precibus illius flectimur; ſi tamen ea, quæ à vobis ſunt propoſita executioni mandentur.

Legatis reſponſum hoc in oppidum reportantibus, ab his qui intus erant, fit ingens lætitia, datiſq; obſidibus pacis, & mercati promiſſio confirmatur. IMPERATOR à SOLDANO, DVX à MELICH donatiuis plurimis honoratur magnificè.

Deinde noſtri poſt dies aliquot, accommodatos quieti, egrediuntur vrbem, quadriduanis mortuorum cadaueribus iam fœtentem: & caſtris haud longè poſitis, quatuor diebus mercatum à TVRCIS recipiunt, tàm in equis, quàm victualib⁹ quilibet ſibi neceſſaria comparantes.

Mox inde quatuor dierũ itinere peruenerunt ad vrbem dictam vulgò *b* LARENDAM, quæ diuidit ARMENIAM à LYCAONIA. Illuc vſque quædam TVRCORVM agmina illos inſecuta deinceps penitus ab infeſtatione ſolita deſtiterunt.

b Tageno; 3. Kal. Iun. venimus in ciuitatẽ Larandã, quæ diuidit Ciliciam, id eſt, Armeniã à Lycaonia. Iconiũ enim caput eſt Lycaoniæ.

Ibidem quoque exercitu dormiente in caſtris noctis canticinio auditus eſt veluti ingens & terribilis armorum ſtrepitus & tumultus. Vnde vniuerſi protinus expergefacti & attoniti, inquirendo quid illud eſſet, nullatenus addiſcere valuerunt. Quod tamen poſtmodum à ſapientibus memoratum eſt, vicini infortunii augurium extitiſſe.

Poſtquam exercitus gentis noſtræ à primo ingreſſu ARMENIÆ quatuor dierum itinere via difficili proceſſiſſet, gaudens ſe de tantis bellorum diſcriminibus; & proditionum laqueis ereptum, quaſi per ora leonum, terram ſecuritatis iam attigiſſe, die quadam infauſta nimium, & nouercante fidei Chriſtianæ, inopinatus & triſtis caſus repente illius citharam conuertit in luctum.

Erat vtique via nimis arcta & difficilis nunc per abrupta & crepidinem montium, nunc per ima vallium, ſecus deſcenſum fluuii præterflu-

Nemo referre poteſt famẽ, ſitim, perfidias, fraudes, inſultationem, clamores die noctéq; ſine intermiſſione, quæ pertulit hilari animo Imperator & exercitus pro Chriſto

terfluentis ciuitatem SALEPH; & peregrini laborioſè gradientes nimio caumate laborabant.

Quibuſdam ergò equitibus de ſubſequente agmine Imperatoris prætentantibus, ſi fluuium vſquã vadabilem inuenirent, IMPERATOR diſſuadentibus his, qui ſecum erant, ad refrigerandum ſe & lauãdum inreuocabiliter fluuium intrauit, & cùm ſeipſum ad tranſnandum expoſuiſſet, mox in amne medio feſſus, & iam incipiens mergi, cuiuſdam ſui militis, qui ſecum aquas intrauerat, opem miſerabiliter inuocauit.

Cui feſtinanter ille affectans ſuccurrere in mediis vndis eum arripuit; ſed tandem amnis impetu præualente ab eo vi auulſus, naufragium vix euaſit.

Alius verò equo inſidens, celeriter, ſed ſerò IMPERATOREM fluitantem in gurgite comprehendit. Et ſic, proh dolor, IMPERATOR exercitus ad conturbationem & detrimentum exercitus expirauit.

O quàm dirum, quàm miſerabile CHRISTIANÆ gentis infortunium! cuius peccatis exigentibus ſic iuris & fidei columna deiicitur. O fatalis & odioſus fluminis alueus! in quo totius lumen extinguitur probitatis. In paruo gurgite caput, & ſumma totius orbis intercipitur, cuius ....

Deſunt reliqua.

Tageno: iuxta prædictam aquam Selephica nomine Or, telius in theſauro geogr. verbo, Calycadnus hæc de iſto fluuio: καλύκαδνος Ciliciæ fluuius, Ptolemæo. Quidam Calydnum vocat, vt Stephanus ſcribit, Seleuciam adluere ſcribit Ammianus 14. Niger Saleſo appellat. Forte Salepho, quem Matthæus Pariſius Saphet nominat; alii Selephium, vt Auguſtinus, Iuſtinianus in ſua Genuenſi hiſtoria, qui eum addit hoëſe del Ferro vocari,

Digitized by Google

Nobiliſsimi

GVILIELMI DE BALDENSEL EQVITIS AVRATI Hieroſolymitani HODOEPORICON AD Terram Sanctam Anno 1336.

AB

ipſo ſcriptum, rogatu

Thalayrandi Comitis Petragoricenſis,

S. R. E. Presbyteri Cardinalis

VNA CVM

EPISTOLA AD

Petrum Abbatem Aulæ Regiæ

Ciſtercienſis Ordinis

Diœceſis Pragenſis.

Nunc primùm editum ex m. ſ. codice

Admodum Reuerendi & Cl. V.

Matthiæ Eberſpergeri, S. Theologiæ Doctoris

& Eccleſiæ Collegiatæ ad SS. Iacobi & Tiburtii

Straubingæ Decani.

Digitized by Google

PEramantiſsimo Patri, ac Domino ſuo, Domino PETRO, ABBATI AVLAE REGIAE, CISTERCIENSIS ORDINIS, PRAGENSIS DIOECESIS, GVILIELMVS DE BALDENSEL, MILES IN COELESTI HIERVSALEM, iocundari perpetuò vnà ſecum.

Accepti beneficii immemor eſſe nolens, mēte reuoluo ſedula, beneficiorum, & curialitatum opera, quæ in anno præterito in domo veſtra, AVLA REGIA, hilariter & benignis affectibus, plus quàm duobus menſibus, mihi & meæ familiæ oſtendiſtis. Et volente Domino eiſdem exhibitionibus, cùm ad vos reuerſus fuero, gratuitè & omni ſtudio reſpondebo.

Et nunc quidem apud Dominum meum, Dominum THALAYRANDVM PETRAGORICVM, TITVLI S. PETRI AD VINCVLA, PRESBYTERVM CARDINALEM, IN CVRIA AMMONIS moram facere me adhuc oportet amplius, quàm *eò quòd Dominus meus multum fuit de meo aduentu, de ſua gratia, iocundatus, & negotia mea omnia, de quibus apud vos exi-

** fort. centum dies. nam deſiderari videtur aliquid. nihil autem in m. ſ. intercedit inter vocabula* Quam, *&* eò quòd

exiſtens dixeram vobis, ad finem iam diſponit & ordinat præoptatum.

His finitis, per COLONIAM AGRIPPINAM, propter quædam negotia ibidem determinãda, rediens ad vos, in AVLAM REGIAM reuertar, (volente Domino) perpetuò permãſurus. Trahit me ad vos amor veſtri: allicit me dulciſsima habitatio domus veſtræ, & præcipuè veſtrorum deuotio filiorum, & nil me retrahere poterit, niſi mors ſola.

Veruntamen libellum meum, quem ad inſtãtiam præfati Domini mei CARDINALIS de ſtatu TERRAE SANCTAE compilaui, vobis, vt rogaſtis, & ego promiſi, per FRANCISCVM CRISTAM, DE PRAGA, ſeruitorem meum, tranſmitto, in ſignum maximi mei deſiderii & amoris, vt interim de terra ſancta aliqua legatis in litteris; & ego cùm venero, vbi neceſſe fuerit, verbis luculentius explanabo.

Chriſtus vos cuſtodiat in æternum. Datum Ammoniæ. Anno Dom. M, CCC. XXXVII. in die S. Michaëlis.

INCIPIT PROLOGVS IN LIBRVM DE QVIBVSDAM PARTIBVS VLTRAmarinis, & præcipuè de Terra ſancta.

Pſal. 47. SICVT *audiuimus, ſic & vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei noſtri. Deus fundauit eam in æternam.* Pſal. 23. *Quamuis Domini ſit terra & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuerſi qui habitant in eo; tamē* HIERVSALEM *ciuitas Dei ſpecialiter dicitur, & termini eius, hæreditas Domini ſingulariter appellatur; quia priuilegio gratiæ ſalutaris hæ partes à* DEO *prælectæ ſunt filiis ab ipſo adoptatis hæredibus à principio repromiſſæ, & tandem deuotæ, tāquam paterna hæreditas, liberè poßidendæ.*

Elegit enim Dominus Sion: elegit eam in habitationem ſibi; in tantum, vt expreſſè ſub- Pſal. 131. *iunxerit; Hæc requies mea in ſæculum ſæculi; hîc habitabo, quoniam elegi eam. Quia licet ſpi-*

ſpirituales ſubſtantiæ loco non circumſcribantur, & inſuper Deus nec loco terminetur: illic tamen potiſſimum eſſe dicuntur, & ideò partes ipſis maximè deputantur, vbi, & in quibus operationes & effectus virtutum ipſarum magis contigerit apparere.

Vnde quia diuinitatis opera, tàm tempore iuris naturalis, quàm Moſaicæ legis, & gratiæ Euangelicæ in prædictis partibus vltra naturæ curſum humano generi ad ſalutẽ proſicua, gratioſè à Deo ſunt exhibita; ita vt non immeritò nomen hæreditatis ſortitæ ſint; & ipſas inhabitaſſe Deum ſingulariter, & inhabitaturum etiam mirabiliter in fine ſeculi, profitemur.

Cùm igitur tantò perfectiores ſimus, quantò magis Dei imitatores ſumus, & præcipuè Chriſti Ieſu, qui ad hoc miſſus eſt, vt ipſius, quantum poſſibile eſt, veſtigia ſequamur facta; ciuitatem prædictam & terram, in qua verbum caro factum eſt, filius quoque Dei *viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt, ex corde præ cũctis aliis terris affectuoſiſſima electione prædiligere debemus, & cum Propheta*

continuè dicere, ad ipſam deuotius aſpirantes:
Pſal.131. Adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius.

Vnde multi gentilium ante Chriſti aduentum, & poſt eum infideles, qui ex ſcriptura, vel vniuerſali fama aliquid diſcere potuerunt, prædicta loca, tanquam ſingularem Dei domũ, & electum habitaculum deuotiſsimè viſitârunt, & continuè viſitant, & quaſi opinantes quod in his terris noſtram ſalutem Deus ab initio figuraliter inchoauit, & in fine temporũ, velo abducto figura, ipſam feliciter cõſummat; Chriſto Dei filio hoc atteſtante, in cruce, cùm
Ioan.19. diceret: Conſummatum eſt; cùm nihil circa noſtram ſalutem omitteret, ſed ſingula ad ipſam opportuna remedia cõuenientiſsime adhiberet.

Et cùm patria, tanquam generationis principium, ab omnibus naturaliter diligatur, & in tantum diligi debeat, vt ſecundum ſapientis auctoritatem, pugna pro ſalute ipſius ſit vtiliter & laudabiliter aſſumenda: non immeritò quilibet Chriſtianus tenetur TERRAM SANCTAM, & à Deo praelectam, ampliori amore, quàm propriam patriam diligere. Quia ſicut vniuſcuiuſque ex ſua propria patria proceſsit gene-

Digitized by Google

generatio in Eſſe naturæ; ſic ex illa omniũ noſtrum proceſſit generatio in Eſſe gratiæ, nobiſq́; obeſſet generatio, ſi regeneratio non adeſſet.

Vnde commune eſt Chriſtianorum, vt diligamus communiter Chriſtianos, ſcientes, quòd commune bonum diuinius appetibilius exiſtit affectui ordinato. Vnde Propheta nos ſingulariter hortatur, vt rogemus, quæ ad pacem ſunt Hieruſalem, & cætera, quæ ſequuntur. Pſal. 121.

Hanc benedictam terram, nobis Chriſtus moriens mortis teſtamento reliquit, & aſcendens in cœlum eleuatis ſuper eam manibus, tãquam veris filiis Abrahæ, quos Deus ad hanc terram venire, & inhabitare iuſſerat, confirmauit. Luc. 24.

Ipſam igitur tanquam patriam & hæreditatem, ex fide Chriſti mihi quodammodo debitam, à pueritia viſitare deſideraui, vt viderent teſtes oculi, quæ propoſita ſæpius erant auribus, vt cum Propheta, verba primò propoſita poſſem dicere confidenter; ſicut audiuimus, ſic & vidimus. Pſal. 47.

Illa igitur, quæ vidi, & ordinem locorum, quem mihi curſus peregrinationis meæ obtulit,

diuina permittente clementia, vobis Pater ac * DOMINE REVERENDISSIME, *fideliter exprimam, vt à me veſtra praclara ad Deum & ad terram ipſius deuotiore quiſiuit.*

* Alloquitur Cardinalem Thalayrandum, qui quis fuerit, accipe ex Alfonſo Ciacconio: Thalayrandus Comes Petragoricenſis, Gallus, ex Epiſcopo Antiſſiodorenſi, presbyter Cardinalis S. Petri ad vincula tt. S. Eudoxiæ, poſtea Epiſcopus Albanus à Clemente VI. creatus, legatus in Gallias bis, primùm cum Guidone Portuenſe, deinde cum Nicolao Capoccio Cardinale, pro pace inter Reges Francorum & Angliæ, Auunculus Caroli Dyrrachii Ducis, Ioannis Regis Roberti fratris filii, quem Mariæ nepti Regis Roberti, Ioannæ reginæ ſorori matrimonio iungi procurauit, diſpenſatione à Clemente VI. obtenta. Hæc Ciacconius lib. de Pontif. geſtis in Ioanne XXI. fol. 691. vbi plura.

I. EGRESSVS igitur de ALEMANIA, terra natiuitatis meæ; & pertranſiens LOMBARDIAM, ad littus maris Mediterranei propè ciuitatem, quæ NAVLVM dicitur, in ripariis IANVÆ ſituatam, proſperè perueni. Vbi galeam benè armatam aſcendi, & ad proſequēdum iter Vltramarinum, nautæ remis & velo ſollicitè inſiſtebant.

Dicitur hoc mare, MEDITERRANEVM; quia principalibus mundi partibus, ſcil. ASIÆ, AFRICÆ, & EVROPÆ interiacet; ipſas, ſe, & ſuis brachiis ab inuicem ſeparans & diſtinguens. Habet enim ab occidente & ſeptentrione EVROPAM, & ad Orientem ASIAM; ad Auſtrum, A-

PHICAM: & vno brachio eius, quo attingit HISPANIAM, & ſtrictum DEMORACH vulgariter dicitur.

Continuatur hoc mare Mediterraneum cum Oceano, mari ſcilicet maximo, quod orbem circũfluit: altero verò eius brachio, quod HELLESPONTVS dicitur, ſeu BRACHIVM S. GEORGII, continuatur, quodque nullam habens inſulam, vnde & maius nuncupatur.

In hoc mari B. CLEMENS PAPA ſubmergitur prope CHERSONAM, & habitaculum eiuſdem, martyri Angelicis manibus præparatur, in modum templi marmorei.

Eſt autem mare verſus Orientem vltra ciuitatem SARA, quam tenet TARTARVS DE AMMONIA, quod CASPIVM dicitur. Hoc nunc OCEANO, nunc mari MEDITERRANEO, nunc PONTICO, aliquo apparenti brachio copulatur. Aſſerunt tamen quidam, quod per gurgitem ſubterraneum, mari PONTICO, quod ſibi propinquius eſt, & per conſequens cæteris maribus continuetur. Hoc BRACHIVM S. GEORGII dicitur, quod diuidit EVROPAM & ASIAM minorem, quæ maioris Aſię prouincia eſt. Hoc brachiũ vulgariter BVTTA CONSTANTINOPOLITANA dicitur, eò quòd ſuper ipſum in littore EVROPÆ, egregia ciuitas CONSTANTINOPOLIS, quæ & NOVA ROMA dicitur, ſituata ſit. *Vide Leunclauium in pandect: hiſt. Turcicæ c. 128.*

Hæc ciuitas ſolenniſſima in optimo mundi loco, tàm ratione aëris, quàm terræ conſtructa eſt; portum habet maximum, & optimum, muris fortiſſimis cingitur; figuram habet trianguli, cuius duo latera verſus mare ſunt; tertium verſus terram.

In hac ciuitate multæ ſunt Eccleſiæ, & fuerunt plures, ſupra modum pulchræ, opere Moſaico, marmoribus, & ſingulari modo conſtruendi mirabiles: pluraq; ſunt palatia pulcherrima in eadem. Tenet tamen principatum in ipſa ciuitate Eccleſia S. SOPHIÆ, id eſt, Sapientiæ, quæ Chriſtus eſt; quam IVSTINIANVS SS. Imperator fundauit, & immutabiliter ſingularibus prærogatiuis decorauit. Credo, quòd ſub cœlo, poſtquàm mundus creatus eſt, non fuit tale ædificium completum, quod huic poterit in nobilitate & magnitudine, cæteris paribus, comparari.

Coram iſta pretioſiſſima Eccleſia, ſtat imago Imperatoris IVSTINIANI æquiſſimi, de ære fuſa, imperiali diademate coronata, tota deaurata, maximæ quantitatis, manu ſiniſtra, POMVM, quod orbem repræſentat, CRVCE ſuperpoſita, tenens; dexterâ contra Orientem leuans ad modum principibus minas rebellibus imponentis. Statua, ſuper quam imago poſita eſt, altiſſima eſt, ex petris magnis, & cæmento fortiſſimo conglutinata.

In

In hac ſacra vrbe vidi ex mandato Domini Imperatoris magnam partem CRVCIS Dominicæ, TVNICAM Domini inconſutilem; item SPONGIAM, CALAMVM, & vnum CLAVVM Domini: Corpus B. CHRYSOSTOMI, & plures alias Sanctorum RELIQVIAS venerandas.

Vbi verò hoc brachium deriuari incipit à mari mediterraneo ſuper littus Aſiæ minoris, fuit TROIA, illa antiqua & potens ciuitas conſtituta. Pulcherrimum locum habebat, & planum, & aſpectũ verſus mare latitudine generoſum. Portum bonum non videtur habuiſſe, ſed in quodam fluuio, mare circa ipſam influente, aliqua nauigia poterant conſeruari. Propter vetuſtatem temporis tantæ ciuitatis veſtigia vix apparent.

Sic igitur proſpero nauigio, annuente Deo, ad has partes TROIÆ perueni, poſtquam de ciuitate NAVLI procedendo perluſtraui littora LOMBARDIÆ, ac TVSCIÆ, CAMPANIÆ, CALABRIÆ & APVLIÆ, & trãſiui famoſas ITALIÆ inſulas, CORSYCAM, SARDINIAM, & SICILIAM. Et poſtquã tranſiui ſinum, ſeu mare ADRIATICVM, quod hodiè GVLFVS VENETIARVM appellatur, qui ſinus tempeſtuoſus eſt, diuidens ITALIAM & GRÆCIAM in hac parte.

Et poſtquam circa littora ipſius Græciæ nauigando luſtraui ACHAIAM ATHENARVM prouinciam, Philoſophiæ matrem, ac MACEDONIAM, ceteraſq; GRÆCIÆ partes, quæ ROMANIA vulgariter nuncupatur.

Poſthæc procedens de TROIÆ partibus, inſulas GRÆCORVM, ASIÆ, & littora minoris ASIÆ diligẽtius perluſtraui. Deinde ad inſulam CHIO, vbi maſtyx creſcit, & vt dicitur, nuſquam aliàs. Gummi eſt fluens de arboribus paruulis, punctuatur punctura inſtrumenti in cortice apertis tempore opportuno.

Poſthæc perueni ad inſulam PATHMOS, vbi ab illo dilectiſſimo Chriſti diſcipulo, liber APOCALYPSIS ſcribitur, dum in ipſa inſula vir ſanctiſſimus eſſet exilio relegatus.

Poſthæc perueni in EPHESVM, vbi beatiſſimus Apoſtolus & Euangeliſta IOANNES deceſſit & ſepultus eſt. In quo loco ſupra monumentum eius, pulcherrima & magna Eccleſia conſtructa eſt, plumbo coöpta, ad modum CRVCIS extenſa, opere Moſaico & marmoribus ſolenniter decorata.

Eſt autem ciuitas EPHESINA in loco pulchro, forti, & fertili collocata, diſtans à mari ad pauca milliaria. SARACENI, qui TVRCI appellantur, tenent ipſam, & quaſi totam maiorem ASIAM, CHRISTIA-

Digitized by Google

NIS inde expulſis, occiſis, & in ſeruitutem redactis; Eccleſiis, (de quibus in Apocalypſi fit mentio) pulcherrimis deſtructis; niſi quòd Eccleſia B. IOANNIS EVANGELISTÆ, in qua ſepulchrum eius vidi retrò maius altare, integra conſeruata, ipſam ſuo prophano cultui ſecundum legem MAHOMETI applicârunt.

Et poſtquam minor ASIA à TVRCIS eſt capta, nomen priſtinum perdidit, & generaliter TVRCIA ab iniquis eius inhabitatoribus nominatur.

Inde procedens, multis inſulis hinc inde luſtratis, (quia valdè multæ inſulæ in hac parte maris ſunt, quondam benè habitatæ, & diuitiis abundantes, & nunc per TVRCOS plurimùm deſertæ) perueni in ipſa minori ASIA propè maris littus ad vrbem PATARAM, vnde B. NICOLAVS traxit originem, & poſt in MYRRHÆAM ciuitatem, vbi diuino nutu poſtea fuit in Epiſcopum electus & ordinatus. Hanc prouinciam ille B. Confeſſor miraculis innumeris illuſtrauit.

Poſthæc vidi CRETAM famoſam inſulam, atque RHODVM inſulam, FRATRVM HOSPITALIS S. IOANNIS HIEROSOLYMITANI, quàm vi armorum CONSTANTINOPOLITANO imperio abſtulerunt; vbi nūc maiorem conuentum ſuum tenent, & ipſam caput Ordinis ſtatuerunt. Locus eſt ſanus atque delectabilis, non multum à TVRCIA maris brachio ſeparatus.

Inde proceſſi verſus CYPRVM. Hæc inſula optimi vini ferax eſt; vnde ſponſa in canticis ſponſum botro CYPRI in vineis ENGADDI voluit comparare. *a* Hæ vineæ ſunt in CYPRO, propè ciuitatem NICOMOSAM, & hodiè ENGADDIA ab incolis nominantur.

a Sequitur ſententiam, quæ tertia eſt apud Delriū in cantica c. 1. ſect. 1. in litera, qui quid ſentiendum, luculenter docet.

Vina CYPRI creſcunt rubea, & poſt annum albeſcunt; & quantò veteriora ſunt, tantò magis albeſcunt, & redolent; ſana ſunt, & fortiſſima, & ſine multæ aquæ appoſitione potui vix apta. Eſt in CYPRO in quodam alto monte apud Monachos S. BENEDICTI, CRVX BONI LATRONIS, & pars CLAVI Domini, & aliæ RELIQVIÆ venerandæ.

Item in CYPRO eſt corpus B. HILARIONIS ſub cuſtodia Regia in caſtro, quod GEDAMORS dicitur; & alius ſanctus, qui *b* ZOZONION appellatur, in ipſa inſula, in magna habetur reuerentia; cuius caput in capella regia conſeruatur.

b al. Zozomion.

Sanctus etiam BARNABAS de ciuitate *c* SALAMINA, ſiue CON-

c Σαλαμὶς Ptolemæo Cypri vrbs, quæ Plinio & Polyæno, Salamine. Stephanus eam Conſtantiam dici ſcribit. Idem D. Hieron. tradit, & addit eam Traiani Imp. tempore à Iudæis deletam, interfectis omnibus eius accolis. Anton. Curchinus dicit eam ſub Eraclio Imp. à Sa-

Digitized by Google

racenis captam, funditusq́ excisam, neque poſtea vnquam habitatam. Euſebio authore lib. de præp. Euang. Κορωνεία antiquiſsimis temporibus vocata fuit. Hodie Famagoſta dicitur, vt Niger autumat, noſter Guilielmus Famaguſtam propè ponit. Vide Ortelii theſ. Geograph.

STANTIA, nunc deſtructa, propè FAMAGVSTAM, in CYPRO natus eſt.

Sunt etiam in CYPRI montibus oues ſiluaticæ, in pilis ſimiles capreolis & canibus, quæ nunquam aliàs eſſe perhibentur. Multum velox eſt animal, bonas carnes & dulces habens. Plures capi vidi exiſtens in venatione, canibus, & maximè domeſticis leopardis, de Cypro.

In die NATALIS perueni in SYRIAM, me vento proſpero per mare ſalubriter proſequente.

a Tyrus Sarra vocabatur Gellio & Feſto teſtibus; Hinc oſtrũ Sarranũ Virgil. Sacræ literæ Sor vel Tzor nominant. Poſtea Suri vulgò dicebatur, Poſtello & Nigro teſte. Vide Ortel.

De Syria Phœnicis, ac terra Philiſthim, & ciuitatibus maritimis, vſq; ad deſertum, quod diuidit Syriam & Ægyptum.

PEruenìens DEI fauente clementia, in SYRIAM, applicui ad portum TYRI, qui nunc a SVR vulgariter appellatur.

Eſt autē TYRVS antiquiſſima ciuitas. Nobiliſſima & famoſiſſima quondam fuit; nunc verò quaſi deſtructa & deſerta. Portum verò eius SARACENI cuſtodiunt diligenter. In corde maris ſita eſt, ex omni ferè parte mari circumdata. verſus terram erat turribus & muris fortiſſimis communita.

Pſal. 44. Eſai. 23.

Huius ciuitatis meminit Propheta in Pſal. dicens: Filiæ TYRI in muneribus, & ab alio Propheta: Inſtitores eius Principes, negotiatoreſq; eius, incliti terræ dicuntur. & in pluribus locis ſacræ paginæ huius ciuitatis fit mentio. per quæ perpendi poteſt de facili eius antiqua nobilitas ſingularis.

b De Tyro & puteo aq. viu. Adrichomius in theatro terræ ſanctæ in Aſer 67. & 84.

Propè b TYRVM eſt fons hortorum, & PVTEVS AQVARVM VIVENTIVM. De Libano profluentes aquæ limpidæ & ſanæ, ipſius hortos & territorium irrigantes.

Matth. 15. Luc. 11.

Locus etiam ibidem oſtenditur, vbi Dominus fideli CHANANEÆ miſertus eſt, & propè, eo loquente ad turbas, ſibi dictum eſt: Beatus venter, qui te portauit, &c.

Digitized by Google

De Tyro, in vno die veni per terram [a] Sidon, quæ [b] Suri vulgariter dicitur.

[c] Hîc famioſa ciuitas, & pulchra planitie, ſituata eſt ſupra mare, quæ quondam Chriſtianorum fuit, & antiquitus dicebatur [d] PTOLOMAIDA, cuius meminit liber MACHABÆORVM; per SARACENOS deſtructa eſt; poſſet tamen de facili [d] recuperari. Conuenientem portum habet; per ruinas tamen ciuitatis aliquantulum deſtructus eſt. Et eſt villa in SYRIA PHÆNICIS ſita, & non in terra promiſſionis; ſicut & TYRVS. Per effuſionem tantam ſanguinis CHRISTIANORVM, in expugnatione eius pro fide Chriſti morientium, conſecrata eſt, tanquam ſacer locus meritò veneranda.

Deinde in diebus 4. per terram veni in GAZAM, ciuitatem quondam [f] PHILISTHIIM; quia circumiacens terra PHILISTHINORVM erat, & dicebatur antiquitus PALÆSTINA, in qua ſunt aliæ quatuor ciuitates Philiſtinorum, quorum meminit liber Regum; nunc in Caſalia parua, mutatis quodammodo nominibus, ſunt redactæ.

Inter ACCON verò & GAZAM prædictam; prope ACCON XIX. .... [g] or milliaria ſupra mare, à dextris eſt mons CARMELI, non multũ altus, oblongus; deſuper planus, multum ſpecioſus & fertilis, habitatio S. HELIÆ Prophetæ, vbi & ordo CARMELITARVM ſumpſit exordium, plures deuotas Eccleſias continens & heremitoria generoſa.

In huius montis pede ciuitas erat, quondam Chriſtianorum, [h] CAIPHAS nomine, nunc deſtructa.

Inde tranſiui CÆSAREAM PALÆSTINÆ, famoſam quondam ciuitatem, & caſtrum peregrinorum famoſum, à Chriſtianis olim conſtructam.

Item ciuitatem ASCALONEM, quondam vigoroſam.

Item vrbẽ IOPPENSEM vetuſtiſſimmã; quàm IAPHET filius Noë creditur condidiſſe.

Hæc loca in ripa maris optimè ſituata à SARACENIS miſerabiliter ſunt deſtructa.

Propè IOPPEN intra terram eſt pulchra ciuitas, nomine [i] RAMA,

a fort. Sida quæ inter Tyrum & Ptolemaidem eſt. Adrichom. ib. 76.
b *Sidon cur potuerit Sur dici, hîc non video. Sida potuit; quia propinqua Tyro. Tyrus autem Sur dicebatur, & inde fortè totus tractus Tyrius vſque ad Ptolemaidem, Suri dicebatur.*
c *vitiosè m. ſ. Hæc. Lego. Hic, id eſt, non lõgè à Sida*
d *Vide Adrichom. ib. 66. Eſt autem anno 1291. à centum quinquaginta millibus Saracenorum ſolo æquata.*
e *anno 1104. Balduinus cepit Ptolemaidem, Tyrius 10. bell. ſac. 28 Et iterum anno 1191. Philippus Franc. & Richard. Angl. tertio obſidionis anno. Vitriac. & Herold.*
f *De Gaza vna ex 5. Satrapiis Philiſtinorum, Adrichom. in Simeon 46.*
g *non lego hanc vocem. Ioſephus Carmelum à Ptolemaide, quæ & Accon dicitur, ait abeſſe ſtadiis 120. Vide Adrichom. in Iſachar 19.*
h *Tyrio Porſina & Porphyria, à Caipha Pons ædificata. Adrichom. 16, 17.*
i *Ramatha Sophim. Adrich. in Ephraim. 79.*

Digitized by Google

quæ optimè habitatur, locus delectabilis atque ſanus.

Propè hanc villam à ſiniſtris eſt ciuitas DIOSPOLIS, quæ ſimiliter habitatur, & in [a] Actibus Apoſtolorum LIDDA dicitur, vbi S. GEORGIVS decapitatus aſſeritur, & locus peregrinis aduenientibus demonſtratur in Choro Eccleſiæ quondam pulchræ, non multum à monte CARMELI.

A ſiniſtris eſt villa [b] SAFFRAM, in quodam monte, vbi beati Apoſtoli IACOBVS & IOANNES nati dicuntur; & in loco natiuitatis ipſorum pulchra eſt Eccleſia cõſtructa, quam etiam peregrini viſitare deuotius conſueuere.

His viſis perueni in GAZAM, quam prius dixeram ciuitatem eſſe ſatis magnam, & benè populatam, à mari aliquantulum elongatam. Hæc illa eſt ciuitas, cuius SAMSON portas aſportauit, cùm in ea captus eſt, ſuper vnum monticulum ciuitati propinquum, & vbi tot millia PHILISTHINORVM, palatii columnis concuſſis, & ſeipſum poſt excæcatum mirabiliter occidit, ſicut in libro Iudicum legitur.

Poſt hæc veni ad Caſtrum [c] DARVM, quod vltimum occurrit procedentibus de SYRIA in ÆGYPTVM.

Et notandum, quòd eundo de ACCON per viam hanc, dimiſi ciuitatem ſanctam HIERVSALEM à ſiniſtris vix ad 20. milliaria, volens prius videre ÆGYPTVM & ARABIAM, vt obtentis SOLDANI litteris, poſſem in reuerſione commodius & ſecuriùs terræ promiſſionis loca ſanctiſſima viſitare.

De Deſerto, quod diuidit Syriam & Ægyptum; & de Ægypto.

III.

DE Caſtro ergò quod DARVM dicitur, proceſſi verſus ÆGYPTVM per [d] deſertum arenoſum, in ſeptem diebus, in quo deſerto eſt aquæ penuria, portanturq; victualia, & alia neceſſaria in camelis. Sunt tamen ordinata per SARACENOS cuncta ſecundum dietas, hoſpitia; ibique inueniuntur neceſſaria competenter.

Poſt hæc veni in ÆGYPTVM vbi ſunt Caſalia pulcherrima, infinita

a Act. 9. Hieron. in loc. Hebr. Tigridis ait vocatam; Iuſtinianus hic S. Georgio templum ædificauit. Vide Adrich. in Ephraim 64.

b Saffa vel Saffra ciuitas in monte ſita, à Nazareth tribus diſtans miliaribus, patria Zebedæi, Alphæi & Iacobi atq; Ioannis Ap. in quorum natiuitatis loco pulcra viſitur Eccleſia. Ioa. de Monteuilla c. 4. & 20. Ioa. Paſch. in peregrin. die 173. Adrich. Zabulon 83.

c Daron meminit Ezechiel, quod Symmachus vertit in Africum. A Chriſtianis autem caſtrum fuit exædificatum apud Torrentem, qui dicitur Ægypti, & primum quidem ab Amalrico, poſtea ab aliis auctum ſuburbiis. Hieron. in loc. Hebr. VVilh. Tyrius 20. bell. 20. 21. 22. &c. Adrich. in Pharan. 32. fol. 119.

d deſertum Pharan de quo Adrich. 10. 4. fol. 116.

Digitized by Google

nita, omnibus bonis temporalibus abundantia, præterquam in terris SARRACENORVM.

Per SARACENOS vineæ non coluntur, nec porcos nutriunt; hoc eis lege, quæ in libro, quem ALCORANVM vocant, ſcribitur, ſtrictiùs inhibetur.

Et primò procedens verſus BABYLONIAM, veni ad villam famoſam, & magnam, quæ *a* BELBEIS nominatur.

Poſt hæc, dimiſſis ſuper ripam maris, ALEXANDRIA famoſiſſima ciuitate, & DAMIATA, propter conuenientem portum nauigantib᾽ benè nota, perueni ad *b* CADRO & BABYLONIAM, metropolin ÆGYPTI, vbi eſt ſedes SOLDANI in vno caſtro pulcherrimo, propè CAIRVM.

Hoc caſtrum in monte eſt, non alto, ſed petroſo, longum eſt, & valdè pulchris palatiis decoratum.

Dicitur, quòd continuè pro diuerſis ipſius SOLDANI ſeruitiis, & cuſtodia eius, morentur in ipſo caſtro circa ſex millia perſonarum, quibus quotidiè victualia de curia miniſtrantur; cæteri verò armati, hoc eſt, capitanei & regentes armorũ, equites, in maxima multitudine ſub caſtro in ciuitatibus commorantur, ordinati ſub millenariis, centenariis, quinquagenariis, & decanis, ſecundum quod viſum fuerit expedire, quibus per SOLDANVM ſecundum gradus ſuos ſtipendia diſpenſantur.

a Tyrius teſtatur Damiatã dictã etiã Belbeis. Vide Adrich. in Pharao 71. fol. 122. b lego: Cairo. Memphis enim ſeu Babylonia è regione Cairi eſt, interfluente Nilo.

Sunt autem CAIRVM & BABYLONIA duæ ciuitates multùm magnæ, parùm diſtantes, & quaſi contiguæ; maior tamen eſt CAIRVM, quæ eſt verſus deſertũ SYRIÆ, parùm diſtans à fluuio Paradiſi NILO.

BABYLONIA verò ſita eſt ſuper ipſum fluuium, ſine medio prædicto. Duæ villæ populoſæ, pulcherrimis ædificiis conſtructæ, plus intus, quàm deforis apparent; quia generaliter conſueuerunt, non deforis, ſed intrinſecus ipſarum hoſpitia marmoribus, tàm in pauimentis, quàm in parietibus, & opere Moſaico mirabiliter decorare.

Et ſciendum, quòd hæc BABYLONIA, de qua nunc fit mentio, non eſt illa antiqua Babylonia, in qua regnauit Nabuchodonoſor, & ad quam filii Iſraël captiui ducti ſunt; ſed hæc eſt noua BABYLONIA, antiqua in nomine, & quodammodo in operibus imitatur.

Quia, vt de cæteris taceam; ſicut antiqua filiis Iſraël tunc fidelibus maximè fuit infeſta; ſic & nobis Chriſtianis, veris Iſraëlitis, hæc noua BABYLONIA cum ſuo capite, quod SOLDANVS eſt, maximè op-

Digitized by Google

ponitur inter cæteros infideles, vtpote principalis propugnator & dilatator eſt impiæ perfidiæ Mahometi.

Cuius de dominio ille nequam traxit originẽ; ibidem primò prædicauit, ſcilicet in deſerto ARABIÆ, hominibus beſtialib' & indoctis, legemq; diabolicã ipſis impoſuit, & ſerpentina aſtutia decepit, falſiſq; miraculis, ſibi & patri falſitatis ac mendacii colligauit, corpuſq; ipſius perditiſſimi Pſeudoprophetæ ſub SOLDANI diligentiſſima cuſtodia in ciuitate, quæ MECHA dicitur, ſita in deſerto ARABIÆ, de BABYLONIA circa 25. dietas, pro maximo ſanctuario conſeruatur in pulchra ipſorum Eccleſia, quam MVLSCKET vulgariter dicunt.

Quòd verò pendeat in aëre, per virtutem petrę, quæ ferrum trahit, id falsò diuulgatur: Eſt quidem aliàs in tumba eleuata & precioſa, ad maiorem ipſius mortui damnationem perpetuam poſitum, quò SARACENI ex omnibus mundi partibus confluunt, peregrinationem ibidẽ ad ſuum Prophetam deuotiſſimã & ſolenniſſimam miſeri reputantes. Et ob hoc SOLDANVS maximus aduocatus & defenſor à SARACENIS ipſorũ perfidiæ tenetur huius nouæ BABYLONIÆ, quæ perfida CHRISTIANÆ fidei ſuper omnes errores exiſtit maximè inimica.

Diſtat verò antiqua BABYLONIA ab hac inter Septentrionem & Orientem circa 35. dietas in CHALDÆA, & illius partes dicuntur, qui nunc eſt CHAN IMPERATOR TARTARORVM de PERSIA. Dicunt quòd ciuitas quæ nunc* BALDATVM dicitur, ſit ipſa antiqua BABYLONIA, quæ ſita eſt ſuper fluuium EVFRATEM: Alii aſſerunt propè BALDATVM ipſam fuiſſe deſtructam, hoc per ruinas de propè maximè approbantes.

*ſort. Baldach. Vide Ortelii Theſ. geogr. v. Babylon.

Turris etiam BABEL à filiis NOE incepta fuiſſe in loco ꝓpinquo aſſeritur, vbi humanũ labium confuſum eſt, locus nunc deſertus dicitur, & quaſi inacceſſibilis propter ferarum crudelium, & venenoſorũ animalium ibidem commorantium multitudinem innumeroſam.

Hæc dicta ſunt, vt habeatur diſcretio veteris & nouæ Babyloniæ, in hoc opere principaliter recolendæ.

Fluuius igitur PARADISI nouam BABYLONIAM præterfluens, ac terram ÆGYPTI irrigans & fœcundans, & omnibus bonis abundare faciens GION, (vt in Geneſi dicitur) appellatur.

Quidã tamen dicunt, ꝙ GION & PHISON in ſuperioribus ÆTHIOPIÆ coniungantur, & ſic coniuncti vnum alueũ contineant & ſeruẽt.

Inſulas tamen plures in ÆGYPTO habet ꝑdictus fluuius vberrim⁹ & delicioſiſſimus, & iterũ recollectus in mare Mediterraneũ in partes diui-

diuiſus, incidit propè ALEXANDRIAM, de qua fecimus ſuperius mentionem.

Prædicti fluuii aqua ſapida eſt, & ſaniſſima ad bibendum; cibos digerit, bonos piſces habet in magna copia.

Inueni in eo, & circa eum, lignum ALOE, & diuerſi coloris lapides CARNEOLI. In CAIRO & BABYLONIA ſunt plures ECCLESIÆ CHRISTIANÆ valdè pulchræ, inter quas magis famoſæ ſunt, Eccleſia in BABYLONIA B. VIRGINIS, vbi ipſa cum CHRISTO IESV & IOSEPH, quãdo in ÆGYPTVM de IVDÆA fugerat, metu HERODIS, aliquandiu dicitur habitaſſe.

Item alia Eccleſia B. BARBARÆ virginis, in qua corpus ipſius in paruo monumento marmoreo conſeruatur.

Et ſciendum, ꝙ ÆGYPTVS oblonga patria eſt; & in aliquibus ſicca, propter deſertum ſiccum, latera ipſius ambiens & comprimẽs, de cuiꝰ natura, & ipſa ÆGYPTVS eſt, niſi in quantum exuberante fluuio, vel artificialiter, vel naturaliter cõducto, imbibitur, fertilis efficitur, & delectabilis hominum vſibus coäptatur.

Parùm pluit in ea; ꝙ regio multum de ſe ſicca, & fortiter ardor ſolis humores conſumit ſuper eam faciliter eleuatos. Vnde in longũ ꝓtenditur ab ÆTHIOPIA ſecundũ curſum fluuii vſq; ad ALEXANDRIAM, & mare Mediterraneũ, tantũ habens latitudinis, ꝓut fluuius ſecundum diſpoſitionem terræ & hinc inde, & hominũ diligẽtia poterit elargiri.

Vidi in CAIRO tres elephantes viuos. Eſt autẽ Elephas animal valdè magnum, pellẽ habens duram, ad modum ſquammarum piſcis, diſciplinabile, ad ſonũ inſtrumẽti muſici chorizat & ſaltat: dentes de ore exeunt ad modum apri, valdè longi, ſuper os habet proboſcidẽ longã ad modum vaccæ rotundã, peracutã, cartilaginoſam, ad omnẽ partẽ flexibilẽ, qua vtitur loco manus, cibũ per eam ſumit, & incuruando, infrà ſubtus os mittit, eaq; plura recipit, & diſtribuit, ſolaciatur, & non lædit; ſe proſternit, & ſe eleuat; verum enim non eſt, quòd iacens ſe denuò erigere nõ poſſit, ad ꝓceptum magiſtri ſui, aduenientibus alludit, caput inclinando, genua flectẽdo; terrã quoq; oſculãdo: ꝙ hic modus honorãdi hoſpites, hominibus in illa patria cõmuniter eſt conſuetus.

Vidi etiam animal in CAIRO INDIÆ IERAFFAM, multum eleuatũ in anteriori parte, longiſſimum collum habens, ita vt de tecto domus cuiuſuis altitudinis poſſit comedere, retrò eſt ita depreſſum, vt dorſum eius manu tangi poſſit; non eſt ferox animal, ſed ad modum iumenti pacificum, colore albo & rubeo, pellem habens ordinatiſſimè decoratam.

Digitized by Google

Vidi plures baburnos coctos, mammones, pſittacos mirabiliter inſtructos, geſtibus ſuis homines mirabiliter ad deductionē prouocantes.

Inuenitur pſittacus, qui pro 100. aureis non daretur; quia in his partibus ſunt homines delicati, ſupra modum delectationem, & corporalia ſolatia requirentes.

In ſuperioribus ÆGYPTI eſt vna SMARAGDINA; vnde ibidem SMARAGDI meliores, & in meliori forma, quam in aliqua mundi parte, habentur.

Sunt in SYRIA & ÆGYPTO poma oblonga, quæ PARADISI nuncupantur, optimi ſaporis, mollia, in ore citò diſſolubilia: per tranſuerſum quotieſcunque ipſa incideris; inuenies CRVCIFIXVM, in tantum, vt aliquoties faciei, & aliorum membrorum lineamenta poſſis perpendere competenter: diu non durant, vnde per mare ad noſtras partes duci non poſſunt incorrupta.

Saccarum optimum ibi creſcit, & alia terræ naſcentia, apud nos inconſueta; & conſueta tamen, quæ apud nos in hortis humano ſtudio nutriuntur, vt ruta, ſaluia, & huiuſmodi ſola naturæ operatione in campis, & aliàs oriuntur, & marceſcunt; multò amplius virtuoſa.

Eſt autem in CAIRO domus ampla, & ad modum ſtubæ demiſſa, in qua ſunt multæ fornaces etiam demiſſæ, ſuper quas in palea ponuntur oua, quanta quilibet voluerit apportare, & ſine gallinarum cubatione naturali, excocto temperamento ignis in fornacibus materia fœtus maturatur in ouis, & pulli exeunt ſuo tempore, arte effectum naturæ mirabiliter proſequente, ſtatimque vt pulli exeunt, & ex teſtis ouorum erumpunt, dantur dominis, quorum oua fuerunt, aſſportanturq; & nutriuntur. Vnde & in his partibus eſt maxima copia gallinarum. Hoc mirabilius reputo omnibus, quæ in his locis vidi.

Homines & fœminæ venduntur, in his partibus, ſicut alterius fidei & ſectæ, quàm ementes & vendentes, & ſic in ſeruitutem redigũtur, & ſecundum iuuentutem, fortitudinem, artem, ſanitatem, pulchritudinem æſtimantur.

Infra BABYLONIAM eſt quædam terra ſingulariter fertilis, paſcuis vberrimis opuléta, quæ dicitur terra GESSEN, quam filii ISRAEL conſenſu PHARAONIS ob merita IOSEPH, & patris ipſius Patriarchæ IACOB inſtantiam inhabitârunt, dum diuina diſpenſatione peregrinati ſunt in Ægypto.

Quæ

Quæ miracula & magnalia Deus in ÆGYPTO operatus ſit, in libris Moyſis ſatis patet.

Propè CAIRVM verſus plagam deſerti eſt hortus BALSAMI ſingularis, non multùm magnus, nec forti ſepe circumdatus, nec muro, de quo plurimùm admirabar, locum tàm nobilem non fortius communiri.

De horto Balſami ad Heliopolim Adrich. in Neptalim 48. fol. 120. Baron. anno 1. nu. 46.

Arbuſta Balſami groſſa non ſunt, aut alta, ſed ad modum vitis palmitum ramuſculi mediocres. Irrigatur hic hortus quodam fonte paruo, in ipſo exiſtente, in quo virginem MARIAM puerum IESVM balneaſſe ſæpiùs, ac veſtes panniculoſque eius lauiſſe aſſerunt CHRISTIANI; & ex hoc dicunt fontem virtutem contraxiſſe, vt terra, huiuſmodi aqua irrigata balſamum germinet, & producat.

Vltra BABYLONIAM & fluuium Paradiſi, verſus deſertum, quod eſt inter ÆGYPTVM & APHRICAM, ſunt plura antiquorum monumẽta, figuræ pyramidalis, inter quæ ſunt duo miræ magnitudinis & altitudinis, de maximis lapidibus & politis, in quibus inueni ſcripturas diuerſorum idiomatum. In vno inueni hos verſus Latinos petris inſculptos:

Vidi pyramidas ſine te dulciſſime frater,
Et tibi, quod potui, lachrymas hîc mœſta profudi;
Et noſtri memorem luctus, hanc ſculpo, querelam,
Sic nomen decimi anni pyramide alta
Pontificis, comitiſq; tuis* Traiane triumphis,
Luſtris ſex intra cenſoris, conſulis eſſe.

** m. ſ. Trayne. neq; corrigere poſſum. nam hi tres verſus mendoſi ſunt.*

Horum verſuum obſcura expoſitio aliquantulum me tenebit.

Dicunt ſimplices, hæc maxima monumẽta fuiſſe granaria PHARAONIS, & ſic ea appellant, quod verum nullo modo eſt. Quia nec ad imponendam, nec ad ſeruandam annonam, aut frumentum locus in ipſis pyramidibus aptus deprehenditur, maximè, quia à ſummo vſq; deorſum plenæ ſunt maximis lapidibus, ſibi inuicem benè vnitis; niſi quod porta paruula à terra benè eleuata remanſit, & via ſtricta ac tenebroſa, per quam deſcenditur ad certum ſpatium in eiſdem, nulla in ipſis reperta latitudine ſpatioſa: verùm quod monumenta ſint, verſus ſcripti atteſtantur, & multa ipſas præſentialiter intuenti.

Digitized by Google

IV. *De itinere verſus montem Synai ac Arabiam, & locis ſanctis in ea, vſq; ad initium terræ promiſſionis.*

DE CAIRO inde & BABYLONIA recedens, partibus ÆGYPTI luſtratis, in ARABIAM properaui, veniq; ad montem SYNAI eques in decem diebus. Via media tota deſerta eſt.

Aſſerebant MONACHI montis SYNAI veteres & veraces, ſe nunquam vidiſſe illuc veniſſe CHRISTIANVM, equitem peregrinum præter me, quia in camelis conſueuerunt venire cæteri peregrini. Camelus namq; comedit ſpinas & tribulos, quos inuenit in deſerto, ſine potu aliquotiens per duos dies integros vſq; in tertiũ permanẽs; fabaſq; ſiccas portant Camelarii per deſertũ; & dum camelos volunt benè reficere, dant ipſis de huiuſmodi fabis in modica quantitate, & ſic onuſti grauiter tota die laborando, in itinere perſeuerant.

Equus tali labore & victu deficeret. vnde pabulũ conueniens aqua ne deficeret, feci portari ꝓ equis meis, ſicut & meæ familiæ in camelis. SOLDANVS namq; BABYLONIÆ fecit mihi ſingularem gratiam, DEI mediante fauore, dans mihi literas, quibus me omnibus ſubditis recommendabat, vt me ad LOCA SANCTA per totum eius dominium liberè ire permitterent, ſine omni tributo, exactione, telonio, & me, meos, ac mea ſaluarent, honorarent, ab omni offenſa & iniuria quorumcunq; cuſtodirent, propter quod ſecurus per totam terram SOLDANI iui cum mea familia, & pluribus ſcutiferis pari veſte indutis, & habitu militari, gladiis, calcaribus, cultellis, ac ſi in terra CHRISTIANORVM ſecuriſſimè proceſſiſſem.

Exiſtens in itinere, ſingulis noctibus dormiui in campis ſub tentorio, quod mecum portaui; & SARACENI ad hoc deputati per officialem loci, ad quem veni, excubabant, me, & meos cuſtodientes ſollicitè & attentè à nocturnis periculis.

Hinc poteſtatia authoris & nobilitas.

Multi iuerunt vltra mare, magni & parui, nobiles, & ignobiles; ſed huius temporis nullus hoc modo; q̃ reputo ſingularem gratiam & donũ gratuitum SALVATORIS. Quocunq; perueni, & illis quorum intererat, literas SOLDANI monſtraui; ſtatim ſe leuabant, literas oſculabantur, ſuper caput ponebãt, me honorabãt, aliquoties victualia gratis præſentabant, & ſe mihi ad beneplacita beneuolos exhibebant.

Sic igitur recedens de Cairo, primò perueni ad MARE RVBRVM in

Digitized by Google

in deſerto, q̃ eſt quoddam brachiũ OCEANI INDICI ſtrictum, verſus plagam ÆGYPTI, ſed plus & plus verſus mare magnũ incipit elargiri.

Supra ipſum mare rubrum, veni ad locum, vbi filii Iſraël ſicco veſtigio tranſierunt, diuino miraculo, in ipſo ſubmerſis ÆGYPTIIS, inſequentibus eos, ſicut in l. Exodi clariùs reperitur.

In hoc loco, mare hoc longum eſt, ſed iudicio meo vix latitudo tranſitus, ad quinq; milliaria ſe extendit. *Vide Pererium in Exodum.*

Non eſt autem mare rubrum in hac parte, nec fundus rubens, ſed in omnibus aſſimilatur cæteris maribus: poteſt tamen eſſe, quòd in aliqua eius parte, alibi ſit gleba eius rubea, & ob hoc totum illud brachium mare rubrum, ſeu rubeum appellatur.

In littore huius maris proceſſi per triduum, & circa ipſum in itinere plurimùm delectabiliter; quia refocillabar plus quàm in deſerto alio, ventorum dulci refrigerio moderato.

Circa hoc mare inuenitur corallus albus in abundãtia, in ramis multùm pulcher, ſed parùm valet, quia nimis eſt fragilis: inueni tamen ſine ramis, duas vel tres pecias ad modum eboris relucentes.

Recedens de mari rubro veni ad fontẽ, q̃ in ſcriptura dicitur a MARATH, vbi tempore tranſitus filiorũ ISRAEL amaræ erãt aquæ, quæ in p̃mixtiõe ligni à DEO mõſtrati MOYSI, dulces & potabiles ſũt effectę.

Deinde veni in b HELYM, locum valdè delectabilem in deſerto, vbi ſunt 12. fontes, & 70. palmæ, & eſt vna de ſtationibus Iſraël, vt in Exodo reperitur.

Poſt hoc veni in deſertum, vbi eſt mons DEI c SYNAI, ſeu OREB, quem in hoc deſerto finaliter requirebam.

In pede huius montis eſt ille locus ſancti Spiritus, vbi Moyſes vidit rubum ardentẽ nõ conſumi flãmis, & Deum in rubo loquentem, noſtræ ſalutis ordinem figuraliter conuenientius inchoantem.

d In hoc loco pulchrũ eſt monaſterium ſatis magnum, plumbo coöpertum, & clauſtrum Monachorũ, benè firmata porta ferrea clauſum. Et Monachi ARABES & pauci GRÆCI, ſimul numero multi, deuotiſſimè & ſanctiſſimè viuentes, ARCHIEPISCOPIS eiuſdẽ loci ac ordinis, & cæteris p̃latis ſuis valdè obedientes, vinũ non bibentes, niſi in paucis feſtis anni, & tunc certa menſura, modicæ q̃ãtitatis: piſces rarò comedunt; oleribus, dactylis, leguminibus vitam certis locis & horis ſimul quietiſſimè ſuſtentantes; diuinum officium ſecundum ipſorum conſuetudinẽ peragunt, Eccleſiã intrinſecùs mundiſſimè tenentes, & valdè multis lampadibus ac luminaribus illuſtrantes.

a Exod. 15. Num. 33. Adrich. fol. 121.
b Elim. Exod. 15. Num. 33. Tyrius 11. bell. ſacr. 29. Adrich. fol. 119. Hic Iſraëlis manſio ſexta.
c Adrich. in Pharan 92. fol. 124.
d A Iuſtiniano Imp. conſtructũ vbi 9000. deſcriptorum monachorum corpora ſepulta. Vide Wilh. Tyr. 14. bell. ſacr. 12. Vitr. c. 56.

Ad locum RVBI retrò maius altare diſcalceati intrant peregrini, noſque intrantes diſcalceari iubent, propter hoc, quod Deus MOYSI dixit ibidem exiſtenti: Solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.

Exod. 3.

Diebus plurimis apud eos fui, & in clauſtro loco commodo aſſignato, me benigniſſimè pertractauerunt.

In hoc monaſterio aqua eſt, quam percuſſione virgæ præcepto Dei iuſſit MOYSES emanare; aqua eſt optima, & ſaniſſima ad bibendũ.

In hoc monaſterio propè altare maius à dextris, in loco aliquantulum eminenti eſt vna capſa marmorea alba, non longa aut alta, in qua caput, & membrorum oſſa non ordinatè poſita; ſed mixtim, de ſummitate montis SYNAI hûc translata beatiſſimæ virginis & martyris CATHARINÆ ſunt recluſa; & vas Prælati dicti monaſterii cum inſtrumentis, cum debita ſolennitate, deuotiſſimè, peregrinis aperiunt, ſacras intus iacentes RELIQVIAS oſtendentes.

PRÆLATVS verò maior cum inſtrumento argenteo ad hoc facto, oſſa ſanctiſſima fricat, & liquorẽ exſudantem ab eis diuino miraculo, deuotè petentibus impertitur, modicæ tamen quantitatis, quia per modum ſudoris conſueuit liquor ſanctus, modicè tamen ex oſſibus emanare; qui liquor obdurus aliquantulum exiſtit, & verè meritis B. CATHARINÆ donum DEI creditur. quia nec balſami, nec olei, nec alterius humoris naturalis ſpeciem ſortitur, quo donum tranſcendens naturam meritò comprobatur.

In hoc etiam MONASTERIO plures diuerſæ nobis aliæ RELIQVIÆ ſunt oſtenſæ.

Intra ſepta huius monaſterii nec MVSCÆ, nec PVLICES, nec aliæ huiuſmodi immunditiæ poſſunt eſſe; tamen extra deſertum vndique moleſtant plurimùm tranſeuntes, & non minus vtique homines habitantes.

De quo cùm mirabar, & oculis vidiſſem, quòd huiuſmodi animalia importata moriebantur; informatus fui, quòd olim orationibus ſanctorum in eodem loco commorantium, qui in tantum huiuſmodi animalibus vexabantur, quod etiam locum cogitabant dimittere, à pio Deo impetratum eſt, vt nullus tali tædio deinceps in dicto loco aggrauaretur.

MONACHI etiam dicti loci, dant de victualibus, quibus ipſimet vtuntur, quamdiu in ipſorum monaſterio, & iterum pro itinere verſus SYRIAM, ſecundum numerum dietarum, æqualiter omnibus, ita

par-

paruo, ſicut magno, competit; omninò omne pretium, etiamſi oblatum fuerit, penitùs reſpuentes.

Super hunc ſacrum locum, de quo multa iam dixi, eminet mons SYNAI ſatis altus, gradibus multis ad eius ſummitatem aſcenditur, in qua ſummitate vna eſt capella HELIÆ, altera MOYSIS, vbi gloria Domini apparuit, legem dedit, & multis miraculis coruſcauit. *Vide Adrich. in Pharan. 92 fol. 124. & 69. fol. 122.*

Foramen etiam in petra duriſſima oſtenditur ibidem, in quo Deus MOYSEN poſuit, dextera ſua protexit, cùm ipſum in maieſtate pertranſiret, poſteriora ſibi oſtendens, cùm faciem ipſius nullatenus potuerit intueri.

De hoc & aliis magnalibus Dei in locis his factis, ex libris S. ſcripturæ quilibet poterit plenius informari.

Figura corporis MOYSIS videtur quodammodo petræ dictæ, tanquam ceræ impreſſa, cùm tamen adeò ſit dura, vt inſtrumentis ferreis fortiſſimis, vix mei familiares potuerint aliquid de ipſa ad modum pulueris acquirere.

In cacumine alterius montis multum altioris, valle profunda exiſtente, corpus B. CATHARINÆ ab ANGELIS portatum, & ab hominibus repertum eſſe dicitur, à monachis & incolis illarum partium, & deuotè ob hanc rationem, etiam à Chriſtianis hæc ſummitas laborioſius viſitatur.

In hac ſummitate nulla Capella eſt, aut habitaculum, ſed petris, & * talibus tabulis locus inuenti corporis eſt ſignatus. ** æqualibus.*

Oratio dicit * Eccleſiæ, quòd in eodem loco & lex ſit data, & corpus B. Catharinæ ſit ab angelis collocatum.

Dici poteſt, quòd in eodem loco, non numero, ſed ſpecie. Vel cùm diuina maieſtas nullo loco determinata ſit, modò de vno, modò de alio montis apice MOYSI loqui poterat; & nunc de longè, nunc de propè ipſum de his, de quibus eum ſcire voluit, informare. Et ſic identitas localis non ſumitur, quantum ad legem datam, & S. CATHARINAM ſepultam; ſed quantum ad legem dantem & ſepelientem; cuius au ctoritas in ſummitate montis SYNAI eadem ſede non determinata, reſplenduit in vtriſque.

** Deus qui dediſti legem Moyſi in ſummitate montis Sinai, & in eodē loco per ſanctos angelos tuos corpus B. Catharinæ virg. & mart. tuæ mirabiliter collocaſti, &c.*

De monte igitur SYNAI deſcendens, verſus SYRIAM proceſſi per deſertum in tredecim diebus.

Hoc deſertum totum eſt illud, de quo prius memini, inter CAIRVM & montem SYNAI, ARABIÆ nominatur, quod latiſſimum eſt, in quo moratur infinita multitudo ARABVM, qui dicuntur alio nomi-

* An Rathalalhaga apud Thevetum huc pertinet? Vide Ortel theſ. geogr. v. Arabia Petræa.
* Bruni.

ne RIDILBIM, in locis ſepoſitis, vbi aquam habere poſſunt, de fontibus, riuulis, aut puteis, ſaltem in modica quãtitate, quia magna eſt ibi aquæ penuria, ita vt ad duas dietas, vix poſſit aliquoties reperiri, & vbi vno tempore inuenitur, alio exſiccatur. Morantur autem hi homines ſub tentoriis, de filtris & pellibus, & viuunt maximè de Camelis & Capris. non ſerunt, neque metunt, agris carentes; pane non vtuntur, niſi portetur aliquoties de SYRIA & ÆGYPTO. * Bruni homines ſunt, fortes, & veloces; pro armis, ſcutum & lanceam portantes, Camelis ambulantibus inſident, quos DROMEDARIOS dicimus; vno die multum itineris valdè, ſi volunt, peragentes. Caput & collum inuoluunt panno lineo longiſſimo, nec generaliter vtũtur arcubus, vt cæteri SARACENI; parùm curant SOLDANUM; ipſe tamen Capitaneos eorum trahit ad ſe muneribus, & huiuſmodi; quia, vt dicitur, quando cultores huius deſerti vellent, & eſſent vnanimes, poſſent SOLDANUM eiicere, ÆGYPTUMQUE & SYRIAM de facili occupare.

V. *De initio terræ promiſſionis, quod eſt Berſabeë, verſus Arabiam, & locis ſanctis ad ciuitatem Hieruſalem.*

Vide Adrich. in Simeon 28. fol. 133. & alibi.

PRocedens inde de ARABIA veni in BERSABEE, terræ PROMISSIONIS initium, verſus AUSTRUM. quondam fuit villa competens, pulchras habuit Eccleſias, quarum adhuc aliquæ perſeuerãt, pulcher valdè locus eſt, & delectabilis, atque ſanus.

In hac B. ABRAHAM diu moratus eſt, altare ædificauit, contemplationi ſtuduit, nomen Domini deuotius inuocando, vocatuſque à Deo mandatum accepit, vt filium immolaret.

** De Mambre Adrich. in Iuda 145. fol. 49. & de conualle Mambre fol. 51. 52.*
** Gen. 23.*

Deinde procedens in media die veni in ciuitatem * HEBRON, quæ aliis nominibus, VALLIS MAMBRE, & CARIATHARBE in Biblia vocatur, vbi B. DAVID regnauit, pro tempore, vbi ſepulti ſunt ſanctiſſimi Patriarchæ, * ABRAHAM, ISAAC & IACOB; SARA quoq;, REBECCA & LYA, in ſpelunca agri duplici, quem emit ABRAHAM in ſepulturam, vt in Geneſi reperitur.

In decliuio montis hic locus eſt, in quo ſupra monumenta ipſorum Patriarcharum pulchra Eccleſia conſtructa eſt, ad modum caſtri munita, de magnis lapidibus ac politis, quam SARACENI in reuerentia habent, ob merita parentum ſuorum, quos dicunt fuiſſe prædictos Patri-

Patriarchas. In eam intrare non permittunt aliquem CHRISTIANVM; quod ſi voluerit, ad oſtium Eccleſiæ poterit adorare.

In hac ſancta valle HEBRON locus eſt, vbi ABRAHAM in oſtio ſui tabernaculi ſedens, in ipſo feruore diei, tres vidit, & vnũ adorauit, charitate DEI inflãmatus, & à paſſionum mundialium turbine quietatus, in Deitate TRINITATIS & vnitatis myſterium ineffabile recognoſcens.

In hoc etiam loco ipſe vir ſanctus angelos DEI hoſpitio recepit, prandium ipſis acceptabile, prompta deuotione mẽtis præparari iuſſit de hœdis; repromiſſionem de veterana coniuge promeruit, quod ſecundum naturæ curſum incredibile videbatur.

Propè hunc locum ABRAHÆ pœna SODOMORVM reuelatur, orationeq́; rationabili ſalutem LOTH, & eius familiæ impetrauit.

Deinde in vna die veni in ciuitatem ſanctam BETHLEHEM, quæ vtiq; in principib' IVDA non debet minima reputari. Via media multùm eſt delectabilis, & aliquantulum nemoroſa. In hac beata ciuitate verſus Orientem, vltima eius parte, diuerſorium erat, in quo puer natus eſt nobis de Virgine, & filius DEI datus, patris etiam ſecreta pandens nobis miſeris indigentibus, angelus magni conſilii deſtinatur. Adrich. in Iuda 58. fol. 42.

In loco natiuitatis ſolis iuſtitiæ CHRISTI, DEI noſtri, ibidem orti, deuotiſſima & pulcherrima Eccleſia conſtructa eſt, ſatis magna, plumbo coöperta, marmoribus & picturis GENEALOGIAM CHRISTI exprimentibus, egregiè ordinata.

Apparet mihi, quòd nunquam magis generoſam Eccleſiam viderim in hoc mundo. Erat benè turribus, muris, ac propugnaculis communita.

In ipſa Eccleſia propè Chorum à dextris deſcenditur, per paucos gradus, vbi eſt locus præſepii, artis miniſterio, marmoribus, & opere Moſaico pulcherrimè decoratus. In hoc loco huius præſepii panis Angelorum nobis proponitur, quò magis in virtutibus & in Angelorum quodammodo honoris gratia diuina collocati, non immutemus cibum huiuſmodi in noſtræ carnis ſubſtantiam, ſed potiùs in ipſum viuaci deifica ſimilitudine transſmutemur.

In hoc loco pauperculæ VIRGINIS INFANTVLVS à MAGIS adoratur, myſticis muneribus honoratur, ſtella ductore oſtẽditur, in mobili, naturæ immobilis demonſtratur, ab angelis & paſtoribus cœleſtibus & humanis præconiis attollitur euidenter.

Digitized by Google

Ex hac etiam ſancta ciuitate, DAVID duxit originem, in qua, & eius finibus, occiſi ſunt beatiſſimi Innocẽtes, primitiæ Filii, quos DEO patri obtulit, poſtquam in hoc exilio peregrinari voluit, ſeipſo ad patriam ducere peregrinos.

Beatus HIERONYMVS in hoc loco diu moratus eſt, & tandem defunctus; aliiq; plures ſancti; pro loci reuerentia deuotiſſimè ſunt conuerſati.

Eſt autem BETHLEHEM ciuitas paruula, quantitate loci, ſed non virtute myſterii. oblonga eſt & ſtricta, à lateribus ſuis, profundis vallibus benè naturaliter communita. habitatores eius ſunt communiter CHRISTIANI, quamuis SCHISMATICI, quorum cultui territorium BETHLEHEMITICVM boni vini copiam adminiſtrat.

NB. Pro authoritate autoris.

In felici loco NATIVITATIS CHRISTI, pulchram feci cantari MISSAM, PVER NATVS EST NOBIS, & deuotam, per SACERDOTEM, quem per totum SANCTVM ITER mecum duxi; & potuit in his locis licitè celebrare, quia de licentia SVMMI PONTIFICIS, hæc loca ſanctiſſima viſitaui.

De BETHLEHEM proceſſi verſus HIERVSALEM; & eſt via intermedia *a* vix quatuor milliarium, in qua via à ſiniſtris, eſt *b* monumentum RACHELIS, matris IOSEPH, ſanctiſſimi Patriarchæ, quæ in partu BENIAMIN moriẽs, à IACOB in via, quæ ducit EPHRATA, id eſt, BETHLEHEM, eſt ſepulta, & lapides, quos ſecundum numerum filiorum Iſraël, ſepulchro ſuppoſuit, apparent vſque hodiè; quod etiam hiſtoria Geneſis atteſtatur.

Eſt circa hanc viam locus, vbi paſtoribus ſuper gregem vigilias noctis cuſtodientibus, exercitus angelorum apparuit, decantantes in SALVATORIS NATIVITATEM: GLORIA IN EXCELSIS DEO.

Dicitur etiam circa hanc viam eſſe *c* CISTERNA VETVS, in quam IOSEPH miſſus eſt per fratres ſuos, venditus poſtea mercatoribus euntibus in Ægyptum.

Et breuiter in hac via ſunt plura Chriſtianorum monaſteria gratioſa.

a Sex milliaribus ab Hieruſalẽ diſtare ſcribit Sev. Sulpitius qui ibi ſex menſibus fuit cum S. Hieronymo.

b quinto miliario ab Hieruſalem, in loco qui à LXX. vocatur Hippodromus. Temporibus Bredenbachii adhuc aderant iſti duodecim lapides. Vide Adrich. in Beniamin. 101 fol. 19.

c Ciſterna vetus non procul à Dothain in campo iuxta viam, quæ in Ægyptum ducit Broc. tin. 4. Breid. ib. Adrich. in Zabulon 36. & 40. fol. 138.

De

De Ciuitate ſancta Hieruſalem, & locis ſanctis in ea. Et primò de Templo Domini, & quibuſdam aliis. VI.

VIſitatis ergò locis prædictis, annuente DOMINO, ciuitatem ſanctam HIERVSALEM intraui, die Iouis poſt INVENTIONEM S. CRVCIS.

Hæc eſt ciuitas DEI Regis magni, de qua glorioſa dicta ſunt, maximè pretioſiſſima, agni immaculati CHRISTI ſanguine ſalutifero præparata.

Eſt autem HIERVSALEM Metropolis terræ promiſſionis, in monte ſita, iuxta illud Pſal. Fundamenta eius in montibus ſanctis. nõ parua, vel magna, ſed virtutis medium amplectens.

In ſereniſſimo aëre collocata eſt, riuis & fontibus carens intrinſecus aquam non miniſtrantibus, artificialiter aquę ductus, ac ciſternę plures ſunt, in ciuitate aquam pro neceſſitatibus tribuentes. Conducitur autem aqua in HIERVSALEM de partibus circa HEBRON, & propè viam euntibus in HEBRON, ipſe conductus aquæ huiuſmodi ſatis patet. In hac ciuitate ſanctiſſima, vt de priorib' per ſe, prius incipiam, eſt templum Domini in area ornata IEBVZÆI ad orientem; non quidem illud, quod SALOMON conſtruxit, quia hoc penitus dirutum, ſcriptura atteſtante; ſed à Deo in eodem loco reſtauratum eſt, rotundum figura, ſatis longum & latum, in circuitu, nulla ſibi de competenti ſpatio manſione alia propinquante.

Eſt autem ipſum atrium non coöpertum, ſubtus autem albo marmore benè ſtratum.

SARACENI in maxima habentes reuerentia mundiſſimum tenent, nudis pedibus intrant, & deoſculantur, genu flexi multotiens, non permittentes aliquem CHRISTIANVM atriũ vel templum intrare, dicentes ſuum locum, quem domum Dei ſingularem aſſerunt, non debere à Chriſtianis vel Iudæis, quos canes & infideles reputant, maculari.

Sanè in hoc loco templi, plurima ſingularia & mirifica DEI opera facta ſunt, ſcriptura tàm veteris, quàm noui teſtamenti, teſtante; quæ per ſingula tangere, longum eſſet.

In hoc loco Dei Sacerdos MELCHISEDECH creditur panem & vinum DEO myſticè primitus obtuliſſe.

Q Dici-

Digitized by Google

Dicitur etiam hic locus ABRAHÆ oſtenſus, vt filium immolaret, quo, præcepto angeli, illæſo permanente ISAAC, arietem hærentem cornibus in vepribus, ABRAHAM loco filii immolauit.

Dicitur etiam hic locus eſſe, vbi B. PATRIARHA IACOB vidit ſcalam erectam cacumine cœlum tangentem, & angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes, huius loci ſanctitatem inculcantes.

In hoc etiam loco vidit DAVID angelum cædentem populum, impoſuiſſe cruentatum gladium in vaginam.

In hoc etiam loco SALOMON DEO amabilis, orationem deuotam, & loco conuenientẽ ad DEVM emiſit, ac ipſum cum Sacerdotib⁹ & miniſtris præcelſa ſolennitate, inſtinctu Dei attentiſſimè dedicauit.

In hoc etiam loco B. VIRGO ante deſponſationem eius dicitur Deo fuiſſe oblata à parentibus, vt templi pannos abluendo, rupta cõſuendo, acu ornando, & huiuſmodi muliebria officia ac virginalia diligentius exhiberet.

In hoc loco MATER VIRGO poſtmodum DEO patri ſuum filium primogenitum præſentauit, ſecundum legis præceptum pro eo Domino redemptionem primogeniti maſculi offerendo; vbi etiam B. SYMEON CHRISTVM in vlnas recipiẽs, & B. ANNA Prophetiſſa SALVATOREM mundi veniſſe, clara voce ſancto inſtigante ſpiritu, promulgauit.

Ex hoc loco CHRISTVS vendentes & ementes eiecit.

In hoc loco ſæpius docuit, puerulus diſputauit, quærẽtibus dulcem reſponſionem retulit, multa mirabilia fecit, locum plurimum commendauit, quæ ſacris Euangeliis lucidiùs continentur.

Super pinnaculum huius templi Dei filius miſſus eſt, & tentatorẽ Dei clara voce animo virili repulit, & vt decuit, tanquam Dominus omnium potitus eſt ſacro miniſterio angelorum.

Iuxta hoc templũ IACOBVS MINOR, qui & FRATER DOMINI dicitur, pertica fullonis excerebratus, felix martyrium conſummauit.

Iuxta hoc templũ à ſiniſtris eſt illa vetus PORTA AVREA, & ciuitas, & atrii templi, de qua Scriptura facit cõmendabilem mentionẽ.

Propè Templum à dextris, eſt Eccleſia oblongo plumbo coöperta, quæ Scola Salomonis vulgariter dicitur.

Quidam dicunt ibi fuiſſe quoddã habitaculũ & pretioſum porticum SALOMONIS.

Non longè verſus Septentrionem eſt illa PROBATICA PISCINA curatorum debilium, ſecundum Euangelium motu angeli deſcenden-

den-

dentis. Et Eccleſia B. ANNÆ, auiæ Chriſti, ſatis pulchra, eidem piſcinæ eſt contigua, vbi B. VIRGO concepta & nata fuiſſe dicitur; ſepulturaq; IOACHIM & B. ANNÆ parentum eius, in quadam crypta ſubterranea, oſtenditur, & non longè eſt Eccleſia vbi Chriſtus inuitatus cum Phariſæo diſcubuit, illaq; peccatrix mulier beatiſſima MAGDALENA, inuerecundè verecunda ad conuiuium intrans, pedes Domini lachrymis lauit, capillis terſit, & remiſſionem peccatorum meruit obtinere.

Eſt etiam HIEROSOLYMIS locus, vbi Chriſtus flagellatur, conſpuitur, & colaphizatur, illuditur, comprehenditur, ſpinis coronatur, crucis arbore oneratur, & paſſiones pro nobis innumeras ſuſtinet, ipſe impaſſibilis patienter.

De templo Domini verſus Meridiem eſt ille benedictus mons SION, intra ciuitatem HIERVSALEM, cuius portæ ſuper omnia tabernacula Iacob à Domino diliguntur. Qui quidem mons parùm altior eſt cætero ſitu ciuitatis, de ciuitate ad ipſum aſcendentibus; verùm ab extrinſeco profundis vallibus communitus. Eſt tamẽ fortior locus vrbis, ciuitatis Dauid, à ſcripturis ſæpius nominat', in quo cæteri Reges Hieruſalem poſtmodum habitabant, in quo Dauid & Salomon plurimiq; Prophetarum ac Regum Hieruſalem, corpora requieſcunt.

In pede huius montis verſus ciuitatem SOLDANVS caſtrum fecit, & à deputato Caſtellano & ſeruientibus cuſtoditur.

Breuiter, in hoc monte ſanctiſſimo frequentatione Chriſti & benedictæ matris eius ac diſcipulorũ plura loca ſanctificata ſunt, præcipueque in certo loco huius montis filius Dei Paſcha cum diſcipulis ſuis celebrat, ſanctiſſimum corpus & ſanguinem conſecrans, diſcipulis tribuit, nouum Teſtamentum inſtituit, ꝓditorem ſententiando.

Dilectiſſimus ille diſcipulus ſupra pectus Magiſtri diſcubuit, vbi ſecretorum cœleſtium hauſit ſententias. Poſtmodum credentibus fideliter & cautiſſimè, ſecundum ſalutis noſtræ exigentiam detegendas.

In hoc monte humilis magiſter & Dominus pedes diſcipulorũ lauit, linteo præcinctus terſit, exemplo ſalutifero nos docuit, ſermonẽ Dominicum fecit in charitate, fundamentum, & conſummationem fidei ſolidauit.

In hoc monte poſt mortem CHRSITI, diſcipuli cum matre IESV in orationibus deuotiſſimè perſiſtebant.

In hoc monte poſt RESVRRECTIONEM CHRISTVS diſcipulis apparuit, clauſis ianuis, & THOMÆ ſe palpabilem præbuit, non credenti.

Digitized by Google

In hoc etiam monte, die PENTECOSTES SPIRITVS SANCTVS in diſcipulos venit, linguis igneis diſpartitis in ipſos inauditorum operum dona diſtribuens chariſmatum diuinorum.

In hoc monte poſt Chriſti aſcenſionem beatiſſima DEI GENITRIX morata eſt, & tandem ibidem decedens, in thorale ſolium cœleſte à filio eſt aſſumpta.

Item in monte SION lapis ille magnus oſtenditur, qui aduolutus erat ad oſtium monumenti.

In monte etiam SION IACOBVS MAIOR decollatur, vbi pulchra eſt Eccleſia ARMENORVM; & hæc ſola Eccleſia eſt notabilis, ad fidem NB. ☞ ROMANÆ ECCLESIÆ ſpectans, cùm tamen HIEROSOLYMIS ſint multæ Eccleſiæ Chriſtianorum ſchiſmaticorum, SVMMO PONTIFICI non obedientium: & ipſi inter ſe diuerſis hœreſibus, & ſchiſmate ſunt diuiſi.

Sectæ multæ ſunt Chriſtianorum vndique in his vltramarinis partibus, ritibus & diuerſis nominibus diſcrepantes. Sunt enim ibi GRÆCI, SYRIANI, NESTORINI, IACOBITÆ CHRISTIANI, DECENTVANI, NVBIANI, ÆTHIOPES, INDI, PRESBYTERI IOANNIS fidem tenentes, & GEORGIANI, quorum fidem modumq; viuendi ac errores deſcribere, longum eſſet.

Cæterùm pauca, quæ in HIERVSALEM & terra ſancta, ab initio vſque nunc, Dei diſpenſante prouidentia, facta ſunt, & oſtenſa, plus tamen notabilia, ob legentium deuotionem hîc narro. Singula verò magnalia DEI, qui ſcire voluerit; conuenit, vt latas S. hiſtoriæ paginas perſcrutetur.

VII. *De Monte Caluaria, & ſepulchro Chriſti, ac Eccleſia ſepulchri.*

LOcis inde prædictis in Hieruſalem luſtratis; reſtat vt de monte CALVARIÆ, & SEPVLCHRO CHRISTI finaliter proſequar, quæ in hac ciuitate finaliter requirebamus.

Sunt igitur prædicta loca intra ciuitatem HIERVSALEM, quamuis tempore CRVCIFIXONIS extra ciuitatem eſſent; quia poſt HIEROSOLYMÆ euerſionem per TITVM & VESPASIANVM factam, in reſurrectione eius poſtmodum per ÆLIVM ADRIANVM loca CRVCIFIXIONIS & ſepulchri intra ciuitatem incluſa ſunt, in vrbe ad Septentrionalem plagam quodammodo dilatata.

Super

Digitized by Google

Super hæc loca à CHRISTIANIS pulchra fabricata eſt Eccleſia, figura rotunda, choro verſus Orientem in longum, figura addita circulari, quæ deuotiſſima Eccleſia plumbo coöperta ad Occidentem de ſectis lapidibus pulcherrimam turrim habet; in ſummitate verò, ipſa Eccleſia verſus cœlum coöperta eſt circulo magno patulo exiſtente, cœleſtis luminis clariùs receptiuo.

Sub hoc circulo, in medio ſcilicet Eccleſiæ, paruula domuncula eſt, in quam propter portæ demiſſionem, verſus Orientem intrare oportet corpore incuruato: ſuprà verò teſtudinata eſt ad modum ſemicirculi, opere Moſaico, [illegible]o & marmoribus deornata nullam habens feneſtram, candelis lampade illuſtrata.

In huius domunculæ parte dextra locus eſt DOMINICÆ SEPVLTVRÆ, attingens extremitates prædictæ caſæ in longum, ſcilicet ab Oriente verſus Occidentem, cuius longitudo nouem communium palmarum eſt, latitudo verò tàm monumenti, quàm ſpacii cæteri ipſius domunculæ, reſiduum in latitudine circa ſex palmas communes vtrobiq; ſe extendit; circa 12. palmas poteſt eſſe altitudo domunculæ ſupradictæ.

Illud verò aduertendum eſt, quod monumentum illi ſanctiſſimo loco ſuperpoſitum, non eſt illud, in quo corpus Chriſti ſacratiſſimum exanime primitùs eſt immiſſum; quia ſacro atteſtante eloquio, monumentum Chriſti erat exciſum in petra viua ſcilicet, quomodo antiquorum monumenta, & præcipuè in his partibus fieri communiter conſueuerunt; illud verò ex petris pluribus eſt compoſitum, de nouo conglutinato cæmento, minus artificialiter, & minus quàm deceat, ordinatè.

Locus etiam ipſe monumenti CHRISTI, fuit per infideles longo tempore poſſeſſus ante tempora LATINORVM, & prophanatus, qui nihil in ipſo dimiſerunt, quod deuotionem fidelium poſſet de huiuſmodi prouocare.

Quando etiam HIERVSALEM capta eſt vltimò à SARACENIS, per certa pacta, & tractatus, ciuitatem ſanctam dimiſerunt, & aſſultu capta nō fuit; nec veriſimile eſt, poſito, quòd in loco ſepulchri aliquid fuiſſet de vero monumento, Chriſtiani dimiſiſſent aliquid ibidem ab infidelibus conculcandum, cùm etiam nunc fideles ſtudeant eadem loca viſitantes, de petris & terra, quantum poſſunt, portare, & ſi poſſent, vtique totam aſportarent, veſtigiis Chriſti conſecratam.

Veruntamen quicquid ſit de hoc, ipſe locus ſepulchri Chriſti

Digitized by Google

formaliter moueri non poteſt, ſed remanſit, & remanebit immobilis in æternum.

In quo loco ſacratiſſimum corpus CHRISTI DE CRVCE leuatũ; per IOSEPH AB ARIMATHIA miſſum, mulieres & APOSTOLI, & conſtantiùs prima peccatrix diligentiſſima, quod viuum dilexerant, mortuum diligentes, hunc locum deuotiſſimè viſitarunt.

Cœleſtes ciues illuc ſunt infideles credentes fideles dulci alloquio* conſolatos.

*nisi

Hic locus eſt omni deuotione meritò reuerendus, vbi corpus Chriſti ſacratiſſimum inter iniquos eſt crudeliter deputatum, anima reaſſumpta immortalitatis primitiis gloriam.........

Sæpè dictæ domunculæ parte ſiniſtra contra ſepulchrũ eminet, extra cæteros lapides, lapis quidam albi coloris groſſus, ad modum capitis hominis, benè ad ſeptem palmas à terra eleuat⁹, quẽ Chriſtianos illarum partium præ cæteris vidi deuotiùs oſculari, de quo cùm mirarer, & quare hoc eſſet, ſollicitè interrogarem, per authenticas perſonas per interpretem ibidem reſponſum eſt, quòd ille lapis ſit de vero MONVMENTO CHRISTI, qui à CHRISTIANIS ibidem poſitus eſt, vt peregrini aduenientes poſſint ipſum tangere, & videre, vt ad deuotionem ampliùs excitentur.

Supra SEPVLCHRVM CHRISTI, pulchram feci de RESVRRECTIONE DOMINI MISSAM celebrari; & aliqui de meis ſociis CORPVS CHRISTI deuotè ſuſceperunt.

NB. *Pro authoritate authorũ.* *Admiralũ.*

Poſt MISSAM feci duos MILITES NOBILES ſupra SEPVLCHRVM, GLADIOS ACCINGENDO, & alia obſeruando, q̃ in profeſſione MILITARIS ORDINIS fieri cõſueuerũt; q a* adiuratus in HIERVSALEM mihi CLAVEM dedit ad DOMVM SEPVLCHRI, neminemq́; intra Eccleſiã ſepulchri ire permiſit, niſi quem nominatim expreſſi, & intrare volui, vt quietius poſſem deuotioni vacare, & ea facere in Eccleſia, quæ mihi ad honorem DEI videbãtur expedire; & in his, & aliis ſe mihi idem CAPITANEVS gratioſum in omnibus ibidem exhibebat.

Circa locum SEPVLCHRI in eadem Eccleſia, vbi tunc HORTVS erat, poſt RESVRRECTIONEM MARIÆ MAGDALENÆ apparuit Chriſtus in ſpecie hortulani, & ſe reſurrexiſſe, per eam diſcipulis annũciat: ſed ſicut illo tempore huius loci cuſtodes infideles velut mortui ſunt effecti: ſic (heu) hodiè, DEO permittente, cuſtodes tàm ſacri loci ſunt infideles, & virtute mortui, SARACENI.

In eadem Eccleſia verſus Orientem de ſepulchro ad manũ dextram,

Digitized by Google

tram, propè Chorum Eccleſiæ eſt ille locus, ad quem aſcenditur per gradus non multos, qui parùm alt' eſt, omni memoria & laude digniſſimus, ſcilicet GOLGATHA CALVARIÆ monticulus de vna petra albi coloris, rubeo quodammodò immixto, naturaliter eleuatus, vbi dilectus fidelis animæ candidus & rubicundus, electus ex millibus, cuius colorem etiam ipſe locus viſibiliter, & fortè non caſu refert, pro ſalute humani generis, patri cœleſti obediens filius, acceptabilis hoſtia immolatur. Cuius hodiè figuram prætulit agnus Paſchalis, & cętera cuncta, holocauſta, ſacrificia, libamina, legalia ſacro velamine circundata, vnde & in eius morte velum templi ſciſſum eſt; ad deſignãdum, quòd ſacrificiorum figura ceſſante, illuxit veritas DEI filii crucis patibulo immolati; & vſq; in finem ſeculi in altaris Sacramento mirabili, quotidiè immolandi.

Et quis homo hunc locum videre poterit ſine lachrymis, tremore cordis, alta conſolatoria compaſſione mentis? vbi impaſſibilis patitur, vita moritur, & superſubſtantialis communicatiua bonitas pro nobis peccatoribus, cum impiis deputatur.

In hoc loco latroni ſerò pœnitenti culpa dimittitur, mater diſcipulo commendatur, & diſcipulus pro filio, matri, miſerabili concambio ſubſtituitur, Chriſtus denudatur, crucifigitur, clauatur, lanceatur, & tandem ſitiens, & altè vociferans ſpiritum pretioſiſſimum emittendo naturæ mortalis debito miſericordiſſimè ſatisfecit.

In hoc locò feci celebrari OFFICIVM de die PARASCEVES, & quidam ex noſtris de gratia DEI, deuotionis cumulis ibidem ſunt dulciſſimè permolliti. NB.

Sub ſacratiſſimo monte CALVARIÆ in eadem Eccleſia locus eſt, vbi S. HELENA CONSTANTINI mater LIGNVM DOMINICÆ CRVCIS inuenit, ſub terra diutiùs occultatum.

Circa hunc locum ſunt quædam columnæ marmoreæ aquam continuè diſtillantes; & ſimplices dicunt, quòd plangant & defleant mortem Chriſti; quod verum non eſt: quia vbi natura ſufficit, non eſt ad miraculum concurrendum. Eſt autem certa ſpecies lapidis in genere marmorum, quæ ENIDIOS appellatur, cuius natura per magiſtros mineralia conſcribentes, talis aſſeritur, quòd ex frigidiſſima naturali eius complexione aërem circumſtantem ingroſſando tranſmutat in aquam: in habentibus enim Symbolum facilis eſt tranſitus aquę in aërem, ſubtiliando, & aërem in aquã inſpiſſãdo. quò fit, vt aërem, aquã factum, & petræ circumpoſitũ, neceſſe ſit naturaliter diſtillare.

Vnde

Vnde in CONSTANTINOPOLI, in veteri palatio Imperiali, ſub
NB. terra quaſdam conchas marmoreas vidi de ſimili lapide, quæ plenæ exiſtentes aqua, euacuabantur aliquoties, & reuoluto anno ſine omni humano ſtudio, plenæ inueniuntur aqua, ita vt vndique effluant; quod à vulgaribus maximum miraculum reputatur. Sed ego, hoc videns, naturam lapidis conſideraui, circumſtantiam loci aduerti, admirato domino Imperatori cauſam naturalem expoſui, cui plurimùm placuit, & me ex tunc in ſingularem amorem, & honoris gratitudinem recollegit.

In hac ſancta Eccleſia ſepulchri morientes peccato, crucifigamur mundo, reſurgamuſque virtute cum CHRISTO, vt ab ipſo aſſumi in cohæredes æternæ gloriæ mereamur.

Et ſciendum, quòd ciuitas HIERVSALEM verſus Septentrionem & ſepulchrum Chriſti, minorem habet fortitudinem, & planitiem competentem, muris tamen, propugnaculis & foſſatis poſſet commodè defenſari. Ab Oriente verò valle IOSAPHAT, & meridie ac Occidente aliis coadiacentibus vallibus continuis & contiguis profundis eſt plurimum naturaliter communita. Diſtat autem à mari Mediterraneo ipſa ſancta ciuitas per vnam dietam communem cum dimidia, magis propinquum habens portum IOPPENSEM, de quo feci in præcedentibus mentionem.

VIII. *De Locis ſanctis in circuitu Hieruſalem, & locis ſanctis vſque ad fluuium Iordanis.*

CIuitate ſancta HIERVSALEM diligentiùs perluſtrata, proceſſi verſus Occidentem ad montana IVDÆÆ circa quinque milliaria ad locum, vbi B. VIRGO poſt conceptionem SALVATORIS noſtri cognatæ ſuæ ELIZABETH ad 6. menſes grauidæ de præcurſore Domini, occurrit congratulans, ſalutationem dulciſſimam emittendo. qua IOANNES diuinitùs excitato materno vtero, geſticulis infantilibus exultando, virginalem conceptum DEI filium nunciat, matreſque vtræq; hinc inde deuotione humili DEI præconia intulerunt; hæc DEI genitricem; illa verò præcelſa genitrix verbis apertiſſimis DEI magnificans ſalutare.

Digitized by Google

In hoc loco eſt competens Eccleſia, vbi SEPVLCHRVM PRÆCVRSORIS DOMINI oſtenditur,

Ac propè à ſiniſtris eſt caſtellum EMAVS apparitione Domini conſecratum.

Propè eſt locus vbi arbor viuificæ Crucis veniſſe dicitur, pulchra Eccleſia ſignatus, & competenti clauſtro, vbi religioſi Chriſtiani, GEORGIANI nomine, ſchiſmatici commorantur.

De hoc loco redii non multum de HIERVSALEM ad ſepulchra plurimorũ PROPHETARVM, me quodam benè literato IVDÆO TEVTONICO ducente. Quæ ſepulchra IVDÆI conſueuerunt viſitare.

Et procedens redii pertrãſiens iterum CIVITATEM SANCTAM, exienſque de porta eius BARIOLA ſupra VALLEM IOSAPHAT, veni ad locum, vbi S. PROTOMARTYR STEPHANVS lapidatur, & à SAVLO veſtes lapidantium conſeruantur. Ibi B. STEPHANVS CHRISTVM à dextris DEI cernit, qui pro lapidantibus orando, ſpiritum moriens Chriſto commiſit.

Inde deſcendi ad vallem ſanctiſſimam IOSAPHAT, ſupra quam ſituata eſt ciuitas ſancta ſine medio, in qua torrens CEDRON, quondam fluxit ſuis temporibus, ex aquis pluuialibus coaccreſcens: iuxta quem in pede montis OLIVETI erat hortus, quem DEI filius intrare conſuetus fuerat. Poſtquam à diſcipulo traditus eſt: ibidem à traditore improbè oſculatur, capitur & ligatur, auricula MALCHO amputatur, & ſanatur; tanquam ouis ad victimam innocens ducitur, diſcipulique electi fugiunt, beneficiorum DEI immemores, illumque ſolum relinquunt, qui ſi ipſos, mundumque relinqueret, pariter in nihilum deciderent, nec in ſe poſſent perſiſtere ad momentum.

In huius vallis principio à ſiniſtris eſt Eccleſia beatiſſimæ VIRGINIS, in quam deſcenditur per plures gradus lapideos, quia pro maiori parte ſub terra eſt. quod credo etiam ruina ciuitatis HIERVSALEM vallem replentibus accidiſſe.

Hæc Eccleſia non pulchra, ſed deuota eſt, cuius medio in paruo tugurio SEPVLCHRVM MATRIS DEI oſtenditur, in quo ab APOSTOLIS aſſeritur tumulata. NB.

Supra ſepulchrum eius pulchram feci celebrari MISSAM DE ASSVMPTIONE ipſius VIRGINIS GLORIOSÆ.

Hic locus omni deuotione reuerendiſſimus fidelium animis attollitur, vbi templum DEI, ſacrarium ſpiritus ſancti, monſque ſolemniſſimus, de quo exciſus eſt lapis angularis, ſine manibus ponitur, recipi-

cipitur, & quamuis pauco tempore continetur. Non enim diu corpus illud ſanctiſſimæ Virginis ibi dimiſſum eſt, ſed ſtatim anima reaſſumpta, reſurrectionis & immortalitatis dotibus, æterniſque præmiis gloriatur.

Propè hanc Eccleſiam ſub rupe locus eſt, vbi Dei filius proſtratus in terram, ſudore ſanguineo decurrente, acerbitatem mortis, humana conditione, quam Dei verbo vnita prænouerat, naturaliter abhorrente, quò manifeſtè edocuit, ſe naturam noſtram veram, ſine culpa tamen humanis paſſionibus ſubditam, in omnibus aſſumpſiſſe.

In hac etiam valle in pede montis, ſuper quem ſancta ciuitas cõſtituta eſt, ſub terra quodammodo ſunt NATATORIA, SILOE, fons ſcilicet Chriſti Euangelio non ignotus.

Ex oppoſito eius ſtatua quædam lapidea bonæ magnitudinis, & artificioſa cernitur, quam, vt dicitur, ABSALON, ob memoriam ſui, fieri præcepit, & in I. Regum manus ABSALON appellatur.

Super vallem IOSAPHAT verſus Meridiem eſt ager ille ACELDEMA in ſepulturam peregrinorum; pretio Chriſti ſanguinis comparatus, vbi multorum corpora ſanctorum requieſcunt, ſub quo in petris exciſa ſunt multorum Chriſtianorum habitacula, & oratoria gratioſa.

In hac S. valle IOSAPHAT CHRISTVS ad iudicium venturus creditur, poſt finalem reſurrectionem corporum, auctoritate iudiciaria, vnicuiq; ſecundum opera, quæ egit, mercedem propriam redditurus.

In prædicta etiam valle locus oſtenditur, vbi PETRVS verè pœnitens amarè fleuit, de eo, quod nouiſſe ſe, denegauerat SALVATOREM.

Propè etiam locus oſtenditur, vbi ille miſerrimus TRADITOR impœnitens pœnitendi miſericordiæ infinitæ, tanquam alter CAIN, horribiliter deſperatione obſtruxit oſtium, laqueo mortis ſe ſuſpendens, ſeipſum vita corporis & animæ nequiter ſpoliauit.

His viſis, conſcendi ad MONTEM SANCTVM OLIVETI, ab oliuis nomen habentem. Nam oliuæ in ipſo & circa ipſum plures ſunt.

Inter ipſum montem & ciuitatem ſanctam ſolum intereſt vallis IOSAPHAT. Et quia prædictus mons altior eſt, quàm ciuitas, & mons SION, & vallis etiam intermedia non eſt multùm lata. De ipſo monte ciuitas intrinſecus in magna parte poteſt proſpici & templum, quod à turri de ipſo quilibet poterit clariùs intueri.

Mons iſte præclarus ad Orientem ex oppoſito ciuitatis, & templi, eſt pulcherrimè ſituatus, in quo DOMINVS cœlos aſcendit, diſcipulos

Digitized by Google

pulos ad euangelizandum miſit, baptizandi formam dedit, credentibus æternæ ſalutis præmium repromiſit, ſuis finaliter benedixit, viſione Angelica confortauit: de ſecundo eius aduentu iudicio certos fecit. Hunc etiam montem Dei filius antè hæc opera, cum diſcipulis frequentius viſitauit.

In monte OLIVETI VESTIGIA quædam apparent in petra, quæ ſunt, vt dicitur, DOMINI aſcendentis; in quo loco pulchra fuit Eccleſia, ſed (heu) nunc plurimùm diſſipata.

Propè eſt BETPHAGE, vnde Dominus diſcipulos in ciuitatem miſit, vt aſinam & pullum adducerent, quibus, vt Deus magnificè receptus à populo, Euangelica hiſtoria memoratur.

Poſthæc veni in BETHANIAM, in cliuo montis OLIVETI, verſus Orientem ſitam, domum MARTHÆ & LAZARI fratris eius.

Hic fuit ſingulare hoſpitium DOMINI vſitatum, vbi CHRISTO felix MARTHA ſolicitè miniſtrabat, MARIA MAGDALENA pedes Domini non relinquens, diuinitatis myſteria dulcius hauriebat.

Hic dulce Dominus, pietatis fons lachrymatus eſt, miſericordiæ riuulum neceſſitatis tempore non obſtruens, ſed deuotè pœnitentibus ipſum diſtribuit copiosè. Hic quatriduanus LAZARVS mortuus reſuſcitatur, futura reſurrectione, tàm facti euidentia, quàm MARTHÆ confeſſione, lucida viſione comprobatur.

De hoc ſancto loco parua dieta eſt ad IORDANEM, deſerto quodam montoſo medio exiſtente, quo ſemiuiuus relictus à latronibus, SAMARITANI miſericordia releuatur.

In fine huius deſerti mons altus eſt, in quo 40. diebus & 40. noctibus DOMINVS dicitur ieiunaſſe, & illuc ductus à SPIRITV SANCTO, vt à dæmone tentaretur; cuius tentationem ibidem auctoritate diuina, virili animo ſuperauit.

In altitudine huius montis fuit Eccleſia, & circa medium eius eſt exciſum eremitorium valdè gratum, GEORGIANI CHRISTIANI tenent SCHISMATICI, qui me receperunt plurimùm gratiosè.

Infra hunc montem verſus planitiem IORDANIS, eſt hortus & fons pulcherrimus atque magn⁹, circa quem B. ABRAHAM de CHALDÆA præcepto Dei veniens, aliquandiu dicitur habitaſſe; vbi & altare ædificauit, nomenq; Domini inuocauit. Vnde hodiè HORTVS ABRAHÆ nuncupatur.

Poſthæc veni in HIERICHO, quæ in ipſa valle IORDANIS ſita eſt, &

Digitized by Google

nunc caſale eſt, olim fuit fortis ciuitas & amœna, quam IOSVE DEI famulus miraculosè cepit.

Inter omnes ciuitates terræ promiſſionis primò funditus præcepto Domini ipſam deſtruxit, ac renouantem fundamenta, in perpetuum maledixit.

De hac tamen ciuitate ſola RAAB meretrix, quæ nuncios receperat, & occultauerat, incolumis cum ſua progenie conſeruatur.

Propè hunc locũ à dextris, vix ad tria milliaria, eſt MARE MORTVVM, circa 40. milliaria in circuitu habens, fœtens & horridum, locus deteſtabilis, & abiectus, vindictæ DEI manifeſtum indicium, in cuius loco SODOMA & GOMORRA cum aliis duabus ciuitatibus naturaliter delinquẽtes, ſupernaturali acerrimè cœleſti cauſa(?) ſunt ſubmerſæ.

Ad quem locum cùm ire proponeremus, SARACENVS interpres mihi dixit, Pro locis, quibus Deus benedixit, peregrinus veniſti: non debes ad loca accedere, quæ maledictionem Domini promeruerunt. Quo verbo ædificatus, & rationabiliter retractatus, directum iter ad IORDANIS fluuium proſequebar.

Circa mare mortuum à dextris verſus montes Iſraël, vxor LOTH contra mandatum Dei reſpiciens miraculosè in ſtatuam ſalis verſa eſt. vtrum aliquid de ipſa manſerit, pro certò non potui informari.

Et propè eſt ciuitas paruula, SEGOR, quæ oratione LOTH ſaluata eſt, cui mons ſupereminet, in quo cum filiabus inceſtũ egit LOTH, quæ de patre inebriato per eas, concipientes, MOAB & AMMON filios genuerunt.

Quæ patria, IDVMÆA, ſiue mons SEIR, ſeu EDOM dicitur in ſcripturis.

CADESBARNE quoque ad AVSTRVM contra MARE RVBRVM ſituata eſt; infra quam CARMELVS eſt, in quo NABAL in deſerti confinibus habitabat. 1. Reg. 25.

Vltra MARE MORTVVM verſus Orientem, extra fines terræ promiſſionis, eſt caſtrum fortiſſimum in montanis, quod Latinè MONS REGALIS dicitur, In ARABICO autẽ TRACKH, olim fuit CHRISTIANORVM, nunc verò eſt SOLDANI, ad quod in periculis confugit, theſaurumque, ac prolem ibidem aliquoties conſeruari, ... quia munitiſſimus locus eſt totius SYRIÆ & SOLDANI dominii.

In hac parte dicitur, quòd ſub caſtro in villa, quæ Solackh dicitur,

tur,* in terminis eſt Chriſtianorum ſchiſmaticorum, circa 40. milliaria commoretur de illis partibus mundi. * locus vitioſus.

De fluuio Iordanis, & locis ſanctis, quæ ſunt in itinere verſus Galilæam, & in Galilæa de mari Tiberiadis. IX.

PRædictis inde locis diligentiùs viſitatis, ad ſacrum IORDANIS fluuium perueni, in quo more ſolito balneatus ſum cum cæteris peregrinis.

Hic fluuius non eſt magnus, nec multùm profundus, limoſum fundum habens, & bonos piſces, dulcis ſaporis aquam continens.

Verſus Septentrionem circa quatuor dietas de hoc loco in radice montis LIBANI, ſcaturiens ex duobus fontibus IOR & DAN, collectus re & nomine trahit originem propè per locum, vbi CHRISTIANI communiter balneantur, in MARE MORTVVM prædictum dilabitur, & non apparens vlterius, inibi abſorbetur.

Ach, quòd tàm ſacer fluuius & delectabilis, tàm deteſtabili lacui admiſcetur!

In hoc ſanctiſſimo fluuio Dei filius ab altiſſimo præcurſore baptizatur, vox Dei Patris auditur, Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ deſcendens cernitur, lauacrum regenerationis efficitur, vndis naturalibus ſupernaturale Dei donum ad ablutionem peccaminum erogatur.

Hunc fluuium ſicco veſtigio filii ISRAEL tranſierunt, 12. lapides de ipſius fundo ſecundum numerum duodecim tribuum aſſumētes, & totidem aliundè ſumptos in eius medium deponentes, in memoriam miraculi perpetuò recordandi.

Vndis huius fluuii NAAMAN SYRVS à lepra curatur. Et breuiter, pluribus præmiis hic fluuius diuinitùs inſignitur. Circa quem beatiſſimus IOANNES BAPTISTA moratus eſt, & baptiſmum pœnitentiæ prædicauit, diſcipulos collegit, CHRISTVM indice demonſtrauit; agnum Dei, peccata mundi tollētem, aſſeruit, & veraci teſtimonio comprobauit.

Circa hunc fluuium plurima MONASTERIA ſunt, ſcilicet B. IOANNIS, & alia deuota, vbi CHRISTIANI SCHISMATICI tamen, vitam ducunt.

Digitized by Google

Et propè eſt ciuitas HAY, per IOSVE expugnata.

In his partibus plures ſunt leones ſiluatici, aliquoties in pecoribus & iumentis, damna habitantibus inferentes.

De his locis proceſſi verſus prouinciam GALILÆÆ per mediam IVDÆAM & SAMARIAM in tribus diebus. Et primò in hoc itinere dimittens CIVITATEM SANCTAM à ſiniſtris, perueni in RAMATHAM SOPHIM, in montem EPHRAIM altum, vbi HELCANA & B. ANNA SAMVELIS mater, commorati ſunt; ibidemq; ſanctus Propheta natus & defunctus.

Et ſciendum, quòd in hac media peregrinatione non ſemper ſecutus ſum publicas vias & vulgares; ſed pro viſitandis S. LOCIS, hinc inde voluntariè multotiens deuians.

Sic igitur procedens vlterius veni in SYLO, locum ſanctum atq; amœnum, vbi ARCA DEI ſub HELI ſacerdote longo tempore ſeruabatur, ſicut aſtruit liber Regum.

Hic vota & ſacrificia populi Domino reddebant. SAMVELI primò Deus hîc locutus eſt, & ſibi inter cætera de mutatione ſacerdotii intimauit, & reuelauit.

Propè à ſiniſtris è GABAON, & ex oppoſito GABAA de propinquo RAMA BENIAMIN, quorum locorum ſacra hiſtoria recordatur.

Inde procedens veni in SICHEM, vel SICHAR, vbi eſt prouincia SAMARITANORVM. Vallis eſt pulcherrima, ac fœcunda, ciuitaſque bona, quæ nunc NICOPOLIS appellatur; iuxta quam circa viam verſus IVDÆAM, DOMINVS cum muliere SAMARITANA, propè puteum loquebatur; qui adhuc ibidem oſtenditur, ſed aliquantulum obſtructus eſt; ſupra quem locum olim pulchra erat Eccleſia, nunc plurimùm diſſipata.

Non longè eſt ſepulchrum beatiſſimi IOSEPH Patriarchæ, cuius oſſa de ÆGYPTO ſunt ad ipſius præceptum à filiis ISRAEL tranſportata. Hunc locum IVDÆI plurimùm reuerentur.

In prædicta ciuitate DINA filia IACOB rapta eſt; ſed crudelis vindicta vrbis habitatoribus à duobus Iacob filiis poſtmodum eſt illata.

In hac prouincia SAMARIÆ, eſt quædam ſingularis ſecta hominum, qui SAMARITANI ſpecialiter nominantur. Hi nec legem CHRISTIANORVM, aut IVDÆORVM, aut SARACENORVM, ſed nec PAGANORVM ſectantur. Sed vnũ Deũ dicentes, opiniones, ritus colendi, ac modos viuẽdi mirabiles tenẽt, ſe ſolos reputantes de numero ſaluandorũ,

& etiam

& etiam in habitu ab aliis diſtinguuntur; quia tamen in his partib' habitantes generaliter inuoluunt capita linteis longiſſimis, CHRISTIANI quidem flauis, SARACENI albis, IVDÆI glaucis; horum capita rubeis inuoluuntur, qui ſe dicunt Dei dilectiſſimos inter omnes.

De SICHEM inde proceſſi verſus SAMARIAM, quondam famoſam ciuitatem, caput huius prouinciæ, quæ eſt SAMARIA, ab hac nominatur ciuitate, nunc SEBASTE dicitur, & multum aſſimilatur ciuitati ſanctæ in ſitu.

In hac fuit caput & ſedes regni decem tribuum, poſtquam ſub filio SALOMONIS, ſe à tribu Iuda & Beniamin diuiſerunt; ſucceſſores quidem ſecundum ſanguinem DAVID, regnantes in HIERVSALEM; Reges IVDA: regnantes verò in SAMARIA, per 10. tribus; Reges ISRAEL dicebantur.

Hæc egregia ciuitas deſolata eſt, & deſtructa, in monte valdè pulchro ſita, aliquas ECCLESIAS CHRISTIANORVM adhuc, & præcipuè vnam valdè pulchram habuit, cuius adhuc apparent veſtigia, vbi caput beatiſſimo IOANNI BAPTISTÆ abſcinditur, & corpus acephalum à diſcipulis tumulatur.

Qui ſacer locus illius effuſione ſanguinis conſecratus, quo inter natos mulierum nemo maior ſurrexit, hoc ipſa veritate, quæ CHRISTVS eſt, atteſtante. Huius ciuitatis ruinæ magnæ nunc apparentes, multitudo columnarum marmorearum, innumeroſitas monumentorum mirabilium, in ipſa, & circa ipſam adhuc exiſtentium, antiquã nobilitatem eius, & excellentiam indicant euidenter.

Inde procedens, montanis dimiſſis, veni in planitiem GALILÆÆ. Eſt autem GALILÆA prouincia terræ promiſſionis melior & fertilior, planis montibus atque vallibus multum grata, coruſcatione, veſtigiis, ac miraculis SALVATORIS multum illuſtrata, in cuius planitie ac decliuis montium, hæc loca ſancta ſunt ad memoriam meritò reuocanda; videlicet, NAIM, ciuitas CAPHARNAVM, BETHSAIDA, CANA GALILÆÆ, &c. vbi, quæ prodigia Dei filius fecerit, hic diſſerere non oportet; cùm hæc ſacra Euangelia elucident, in Eccleſiis quotidiè recitata. Confert ſupra modum homini, loca hæc ſanctiſſima videre: quia deuotio excitatur, & videtur, quòd vita CHRISTI, ac APOSTOLORVM, quodammodo oculis inſpiciatur corporeis, & ex hoc in corde fundamentum fidei firmius ſtabilitur.

Circa fines GALILÆÆ à dextris, ſunt mõtes GELBOE, vbi gladiis infidelium primus Rex populi ISRAEL SAVL, & eius filius IONATHAS cecide-

Digitized by Google

ceciderunt, ſuper quorum morte piiſſimus Rex DAVID planxit notabiliter, verba exprimens conuenientiſſima ſigna cordis amicabilis ac ſinceri.

Ex quorum ſententia ſubtiliter trahitur, quantùm amor amicitiæ maior eſt amore concupiſcentiæ, naturali amori inter mortales maximè coæquatus. Qui amor videtur eſſe, quem ad filium vnigenitum fert indiſſolubili glutino GENITRIX virtuoſa.

In prædictis montibus ſubacto fideli populo, ARCA DEI ducitur captiuata.

E contra, eſt mons HERMON, circa quem dilabitur torrens CYSON, circa ipſam GALILÆÆ planitiem, quæ campus ESDRELON appellatur.

His viſis, quodam monte tranſito, dimiſſa planitie GALILÆÆ, veni ad ſacratiſſimam ciuitatem NAZARETH, quæ nunc villa campeſtris eſt, immunita, domibus & habitaculis non collectis, ſed ab inuicem diſtantibus & diſperſis.

Eſt autem NAZARETH ſita in valle paruula, plurimùm generoſa, montibus vndique circumcluſa; hæc eſt propria ciuitas Redemptoris, vnde ſecundum carnem traxit originem, vnde & dicitur NAZARENVS.

In hoc loco florido initium noſtræ ſalutis effloruit, dum DEVS DEI filius ex caſtiſſimis ſanguinibus virgineis carnem aſſumens, humanam naturam diuinæ hypoſtaſi ineffabiliter coniunxit, quo virtute Spiritus ſancti fœmina originalis peccati eradicauit ſurculum, qui per fœminam ſuaſione maligni ſpiritus in ſalutis perniciem diutius germinauit.

Mens non concipit, lingua tabeſcit, Scriptura titubat huius prærogatiuam inæſtimabilem enodare; vbi ARCHANGELVS optimi nuncii baiulus, VIRGINEM glorioſiſſimam ſalutando, cœleſti Patri procatur ſponſam, vt conſenſu requiſito & debitè adhibito, dignè à Deo præelecta puella fieri Dei genitrix mereretur.

Breuiter: in hoc loco conceptio CHRISTI, omnium operum Dei mirabilior, in virginali vtero celebratur, & obumbratione ſancti Spiritus fœcundatur, fructu nobiliſſimo, curſum naturæ ordinem ac limites excedente.

NB. In hoc loco pulchra fuit Eccleſia, atque magna, ſed (heu) quaſi deſtructa eſt; paruulus tamen locus in ea coöpertus eſt; & à SARACENIS diligentiùs cuſtoditur; vbi circa quandam columnam marmoream,

am,

Digitized by Google

am, aſſerunt eſſe perfecta CONCEPTIONIS MYSTERIA veneranda.

In NAZARETH ſunt peſſimi SARACENI, & videtur, quòd fuerint ab antiquo, vt rationabiliter dictum ſit, in Euangelio: A NAZARETH poteſt aliquid boni eſſe? Ad infinitam ſiquidem DEI bonitatem pertinet, vt ex malis bona eliciat, & ex peſſimis optima diſpoſitione ſuauiſſima præferantur.

In prædicto loco, CHRISTI INFANTIA peragitur, à parentibus educatur, proficit ætate & gratia, ac pro nobis parentibus ſubditur, cuius nutui obediunt vniuerſa.

Fons ibidem oſtenditur, vbi puer IESVS balneatur, veſtes quoque per MATREM VIRGINEM abluũtur, de quo & portare aquam ad hoſpitium, pro humanis neceſſitatibus, tàm mater, quàm filius conſueuerunt.

In loco CONCEPTIONIS pulchram feci celebrari MISSAM de ANNVNCIATIONE GLORIOSÆ VIRGINIS. NB

Propè ad vnum milliare locus eſt, qui SALTVS DOMINI appellatur; vbi CHRISTVS ductus eſt, vt præcipitaretur de montis cacumine; tranſiens per medium illorum ibat, Euangelio atteſtante. De loco proceſſi verſus montem THABOR, in media die. Hic mons formoſus eſt, & benè altus, in quo quondam erat ciuitas, fortis, vbi & apparent aliquæ CHRISTIANORVM Eccleſiæ, deuotione congrua venerandæ.

Ibi enim CHRISTVS frequenter diſcipulos docuit, arcana ſecretorum cœleſtium reuelauit, vt ex hoc nõ immeritò ſingularis ſchola Domini nuncupetur, cœlum Empyreum repræſentans, vbi DOMINVS noſter trãsfiguratus eſt, vox patris audita eſt, MOYSES & HELIAS viſi ſunt à tribus diſcipulis, ad hanc viſionem aſſumptis, felicitatiſq; æternæ dulcedo ibidem quodammodo eſt prægustata. Vnde Petrus Domino dixit confidenter: Domine bonum eſt nobis hic eſſe, &c. quæ ſequuntur.

De loco veni ad mare GALILÆÆ, & ad TIBERIADEM ciuitatem, ſupra ipſum mare ſine medio ſituatam.

Eſt autem mare lacus non multùm magnus, ſcilicet, forſitan circa 40. milliaria in circuitu continens, per cuius medium fluit IORDANIS. bonos piſces habet, in magna copia, & aqua eius dulcis eſt, ac amabilis ad bibendum. Ciuitas verò ipſa TIBERIADIS parùm valet; & parùm valuiſſe videtur etiam ab antiquo. Sunt tamen bona balnea naturalia apud ipſam.

Sanè ſupra mare GALILÆÆ prædictum CHRISTVS ſiccis pedibus ambulauit, ipſum tempeſtuoſum ac ventis agitatum, tranquillum eſſe iuſſit; PETRVM, dum in ipſo mergi cœpiſſet, erexit; poſt reſurrectionem ſuam ibidem diſcipulis apparuit; ipſos piſcari iuſſit, eorumq; retia magnis piſcibus adimpleuit.

In hoc mari DOMINVS ſæpè nauigauit, circa ipſum PETRVM & ANDREAM vocauit, multaq; millia hominum paucis panibus & piſciculis ſatiauit; & ſua frequenti præſentia partes has dignas fecit, pariter & deuotas.

In capite huius maris, verſus SEPTENTRIONEM eſt forte caſtrum ac altum, IAPHET nomine, ac villa eiuſdem nominis delectabilis, atq; magna. Hoc fortalicium ſecundum gradum tenet poſt TRACKH, cuius ſuprà meminimus in his partibus. Verùm intra terram promiſſionis, huic caſtro aliud in fortitudine & ædificiis non æquatur.

Aphet.

Non longè ab hoc caſtro circa 30. milliaria eſt ciuitas DAN, alter terminus terrę promiſſionis in longum verſus SEPTENTRIONEM, quę & VELENA, & CÆSAREA PHILIPPI dicitur; in pede montis LIBANI delectabiliter ſituata: & vocatur hæc regio intermedia GALILÆA ſuperior, aut SALTVS LIBANI, aut terra ROOB, vel DECAPOLIS, in ſcripturis.

Et ſciendum eſt, quòd terra promiſſionis in longitudine, ſcil. à DAN vſque BERSABEE, de plaga SEPTENTRIONALI verſus AVSTRALEM protenſa, tenet circa 140. milliaria: in latitudine verò, ab Oriente in Occidentem, ſcilicet à finibus HIERICHO vſque ad IOPPEN, parùm vltra 40.

Secundum Brocardū & Salmeronem latitudo terræ promiſſionis non excedit 26. leucas. eius verò longitudo, quæ ſumitur ab Aquilone ad Auſtrum vix continet 120. leucas.

Vnde cùm ſit à DEO ſuis terminis coarctata; admirabilis numeroſitas populi ISRAEL, nobilitatiſq; magnitudo, potentiæ diuitiarumque ipſius ſingularis excellentia, meritò debet attribui miraculorum operatrici diuinæ potentiæ, & non humanæ induſtriæ, curſuiq; vſitato naturæ, qua patientia ac Dei gratuita prouidentia, ipſi filii Iſraël prædictas partes conquirere, inhabitare, ac vſque ad præfinitum tempus meruerunt, ſecundum incomprehenſibilia Dei iudicia poſſidere.

):(

Digitized by Google

X

De Damaſco & terminis eius, ac montibus Libani, ac de fine peregrinationis.

TErræ igitur ſancta promiſſionis in longitudine, latitudine eius, ac in circuitu ſolicitè perquiſita, IORDANEM tranſiui ponte in eo loco, vbi ipſe fluuius ſe à mari GALILÆÆ ſeparat: deinceps fluenta proprii aluei, ex terræ ſanctæ lateribus vſq; ad voraginem lacus mortui conſeruando.

In hac terra vltra IORDANEM duæ tribus & dimidia poſſeſſionem hæreditariam ſortitæ ſunt, mandato Domini, ſicut textus ſacræ paginæ atteſtatur, vbi eſt terra Regis BASAN, à terra GERASENORVM, CEDAR quoque, ac villa COROZAIM circa IORDANEM, & in circuitu maris TIBERIADIS collocata.

Inde procedens, in tribus diebus veni ad DAMASCVM, ciuitatem nobilem ac formoſam.

Hæc regio intermedia, quæ eſt à monte HERMON, maioris plagæ, ſcil. Septentrionali partim, & orientali, vſque ad mare GALILÆÆ, vocatur regio TRACONITIDIS; & partim terra HVS beatiſſimi IOB habitatio memoranda.

Et ſciendum, quòd tota regio, quæ eſt inter deſertum ÆGYPTI & ARABIÆ protenſa de Auſtro in Septentrionem vſque ad CILICIAM, ARMENIAM & CHALDÆAM, & ab Oriente deſerto magno vſque ad Occidentem, mare Mediterraneum, generali vocabulo SYRIA appellatur, in plures ſpeciales prouincias ſubdiuiſa.

Partes namq; eius ſunt, SYRIA PHOENICIS, PALÆSTINA, IVDÆA, GALILÆA, MESOPOTAMIA SYRIÆ, SYRIA LIBANI, ac SYRIA DAMASCENA, & aliæ huiuſmodi, quas ſigillatim diſtinguere longum eſſet.

Cæterùm, propè DAMASCVM, verſus terram promiſſionis locus eſt, vbi SAVLVS diuinitùs proſternitur, PAVLVS erigitur, CHRISTO informanti conſentit, & de perſecutore vas electionis fit, annuente clementia SALVATORIS.

In DAMASCO ipſe PAVLVS tribus diebus non videns, permanſit, nullo cibo corporali penitus recreatus. Quo triduo ad tertium cœlum rapitur, arcana verba audiens, quæ non licet homini loqui, vt ipſe de ſe loquens, in epiſtola manifeſtat.

Dicit B. Aug. in l. de videndo Deum, & ſuper Geneſin ad lite-

ram, quòd in hoc raptu triduano Paulus Deum per eſſentiam viderit, in carne ſcilicet viuens, ſenſibus tamen carnis minimè quoad hanc viſionem vtens; oculis namque corporalibus, quanquam cognitiua virtute oculo corporeo alligata, nullo modo diuina eſſentia ab aliquo poterit intueri; ſed ſolus intellectus videre ipſum diuinum eſſe poterit........ quadam, lumine gloriæ illuſtratus. Et D. Aug. ibidem dicit, quòd nulli in hac vita datum eſt, Deum per eſſentiam videre, niſi primis duobus Doctoribus; PAVLO quidem Gentium, & MOYSI IVDÆORVM.

O quanta profunditas Sapientiæ infinitæ, quæ ſeipſa, clarè & immediatè primos magiſtros diuinæ veritatis voluit informare, vt irrefragabilibus fundamentis diſciplinæ innixi, docerent inſtantius, riuis beatificis humana corda arida irrigando, quos riuos à primo veritatis fonte, clara viſione nouerant effluxiſſe!

Eſt autem DAMASCVS, cuius antè memini, antiquiſſima, pulcherrima, & ditiſſima ciuitas omnibus mercationibus, & victualibus præabundans. Species namque INDICÆ, petræ ſpecioſæ, ſericum plurimum, aromata infinita, illuc de BALDACO, & cæteris partibus Orientis, PERSIA & INDIA, & à maiori ARMENIA in camelis & aliis ſameriis adducuntur; & inde per mercationes ad alias mundi partes longè & latè vndique diſperguntur.

Diſtat autem DAMASCVS à mari tres dietas, multùm delectabilis exiſtens aquis fluentibus mediocribus quantitate, fontibuſque præclaris intus & extra irrigata, in circuitu ſui hortos habens, vt dicitur, circa 40. milliaria, arborum amœnitate, & vtilitate fructuum, vltra quàm credi poteſt, humanis ſolatiis & refocillationibus adaptatos. Dicitur, quòd quilibet hortus cuſtodibus ex æquo diuiſis, ad minus habeat tres cuſtodes; quod ſi verum eſt, ex ipſis conſurgit in ſumma perſonarum maxima multitudo.

Ipſa ciuitas in ſe multum populoſa eſt, artifices mechanicos diuerſi generis optimos habens, & præcipuè Medicos excellentes.

De DAMASCO proceſſi ad IMAGINEM B. VIRGINIS in SARDANY, vbi eſt locus fortis ſupra petram, ad modum caſtelli muratus in circuitu, in quo ſatis pulchra eſt ECCLESIA.

Retrò maius altare ipſius in muro tabula quædam retrò nigra & humida cernitur, in qua imago glorioſæ VIRGINIS olim depicta fuiſſe aſſeritur, ſed propter vetuſtatem nihil de lineamentis figuræ diſtinguitur in eadem, niſi quòd aliqua parte color rubeus mihi videbatur ali-

qua-

Digitized by Google

qualiter apparere. Hæc tabula mediocris quantitatis; ſuper vas quoddam marmoreum poſita intra muros cancellis ferreis præmunita, de ipſa viſibiliter oleum quaſi continuè ſtillat, quòd MONACHI recipientes de vaſe marmóreo, quod ſubtus eſt, per cancellos immiſſo cocleario peregrinis diſtribuunt ſatis largè: per omnem modum videtur eſſe oleum oliuæ.

Dicitur, quòd aliquando de hac imagine oleum miraculosè fluxit; ſed ſi hoc quidem modo fluit, diuino fluat miraculo, rationabiliter dubito, & etiam multi alii de veritate huius facti non immeritò altercantur.

Monachi & Moniales in prædicto clauſtro ſunt degentes.

In caſali pulchro, quod ſub monaſterio eſt, Chriſtiani ſchiſmatici commorantur, bono vino ſatis abundantes.

Hic locus à DAMASCO ſeiungitur ad mediam diurnatam.

Inde recedens, dimiſſis à dextris ANTIOCHIA, quæ quondam ABBATA dicebatur, olim magna & multum nobili ciuitate, & TRIPOLI famoſa, quæ olim CHRISTIANORVM fuerunt, nunc verò per SARACENOS deſertæ ſunt & deſtructæ, proceſſi verſus BRVTIM in tribus diebus, in via media tranſita valle BOCKHAR, quæ fertiliſſima & pulcherrima eſt inter montes hinc inde protenſa, riuis, pratis, piſcibus, pecoribus prædita, ac SARACENIS habitatoribus benè plena, veni ad montes LIBANI gratioſos, qui in longum protenduntur, verſus AVSTRVM à CILICIA, quæ nunc ARMENIA minor dicitur, propter ARMENOS, qui eam vi ceperunt, & tenent omnibus habitatoribus ſubiugatis vſq; ad DAN, terræ promiſſionis initium; de quo feci ſuperius mentionem.

Hi montes pleni ſunt pulcherrimis caſalibus, habitatoribus, fructibus, fontibus, ac cæteris opulentiis temporalibus, cedris, cypreſſis, ac pluribus huiuſmodi odoriferis non carentes.

In parte LIBANI propè TRIPOLIM, quæ vulgariter MONTANEA NIGRA dicitur, commorantur circa viginti millia CHRISTIANORVM, vt dicitur, boni ſagittarii, ac viriles homines, Paſſagium Latinorũ plurimum affectantes, à iugo SOLDANI, plus, quàm alii CHRISTIANI deſiderant releuari.

Sicque LATITVDINE Libani tranſcenſa, perueni ad BRVTENSIVM ſplendidiſſimum oppidum ſupra mare optimè ſituatum, arboribus, hortis, fructibus, fontibus prædecoris.

Huius in Prologo DIGESTORVM meminit IMPERATOR.

Supra BRVTVM verſus CILICIAM eſt locus fortis, qui BIBLEVM

nominatur, ſupra mare; & propè ex alia parte eſt SIDON ciuitas, atque SAREPTA SIDONIORVM, quorum locorum ſacra pagina recordatur.

Exiſtens ergò in BRVTE, quæ nunc SARACENORVM eſt dominii, peregrinatione mea, annuente DEO, proſperè peracta, deſideraui multùm recedere, & ad portum CHRISTIANORVM naui pertingere, vt poſt laborem, aliquali quietis commodo recrearer. Spiritualiter, portus CHRISTIANORVM Chriſtus eſt, ad quem poſt laborem huius viæ & in labore præſentis miſeriæ, nos cõuenit attentius aſpirare, ad ipſum accedendo continuè non paſſibus corporeis, ſed deſideriis puræ mentis.

Nauim igitur cordis extra pericula fluctuationum, & tempeſtatum celeumata, in ipſo firmare & ſtatuere cupientes, erigamus velum affectus, dirigamus nos gubernaculo intellectus, corrigamus remigando virtuoſis operibus, vt finaliter prora fidei, dimiſſis, ac progredientibus funibus ſpei, charitatis anchora in æterna felicitate mereamur Dei fauente gratia feliciter ſtabiliri. Quod nobis præſtare dignetur, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.

Explicit tractatus de quibuſdam Vltramarinis partibus, & præcipuè de terra ſancta, compilatus per nobilem virum Guilielmum de *Boldenſele, ad inſtantiam Reuerendi Patris & Domini, Domini Thalayrandi Petragorici, tit. S. Petri ad vincula Presbyteri Cardinalis, Anno 1336.

* al. Baldenſel.

Nota: fol. 103. verſu 1. ſic diſtinguendum cenſeo: quo attingit Hiſpaniam & Strictum, Demorach vulgariter dicitur. Domorach interpretor, De Maiorica. Indicaſſe ſufficit. nihil opus pluribus explicare.

THEO-

Digitized by Google

THEODORICI TVRINGI

ORDINIS PRÆDICATORVM

Libri octo

De

S. ELIZABETH

Andreæ

REGIS HVNGARORVM

filia,

LVDOVICI

Landgravii Thuringiæ,

Principis Haſsiæ, & Saxoniæ, Comitis Palatini, vxore

Nunc primùm editi ex m. ſ. Codice Monaſterii Rebdorffenſis prope Aichſtadium, & ex m. ſ. membranis Monaſterii S. Magni ad pedem pontis Ratiſponenſis.

Mar-

Digitized by Google

Martyrologium Rom.

19. Nouembr.

IN oppido Marpurg in Germania depoſitio ſanctæ Elizabeth viduæ, Andreæ Regis Hungarorum filiæ, quæ pietatis operibus aſſiduè intenta, miraculis clara migrauit ad Dominum.

Ad quæ Baronius notat:

Eius vitam à Iacobo Moritano conſcriptam recitat Sur. tom. 6. De eadem Antonin. in 3. part. tit. 19. cap. 11. Petr. in Catal. lib. 10. cap. 79. Crantz. hiſtor. Saxon. lib. 7. c. 48. nouiſſimè Marcus Vlyſſipon. Minorita in Chrō. Ordin. Min. lib. 9. c. 10. vſq; ad 19. part. 1. Exſtant duplices literæ Apoſtolicæ Gregorii Papæ noni: priores de inquiſitione miraculorum eius ad Epiſcopum Hildeſemenſem, & Abbates Moguntinæ diœceſis ſcriptæ anno octauo ſuæ ſedis: poſteriores verò de eiuſdem canonizatione: exſtant in eius regiſtro; illæ ſub anno 8. num. 24. iſtæ

iſta ſub anno 9. num. 91. quarum eſt exordium: Glorioſus in maieſtate ſua. Hæc Baronius.

Trithemius in Chrō. Hirſaugienſi anno 1231.

Eodem anno (1231.) 3. Calendas Decembr. obiit S. Eliſabeth filia regis Hungariæ, vxor Ludouici Pii Thuringiorum ac Haſſonum Landtgrauii quinti, mulier multarum virtutum, & ſanctiſſimæ conuerſationis, ſepulta in Marpurg oppido Haſsiæ, quæ ſtatim infinitis miraculis clareſcere cœpit. Eius geſta diffuſè cōſcripta ſunt. Hæc Trithemius, qui ibidē paulo poſt, nempe anno 1236. hæc ſubiungit:

Anno Erneſti Abbatis V. qui fuit Dominicæ Natiuitatis 1236. in die Calēdarum Maii S. Eliſabeth in Marpurg, per Archiepiſ. Moguntinum, & Treuerēſem, & Epiſcopum Hildenshemenſem Commiſſarios Apoſtolicos, de tumba ſubterranea leuata eſt in præſentia Friderici Imp. & multorum Principum, Epiſcoporum, Abbatum, Comitum, Prælatorū, Nobilium, & ignobilium, quorum omnium numerus ad duodecies centena millia fuerat æſtimatus. Ibi facta ſunt coram omni populo infinita miracula, ad ſancti nominis eius inuocationem.

Digitized by Google

Imperator primum lapidem de Sarcophago leuauit, & productam ex theſauris ſuis coronam auream, ſacro capiti S. Viduæ reuerenter impoſuit. Corpus autem eius ad tumbam auream reconditum eſt, quia per Gregorium Papam nonum canonizata eſt.

In Epitome Bibl. Geſneri eſt mentio horum 8. librorum Theodorici.

Molanus in Addit. ad Vſuardi Martyrologium die 19. Nouemb. hæc habet: In oppido Alemanniæ, nomine Marsburg, depoſitio S. Eliſabeth, Andreæ Regis Hungarorum filiæ. Hæc conſtruxit Xenodochium, vbi vidua pedes lauabat pauperum, manibus propriis abſtergens ſaniem abominabilium infirmorum. Hæc apud Molanum, qui ſubiungit hanc annotationem: De Eliſabeth Examinationem vitæ & miraculorum eius ſcribunt ad ſanctiſsimum Papam Gregorium Sifridus Epiſcopus Moguntinus, Remundus Abbas Eberbacenſis, & Magiſter Conradus. Extant & alia de proceſſu & ordine Canonizationis m ſ. in viridi valle. Epitomen vitæ ſcripſit Theodoricus de Turingia, Ordinis Prædicatorum, ex libris Magiſtri Conradi, Concionatoris ſanctæ Eliſabeth. De eiuſdem vita excu-

excudit Ceruicornus Iacobū Montanum Spirenſem Coloniæ anno 1521. Hæc Molanus.

INCIPIT PROLOGVS IN librum de vita beatæ Elizabeth.

CVm de vita & moribus & morte miraculiſque beatæ ELIZABETH perſcrutari cœpiſſem, oblata ſunt mihi quædam ſcripta de prædictis, videlicet LIBELLVS DE DICTIS QVATVOR ANCILLARVM eius conſectus. Litera quoque magiſtri CVNRADI de MARTBVRG, quam de vita & morte, & miraculis eius domino GREGORIO PAPAE nono ſcripſit. In quibus pura quidem & ſimplex fideique conſona veritas continetur. Veruntamen fateor, in his meo non eſt affectui ſatisfactum. Non enim in eis perſonæ, & perſonarum genus, nomina, dignitates, & officia exprimuntur, ſed nec Codex ms. f. Rebd. Marbur.:

prouinciarum, locorum, temporumq́; varietates, & vocabula ad hiſtoriam pertinentium ſunt deſcripta. Quæ illi, licet nobis neceſſaria forẽt nunc, tunc ſibi quaſi notiſsima omiſerunt.

Quomodo ergò legẽti ſatisfacient incõpleta? ſed nec materiæ ad eandem rem pertinentis cõiunctio ibi eſt. ſparſim cunctis poſitis, prout occurrerunt memoriæ referentis. Sub iuramento enim narrantium conſcripta ſunt, ſicut dicta teſtium recipi conſueuerunt.

Legi præterea ſermonem fratris OTTONIS de ordine PRAEDICATORVM doctiſsimi & deuotiſsimi viri: qui ſic incipit: Mulierem fortem. Et cuiuſdam alterius alium ſermonem qui incipit: Ad decus & honorem. In quibus aliqua de geſtis reperi breuiter introducta.

Reſpexi etiam Chronica ſcripta diuerſorũ, inuenire cupiens, quod quærebã. Igitur cũ non inuenirẽ vbi requieſceret pes affectus mei, viſitaui Monachorum & Monialium monaſteria, iui ad ciuitates, caſtraq́;, & oppida: interrogaui perſonas antiquiſsimas & veraces. Direxi literas, hiſtoriæ huius integritatem, & rei geſtæ veritatem in his omnibus, & ab his omnibus inueſtigans.

Anno autẽ incarnationis dominicæ milleſimo ducẽteſimo octogeſimo nono, à tranſitu B. ELI-

ZA

ZABETH quinquageſimo nono, ad laudem eorundem ſcribere incipiẽs, paucisſima de his, quæ ſcripta habui depoſui; ſed incompoſita & ſparſa compoſui; inordinata ordinaui; indiſtincta diſtinxi; & ornaui, prout potui, impolita. Multa interſerui, & appoſui; & ſicut cõgruere credidi, materiæ adaptaui, perſonarum dignitates, nomina & officia, locorum vocabula, & tempora exprimendo.

Quædam ſicut in ſcriptis reperi de verbo ad verbum poſui; & nonnulla etiam variaui, & vniuerſa & diuerſa in vnum colligens hoc opuſculum compilaui.

Teſtificor coram Deo, & electis angelis eius, me nihil in hoc libello poſuiſſe, niſi quæ ex ſcriptis probatorum habere potui; & niſi ea, quæ à perſonis religioſis, & multum veracibus intellexi.

Quædam præclara audiui miracula, quæ propter dubios relatores ſcribere formidaui.

Digniſsimum quoque duxi (quod & feci) aliqua de pietate ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS LVDEVVICI LANDGRAVII eiuſdem beatæ ELIZABETH mariti, qui omnis bonitatis eius promotor & cooperator fideliſsimus extitit, annotare, quod hoc hiſtoriæ neceſsitas, & proſecutio expoſcebat.

Adhortantibus itaque quibuſdam honeſtis

&

Digitized by Google

& deuotis perſonis, ego [a] DIETRICVS SACERDOS FRATER ORDINIS PRAEDICATORVM [b] MINIMVS cum quadraginta duos in ordine compleuiſſem annos præſens opuſculum ſcripſi.

Pertractaui autem mente mea, ſolus omnia conſcribens, emendãdoq́ reſcribens plurima ſæpiùs, caligantibus oculis, manu mea.

Diſtinxi verò ipſum in octo libellos propter multam materiam, ne prolixitas tædium generaret, quæ tamen nondum plenè exarata eſt, iuxta ſuæ exigentiam dignitatis.

Nam præter valdè pauca, quæ omnia ad eius tumbam, aliàſque meritis ipſius facta ſunt, innumera miracula prætermiſi. De quibus ſanè tàm prolixum opus, quàm prænotatum eſt, confici poterat, & conſcribi.

Poſtremò fateor me indignum incultè & ſemiplenè hæc ſublimia & grandia gratiæ opera protuliſſe, optans & ſperans aliquem ſucceſſurum, qui hæc legens & miſerans, eruditiori ſtylo, & elegantiori eloquentia corrigens emendabit.

[a] Codex m.ſ. ex S. Magno (quem per literã M. in poſterũ notamus) legit, Theoderus, [b] M. minimus & indignus natione Thuringus, cũ plus quàm ſexaginta ætatis, & quadraginta duos in ordine compleuiſſem annos, præſens opuſculum ſcribere inchoaui.

[c] M. Hic enumerãtur libri.

[c] TITVLI.

Primus libellus continet ſtatum virginitatis beatæ ELIZABETH *ante matrimonium.*

Secundus ſanctimoniam matrimonii, & quædam præclarè geſta.

Digitized by Google

Tertius de virtutibus & magnificentia illuſtris Principis LVDEVVICI LANDGRAVII *mariti eius.*

Quartus de peregrinatione & morte eiuſdem, & de his, quæ beata Elizabeth poſt obitum eius pertulit.

Quintus de reductione oſſium eius in THVRINGIAM: *& quid poſt ſepulturam relicta eius egerit.*

Sextus de tranſitu beatæ Elizabet in Martburg, & mutatione ſecularis habitus.

Septimus de perfectione virtutum ipſius eximia, & operum humilitate maxima.

Octauus de morte eiuſdem deuotiſſima, & canonizatione ſolenniſſima, ac translatione glorioſiſſima & miraculorum multitudine copioſiſſima; vnde laus & gloria Summæ Trinitati ſit, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

INCIPIT [a] LIBER PRIMVS HVIVS OPEris vitæ diuæ Elizabeth.

a M. Incipit tractatus de vita B. Elizabeth.

DE NOBILITATE PARENtum ipſius, & de ortu eius cœlitus oſtenſo.

CAPVT I.

EO tempore quo PHILIPPVS SVEVORVM DVX, frater HENRICI Imperatoris, & OTTO HAINRICI quondam [b] BAVARIÆ & SAXONIÆ DVCIS filius à Principibus contentioſè electi, quis eorum arcem ROMANI obtineret IMPERII, periculoſè & hoſtiliter diſceptabant; erat in [c] ALEMANNIA Princeps illuſtris valdè HERMANNVS THVRINGIÆ LANTGRAVIVS vir vtique ſtrenuus

b M. Bauuariæ.

c Rebdorf. in aliena via.

tuus, & acer in hoſtes, OTACARI Regis BOHEMIÆ conſobrinus, qui præfatos imperatores, nunc iſtum nunc illum promouens ac prouocans alternatim exacerbauit, & contra ſe in prælium concitauit.

In huius palatio & familia fuerunt ſex viri milites, nataliciis non infimi, ingenio excellentes, honeſtate morum virtuoſi, cantilenarum confectores ſummi, ſua certatim ſtudia efferentes.

Habitabat tunc in partibus VNGARIÆ, in terra quæ SEPTEM CASTRA vocatur nobilis quidam, & diues trium millium marcarum annuum habens cenſum, vir Philoſophus, litteris & ſtudiis ſecularibus a à primæuo ætatis imbutus, Nigromãtiæ & Aſtronomiæ ſcientiis nihilominus eruditus. Hic magiſter b CLYNGSOR nomine ad diiudicandas prædictorum virorum cantiones in THVRINGIAM per voluntatem & beneplacitum Principum eſt adductus. Qui antequam ad LANTGRAVIVM introiſſet, nocte quadam in YSENACH ſedens, in area hoſpitii ſui aſtra magna diligentia intuitus eſt. Tunc rogatus ab his qui aderant, vt ſi qua ſecreta perſpexiſſet, ediceret; Reſpondit: Nouerritis quod hac nocte naſcitur REGI VNGARIÆ filia, quæ ELIZABETH nuncupabitur, & erit ſancta, tradeturque huius Principis filio in vxorem, de cuius ſanctitatis præconio exultabit, & exaltabitur omnis terra.

a M. apprimè.
b Rebd. ClingZor.

Ecce qui per BALAAM ariolum incarnationis ſuæ prænunciauit myſterium, ipſe per hunc prælectæ famulæ ſuæ Elizabeth prædixit nomen & ortum.

Regnabat tunc in VNGARIA ANDREAS REX diuitiis clarus & potentia, cuius vxor GERTRVDIS nomine nobiliſſimi DVCIS CARINTHIÆ filia, vt præmonſtratum fuerat à Domino, peperit filiam generis ſui decus. Quæ in Chriſto regenerata ELIZABETH nomen accepit. Anno dominicæ incarnationis milleſimo ducenteſimo ſeptimo.

An. 1207.

Nec multò pòſt dicti Principis HERMANNI primogenito LVDEWICO optimæ indolis puero electa illa, illa Elizabeth ſancta, adhuc ſugens vbera, Dei nutu deſponſata eſt.

Anno igitur à natiuitate ELIZABETH quarto miſit HERMANNVS LANTGRAVIVS ſolennes ac nobiles vtriuſque ſexus legatos in VNGARIAM pro regis filia in THVRINGIAM adducenda. Quorum principales erant COMES c MENHARDVS de MVLBVRCK, & nobilis vir WALTHERVS de VARILA, dominaque d BERTHA, relicta EGELOLFI de e Beindeliben.

c M. Meinhardus.
d M. Berchta.
e M. Bendeleiben,

Erant

Erant procedentes cum comitatu & familia multa & apparatu copioſo, prout tantæ nobilitatis excellentia requirebat. Qui à principibus & Prælatis atque magnatibus, quorum tranſiere terras & terminos, cum ſumma honorificentia ſunt ſuſcepti, tàm in proceſſu itineris, quàm regreſſu. Venientes itaque ad caſtrum regis *a* quod PRESBVCH dicitur iocundè & regaliter ſunt recepti.

a M. regis munitiſſimum quod Preſpurde. Intelligit Presburg.

De tranſductione ſanctæ Elizabeth in Thuringiam, & apparatu cum ea adducto.

CAPVT II.

ERat autem Rex ANDREAS vir quietus & bonus. Regina verò mulier virtuoſa & fortis, quæ fœmineæ cogitationi virilem animum inſerens, regni tractabat negotia; filiæque tranſmittendæ procurabat neceſſaria. Datis autem nunciis muneribus regiis, præparatiſque omnibus, cùm proficiſci properarent, auro & argento & ſericis inuolutam, incunabulo argenteo reclinatam, illis Paranymphis nobilibus præſentauit regina filiam ſuam dicens:

Domino veſtro dicite vt animæquior ſit, & valens, & ego eum maximis diuitiis, ſi dominus mihi vitam dederit, cumulabo.

Tranſmiſit quoque cum filia vaſa aurea & argentea multa, & magna & varia, & diademata pretioſiſſima, & ornamenta, anulos & monilia, multipliciaque veſtimentorum paria, & dolium argenteum pro balneo filiæ, lectualia, *b* culturæ coopertoria omnia de ſerico, purpuras & pãnos ſericos multos, cum alia ſupellectili innumerabili pretioſa.

b culcitræ.

Addit inſuper mille marcarum pecuniæ ſummam; nec non & alia: promittens ampliora, ſi viuere contigiſſet.

Non ſunt allata, nec viſa talia, & tàm pulchra pretioſaq; ac multa in Thuringia, qualia tranſmiſit Regina cum filia ſua. Gaudebat namque & gloriabatur de talis Principis nuptiis filiæ procuratis.

Regreſſi in THVRINGIAM magnificè ſuſcepti ſunt. Ipſa quoque regis filia ſponſo puero infantula appoſita eſt, & quaſi figura quædam futurarum peragitur nuptiarũ. Enutrita autem eſt cum omni ſtudio, vt oportuit & decebat.

Digitized by Google

Poſthæc anno euectionis ELIZABETH tertio, Regina mater ipſi' à magnatibus & proceribus regni, in mortem ipſius malitioſè conſpirantibus, crudeliter interfecta eſt.

His ita prælibatis ſecundum ordinem de vita & moribus, miraculis & operibus, mortiſque tranſitu beatiſſimæ Dei filiæ & famulæ ELIZABETH, ad laudem ipſius quæ geſta cognouimus, ſcribendo proſequemur in nomine Domini noſtri IESV Chriſti.

De admirabili eius infantia.

CAPVT III.

MIrabilis in ſanctis & ſanctus in operibus ſuis Dominus Deus noſter, electos ſuos inhabitans, operatur mirabilia in ipſis. Non enim ætatem in tempore, nec ſexum diſcernens in corpore, iuxta decretum inſcrutabilis ſapientiæ ſuæ perficit in ipſis opera ineffabilis miſericordiæ ſuæ.

Ipſo igitur ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum, opitulante, illuſtris & beata ELIZABETH adhuc infantula, nondum doli capax, vel ratione vtens, iam futuræ in ſe perfectionis imaginem præferens, frequenter ante altare prouoluta, pauimento ore adhærebat, genuflexionesq; multiplicans, complicatis manibus & erectis oculis, cœleſtibus, prout poterat, intendebat.

Ludens etiam cum coæuis puellis ſaliendo CAPELLÆ appropiare ſolebat. Et cùm intrare non potuit, ſaltem limina & parietes contingendo oſculis honorabat. Paribus in ſtatura ſe recommenſurans, proſternendo occaſionem faciendi venias quærebat, velut poſtmodum recognouit. In ipſis qui pueritiæ congruunt ludis lucrandi ſpem ad Deum contulit. Pauperculis puellis de lucro dabat decimam, aliaq; munuſcula, eaſq; per hæc ad dicendam orationem Dominicam, & ſalutationem angelicam obligabat.

Agnoſcatur in his operata diuinitas. Nam cum humanæ naturæ infantia per varia plerunque, proh dolor, decurrat inquinamenta, cuius quæſo hæc in tantillo corpuſculo, niſi ſancti ſpiritus gerebantur adminiculo? His aliiſque ſanctæ indolis inſignita præludiis nonum ætatis annum attigit, in quo dominus HERMANNVS pater ſponſi ſui defunctus eſt.

De innocenti & ſancta eius pueritia.

CAPVT IV.

Eli-

ELIZABETH autem ſicut corpore, ſic gratia creuit & virtute; in omnibus viis ſuis Deum cogitans, ipſumq; præ oculis mentis habẽs, fideliter inuocabat, dulciter nominabat; omnes in ipſum ſenſus ſuos & actus pariter dirigebat; cultum & ornatum corporis, & vanitatem ſeculi declinabat. Quotidianum Deo per orationes votiuas offerebat ſacrificium. quibus quandoq; non completis, dum dormitum ire cogeretur, ipſas iacens vigilanter implebat; memor Domini ſuper ſtratum ſuum.

Videns tunc quomodo Chriſtiani quiq; venerationis cultu Apoſtolorum ſibi patrocinia prouiderent, pietatis deſiderio accenſa, caſtitatis amatrix, IOANNEM Euangeliſtam virginitatis cuſtodem optabat habere patronum.

Præmiſſa igitur oratione ſupplici, ad electionem cum aliis humili corde acceſſit. Et ecce nutu Dei iuxta deſiderii ſui votum primo, ſecundo, ac tertio APOSTOLVS ſe obtulit ei concupitus. Quem tota deuotione amanter amplectẽs, omni pietatis ſtudio coluit; adeò vt quidquid ab ea in huius APOSTOLI nomine ſiue in iniuriis relaxandis, ſeu in beneficiis conferendis peteretur, nunquam negaret; ſed hilari liberalitate mox præſtaret. *NB. Morem eligendi Patronum Apoſtolũ.*

Sanctificabat ſimplex puella conuerſationis puritate diem ſabbati, dominicis & feſtis diebus aliquid de ornatu corporis ſibi ſubtrahens, ſciens quod non in nitore veſtium, ſed in humilitate mentium diuinitas honoratur. Ideoque his temporibus ante meridiem pro Dei reuerentia nec Chirothecas induit, nec manicas conſuendo ſtringere conſueuit. Cottidiè etiam quiddam ſibi detrahendo ſuam ſtaduit frangere voluntatem. Vnde in ludis puerilibus, cum ſucceſſus proſperi eius, vt aſſolet, animum delectarent, continens ſe, Modò, inquit, in optimo ſucceſſu, pro Deo dimittam.

In choreis quoq; ſemel circuiens, Sufficit, ait, mihi vnus pro mũdo circuitus, reliquos pro IESV Chriſti nomine intermittam.

De incremento bonitatis eius.

CAPVT V.

CRESCEBANT & nutriebantur ſimul AGNES ſoror ſponſi, puella ſpecioſa, & ELIZABETH virgo Deo deuota, cultuq; conſimili ornabantur. Cumque decenter compoſitæ, & auro & gemmis coronatæ ex more, ſubſequente relicta HERMANNI domina SOPHIA ad Eccleſiam proceſſiſſent, & loca ſua tenerent, mox ELI-

Digitized by Google

ZABETH coronam de capite ſuo deponens, & iuxta ſe collocans ad caput non repoſuit niſi diuinis officiis conſummatis. Et dum ſuper hoc ſocrus admirans loqueretur, eidem reſpondit: Abſit vt in conſpectu Dei, regiſq; mei IESV Chriſti, quem ſpinis coronatum aſpicio, ego res vilis & lutea, faſtu elationis coronata appaream.

Vulnerauerat iam tunc charitas tenerum cor, gladiuſq; dominicæ paſſionis pertranſierat eius animam delicatã, cuius de ſpectui tanto opere conabatur ſe conformare.

Erant tunc in aula potentes quidam SECRETARII, piis eius actibus inuidentes, qui amaris verborum iniuriis eam afficiebant, & proteruis inſultationibus eius teneritudinem perturbabant. Ipſaq; ſocrus eius, ſponſique ſoror, faſtus ſecularis affectæ honoribus, longe ab humilis ELIZABETH moribus diſcrepabant. In quorum omnium medio, velut lilium inter ſpinas, innocens ELIZABETH, florens & germinans pungebatur aculeis, ſed humilitatis ac patientiæ fragrans ſuauitatis diffundebat odorem.

In manſuetudine itaque improperia ſuſtinens, inclinauit caput ſuum, nec ambulauit in magnis; ſed cum pauperibus ſermocinatio eius, & cum ancillis ſemper & pediſſequis conuerſatio eius fuit.

Quis in huius tenellæ ætatis corpuſculo tantùm munus gratiæ, & virtutum opera non obſtupeſcat? qualis putas eſt futura adulta, quæ talis eſt in pueritia? Quis, vt æſtimas, erit in ſapore fructus, cuius odor ſic fragrat vernans in flore? vtique quæ miſit radicem deorſum, faciet fructum ſurſum; afferet fructum multum, faciet multa opera bona, & maiora horum faciet, & de fructu manuum ſuarum plantabit vineam, palmites meritorum, botroſq; gratiarum cum vino ſuauitatis perpetuæ germinantem.

De his quæ in Adoleſcentia patienter ſuſtinuit.

CAPVT VI.

TRanſactis itaque tàm innocenter, quã humiliter pueritiæ annis, cùm iam adoleſcentiæ confinia cœpiſſet attingere, augebatur, quidem intrinſecus per ſpiritum mentis deuotio; ſed & inſurrexit extrinſecus per ſeculi malitiam valida tribulatio.

Nam cùm nubilis facta eſſet, & à cognatis, proximis, vaſallis, & conſiliariis ſponſi ſui, qui eam diligere, & ei potius obſequi tenebantur,

Digitized by Google

tur, manifeſtas perſecutiones perpeſſa eſt; SALVATORIS exemplo, aduerſus quem impii mala pro bonis, & odium pro dilectione poſuerunt.

Machinabantur fruſtra, vt repudiata regi patri ſuo remitteretur; eo quod minus, quàm decuerit dotis acceperit. Aſſerentes quod & dotem pinguiorem, & potiora adiutoria poſſet per filiam cuiuſpiam viciniori Principis obtinere.

Ipſa etiam domina SOPHIA ſatagebat operoſe, vt in aliquo religioſo COENOBIO MONIALIVM collegio iungeretur.

Inter hæc Elizabeth exul à domo patria, & huius mundi peregrina, cõtemptui ſe haberi perpendens, medullitus ingemiſcens, confugit ad Dominum, tribulationemque ſuam ante ipſum pronuncians, bonitatis diuinæ diſpoſitioni per omnia ſe ſubiecit.

Ancillarum & pediſſequarum ex more gaudebat conſortio, & cooperabatur obſequio, in tantum vt ſocrus ei dedignans diceret: Nõ in Principum dominantium, ſed in ſeruarum famulantium numero fuiſſe debueras ELIZABETH computata.

In his aliiſque abundantium opprobriis & ſuperborum deſpectionibus, erat cor ELIZABETH fiduciam habens in Domino, qui & in ſe confidenti non defuit in auxilio oportuno. Occulta quippe inſpiratione ſua ad dilectionem exulis reginæ cor & affectum Principis ſponſi tàm efficaciter inclinauit, vt in ſolitudine ſecreti & mutui amoris loqueretur ad cor eius dulciter dicens ſibi verba bona, verba conſolatoria. Qui nimirum ab initio ſolitus erat cùm aliunde rediret eam allatis xeniis honorare, & amplexibus delinire.

De dubio quod fuit de matrimonio beatæ Elizabethæ.

CAPVT VII.

PRopter diuerſas perſuaſiones, variaque malignorum conſilia nõnulli de nuptiis ELIZABETH dubitare cœperunt. Erant tamen in THVRINGIA quidam nobiles viri iuſti, prædictorum machinationibus rationabiliter obſiſtentes. Inter quos fuit WALTHERVS de * VARILA, miles, vir bonus, qui à patre huius Principis deſtinatus in VNGARIAM, beatam ELIZABETH adduxerat in THVRINGIAM.

* *M. Vargila.*

Hic vice quadam ad ſponſum eius iter agentem accedens in campo dixit ſecretè; Placeat tibi vt loquar ad te domine mi, indiceſq; mihi,

quod fuero ſciſcitatus, cui benignus Princeps ait: Loquere confidenter;& ego quidquid tibi conueniens fuerit reuelabo. Hic ergo, inquit miles, Obſecro mi, quid de filia Regis facere decreueris? Duces eam vxorem, an patri remittes? Tunc Princeps demonſtrato magno, quem præ oculis habebat monte, dixit: Vere ſi hic, quem vides mons, à radice vſque ad ſummum aureus eſſet, hunc ego facilius omninò potius contemnerem, quàm Elizabeth coniugium refutarem. Sentiant alii & loquantur inaniter, quod iudicant; Elizabeth ego diligo, eiuſque matrimonio nihil præpono. Tunc miles, Peto, ait, mi domine, vt mihi liceat eidem hoc nunciare. At ille dulciter, Dic ei, inquit, & pro ſigno quod ſibi transmiſero præſentato. Proferenſque de burſa ſua dedit nobili illi, quod apud ſe habebat ſpeculum duplex æneis incluſum ſedibus; vna parte ſimplex vitrum, & in parte altera imaginem præferens Crvcifixi. Quod dum ſancta virgo ab illo nobili oblatum caute ſuſciperet, conceptum inde gaudium riſu iocundiſſimo propalauit.

De nuptiis Ludevvici Landgrauii cum Elizabeth.

CAPVT VIII.

POſt hæc cùm domino complacuit Elizabeth contemptam ab impiis reſpicere, & afflictam conſolari; diſſipauit conſilia malorũ, reprobauit perſuaſiones magnatorum, & inſpirauit confortans præfatum Principem. Qui votum ſuum patefaciens, obſtruxit ora contradicentium, & iniqua loquentium. Nullusq; deinceps auſus eſt nuptiis, & matrimonio Elizabeth verbis vel conſiliis contraire.

Ipſa quippe erat quam dominus eius præparauit coniugio. Contra cuius placitum non poterat humanæ malitiæ ſtultitia quidquam loqui, nec valuit hominis ſuperare aſtutia, quos Dei prouidentia coniunxit.

Intuere nunc felicem iuuenem ſponſumque pudicum, qui in contrahendo matrimonio, in conſilio impiorum non ſtetit, & poſt aurum non abiit, nec in theſauris pecuniæ ſperauit; ſciens, quoniam pars bona mulier bona, quæ pro bonis factis propriè datur à domino viro bono. Perpende propenſius caſti adoleſcentis animum, qui ſponſæ ſuæ, non ad petulantiam alliciens, ſed potius ad gratiam afficiens, donum tranſmiſit, precioſiſſimam imaginem Christi Crvcifixi.

Anno

Anno ergo ab incarnatione domini * milleſimo ducenteſimo vigeſimo primo LVDEWICVS LANTGRAVIVS THVRINGIÆ inclitus dominam ELIZABETH virginem caſtam regis VNGARIÆ filiam nobilem & eximiam duxit vxorem, coniunctuſque eſt Dei nutu vir fidelis cum muliere fideli, ſanctus cum ſancta, innocens cum innocente; & non tàm carnale, quàm ſpirituale connubium ſortiti, inuicem ſe in charitate Domini, ſupra quàm credi valeat, dilexerunt. * *M. anni 1220.*

LIBER SECVNDVS.

De ſanctimonia matrimonii ſanctæ Elizabeth.

CAPVT I.

ERAT inter eos honorabile connubium, & thorus immaculatus, non in ardore libidinis, ſed in coniugalis ſanctimoniæ caſtitate. Etenim macerabat adoleſcentula ſancta recenter nupta carnem ſuam multis vigiliis, noctibus ſingulis cōſurgens ad orandum, marito quandoq; dormiente, vel etiam diſſimulāte. Multoties autem cùm ipſa ſurgeret, annuente, eius teneritudini compatiens petiit ab ea ne ſe indiſcrete affligeret. Ad quod cauendum manum eius caſtiſſimus iuuenis ſua tenuit manu, quouſq; orabat, exhortans ipſam, & deprecans, vt ad quieſcendum componeret vigiliis laſſa membra.

Magna reuera huius iuuenculæ deuotio, quæ à carnalis mariti ſurgens per noctem lectulo, quæſiuit Chriſtum, quem dilexit verum animæ ſuæ virum. Nec minor certè fides in viro, qui tali ac tantæ vxori non obſtitit, imò fauit, feruoremq; eius nimium ſuaui prudentia temperauit. Huius igitur pudici amoris mutuæq; ſocietatis dulcedine affecti abeſſe ab inuicem non patiebantur diutius vel longius.

Sequebatur ergo virum frequenter domina per vias aſperas, & non paruas locorum diſtantias, aurarumq; intemperies graues, ſinceritatis potius, quàm carnalitatis affectu ducta. Non enim orandi, vigilandi, aut aliàs benefaciendi præſtabat obſtaculum deuotiſſimæ cōiugi caſta pudici mariti præſentia. Congaudebat enim vir pius ſanctis eius moribus in Domino, & fidelis extitit exhortator.

Tanto

Digitized by Google

Tanto autem feruore Dei famula ad vigilandum in orationibus æſtuabat, vt pediſſequis committeret, inſtruens eas, vt trahendo eius pedicam, ipſam ad orationem, ne ſomnolentia torpeſceret, excitarent.

Accidit ergò per errorem vt venerabilis YSENTRVDIS pedicam traheret viri dormientis. Qui euigilans, coniugiſque deuotionem cognoſcens, ſuſtulit patienter. Itaque excitata ſurgens, cùm indefeſſis excubaret vigiliis, euenit frequentius, vt ante lectum viri ſuper tapete orando prolixius, obdormiret. Super quo ab ancillis redarguta reſpondit: Licet ſemper orare non poſſim, tamen hanc carni meæ violentiam inferam, quod auellar interim de lecto.

Fugiebat oblectamenta carnalia, & ideò ſtratum molliorem, & viri contubernium ſecretiſſimum, quantum licuit, declinauit. Quem quãuis præcordialis amoris affectu diligeret, querulabatur tamen dolens, quod virginalis decorem floris non meruit conſeruare. Caſtigabat etiam plagis multis, & lacerabat diris verberibus carnem puella innocens & pudica.

In principio quidem diebus quadrageſimæ, ſextiſque feriis aliis occultas ſolebat accipere diſciplinas, lætam coram hominibus ſe oſtẽtans. Poſt verò conualeſcens & proficiens in gratia, deſerto dilecti thoro ſurgens, fecit ſe in ſecreto cubiculo per ancillarum manus grauiter ſæpiſſimè verberari, ad lectumque mariti reuerſa hilarem ſe exhibuit & iocundam.

Vere felices coniuges, in quorum conſortio tanta munditia, in colloquio pudicitia reperta eſt. In quibus amor Chriſti concupiſcentiam extinxit, deuotio refrenauit petulantiam, feruor ſpiritus excuſſit ſomnolentiam, oratio tutauit conſcientiam, charitas benefaciendi facultatem tribuit & læticiam.

Quomodo ſedebat in menſa Principis.

CAPVT II.

IN menſa quoque eius aſſidere lateri contra morem aliarum ſublimium fœminarum ſolebat, communicationem matrimonii ſeruans, licet ex hoc nonnulla incommoda ſuſtineret. Magiſter enim CONRADVS, cui de conſenſu mariti obedientiæ ſe voto conſtrinxerat, in mandatis ei dederat, ne de quibuslibet bonis niſi iuſtè quæſitis veſceretur. Cui in hac abſtinentia tres pediſſequæ conſentientes, petierunt

Digitized by Google

rant à Principe ſuper hoc ſibi licentiam indulgeri.

Quibus benignè annuens dixit: Hoc & ego libens facerem, niſi aliorum detractiones,& ſcandala formidarem. Adiuuante autem domino ſtatum meum cito aliter ordinabo.

Denique domina ELIZABETH de bonis in dote ſibi ſpecialiter aſſignatis,ſe & ſuam familiam procurabat. Aſſidens verò menſæ Principis coram militibus & miniſtris panem alioſque cibos frangendo & hinc inde diſponendo ſe comedere ſimulabat. Cumque propter huiuſmodi abſtinentiam multam ſæpè penuriam pateretur; ſolis quinq; tortulis melle conditis, ſolo plerumque pane contenta inter multiplices epulas & fercula ſiti & inedia laborabat. Plus de ancillarum penuria,quàm de propria turbabatur.

Scrutabatur proinde curioſius ab Officialibus & Procuratoribus curiæ,& inueniens pro tempore potum licitum dixit ancillis: Hodie bibetis. Aliquando cibum licitum, & dixit; Modo comedetis. Cùm verò vtrumque licitum ſciuit, exultans & plaudens manibus cum hilaritate dixit;Bene nobis hodie,comedemus & bibemus.

Ipſe etiam pius & dulcis maritus deuotionem vxoris cognoſcẽs,dum quicquam ſcrupuloſum ſciret appoſitum,præmuniuit eam, ne eius ex hoc tenera conſcientia turbaretur. De huiuſmodi verò ſingulari & inconſueto modo viuendi, multas obiurgationes à ſuis dominus & domina pertulerunt cum multa patientia. Et licet ſic domina abſtineret ab illicitis, tamen vim vel iniuriam paſſis pro viribus ſatis fieri laborabat.

Attendat & miretur & imitetur omnis ſexus & ætas, quomodo hæc regis filia in menſa Principis inter tot epulas abſtinens, delicias reſpuit,& in thalamo tàm amati coniugis carnales illecebras non quæſiuit.

Qualiter viſitata à Deo amplius profecit.

CAPVT III.

NAm præclaris virtutum exercitiis inſignitam famulam ſuam ELIZABETH ad ſublimiora dum Deus omnipotens vellet prouehere,accidit vt in quadam ſolennitate magna, precioſiſſimis veſtibus, monilibus gemmiſque multis ornata,& diademate aureo coronata de caſtro * WARBERCH deſcendens cum ſocru alioque multo comitatu, eccleſiam quandam ſubiacentis oppidi introiiſſet. Eleuans autem *M Wartberg.

X ocu-

oculos, quos ſemper in introitu Eccleſiæ ad CRVCEM dirigere ſolebat, reſpexit imaginem CRVCIFIXI, & conſiderans nudum & ſpinis coronatum, clauis confixum, compuncta in ſe rediens meditari cœpit, dicens intra ſe; En pendet Deus tuus nudus, & tu homo inutilis veſtibus precioſis operiris. Spinis caput eius pungitur; & tuum caput auro redimitur. Hacque compaſſione affecta cecidit exanimis effecta. Quo viſo turbati aſtantes tollebant eam, & ad oſtium Eccleſiæ propter refrigerium portauerunt; & reclinantes eam, faciem eius aqua benedicta, quæ aderat, conſperſerunt. Hac viſitatione diuinitus inſpirata propoſuit omnem deinceps ornatum poſtponere, in quo non neceſſitatem agnoſceret aliquam. Quod & poſtmodum omni tempore vitæ ſuæ cuſtodiuit.

De moderatione veſtium ſæcularium.

CAPVT IV.

CORporis exinde proprii magis negligens deuotiſſima fœmina, ſicet in domibus regalibus nata, educata, ſemperq; fuerit conuerſata, omnem tamen ornatum ſeculi, propter amorem ſponſi ſui domini IESV Chriſti, quem in cruce conſpexerat, & in corde gerebat, paruipendendo, tanquam ſtercora contempſit. Coloratis peplis, fucatiſque velaminibus capitis, manicis valdè ſtrictis, crinalibus, ſericiſque zonis pro ornatu capillis implicitis, longis veſtibus, aliiſque ſuperfluitatibus vanis non vtebatur. ſciens quod mentis ſordes attrahit appetitus talium.

Superfluitatem & precioſitatem veſtium omninò deuitans, laneis, vel cilicio frequenter vtebatur, etiam cum deſuper auratis veſtibus vel purpura tegeretur. Modeſto ſemper & Chriſtianæ religioni congruo proceſſit habitu, quantum principalis dignitas permittebat. Hoc ipſum etiam matronis ſecularibus ad ſe venientibus, verbis & exemplis prædicabat. precum ſuarum inſtantia ipſas obligans, vt ſaltem in vno aliquo vanitatem ſeculi declinarent. Et cùm ad maiora non potuit, ſaltem in minimis eas ſuis precibus & monitis coercebat; dans & mittens eiſdem exemplaria, quibus ſaluis bonis moribus vti poſſent.

Sic fidelis Chriſti famula animarum zelatrix, & pietatis amatrix à multis vanitatibus multas, nonnullas verò ad votum etiam continentiæ prædicando perduxit. Hæc & his ſimilia adhuc exiſtens iuuencula

Digitized by Google

cula viro nouiter copulata, charitate Chriſti vrgente, eiuſque gratia cooperante mirabiliter actitabat contra iuuenilis ſtultitiæ appetitum.

Quomodo ſe in abſentia mariti habere ſolebat.

CAPVT V.

MVlier hæc ſancta placens per omnia viro ſuo, non quæ ſeculi, ſed quæ ſunt Domini iugiter cogitauit. Confidebat in ea cor viri ſui. Reddidit quippe ſibi bonum & non malum omnibus diebus vitæ ſuæ. Egrediebatur namque Principatuum ſuorum coactus negotiis, & per multa frequenter temporum ſpacia in longinquis regionibus morabatur. Cumque egredientem ſequi non potuit, ornatum veſtium ipſo abſente mox depoſuit, capitis velamen immutauit, habitum humilem aſſumpſit; tanquam vidua deuotè & religioſè ſe geſſit. Mundo quippe placere renuit; in vigiliis, genuflexionibus, orationibus, & verberibus noctes deducens dilecti reditum expectabat. Cognoſcens autem quod rediret quem deſiderabat anima eius Princeps pius, ornare decenter & regaliter ſe conſueuit. Dicebat enim: Non pro carnis libidine & mentis elatione, ſed pure pro Chriſti charitate hæc corpori meo ornamenta adhibeo, quatenus diſplicentiæ peccatique occaſionem tollam, vt me ſolam in Domino affectu maritali diligat & licito. ſicque ab eo, qui ſacramentum ſanctificauit coniugii, æternæ vitæ conſortium pariter expectemus.

Hoc modo prudens & pia fæmina marito coniugalis conſortii inuiolabilem conſeruauit fidem, vt eo abſente ſemetipſam cuſtodiret irreprehenſibilem Deoque deuotam, & præſenti gratioſam ſe offerret, amabilem, ac benignam.

Nec defuit ei bonum illud principale matrimonii, quo benedictionem in liberis conſecuta eſt. Dotauit enim Deus eam dote bona, fœcundans vterum eius ſobole nobiliſſima, vt & ſterilitatis careret opprobrio, & liberorum frueretur ſolatio.

Peperit enim filium HERMANNVM nomine, qui ſucceſſor patris LANTGRAVIVS fuit THVRINGIÆ. Filiam quoque quam duxit coniugem Dux BRABANTIÆ. Itemque aliam filiam, quæ in virginitate permanens in ALDENBVRGH cœnobio famulabatur, do-

Digitized by Google

mina exiſtens magiſtra ſanctimonialium vſque hodiè.

Mater verò Chriſtianiſſima impletis purgationis ſuæ diebus, relicto faſtu, quo ſeculo deditæ vti ſolent, laneis ſe induit, aſſumenſque in brachiis quem genuerat paruulum, nudis pedibus clanculo & occulte proceſſit. Ibat ſiquidem per difficilem caſtri deſcenſum via dura & ſaxoſa ad Eccleſiam remotam, portans infantulum propriis vlnis exemplo virginis matris, ſuper altare ſiſtens eum Domino cum candela. Deinde ad caſtrum regreſſa, tunicam & pallium pauperi mulierculæ dare conſueuit.

Quomodo libertate ſibi conceſſa à Principe vtebatur.

CAPVT VI.

CErnens prudens & deuotus Princeps, quod illuſtris fœmina omnem intentionem ſuam ad Deum dirigeret, votis eius in charitate occurrens, eandem ad pietatis opera inuitans, ad omnia, quæ opus Dei & honorem reſpiciunt, conceſſit liberam facultatem. Ipſa igitur ad ſæcularia non abutens libertate conceſſa, ad ſalutaria totis viribus ferebatur, elemoſyniſque & miſericordiis pauperum inſiſtens, in iuſtificationibus Domini exercebatur die ac nocte, & omnia charitatis opera in maxima hilaritate & vultus conſtantia exhibebat.

Nam in habitu gloriæ ſuæ quendam mendicum infirmum, horrendum aſpectu, capitis infirmitate laborantem ſecretè aſſumpſit, caputque eius in ſinu ſuo reclinans horridos capillos ipſius ſanctis manibus ſuis totondit, & in occulto pomerii ſui loco caput infirmi lauit, hominum vitare cupiens aſpectum. à ſuperuenientibus tamen correpta pediſſequis ridebat. Nec more aliarum ſublimium fœminarum delicata tractabat & ſublimia vel ſubtilia; ſed manum mittens ad fortia, fuſum apprehendit regis filia; & cum pediſſequis ſuis lanam filabat, telaſque fieri procurans pro veſtitu * religioſis viris fratribus minoribus tribuebat.

* *M. ſanctis viris.*

Pauperum veſtes, inſuper catechumenorum egenorum propriis manibus conſuebat; faciens eos baptizari: de ſacro fonte eos leuauit vt compaternitatis occaſione liberius eis benefacere potuiſſet. Paupercularum parientium frequens fuit conſolatrix & viſitatrix, & vt inſpiciens miſeros ſe ad miſericordiam & compaſſionem prouocaret,

quan-

quantumcunque diſtarent hoſpitia, & quantumlibet via eſſet lutoſa vel aſpera, eos viſitabat. Intrans viles caſulas, nec ſordes abhorrens, attulit neceſſaria, conſolans eos; recepturam ſe ſperans mercedem ex viæ labore, ex mentis compaſſione, & doni largitione.

De deſiderio ſanctæ paupertatis quo ardebat.

CAPVT VII.

INTER cætera gratiarum Dei, quibus hæc beata reſplendebat, munera; quod amplius adhuc mirandum eſt, Euangelicæ deſiderium paupertatis, ſpiritu ſancto in eius dulciter accenſum præcordiis fortiter æſtuabat. Cùm enim principatus dignitate & magnatorum obſequiis honorata polleret, diuitiiſq; & circumfluentia temporalium redundaret exterius & intra ſemetipſam ſpiritu pauper mendicitatem præ his omnibus affectabat. Vnde etiam ex deſiderio cordis ſui verba eructans cum ancillis ſuis frequenter de paupertate tractabat. Et quia affectus cordis ſine effectu operis aliquali eſſe non poterit, coram ancillis in palatio veſtibus iocunditatis ſe exuit, vilique pallio ſe induens, deſpecto panno caput ſuum operuit, & proceſſit tanquam paupercula coram illis, ſic incedens tanquam præſago corde ſui futuri ſtatus Propheti̇ſſa dixit ad ipſas: Sic incedam, cùm pro Deo meo miſerias ſuſtinebo. Quod & factum eſt, vt ſequentia declarabunt. Tunc verò cū prædicta frequentabat flore iuuentutis vernabat in corpore, & vigore virtutis in opere; ſed mundanæ gloriæ flos decidens eius aruit in corde.

De quodam miraculo cælitus oſtenſo.

CAPVT VIII.

QVADAM die quia non niſi ab intus gloriam quæſiuit, Deus humilium rex & amator etiam extrinſecus mirabiliter venuſtauit. Nam cum tempore quodam à patre eius rege VNGARIÆ directi magnati plures ac nobiles ad LANDGRAVIVM acceſſiſſent, nec ipſa cultum haberet ſuæ congruum dignitati, dixit ad eam Princeps: Doleo ſoror cultu condigno præſentibus his nobilibus te carere; & me tempus vt tibi in ornatu prouideam non habere. Cui illa: Non magni pendas hoc dilectiſſime frater mi, quia in veſtitu propoſui nunquam gloriari.

Digitized by Google

Deinde cùm in conſpectu illorum fuiſſet nobilium euocata, gloriam & magnum decorem impoſuit Dominus ſuper eam. Ecce enim apparuit ſignum magnum de cœlo, & viſa eſt mulier illa ſancta omnium oculis hyacinthini coloris veſtibus inſignita, quæ margaritis erãt preciosiſſimis adornatæ. Super quo ſtupens & admirans maritus dum ab ea quæreret, pie ſubridẽs; Talia, inquit, ſcit Dominus cùm voluerit operari.

De liberalitate ſanctæ Elizabeth.

CAPVT IX.

Liberalitatis virtus ſublimium decus & ſingulare perſonarum nobilium ornamentum: in hac regis filia quadam gratioſa prærogatiua effulſit. Quam non tàm regalis originis ingenuitas, quàm votiua deſuper infuſæ gratiæ benignitas cordi eius impreſſerat. Vnde eam non ꝓ tranſitoriæ laudis vanitate, ſed ex internæ miſerationis exhibuit charitate. Ab infantia quippe cũ ea creuit miſeratio, & ab vtero matris egreſſa cũ ea ad omnẽ miſerorum aſpectum viſcera eius mouit. Vnde tempore quodã in feſtiuitate magna cum in *WARBBERCH ad Principem multitudo nobilium conueniſſet, & in cænaculo grandi congregati ad conuiuium filiæ regis coniugis Principis præſentiam expectarent, ipſam taliter contigit retardari. Procedentem enim ad palacium ſub gradu iacens mendicus, vt ſui miſereretur, importunis clamoribus inuocauit. Tunc de gradu reſpiciens ad pauperem; Nec tempus, inquit, nec munus, quo tibi ſubueniam, iam habeo. At ille magis ac magis clamabat, vt aliquid acciperet. Tunc illa pretioſum, quod geſtãbat mantellum, exuens tribuit clamanti. Quod ille mira celeritate complicans abſceſſit. Dapifer autem in conſpectu omnium nobilium aſtans Principi dixit; Iudicet nunc dominus meus, ſi rationi ſit conſonum, quod coniunx eius prædilecta domina noſtra hac vice protrahit eius conuiuium, & tot nobilium impedit tripudium. Veſtiuit enim iam nunc pauperem, pallium ſuum tradens ei. Tunc mitiſſimus Princeps, ſubridens dulciter cũ cœtu nobilium cõiugem aduocaturus diſceſſit. Quam in conclaui inueniens, dixit ei: Veniesne ad prandendum nobiſcum dilecta? Cui illa, Parata ſum, inquit, vt vis frater chariſſime. At ille, Vbi eſt, ait, pallium tuum? Et illa: Ecce in pertica eſt, inquit. Currẽs autem ancillula mantellum, quod pauperi tribuerat, in pertica repe-

Iob 31.

*M. Wartberch.

reperit, cœlitus reportatum. Quo induta cœleſtis fœmina ad conuiuiũ proceſſit. Sic pater cœleſtis ſuum lilium Elizabeth veſtiuit, quomodo nec Salomon in omni gloria ſua potuit operiri.

Quam reuerenter ſolebat Miſſarum ſolenniis intereſſe.

CAPVT X.

Circa diuina officia Eccleſiaſtica ſacramenta affectu piiſſimo & ritu Chriſtianiſſimo ferebatur. In omnib' igitur ſemetipſam Dei miniſtram exhibens, frequentabat Eccleſias deuotiſſimè cum reuerentia & timore; ancillaſque celeri greſſu ad Eccleſiam præueniens, genuflexiones faciebat occultè.

Conſueuit ab adoleſcentia ſua cum humilitate maxima ſemper Missarvm ſacris myſteriis intereſſe. Oculis namq; fidei excellentiam ineffabilem intuens Sacramenti, ad propriæ conditionis paruitatem reſpiciens, ornatum corporis exteriorem, capitis, pectoris, brachiorum, digitorum, cæterorumq; membrorum infra Missæ Officivm ſoluit & minuit, inclinauit, vel penitus remouit.

Hora verò Evangelicæ Lectionis, & Canonis, & qua Dominicvm Corpvs & Sangvis à Sacerdote immolatur & ſumitur, hanc humiliationem præcipuè ſtuduit exhibere. Flagrabat enim erga Sacramentvm hoc feruore omnium medullarum; ſtupore admirans grandi, illam chariſſimam dignationem & dignantiſſimam charitatẽ.

Igitur dum ſanctiſſima fæmina die quadam infra Canonem plicatis ſub chlamyde manibus intentius orans, feruido in Chriſtum moueretur affectu, lux eam cœlica circumfulſit. Aſtitit autem tunc Sacerdos quidam bonus ſanctæ conuerſationis, opinione & deuotione laudabilis, cuius aperuit Deus oculos, & in hora Consecrationis Corporis Dominici vidit faciem eius claritate nimia diuinitus illuſtratam, tanquam ſolem radios lucifluos emittentem; vt mirabilis circa mentem illuſtrationis, mira circa corpus illuſtratio teſtis eſſet.

Erat autem talis ac tanta cœleſtis illius lucis claritas circumfuſa, vt corporali luce obumbrata ipſam nequaquam poſſet præ ſplendore diuino corporalibus oculis intueri. Stupuit nimis homo ille, glorificans Deum ſuum. Tandem hoc, quod viderat, ad laudem eius, qui facit mirabilia, enarrauit.

Qua-

Digitized by Google

Qualiter ſacra tempora coluit, feſtiuitates celebrauit.

CAPVT XI.

OBſeruationes ſacras ab Eccleſia inſtitutas, religioſè & ſollicitè cuſtodiuit. Nempe quadrageſimalis ieiunii tempus, orationibus, abſtinentia, eleemoſynis inſiſtendo peregit. Corpus nihilominus proprium multis verberibus caſtigando. Feſtiuitates quoque quibus noſtræ redemptionis beneficia recoluntur, quanta veneratione adorauerit, qua charitate amplexa fuerit, qua pietate ſuſceperit, qua fide coluerit, quis digne enarrabit?

Audi quid fecerit. Etenim die qua domini celebratur COENA filia regis regi, qui ea die ſurgens à cœna poſuit veſtimenta ſua, ſe conformans; precioſas veſtes poſt meridiem exuit, populariſque religionis indumenta ſuſcepit incedens humiliter calceis cruri alligatis vtens. Quis vnquam de regis filia audiuit talia? Solebat inſuper ea die ſemper ſolenne mandatum Chriſti imitatrix exhibere pauperibus. Duodecim enim pauperum pedes lauit, ſingulis nummos duodecim, pannumq́; pro veſtimento & panem ſimilaginis tribuens.

Collegit preterea anno quodam ipſa die multos leproſos, eorum pedes manuſque lauans, & in ipſis loca vlceroſa & horrenda deoſculans, pedibus eorum humillime ſe proſtrauit. Deinceps vbicunque tales reperit aſſidens illis conſolabatur eos, exhortans ad patientiam; nec plus eos, quàm ſanos horruit, largiens eis eleemoſynas abundanter.

Tranſacta ſacra illa nocte in orationibus & ex memoria dominicæ paſſionis, pietatis & humilitatis affectione concepta, manè dixit ancillis ſuis. Hodie dies humiliationis eſt, nullam à vobis volo mihi reuerentiam exhiberi. Humilianſque ſemetipſam & in ſimilitudinem pauperum facta, ordinauit more pauperum in gremio ſuo lini faſciculos plurimos paruulos, & plenum thure vaſculum, de ceraque lumina parua multa nummorumq́ue talenta non pauca. Sicq́ue inter populares mixta ad ſingula ſingularum Eccleſiarum proceſſit altaria nudis pedibus, & factis genuflexionibus ad ſingula faſciculum lini paruulum, & thus cum lumine modico obtulit. Et inclinans humiliter diſceſſit.

Tranſiens verò in plateis nummos pauperibus largiter erogabat.

lat. Ibat ſic & comprimebatur tanquam vna de populo. Reprehenſa autem de oblationis paruitate, eo quod Princeps & domina offerre deberet magna; ſed ipſa ſimplicitatem honeſtati prætulit, quoniam non ex tenacitate, ſed ex humilitate prodiit. Et in ſpiritu humilitatis ſacrificium Deus ſuſcepit.

In diebus ROGATIONVM cùm quidam contra Sanctorum decreta facientes preciosis & delicatis veſtibus decorantur; ipſa Princeps regis filia laneis induta, nudis pedibus proceſſionem CRVCIS & SANCTORVM RELIQVIAS deuotiſſime ſequebatur.

Verbum quoque Dei auditura Chriſti diſcipula in prædicationum ſtationibus inter pauperrimas fœmina nobiliſſima ſe ſemper locare conſueuit; ſciens quia ſemina in vallibus iactata in ſegetem plurimam vbertim pullulant & excreſcunt.

LIBER TERTIVS.

De claris actibus Landgrauii Ludevvici coniugis ſanctæ Elizabeth.

a M. De cõmendatione Illuſtriſsimi Ludevvici Landgrauii Turingorum.

CAPVT I.

LIBRVM oportet hîc annectere de LVDEWICO Principe glorioſo THVRINGORVM, vt quemadmodum beatæ ELIZABETH in hac vita dignus habitus eſt conſortio, ita nunc expers & alienus non ſit ab ipſius laudis præconio. Omnium namque beneficiorum eius dulcis fautor, fidelis exhortator, & efficax extitit coadiutor. Sed virtutes eius quis valet enarrare? quis virtutem animi? quis corporis eius pulchritudinem explicet? Extulit eum mediocris ſtaturæ decens valde proceritas, & gratioſi vultus ſerenitas ſpecioſi forma præ filiis hominum imagine, vt aiunt, repræſentans. Nec erat, qui eius aſpectui amabili nõ hæreret. Erat pudicus ſenſibus, carne mundus.

Qui die quadam ſtans de feneſtra ſpectabat de ſubter ducentes choream. Cui aſtans aliquis, demonſtrata vna de ducentibus choreas fœminis ait; Hui' amplexu ſi volueris, mi domine, frui te faciam. Tũc vehementer iratus Princeps, Obmuteſce, inquit, & nunquam talia de-

inceps auribus meis inferas; ſi meam volueris gratiam & amicitiam retinere. Confuſus à pudico ille miſer impudicus, ſtupens tremuit, & obmutuit refutatus. Fuit inſuper eloquio dulcis, moribus ſuauis, animo conſtans, & virilis, exercitiis militaribus ſtrenuus, & agilis.

Qualiter leonem perterruit.

CAPVT II.

ERat quidam leo in curia Principis: & accidit die quadam, vt mane de ſtratu ſuo conſurgens linea tantùm inſuper iniecta veſte, ſotularibuſq; indutus, obuium haberet leonem contra ſe ſæuientem. Cui eleuato pugno comminatus eſt, viriliter increpando. Mox beſtia feritate depoſita, viri pedib' ſe proſtrauit, motu caudæ ſuæ blandiens iraſcenti. Tandem faculis vix ſubiugata beſtia, magiſtrum beſtiæ Princeps grauiter reprehendit. Hoc factum non tàm magnanimitati, quàm fidei æſtimo deputandum.

De excellentia morum & ſtatus eius.

CAPVT III.

IN ore eius non eſt inuentum mendacium, fuitque ſermo eius, Eſt, eſt; non, non. Et verba eius fideliſſima, & vera erant; quibus tanquã iuramento firmatis ab omnibus credebatur. Ad omnes fæminas reuerens extitit, & verecundus; largus & benignus militibus, & familiaribus ſocialis & iocundus; baronibus & nobilibus venerabilis; Principibus & magnatibus ſpectabilis; cunctiſque generaliter affabilis, tractabilis, & amabilis. & vt concludamus omnia, Deum timuit, dilexit, & coluit.

Quotidiè in eius præſentia ſolenniter diuina agebantur MYSTERIA: vbi deuotus ſemper aſtitit, Deumq; ſuũ cum reuerentia adorauit. In conſpectu eius pulchritudo erat, & munditia; in actibus magnificẽtia; in omni eius familia diſciplina: Nec audebat aliquis actum præſumere illicitum, vel verbum loqui impudicum. Quod ſi quiſquam præſumpſerat, durius vapulabat. Ob hoc tanquam à capite membrorum ſanitas, manabat omnium inferiorum bonitas. Fuerunt quippe tunc nobiles veraces, & pacifici milites fideles, ſuis ſtipendiis contenti, reliqui de populo humiles & quieti. Fecit enim Princeps iudicium & iuſtitiam, ideoq; erat tunc pax & veritas, bonorum omnium abundantia,

Digitized by Google

tia, & vbiq; habitabant homines confidenter. Erat tunc ſublimis & famoſa THVRINGIÆ prouincia, gens acceptabilis & deuota, tanti Principis nomine inſignita, ſanctæq; ELIZABETH meritis nominata.

De Caſtitate huius Principis.

CAPVT IV.

INter cætera virtutum inſignia, quibus floruit, caſtitas in eo præcipuè, & pudicitia reſplenduit. Nam cùm aliquando vrgentibus negotiis terram longinquam cuiuſdam Principis ſui conſanguinei proximi adiiſſet, cũ reuerentia & amicitia multa ſuſceptus eſt ſolenniter. Cumq; poſt epulas & delicias copioſas ad quieſcendũ perueniſſet, muliercula quædam lecto eius ab impudicis iniecta eſt. Quod præſciens vir caſtus nobili illi & dilecto militi ſuo WALTHERO de VARILA ſecretè dixit: Amoue cautè à ſtratu meo fœminam hanc; eiq; marcam argẽti illico trade. Vere enim dico tibi, etiamſi in hoc facto adulterii crimen non abhorrerem, nollem tamen in hoc caſu meam ELIZABETH contriſtare.

Ecce nouus & admirandus IOSEPH, qui propter fidem oblatum crimen adulterii recuſauit.

Qualiter recuſauit Adulterium.

CAPVT V.

ERat in THVRINGIA miles diuitiis locuples, vxorem habens pulchrã, ſed ſterilem; cuius non ex ſe, ſed ex viri defectu ſterilitas cauſabatur. Dolens autem miles ad extraneos opes ſuas deuolui hæredes, blandè induxit coniugẽ, vt ſibi hæredẽ ex adulterio procuraret. Adiit ergò ſtult' PRINCIPEM terræ cũ timore multo, dicens ad eum: Mi domine oro, vt benignè, q̃ loquor, auſcultes, & diligẽter occultes. Cui dũ Princeps loquẽdi fiduciã præſtitiſſet; miſer ille pauens ac tremens turpe mentis conceptum, pudicis auribus inſtillauit, beatũ ſe dicens, & æſtimãs ſi de tali perſonæ altiſſimo ſanguine poſſeſſionũ ſuarũ meruiſſet hæredẽ habere. Tunc vtpote verecundus, & pius infelicis hominis votũ impiũ, & deſpexit cordetenus, & vocetenus approbauit rubori ſupplic s cõdeſcendẽs. Statutoq; veniendi die ab inuicẽ diſceſſerunt. Tũc prudens Princeps efficacẽ illius morbo medicinam, tanquam ſibimet neceſſariam præcepit à medicis preparari. Credebãt infirmatum Prin-

 cipem,

Digitized by Google

cipem & medicinam præparant efficacem. Quam paratam aſſumens Princeps, ad locum properat aſſignatum. Suſcipitur iocundè gratus hoſpes, reficitur delicatè. Confidens autem illis electuarium protulit, & militi obtulit ad edendum. Cuius efficaciam miſer illicò expertus in ſe, ſeorſum ſumens Principem, dixit ei; Obſecro mi domine, vt quemadmodum huc veniſti, digneris reuerti; ſentio enim in me potentiam, quam hactenus expertus nunquam fui. Cui LANTGRAVIVS; Non reputes ait, quod venerim, vt adulterium committerem, ſed ad hoc potiſſimum, vt te ab hoc opprobrio eriperem, & vxorem tuam ab infamia liberarem. Venerat autem LANTGRAVIVS ſolus à venatoribus diſcedens. Fuit enim iſte de miniſterialibus, qui loca poſſident nemoroſa. O vere optimum & piiſſimum virum, qui ſe propter amicum reputari defectuoſum voluit, & ſua quodammodo infamia famam alterius ſtuduit conſeruare!

De Miſericordia, quam beata Elizabeth tempore Cariſtiæ pauperibus exhibuit indefeſſa.

CAPVT VI.

Anno 1225. ANNO Domini milleſimo ducenteſimo vigeſimo quinto, proficiſcẽte in APVLIAM ad IMPERATOREM FRIDERICVM LVDEWICO THVRINGIÆ LANDGRAVIO ad CVRIAM CREMONENSEM, per totam ALEMANNIAM ſuborta eſt Cariſtia grauis, & ferè duobus annis durans multos fame peremit. Tunc miſericors ELIZABETH miſerorũ compaſſione permota, omnem annonam de ſuis granariis collectam in pauperum eleemoſynas erogauit. Quibuſdam, id eſt, multis tantùm ſingulis diebus, quantum neceſſitati opus erat, tribuit, & quantumlibet dabat accipienti, per diem Dei munere ſatis erat.

Sub caſtro etiam WARTPERCH altiſſimo, vbi tunc etiam morabatur hoſpitale conſtituit, in quo infirmos & debiles plurimoſque qui generalem eleemoſynam expectare non poterant, collocauit. Quos non obſtante montis altitudine, ſingulis diebus pluries viſitabat, ſingulorum deſiderio ſatisfaciens tàm in cibo, quàm in potu. Abominabiles magis inter eos & debiles quoſdam pauit, quibuſdam ſtrauit, alios in humeros ſuos ſuſtulit, multaque officia humanitatis impendit.

Et licet nullam corruptionem aëris vbicunque aliàs potuerit ſuſtine-

Digitized by Google

ſtinere, infirmorum tamẽ etiam in æſtiuo tempore fœtores, quos ancillæ grauiter & cum murmure vix tolerabant, ipſa ſine omni horrore pertulit; hilariter manibus tractans eos, faciei ipſorum ſaliuam, ſputum, ſordes oris, & narium velo ſui capitis detergebat. Præter hos in eadem domo puerulos pauperes nutriuit; tàm dulciter ſe eis exhibens, vt eam omnes matrem appellarent, domumque intrantem accurrendo circumdarent ſibi filialiter aſſidendo. Inter quos ſcabioſos, infirmos, debiles, magis ſordidos, & deformes ſpecialiter dilexit; capita eorum manibus attrectans, & in ſinu ſuo collocans.

De quibuſdam miraculis, quæ oſtendit Deus per eam.

CAPVT VII.

IPſe autem pietatis amator Deus, in rebus vilibus opus ſuæ magnitudinis demonſtrauit. Cùm enim pauperum hæc nutricia paruulis ſuis infirmis vaſcula fictilia, anulos vitreos & quædam alia * puerorum iocalia oportuna xenia proprio pallio deferret, equo vecta de oppido ſupra caſtrum, omnia illa de rupe altiſſima prærupta ceciderunt. Quæ licet ad petram alliſa, merito tamen deferentis, ſana & integra omnia permanſerunt; & ab ipſa ſunt pueris pro ſolatio diſtributa.

* *M. quædam puerorum ſolatio oportuna xenia.*

Præter hoc, de vniuerſitate pauperum pauperiores, & debiliores elegit, quibus ante caſtrum locatis reliquias menſæ ſuæ propria manu diſtribuit; ſibi & ancillis multum ſubtrahens, vt pauperibus erogaret.

Cùm autem quadam die, poſt datam eleemoſynam reliquias potus modicæ quantitatis, quæ in vaſe quodam remanſerant, diſtribuens omnibus diuiſiſſet, fermè nihil imminutum videbatur; ſed quãtum prius fuerat, tantùm poſtmodum apparebat.

Non ſolùm in prædicto hoſpitali, omnibus charitatis beneficia petentibus largè exhibuit, ſed & in omnibus finibus dominationis viri ſui, omnes prouentus de quatuor principatibus eius, euacuans in alimoniam pauperũ conſumpſit liberaliter, & expendit pro his alendis.

Quidquid mundus pretioſum æſtimat & magnum, poſtpoſuit; vendens ſui corporis ornamenta, vt Chriſti reficeret membra. Pro his quidquid mundus reſpicit, elegit; dum ad mulgendum, vt miſero lac deſideranti ſatis fieret, ſe præbuit. Pro his quod mundus abominans refugit ſuo gremio ſuſcepit, dum horrendos infirmos ſordidoſq; manibus tractans abluit.

Digitized by Google

In prænominato autem hoſpitali viginti octo pauperes infirmos eo modo locauerat, vt vno mortuo continuò alter eius vteretur lecto. Pro ægroto etiam quodam debitorum ſibi conſcio reddidit debitum, & trepidantem conſcientiam abſoluit.

Sed & nongenti pauperes quotidiè in aſpectu eius per miniſtros de conſolatione eleemoſynarum reficiebantur.

Cumq; ſic vſq; ad meſſem pauiſſet multitudinẽ, cunctis laborare valentibus, camiſias, calceos, falceſq; dedit, vt deinceps de ſuis laborib⁹ paſcerentur. Laborare verò non valentibus, veſtiunculas in foro emptas tradidit. Quæ omnia libẽter propriis manibus diſtribuit. Valedicens autẽ recedentibus ſingulis dona obtulit. Et cùm pecunia deficeret, pauperculis fæminis pepla, & alia xenia ſerica dabat, dicens: Nolo quod his ad voluptatem, ſed vendendo ad veſtram vtamini neceſſitatem, & pro viribus iuſtis laboribus inſiſtatis. Inter quas dum vni camiſias, calceos & ſurcotum dediſſet, exhilarata nimis, clamauit, nunquam ſimile gaudium fuiſſe in mundo. & præ nimio gaudio corruens in terram mortua putabatur. Quæ videns beata fæmina timuit, ſe mortis eius cauſam extitiſſe.

Ad mortuorum pauperum ſepulturam veſtes propriis manibus fecit, ipſoſq; tractans & manibus tangens, eorum humiliter exequiis ſtuduit intereſſe. Ipſa velum lineum albiſſimum & magnum in partes conſcidit, & tantùm mortuis ſepeliendis impendit. Diuitum quoque mortuorum corpora nouis linteis & camiſiis non ſinebat inuolui, ſed veteribus, ſuadens meliora dari pauperibus.

De reditu Landgrauii ab Imperatore.

CAPVT VIII.

HÆc & alia multa præclara pietatis & miſericordiæ opera, iuuante viro, deuota mente & indefeſſo corde peregit. Cuius conſenſu & exhortatione ad facienda bona quæq; & eleemoſynas ducebatur. Cũ autem poſt multos menſes ab IMPERATORE LANTGRAVIVS rediiſſet, exultauit tota terra, Principem ſuum cum inæſtimabili gaudio ſuſcipiens lætabunda. Gaudebat præcipuè mater & fratres, ſed iocundabatur domina ELIZABETH ſuper omnes. De cuius nimia eleemoſynarum effuſione, dum diſpenſatores apud Principem cauſarentur & œconomi; Sinite, inquit piiſſimus, eam benefacere, & quæcunq; vult pro Deo dare * WARPPERCH tantùm, & NEVENBVRCH meæ ditioni ſeruate

*M Wartberg tantũ & Nuvẽburg.

uate

In prædictis itaq; ſuum dominus beneplacitum ſacro teſtante eloquio declarauit, dicens: In tribus beneplacitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo & homines, concordia fratrum, amor proximorum, & vir & mulier benè conſentientes ſibi. Ambulauit ſiquidem glorioſus Princeps cum ſuis germanis fratribus, dulciter, æqualiter, & benignè: aliis omnibus, maximeq; egenis & pauperibus piam & proficuam exhibens charitatem.

Quàm bonus verò & ſincerus beati viri cum electa muliere conſenſus extiterit, huius ſcripturæ teſtimonia lucidè manifeſtant.

De venerabili magiſtro Conrado de MARBVRG.

CAPVT XI.

ERant eo tempore inter Epiſcopos & Sacerdotes quidam viri iuſti & perfecti, quorum exemplis & documentis Deus omnipotens ſuam tunc Eccleſiam ſuſtentabat. Inter quos magiſter Conradus de MARBVRCH velut clarum ſidus in ALEMANIA præfulſit. Fuit enim eruditus ſcientia, conuerſatione purus, & vita euangelica; affluens doctrina, zelator Catholicæ fidei, & expugnator validiſſimus hæreticæ prauitatis. Hic diuitias & poſſeſſiones temporales, & beneficia Eccleſiaſtica habere noluit; ſimplici, modeſto, & humili clericali habitu cõtentus, grauis in moribus, & maturus, aſpectu auſterus, bonis Chriſtianis gratus, & benignus; prauis autem & perfidis in iudicando iuſt° & diſtrictus fuit.

Prædicabat autem per totam TEVTONIAM auctoritate APOSTOLICA, & ſequebatur eum Cleri & populi innumera multitudo. Metuebantq; eum vtpote virum ſanctum & iuſtum omnes, alii amore, alii timore. Hunc dominus LVDEWICVS LANTGRAVIVS tanto honore coluit & extulit, vt eidem omnia beneficia, quorum ius PATRONATVS ad ipſum pertinebat, committeret conferenda. Conſenſit quoque quod domina ELIZABET vxor ſua ad manus dicti viri votum obedientiæ, & continentiæ emitteret, lege & iure matrimonii ſibi ſaluo. Factũ eſt hoc in ciuitate YSENACENSI, in Cœnobio SANCTIMONIALIVM Beatæ CATHERINÆ. Cuſtodiuit ergò mulier ſancta obedientiam ſtrictam, & humilem, ſicut vouerat, propter Deum.

Accidit ergò vt vocata à Magiſtro ad prædicationem per MARCHIO-

CHIONISSAM MISNENSEM viri ſui ſororem, quæ ſuperuenerat, tunc præpedita non veniret. Mandauit ergò ei ſeruus Dei, quod propter hanc inobedientiam eius deinceps gerere nollet curam. At illa feſtinans die ſequenti venit, recipique in gratiam poſtulauit. Quod dum renueret vir ſerius & ſeuerus; ad pedes eius humiliter ſe proſternens filia regis, veniam impetrauit. Ancillas verò eius durius verberibus caſtigauit. Itaque duobus annis viuente marito obedientiam exhibuit: poſt mortem verò eius multò ampliorem.

LIBER QVARTVS.

Qualiter maritus ſanctæ Elizabeth ſignatur cruce in ſubſidium terræ ſanctæ.

CAPVT I.

An. 1227. FACTVM eſt tandem anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſeptimo generale PASSAGIVM ad TERRAM SANCTAM, in quo etiam FRIDERICVS ROMANVS IMPERATOR transfretauit. De mãdato quippe PONTIFICIS ſummi prædicabatur CRVX in ſubſidium SANCTÆ TERRÆ. Tunc multi ARCHIEPISCOPI, & EPISCOPI, & PRINCIPES, aliique Chriſti fideles zelo fidei contra inimicos Chriſti accenſi, CRVCE ipſius ſignati ſunt, contra gentiles fideliter pugnaturi. LVDEWICVS verò eximius Princeps THVRINGORVM LANTGRAVIVS vir Chriſtianiſſimus habito cum venerabili patre domino CONRADO HILDENSEMENSI EPISCOPO maturo conſilio ab eodem CRVCE ſignatus eſt in nomine IESV Chriſti; latereque vſque ad tempus oportunum cupiens, ſignum quod acceperat veſtimento, vt moris eſt, mox non affixit, ne vxor, quę cum tenerrimo diligebat affectu, hoc aſpiciens de futura eius abſentia anxia turbaretur. Quod tandem dum eius marſupium cinguli ſolito reuolueret, reperiens; miro ſtupore reſoluta conſternata eſt. Cuius mœſticiam ſuauiſſimus Princeps diuinis monitis, & dictis dulcibus deliniuit.

Qualiter valedicens ſuis diſceßit.

CAPVT II.

DEinde diſpoſita terra, ſuiſque principatibus ordinatis, viſitauit mona-

monachorum & monialium cœnobia, benedictionem ab ipſis accipiens, & eorum ſe orationibus recommendans. Deinde * SCHMALCHALDEN oppidum ſuæ ditionis veniens, inuenit præcordiales ſibi, quibus inſalutatis abire noluit, quos illi iuſſerat congregari. Quibus valefaciens cum mœrore, commiſit ſuis fratribus natos cum vxore, matremque deoſculatus filiali * more, vix eam alloquitur cordis præ dolore.

* M. Schmalkalden.

* amore.

Illis mota viſcera, corda tremuerunt,
Dum alter in alterius colla irruerunt,
Expetentes oſcula, quæ vix exceperunt
Propter multitudines, quæ eos compreſſerunt.
Mater tenens filium, vxorque maritum
In diuerſa pertrahunt, & tenent inuitum,
Fratres cum militibus velut compeditum
Stringunt, nec diſcedere ſinunt expeditum.
Erat in exercitu maximus tumultus,
Cum carorum cernerent alternari vultus.
Flebant omnes pariter ſenex & adultus,
Turba cum militibus, cultus & incultus.
Eia quis non plangeret cum videret flentes,
Tot honeſtos nobiles, tàm diuerſas gentes
Cum THVRINGIS SAXONES *illuc venientes,*
Vt viderent ſocios ſuos abſcedentes.
Amico luctamine cuncti certauere,
Quis eum diutius poſſet retinere.
Quidam collo brachiis, quidam inhæſere
Veſtibus, nec poterat cuiquam reſpondere.
Tandem ſe de manibus eximens ſuorum,
Magnatorum ſocius & peregrinorum,
Admixtus tandem cœtui cruce ſignatorum,
Non viſurus amplius terram Thuringorum.

Aſcendens itaque ſuper equum ſuum Princeps pacis cum multis BARONIBVS, NOBILIBVS, MILITIBVS armigeris, aliiſque Chriſti fidelibus plurimis, valedicentes terræ & populo remanenti, circa finem menſis IVNII peregrè profecti ſunt in nomine Domini, ipſum cordibus & vocibus collaudantes.

Erat ibi tunc mœſtitudo maxima, luctus & planctus ingens; vo-

Digitized by Google

ces miſerabiles, larga lachrymarum effuſio cum rugitu anxio & clamore. Erat nihilominus deuota illic mens, & vox grata benedicentiũ Deum. O permixtum turbulenta mœſtitia pium trepudium! vbi fletus & planctus concentui iungitur, dum parentes à filiis, & viri ab vxoribus pro charitate fidei ſciunguntur.

Qualiter proſecuta eſt beata Elizabeth coniugem aliquantulum.

CAPVT III.

SEquebatur non à longe, ſed à prope, corde mœſtiſſimo, mulier fideliſſima, Principem dulciſſimum, amantiſſimum coniugem, peregrè abeuntem extra terminos THVRINGIÆ, ipſum vlterius, proh dolor, non viſura. Tunc oportunè reuerſuram vis amoris & ſeparationis dolor retinuit, & ad iter vnius diei progredi compulit importunè. Sed nec iſta ſuffecit progreſſio; proceſſit adhuc diſceſſionis impatiens, diei alterius iter complens.

Quid ſibi vult hoc? vtique vinculum amoris & vis doloris intentionem multiplicant progreſſionis. Rupit tamen moras affectionis, fortis, vt mors dilectio conditoris. Diſcedunt tandem ab inuicem animante PINCERNA RVDOLFO. Quis putas, gemitus, quæ ſuſpiria, qui ſingultus, quæ lachrymæ, quis motus, vel ſtrepitus cordis, vbi tàm importuna & vehemens ſciſſio, & tàm amara & violenta intercedit ſeparatio? Secedunt tamen & diſcedunt ab inuicem.

O intolerabilis & amariſſima diſceſſio, in qua abſcondita eſt ab oculis omnium intuentium conſolatio! O quantus luctus & planctus omnium, quanta præcipuè dominæ, & cum ea redeuntium lamenta puellarum!

Perrexit dominus exultans, vt gigas ad currendam viam; rediit domina plorans, vt vidua, & lachrymæ in maxillis eius. Exuta verò veſtibus iucunditatis, viduitatis aſſumpſit habitum; ſola ſedens domina gentium, Princeps Prouinciarum, ad Deum totaliter ſe conuertit; operibus bonis præcedentibus adiiciens meliora.

Vbi

Vbi Lantgrauius febricitare cœpit.

CAPVT IV.

PORrò benè diſpoſitis omnibus, cum gaudio & iocunditate maxima profect' eſt LVDEWICVS THVRINGIÆ LANTGRAVIVS PRINCEPS HASSIÆ & SAXONIÆ, COMES PALATINVS, de terra ſua eligens exulare pro amore IESV Chriſti, vt in cœleſti patria ab ipſo recipi mereretur.

Cum tranquillitate igitur pacis tranſiens FRANCONIAM, SVEVIAM, & BAVARIAM, & trans alpes ITALIAM, LOMBARDIAM, TVSCIAMque venit in SICILIAM, vbi Imperator FRIDERICVS ipſum cum inæſtimabili gaudio ſuſcepit in ciuitate, quæ TROIA nuncupatur. Cum quo per totam viam progrediens, tandem BRVNDVSIVM peruenerunt.

Inde poſt NATIVITATEM beatæ MARIÆ ſemper virginis cum omni virtute militiæ, aliaque familia nauigare cœperunt. Sed antequam nauim aſcenderent, in Inſula ſancti ANDREÆ, IMPERATOR & LANTGRAVIVS mutuis colloquiis fruebantur. Ibi proh dolor delicatiſſimus ille, & ſereniſſimus Princeps LVDEWICVS cœpit pauliſper febribus inquietari. Singulares tamen galeolas aſcendentes, ſeque Chriſto cum orationibus committentes, portum BRVNDVSII reliquerunt. Ingreſſi autem ciuitatem, quæ* ORCRANT dicitur, vbi IMPERATRICEM inuenerunt, quam LANTGRAVIVS cum debita veneratione viſitans, ſalutauit. Iamque corpus eius acrius febribus vexabatur; ideoque ad nauim reuerſus lecto decubuit.

* *M. Ortrant.*

De extremis eiuſdem.

CAPVT V.

VIdens igitur, quòd ſibi mortis periculum immineret, vocato PATRIARCHA HIEROSOLYMITANO ab ipſo SACRÆ VNCTIONIS SACRAMENTVM accepit, qui vt officium ſolenne hoc perageret, Epiſcopum de ſancta CRVCE cooperatorem aſſumpſit. Peracta vnctione, ſacroſancti CORPORIS Domini noſtri IESV CHRISTI ſibi viaticum tradiderunt. Quod cum fide Catholica & ſincera deuotione ſuſcepit. Sicque vir Chriſtianiſſimus pro Chriſti nomine exul & peregrin', Chriſti CRVCE ſignatus, à peregrinatione vitæ præſen-

Digitized by Google

ſentis rediens ad patriam, obdormiuit in Domino tertio Idus Septembris.

Quidam autem ex ſuis, qui nauigio præceſſerant, audita tàm triſti eius mortis fama, turbati ſunt vehemẽter, & ex dolore cordis intolerabili factus eſt ploratus & vlulatus multus nimis; vt mare concuſſum tremere videretur à vocibus plangentium clamore miſerabili & lugentium.

O heu, inquiunt, domine, heu inclite, quomodo à te in terra aliena exules derelicti ſumus! Quomodo te amiſimus lumen oculorum noſtrorum, ducem peregrinationis noſtræ, ſpem reuerſionis noſtræ! Væ nobis.

Renauigantes tamen corpus dilecti Principis decenter & firmiter inuolutum ſepelierunt, ſolennes exequias celebrantes. Nihilominus tamen iter peregrinationis, quod acceperant, perfecerunt.

Qualiter beata Elizabeth annunciatur obitus mariti ſui.

CAPVT VI.

REdeunt nuncii in THVRINGIAM legationem lugubrem de morte intempeſtiua piiſſimi & Illuſtriſſimi Principis reportãtes. Prouidebat autem prouidentia diſcretorum & piorum, ne hæc infauſta & lamentabilis fama ad aures relictæ vxoris importuna narratione vel ſtolida cuiuſpiam deferretur. Viſumque eſt per matrem defuncti dominam SOPHIAM hoc magis oportunè poſſe fieri & debere. Quæ aſſumptis quibuſdam nobilibus & diſcretis matronis, WARPERCH ad nurum veniens, reuerenter ab ipſa & benignè ſuſcepta eſt. Quæ cùm ſediſſent, dixit ſocrus ad nurum: forti animo eſto filia mea dilecta, nec turberis ſuper eo quod circa virum tuum filium meum diuina diſpotione geſtum eſt. Quæ verba ſocrus de captiuitate ſui viri, nequaquam de morte intelligens, reſpondit cum fiducia, dicens: Si captiuus detinetur frater meus, (ſic enim conſueuerat eum nominare) Dei & amicorum noſtrorum poterit liberari adiutorio. Cui ſocrus, Mortuus eſt, inquit. Tunc illa * connodatos digitos ſuper genua mittens mœſtiſſima ait: Mortuus? Mortuus eſt mihi mundus, & omne quod in mundo blanditur. Hoc dicto repentè ſurgens cum fletu celeri greſſu longitudinem palatii cum impetu pertranſit. Extra ſe namque poſita mente vſquequaque percurriſſet, niſi paries obſtitiſſet. Accedentes autem, quæ

* M. connodans.

quæ aderant, eam de pariete cui adhæſerat, abſtraxerunt. Fluebant oculi omnium, & madebant lachrymis ſuper interitu viri tàm amabilis, & compaſſione relictæ vxoris tàm miſerabilis. Elongatus eſt conſolator, & receſſit omnis conſolatio. Aderat tamen qui pupillum ſuſcipit & viduarũ conſolator internus ſpiritus ſanctus, conſolans cor viduæ, & mœrentem erigens, & lætificans gratiæ ſuauitate.

Qualiter ipſa de caſtro ſuo propellitur, atque paupertatem patienter ſuſtinuit.

CAPVT VII.

NOn multo poſt tempore quidam vaſalli defuncti Principis, qui fratrem ipſius HENRICVM iuuenem regere debuerant, Dei timoris, & iuſtitiæ, propriæ honeſtatis, & diſciplinæ obliti percuſſam à Deo perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulneris eius addentes, ipſam de caſtro, & cunctis eius poſſeſſionibus eiecerunt. Deſcendit ergò de ſublimi filia regis, flens & triſtis, per decliuum montis cum ſuis ad ſubiacens caſtro oppidum. In cuiuſdam autem cauponis hoſpitio recepta cum ſuis manſit cum iucunditate multa ſpiritus illa nocte. Media verò nocte ſurgens ad matutinas FRATRVM MINORVM perrexit; rogans eos, vt hymnum decantarent, angelicum ſcilicet: TE DEVM LAVDAMVS; in tribulationibus ſuis glorians, & gratias agens Deo.

Cumque nullus auderet eam hoſpitio recipere, confugit ad Dominum cum pediſſequis ſuis, ingreſſa ad Eccleſiam multum morabatur ſedendo in ea. Et cùm allati eſſent de caſtro paruuli eius in multa frigoris aſperitate, neſciebat quo cum eis diuerteret, vel vbi eorum capita reclinaret.

Neceſſitate ergò coacta domum ſacerdotis introiit, ſe ſuoſque miſerè ſatis paſcens, pignoribus obligatis. Erat in hoc oppido quidam eius æmulus, habitationem habens in qua multæ ſtructuræ, & habitacula plurima erant. Quo cum iuſſa intraſſet, in arcto loco compulſa eſt cum tota ſua familia habitare. Cui hoſpes & hoſpita eiuſque familia non charitatis beneficia, ſed hoſtilitatis multa grauamina intulerunt.

Egrediens igitur inde parietibus, qui eam à pluuia & frigore tutati erant, valedixit, dicens: Hominibus libens benedicerem, ſi cur hoc facerem, cauſam haberem. Reuerſaque eſt ad prius ſordens ergaſtulũ, aliud in eo oppido non valens habere domicilium.

Digitized by Google

Heu inopinata & infauſta rerum varietas! Heu fallax & inanis huius mundi fœlicitas! Ecce quæ in palatiis habitare potuit, & aliis imperare; nunc hoſpitium cogitur mendicare, nec valet impetrare. O ſtupenda & inſcrutabilis Dei diſpenſatio! Quæ ſolebat pauperum paruulos, vt mater nutrire, & tanquam nutrix reficere; nunc preſſa inopia, paruulos vteri ſui ad diuerſa loca & remota compulſa eſt à ſe propter alimoniam elongare. Sicque ibi in paupertate degens id ipſum modicum, quod habere poterat, ori ſuo ſubtrahens pauperibus erogabat.

Qualiter ingrata vetula ſanctam Elizabeth in lutum detruſit.

CAPVT VIII.

FVit tunc ibidem mulier quædam pauper, infirma, & vetula. Cuius paupertati per eleemoſynam, ægritudini per medicinales ſpecies, ſenectuti ſolatiis ſuccurrebat. Eratque arcta quædam via, vbi pro luti profunditate lapides fuerant tranſeuntibus collocati. Occurrit ibi benefactrici ſuæ, de qua præfati ſumus, vetula, eiq; nolens cedere impegit ignobilis in nobilē, proterua in manſuetam, beneficii immemor in miſericordem. Corruit ergò in luti profundum Dei famula omnino cum veſtibus omnibus inquinata. Quod cum multa lenitate & patientia ſufferens, eleuata multum riſit, lauitq; cum gaudio veſtes ſuas ſordidas in flumine, animam verò patientem in agni ſanguine.

Hæc omnia venerunt ſuper eam; nec oblita eſt Dei, & inique nō egit: ſed quanto magis abundabant tribulationes, tanto abundabant conſolationes, per multas diuinas reuelationes, quibus frequenter viſitabatur horis diurnis & nocturnis in orationibus conſtituta.

De conſolationibus & diuinis reuelationibus eidem factis.

CAPVT IX.

EO tempore in diebus Quadrageſimæ vice quadam cùm Dei famula more ſolito MISSARVM celebrationibus intereſſet, deuotionis feruore ignita, flexis genibus parieti inclinata, & ſupra ſemetipſam mente & ſpiritu eleuata, contemplando diutiſſime defixos oculos habuit ad altare.

Per-

Perpendit hoc nobilis illa & deuota fœmina* HYSENTRVDIS beatæ ELIZABETH præ aliis ſpecialiſſima. Quæ poſt oportunitate nacta, ſollicitabat eam precibus multis de reuelanda viſione, quam viderat, dum offerretur HOSTIA SALVTARIS. Cui fœlix ELIZABETH reſpondit: Ea quæ ego ibi Domino reuelante cognoui, non expedit hominibus enarrari. Hoc tamen latere te nolo, quod anima mea ſuauiſſimo perfuſa fuit gaudio, & admiranda Dei ſecreta interiori conſpexi mentis oculo.

*Yſentrudis.

Cumque ad illud ſuum humile de Eccleſia rediiſſet hoſpitium, permodicum valdè ſumpſit cibum. Poſt cibum debilis valdè erat erumpente ſudore, in ſinum dictæ HYSENTRVDIS, excluſis cæteris tanquam ad quieſcendum Dei famula ſe recepit, defixos oculos ad contra poſitum habens locum, & facta hora ſerenata facie, magnaque hilaritate circumfuſa dulcis in eius ore riſus apparuit & iucundus. Facta autem diutino interuallo, clauſit oculos, fluebantque tanquam riui, ex ipſis lachrymæ infinitæ. Iterumque breui interueniente morula apertis oculis lætus apparuit vultus vt prius; & in ore eius pri' riſus: ſicque, vt dictum eſt, fletum clauſis oculis, & riſum ipſis apertis alternando in contemplatione vſq; ad horam COMPLETORII, plus tamen iocunditati quàm mœſtitudini immorans perdurauit.

Poſt hanc ſpeculationem diutinam in hæc affectuoſa verba prorupit, dicens: Vtique domine tu vis eſſe mecum, & ego volo eſſe tecum; & nolo à te ſeparari. Quæ verba audiens YSENTRVDIS venerabilis, in cuius ſinu in hac reuelatione recubuit, admirans vehementer, petiuit inſtantiſſimè ſibi hoc myſterium aperiri. Humilis autem ELIZABETH latere malens, indicare renuit. Verum dilectæ dilectricis precibus reſpondit: Vidi, inquit, cœlum apertum, & Dominum meum IESVM dulciſſimum inclinantem ſe ad me, & conſolantem me de variis anguſtiis meis & tribulationibus, quæ circumdederunt me. Quem dum vidi, iocundabar & riſi. Cùm verò vultum tanquam receſſurus auerteret, fleui. Qui miſertus mei iterum vultum ſuum ſereniſſimum ad me conuertit, dicens: Si tu vis eſſe mecum, ego volo eſſe tecum, & nunquam volo à te ſeparari. Cui ego reſpondi, dicens: Ita Domine, tu vis eſſe mecum, & ego volo eſſe tecum; & nunquam volo à te ſeparari.

O fœlix & firma pactio, & fida deſponſatio! O vere grata huius mulieris humilitas, ad quam ſe inclinauit ſumma maieſtatis excellentia! O feruens charitas, cuius viſioni ſe offert præſentia

Dei-

Digitized by Google

Deitatis! O ſincera deuotio quam conſolatur ſuauitatis influentia! O quam beata anxietas cui cœleſtis aperitur & patet immenſitas! Hũc theſaurum repertum abſcondere omninò ſtuduit; ne ventus diſpergeret vanitatis, quod gratia congregauerat ſanctitatis.

LIBER QVINTVS.

Beata Elizabeth & ſui pro viſione Epiſcopi Bambergenſis veniunt in Bamberg & Botenſtain.

CAPVT I.

POſt hæc nobilis religioſa fœmina ABBATISSA de KIZINGEN beatæ ELIZABETH ſecundum carnem matertera, miſerta paupertatis eius defectum nimium, ipſam allatam honorificè ad dominum *BAMBERGENSEM EPISCOPVM euexit. Qui Dei famulæ auunculus, ipſam benignè & reuerenter ſuſceptam, cum omni honeſtate charitateuè pertractauit. Sciens autem venerabilis vir, quia ait Apoſtolus: Adoleſcentiores viduas volo nubere, & filios procreare, cogitabat eam alicuius matrimonio collocare. Quod & ipſam non latuit.

** M. Babynbergẽſem. Et in margine aſcriptũ erat hoc nomen: Eckẽbertum.*

Cumque pediſſequæ eius, quæ cum ea continentiæ votum commiſerant, Epiſcopi potentiam formidantes, cum ea ſuper hoc querulando cum lachrymis loquerentur; conſolans eas conſtanter corde pleno fiducia reſpondit, Inſpector cordium & abſconditorum cognitor Deus nouit votum continentiæ, quod viro meo viuente emiſi, de puro corde, & ſimplici, & fide non ficta proceſſiſſe. Ideoque de ipſius confidens miſericordia, impoſſibile fore ſcio, quòd meam non conſeruet contra omne humanum conſilium, vel violentiam, caſtitatem. Neque enim ego conditionatum, ſi amicis placeret & proximis, ſed ſpõtaneum, abſolutum, ac liberum edidi votum, ſeruandæ poſt mortem dilecti mei integerrimæ caſtitatis ad gloriam conditoris. Verum etſi contra libertatem matrimonii me inuitam quiſpiam viro tradere præſumpſerit, animo diſſentiam, & ſermonibus contradicam. Et ſi aliam id euadendi viam non reperirem, occultè naſum proprium meis truncarem manibus, vt ſic me omnis abhorreret homo turpiter maculatam. Præfatus autem EPISCOPVS præcepit, vt ad caſtrum, quod dicitur

citur BOTENSTAIN cum decenti comitatu Dei famula cum ſuis deferretur pediſſequis, ibi, quouſque eam viro traderet, moraturam.

Quomodo oſſa defuncti eius mariti transferuntur.

CAPVT II.

PErrexit igitur triſtis & inuita. Innotuerat ſiquidem ei EPISCOPI intentio circa eam. Tunc illa paucns, & tremens periculum, confugit ad Dominum, & ipſius cuſtodiæ caſtitatem ſuam lachrimoſis orationibus commendabat. Audiuit autem vocem eius ſecundum miſericordiam ſuam Deus, & conuertit luctum eius & triſtitiam in conſolationem, & lugubrem in lætitiam. Et ecce ſubitò venit nuntius EPISCOPI eam ipſam reuocantis in BAMBERG. Cùm enim mortuus eſſet in APVLIA ILLVSTRISSIMVS ille LVDEWICVS THVRINGORVM PRINCEPS & LANTGRAVIVS, curauerunt eum nobiles & viri honorati, qui cum eo profecti fuerant, & inuoluentes corpus decentibus & fortibus pannis, honorificè tumulauerunt. Peractaque peregrinatione, effoſſum corpus decoctione diligenti excoriatum eſt. Quo facto apparuerunt oſſa candida ſuper niuem. Quæ ſcriniis mundiſſimis impoſita, & incluſa, & reuerenter cooperta, & iumenti dorſo impoſita tranſlata ſunt.

Appoſuerunt quoque CRVCEM argenteam gemmis ornatam, vtpote Chriſtianitatis cultores, & ſui domini fideliſſimi amatores. Per totam autem viam reditus ſui quacunque ſe ciuitate vel oppido nocturno tempore receperunt, oſſibus in Eccleſia collocatis, orationes & vigilias per totam noctem à deuotis & fidelibus perſonis fieri procurauerunt. Manè autem MISSA celebrata, & oblatione facta ab ipſis, profecti ſunt; ſimiliter in aliis locis facientes.

Quæcunque verò ciuitas vel oppidum cathedralem, vel etiam conuentualem habebat Eccleſiam, in ea purpuram, qua tunc pro reuerentia loci oſſa contexerant, pro animæ defuncti remedio reliquerunt. O quales exequiæ! O fideliſſimos & clariſſimos viros, executores talium exequiarum! Quis vnquam Imperatorum vel Principum, vel etiam ſanctorum tales legitur habuiſſe exequias?

Digitized by Google

Qualiter in Bamberg ſuſcepta ſint oſſa.

CAPVT III.

* M. Babynberg.

CVmque* BAMBERG appropinquaſſent, reliquiarum aduentum BAMBERGENSI EPISCOPO nunciauerunt. Tunc Pontifex filiam ſororis ſuæ reginæ, Dei famulam ELIZABETH, defuncti relictam, vt occurreret, & mariti quondam reliquias ſuſciperet, aduocauit. Ordinauit autem prudens pro honeſtate & conſolatione Dei famulæ, vt omnes nobiles & digniores in occurſu funeris eius aſſiſterent lateri, & eam ne deficeret, confortarent. Proceſſit itaq; Præſul glorioſus, cum Religioſorum & Cleri ciuitatis multitudine veneranda obuiam tanto funeri orationes & cantus lugubres modulantes. Murmurat campanarum ſonus, ruit confluens vndiq; populus, Religioſorum ac Cleri turba hymnis canora cœleſtibus vſq; in Eccleſiam cathedralem proſequitur. Salubris enim & ſancta eſt exoratio pro defunctis. a.Mach. 12

Quid ibidem circa oſſa, ſancta Elizabeth Deo locuta fuerit.

CAPVT IV.

COllocatis itaque ibi reliquiis, ad aſpectum venerabilis viduæ derelictæ, reſerata ſunt ſcrinia, & oſſa reuelata. Quid tunc doloris, & amoris in corde eius fuerit, ſol' ſcire poterit is qui nouit corda omniũ filiorum hominum. Ego puto, quod renouatus eſt dolor; commota ſunt viſcera; contremuerunt oſſa, cùm dilecti quõdam corporis compages diſſolutas, oſſaq; diſſipata cerneret & diſpacta. Tantoque abſorpta mœrore, memor Dei, reſumpto ſpiritu, dixit:

Gratias tibi ago Domine, quòd ancillæ tuæ, ingens, quod habui deſiderium, in aſpectu oßium dilecti mei, adimplere, & afflictam & deſolatam animam meam dignatus es miſericorditer conſolari. Ipſum tibi à ſemetipſo, & à me in ſubſidium TERRÆ *tuæ* SANCTÆ *oblatum non inuideo; licet eum dilexerim ex corde. Tu ſcis Deus, quòd eius deſiderabilem præſentiam, mihi gratißimam, omnibus huius mundi deliciis & gaudiis anteferrem; ſi ipſum mihi tua benignitas conceßiſſet. Optaremque omni tempore vitæ meæ in egeſtate & mendicitate viuere, dummodo eius frui contubernio de tuo beneplacito licuiſſet. Nunc verò ipſum, & me tuæ voluntatis diſpoſitioni committo. Nec*

enim,

enim, etiamſi poſſem, eum ad vitam reuocare minimo mei capitis capillo, præter tuum beneplacitum, vellem.

His dictis, repreſſiſque lachrymarum fluminibus conticuit. Egreſſaq; Eccleſiam in quodam pratello conſedit; petiuitq; ad ſe ingredi NOBILES illos de THVRINGIA peregrinos, qui reliquias PRINCIPIS adduxerant, precioſas cordi ſuo, & deſiderabiles ſuper aurum. Quibus ingreſſis, regalis illa fœmina reuerēter & humiliter aſſurrexit, ſerenaq; facie excipiens eos, & aſſidere ſibi faciens locuta eſt eis benignè, iniurias inter cætera, & moleſtias quas pertulerat, enarrando.

Qualiter de Babynberg regreſſi in Thuringiam venerint.

CAPVT V.

POſt hæc EPISCOPVS cum eiſdem NOBILIBVS de recuperanda eius dote, & commoditate, & procuratione eius condigna & honeſta ordinanda diligenter & fideliter pertractauit. Qui omnia, quæ iuris & honeſtatis ſunt, eidem, vtpote dominæ ſuæ, ſe ordinaturos EPISCOPO promiſerunt. Aliàs autem EPISCOPVS ipſam eis nolebat committere deducendam. Igitur promiſſis acceptis, & exequiis debita veneratione & deuotione celebratis, accepta ab EPISCOPO BENEDICTIONE, & facta valedictione; hi in ſua; & hi in THVRINGIAM cum domina relicta, & oſſibus defuncti PRINCIPIS, itinere proſpero, quamuis lugubri redierunt.

Nunciata ſunt hæc in THVRINGIA; & commota eſt terra, & factus eſt planctus & luctus omnium magnus. Occurrerunt autem COMITES, & NOBILES, milites, & de ciuitatibus, oppidis, & villis diuites, & pauperes, vtriuſque ſexus innumera multitudo. Venientibus ad clauſtrum * REINHARTSBRVNNE, proceſſit obuiam Monachorum religioſa, & clericorum non modica congregatio; & tanti funeris reliquias deuotione congrua ſuſcipientes cum orationibus ſolitis, & lachrymoſis modulationibus perduxerunt.

**M. Reynhertburn, al. Reynhartinburg*

Quomodo oſſa conduntur in ſepulchro patrum ſuorum.

CAPVT VI.

DEniq; vigiliis, & orationib⁹, & eleemoſynis, MISSARVM ſolēniis; & ob-

Digitized by Google

& oblationibus, & omnibus ad decorem funeris, & ſalutem animæ pertinentibus, ritè, deuotè, ac ſolenniter conſummatis, nobiles illas oſſium reliquias in ſepulchro maiorum ſuorum venerabiliter condiderunt. Aderant ibi domina SOPHIA mater, dominaque ELIZABETH relicta, HENRICVS & CONRADVS fratres ipſius PRINCIPIS. eratque luctus & mœror, omniumq; triſtitiam nouit, qui ſolus mœrorem conſiderat & dolorem.

Mortuus eſt autem anno Domini milleſimo [a] ducenteſimo viceſimo ſeptimo, tertio idus Septembris, in SICILIA ciuitate, quæ dicitur ORTRAT. Tranſlatiſque oſſibus, vt prædictum eſt, ſequenti anno ſepultus eſt in cœnobio Monachorum ordinis ſancti BENEDICTI, quod vocatur [b] REINHARTSPRVNNEN. Vbi requieſcat in Dei pace, Amen.

a M. ita legit: anno Domini M. CC. xxxvii. vbi tamen quidā notam primā numeri denarii induxit.

b M. Reinbersburn.

[c] *Inuehitur frater defuncti, quod expulerit ſanctam Elizabeth.*

CAPVT VII.

c M. Qualiter Henricum fratrem defuncti cum B. Elizabeth audierint.

POſt peractam, vt dictum eſt, condignis exequiis tanti funeris ſepulturam, & cunctis in ſua remeantibus, viri illi honorabiles, & præcipui milites, qui cum felicis memoriæ defuncto PRINCIPE peregrinaturi terram egreſſi fuerant, eiuſque oſſa, venerabiliter reducta, cum debita honorificentia tumulauerunt, relictam ipſius dominam ELIZABETH, quam in ſua fide ſuſceperant, curantes, HENRICVM fratrem defuncti, ſponſionis BAMBERGENSI EPISCOPO factæ memores, adierunt.

Hæc ſunt autem eorum nomina, celebri ſemper memoria retinenda. RVDOLPHVS PINCERNA de [d] VARILA, LEVTOLFVS de BERLSTETTEN, HARTVVGVS de ERBA, WALTHERVS de VARILA: viri vtique omni prudentia præditi, & honeſtate conſpicui.

d M. Vargila, Lutolfus de Berlſtete, Harmundus de Erpha, Waltherus de Vargila.

Quorum primus, RVDOLPHVS videlicet PINCERNA, PRINCIPEM iuuenculum, aliis aſtantibus, cæteriſque, qui aderant aduocatis, ſic allocutus eſt:

Audiuimus & conturbatæ ſunt mentes noſtræ; & operuit confuſio vultus noſtros, pro eo, quod talis vitæ inhoneſtas & impietas eſt inuenta. Eia mi domine, quid feciſti? Fratris tui relictam mœſtiſſimam, filiam REGIS *nobiliſſimam, quam conſolari, & honorificare oportuerat, ſine cauſa de hoſpitio, & poſſeſſionibus, tanquam turpem irreuerenter eiecisti; & inopem mendicare*

Digitized by Google

dicare reliquiſti. Pupillos fratris, quos tua gubernare tutela debuit, à matre propter inopiam ſeparari & elongari oportuit. Vbi tunc fraternus affectus? quid ſexus fragilis, vidua deſolata, mulier afflicta & exul potuit? quid denique fœmina ſancta nocere voluit? Proh dolor! Deum irritaſti, perſonam tuam inhonoraſti, THVRINGIAM *confudiſti, famam tuam minuiſti; & verè formido eſt, vindictam* DEI, *terræ ſuperuenturam, niſi ſatisfeceris placando fœminam tam beatam.*

Mirabantur qui aderant, quod tam audacter ad PRINCIPEM vir conſtantiſſimus loquebatur. Sed verè meritò probata virtus corripit inſipientes. Obſtupuit iuuenis dum hæc diceret, & reſolutus in lachrymas multum fleuit, dicens:

Doleo valdè, quod factum eſt. Ideoque vt in oculis eius gratiam inueniam, omne quod deſiderat ELIZABETH, *ſoror mea, faciam; & hoc ſecundum veſtræ voluntatis arbitrium paratus ſum pro viribus adimplere.*

Reſpondit PINCERNA: *Hoc eſt domine, omninò tuæ neceſſarium æquitati, ſi iram Dei euadere, & ea quæ læſa ſunt, cupieris reparare.*

Qualiter ſancta Elizabeth pompam potentum deſpexit.

CAPVT VIII.

CVmque hæc ad illuſtrem fœminam per dictos viros relata fuiſſent, reſpondit:

Caſtra, ciuitates, & oppida, & terras quibus implicari & diſtrahi oportet, nolo. Verum pro his, quæ mihi iure debentur, reſpectu dotis, peto exhiberi de gratia fratris mei, quibus vti, habere, & expendere, ad votum liberè mihi liceat pro ſalute dilecti mei defuncti, & propria.

Dum hæc venerabilis proferret fœmina, quæ ſurſum ſunt, quærebat, non quæ ſunt ſuper terram. Ferebatur mentis eius intentio ad deſpectum caducorum, ad appetitum æternorum, ad eleemoſynas pauperum, ad miſerationem egenorum.

Cumque hæc pertractata fuiſſent, effectu mancipanda, vale facto cunctis, cum gratia & lachrymis, commiſſique Dei gratiæ, ad ſedes proprias ſunt reuerſi.

At venerabilis ELIZABETH, quamdiu cum ſororio dignata eſt commorari, reuerenter eam habuit; faciens eam benignè & honorificè pertractari. Ipſa autem Deo plena cognoſcens huiuſmodi commo-

Digitized by Google

ditates & faſtus Principum ac diuitum, de incommodis & oppreſſionibus pauperum plerumque prouenire, ſubduxit ſe: eligens magis affligi cum populo Dei, & inter populares computari, quàm regalibus delicijs intereſſe. Accidit ergò vt in paupertate, ſicut prius degeret, & inopia premeretur.

De contemptu, quem à nobilibus Thuringiæ ſuſtinuit.

CAPVT IX.

VIdētes autem nobiles & magnati, quòd mundum & mundi gloriam ſperneret, & nollet; deſpexerunt eam; adeò, vt nec videre eam, nec alloqui dignarentur. Inſultabant autem, & infamabant eam, multipliciter; inſanam, & fatuam dicētes; eò quod ſeculi diuitias abijceret. Quorum blaſphemias contumeliasq; tàm læto animo, & vultu hilari ſufferebat in Domino; ita vt improperarent ei, quod oblita mortis mariti gauderet, cùm lugendum magis ei foret, ignorantes miſeri, eam habere gaudium, quod non datur impiis.

Gaudebat planè mortis non oblita temporalis mariti; ſed memor ſponſi vitæ æternæ Chriſti. Gaudebat in tribulationibus ſciens, quod infliguntur diligentibus. Gaudebat, & gratias agebat; quia propter votum caſtitatis digna habita eſt, contumeliam pati ab amatoribus teterrimæ voluptatis. Nam ſi nubere voluiſſet, optima quæque huius ſeculi, & potiores præſentis vitæ dignitates, diuitias, & delicias inueniſſet. At ipſa diuitiis ÆGYPTIORVM præferens improperium CHRISTI, & propoſito ſibi gaudio, præelegit CRVCEM, confuſione contempta.

Venerabantur tamen ipſam omnes pietatis cultores, recta ſapientes, in quorum erat oculis. Nam & dominus PAPA GREGORIVS nonus APOSTOLICIS eam ſcriptis conſolans, ſanctorum quoque exempla ei proponens, & vitam æternam pollicens, ipſam ad caſtitatis perſeuerantiam, & patientiæ conſtantiam benignè ac paternè hortabatur, perſonam ipſius & bona ſub protectione recipiens SEDIS APOSTOLICÆ ſpeciali. Qui etiam MAGISTRO CONRADO, ſacerdoti deuoto, & viro coram Deo & hominibus comprobato, eam ſuis literis diligentius recommendans, eundem ſibi inſtituit defenſorem.

LIBER SEXTVS.

Quomodo ſancta Elizabeth anhelabat Deo ſeruire in extrema paupertate.

CAPVT I.

DEi autem famula ab omnibus ſe præſentibus & terrenis auertens,& ſoli Deo placere,& adhærere cupiens, præfatum virum, qui auctoritatem ſuper eam APOSTOLICAM acceperat, de ſui ſtatus ordinatione prudenter conſultauit.

Trutinans autem in animo monaſticam perfectionem, ſolitariamque reclusionem,necnon & aliorum ſtatuum meritum & remunerationem,prælegit omnibus in corde ſuo omnimodam paupertatem,& publicam mẽdicitatem, qua victui neceſſaria pro nomine Domini peteret oſtiatim.

Quod aggrediendum, dum à Magiſtro CONRADO conſenſum cum lachrymis,& multa humilitate peteret;indignanter & cum ſeueritate vir prudens eam repulit; humilitati & imbecillitati prouidens muliebri.

Videns quod ſacerdos ſuæ petitionis intentioni nõ concederet; in feruore Euangelicis obtemperandi conſiliis, dixit ad eum; Hoc aggrediar:in quo mihi contradicere, & à quo me retrahere non poteris, pater;ſciens, quòd non monitis dominicis* contraire debeam. * M. contrauet.

Cùm igitur dies PASSIONIS agerẽtur DOMINICÆ ante PASCHA, erat CHRISTI diſcipula in quodam ſuo oppido, in quo viri religioſi * M. agerentur. FRATRES MINORES,quos etiã ibidem locauerat,habitabant. Die autem PARASCEVE dum pro MYSTERIO & memoria SALVATORIS pro nobis nudi nuda CRVCE pẽdẽtis altaria nuda apparerent;MAGISTRO CONRADO, & quibuſdã de prædictis fratribus præſentibus, in quadã CAPELLA ponens ſuper nudum altare manus ſacras; voluntati propriæ,parentibus, liberis, & cognatis,omnibuſque huiuſmodi pompis renunciauit,imitatrix Chriſti;& omninò ſe exuit & nudauit, vt & nuda & nudum paupertatis & charitatis greſſibus ſequeretur. Et cum poſſeſſionibus etiam renunciare vellet, retraxit eam pius & prudens MAGISTER CONRADVS:volens vt de his,quæ ratione dotis habere poterat,& mariti ſoluerentur debita,& egenis eleemoſyna largiretur.

De tranſitu eius in * Marpvrg.

* M. Martburg.

CAPVT II.

HIs itaque geſtis, timens tumultum ſeculi, & fallaciam; non multo poſt tempore Thvringiam, in qua glorioſè cum viro vixerat, declinãs, in Marpvrg Magistrvm ſecuta eſt. Quo cùm perueniſſet, nec ibi propter quorundam æmulorum ſuorum perſecutionem, conuenienter manere poſſet, ad quandam rurenſem villam ſe contulit. Et ne cuiquam eſſet orieri, quandam deſolatam curiam ingreſſa, dum commodiorem ibi non inueniret locum; ſub gradu cuiuſdam caminatæ ſe recepit, frondibus ſe protegens & obumbrans. Cibos ibi, prout habere poterat, præparauit, gratias agens Deo: ſolis ardorem, ventorum turbinoſum inſultum, fumique moleſtiam, eius oculis grauiſſimam, cum gaudio ſuſtinebat. Interim in oppido Marpvrg conſtructa fuit ei de materia luti & lignorum domuncula, & habitatio humilis: quam ingrediens ibidem cum ſuis in omni humilitate & patientia morabatur.

Qualiter contemptum mundi à Domino impetrauit.

CAPVT III.

MAgiſter verò Conradvs, qui eam commiſſione Apostolica erudiendam ſuſceperat, & regendam; de profectu ſalutis, & ſanctitatis eius ſollicitus; contemptum ei temporalium perſuaſit, & deſpectum omnium terrenorum. Quod Dei famula conſiderans ſe ſuis viribus non poſſe perficere, conuerſa ad Dominum, quod concupiuit, precibus impetrauit. Nam cùm orationem deuotam fudiſſet ad Dominum, familiariter dilectis ſibi pediſſequis dixit:

Dominus audiuit orationem meam. Et ecce omnes mundanæ poſſeſſiones & diuitiæ, quas olim dilexi, ſunt à me tanquam ſtercora reputata. Ipſos etiam vteri mei dilectiſſimos paruulos, quos tenerrimo amplexu affectabam, iam velut alienos intueor, Deo teſte. Ipſi eos obtuli, & commiſi. ipſe de eis ordinet, & impleat ſuæ beneplacitum voluntatis. In calumniis quoque hominũ, & detractionibus malignorum, meiq; contemptu gratulor & delector. Nullam creaturam, ſed ſolum omnium diligo creatorem.

O ſublimem animam quæ nec rerum cupidine, nec prolis dulcedine,

Digitized by Google

cedine, nec contumeliarum amaritudine potuit incuruari! O quàm pura oratio, & quàm ſincera deuotio, quæ tantam gratiæ copiam meruit obtinere! O ſingularis charitas, quæ tantæ virtutis magnitudinem opere præualuit exercere!

De * inſtitutione hoſpitalis in Marpurg.

* M. inſtauratione.

CAPVT IV.

ET quia charitas, vbicunque mentem impleuerit, operari magna conſueuit, XENODOCHIVM inſtaurare cœpit, vbi infirma Chriſti membra colligeret, in quibus ipſi CHRISTO DOMINO ſubſeruiret. Et vt ad ſeruiendum expeditam ſe & habilem redderet, ſecularium indumentorum pondus & faſtum abiiciens, humiliauit REGIS filia corpus ſuum; vtpote ancilla CHRISTI ſeruilem ſe oſtendens perſonam. Suſcepit itaque de manu MAGISTRI CONRADI habitum humilem & abiectum, cui obſcuritas in colore & vilitas inerat in valore.

Induta eſt veſtitu conſimili cum ea armigera eius GVTA chariſſima, puella deuotiſſima, & pediſſequa fideliſſima. Incumbebat Dei famula ELIZABETH orationi aſſidue; exercebat opera charitatis & miſericordiæ. Et quos paupertas, debilitas, vel infirmitas plus aliis oppreſſerat, quoſque deuotio plus commendabat; in ſuo hoſpitio colligens, ipſis in perſona propria humillimè miniſtrabat.

Cernens autem MAGISTER CONRADVS, quòd huiuſmodi miſerabiles & deſpectas perſonas menſæ ſuæ apponeret, reprehendit. Cui illa antea actam vitam recolligens, dixit: Neceſſario ſe contraria contrariis ſic curare; aſſerens & à talibus ſe gratiam accipere ſingularem.

Intelligens igitur vir prudens diſcipulam CHRISTI ad ſummæ perfectionis culmen velle conſcendere; omne quod ab hoc propoſito retardare eam putauit, amouere; & quod promouere credidit, ſtuduit adhibere. Ideoque omnem familiam priſtinam in qua delectari vel ſolatiari conſueuerat, paulatim, ac ſigillatim ab ipſa repulit: quos ſingulos cum dolore gemituque dimiſit. Tandem venerabilem dominam *HYSENTRVDIM ei prædilectā ab ea expulit: à qua ſe cum multo cordis grauamine & infinitis lachrymis ſeparauit. Poſtremò GVTAM, quæ cum ea ab infantia fuerat, quam ſpecialiſſimè dilexit, ab ea expulit; quā cum multis fletibus ac ſuſpiriis dereliquit. Proinde autem ſacerdos ſanctus Dei famulam omni humanæ ſocietatis ſolatio deſtituit; vt &

*Yſentrudim,

obedientiæ eius innoteſceret conſtantia, & adhærendi Deo ſoli præberetur copia.

De ipſius victus & veſtitus vilitate.

CAPVT V.

REmanſit autem paupercula ELIZABETH ſola Deo ſoli derelicta, in humilitate & paupertate multa degens: alimento & tegumento viliſſimo ſuſtentata. Nam cibos cum ancillis præparabat inſipidos & inſulſos: vtpote cui ad præparationem nec ars nec materia ſuppetebat. Leguminibus, vel communibus oleribus ſæpè in ſimplici aqua decoctis contenta erat, propter nimiam egeſtatem. Et cum idem miſerabilis cibus eius neglectu aduſtionem ſaperet; pro hoc ancillarum correptionem cum gaudio ſufferebat. Si quid verò quandoque delectabile habere poterat; hoc ori ſuo ſubtrahens; pauperibus in eius hoſpitio manentibus miniſtrabat. Victum etiam manuum opere velut quæſtuaria quærere conſueuit. Linum quidem fuſare neſciebat. Lanam verò de ALDENBVRG cœnobio SANCTIMONIALIVM ſibi tranſmiſſam fuſabat: Accipienſq; minus, quàm debuit, inde ſe, vt poterat, ſuſtentauit. Hæc de victu dicta ſunt.

De veſtimento quid dicemus? veſtis eius vilis & aſpera fuit: pallium eius coloris griſei, quod breue fuit: alterius coloris panno prolongatum fuit. Manicas & tunicæ rupturas alterius coloris panno habuit emendatas. Panniculos quoq; viles & abiectos cuiuſq; coloris & vndecunq; collectos aſſumens, propriis manib᷒, vt poterat, iacturam incendii laris coquinæ reſtaurabat; votereſque ſciſſuras attriti amictus ſui reficiens, acu imperita, pannis vilibus obſtruebat.

De magna paupertate quam ſuſtinuit.

CAPVT VI.

ACcidit eo tempore, vt REX potens VNGARIÆ, pater huius pauperculæ ELIZABETH, ſolennem mitteret nuncium, COMITEM videlicet *PAMAM nomine, cum multo comitatu; vt reuocaret ad terram ſuam ELIZABETH filiam ipſius. Audierat Rex glorioſus & diues, quòd filia ſua quaſi mendica viuens, omni ſolatio eſſet deſtituta. At præfatus COMES in MARBVRG oppidū cum ſuis veniens; inuenit domini

* M. Paniam. al. Pantam.

mini ſui REGIS filiam ſedentem ad colum, & lanam nere. Et præ admiratione SIGNO ſe CRVCIS conſignans; exclamauit, dicens: *Nunquid hactenus viſum eſt, filiam* REGIS *lanam fuſare?*

Attentauit autem ille nobilis animum eius flectere; vt ad patrē, & ad regnum vnde habebat originem, remearet. Verum illa paupertatem CHRISTI regalibus patris diuitiis & theſauris, exiliumq; pro Domino natali præferens ſolo; induci non potuit, vt cum nunciis patris ad terram natiuitatis rediret.

Tunc illi ad regionem ſuam reuerſi ſunt. noſtra verò quæſtuaria ad colum ſuum reſidens apprehendit fuſum; victum ſibi manibus quæritando. Tantoque ſtudio huic inſtabat operi, quod ſæpius & debilis, & infirma, lectoque iacens lanam fuſabat. Cumque ancilla colum de manibus eius, vt ſibi parceret, rapiebat; ne omninò eſſet otioſa ad futuram filationem, lanam trahendò & diſſipando manibus eius præparabat. Sicque cum his, quibus fuſabat, egit fideliter, vt aliquando à MAGISTRO CONRADO, vt veniret * HYSENACH, à MARBVRG vocata, SANCTIMONIALIBVS de ALDENBVRG cum aliquanta lana pretium, quod acceptum ab eis nondum meruerat, remitteret, ne quid vltra debitum retineret. * *Yſenach.*

De affabili eius conuictu.

CAPVT VII.

PORrò quàm dulciter & humiliter cum domeſticis ſuis ancillis & familia conuerſata ſit, quis enárrabit? à pueritia enim vſque ad finem vitæ ſuæ cum ſimplicibus, & humilibus, & cum pauperibus conuerſatio & confabulatio eius fuit. Tandemque poſt mutatum habitum, ab ancillis ſuis, quæ etiam omninò pauperes & degeneres, dominam ſe noluit appellari: ſed ſimplici ſuo nomine tantum, ſicut coæquales vel inferiores conſueuerant vocitari. Cum quibus & cibos coquere ſolebat, ſimulque ſumere: faciens eas in menſa ad latus ſuum ſedere, & de ſua ſcutella pariter manducare. quarum vna * HYRINEGARDIS nomine, tantam humilitatis exhibitionem ſtupens, die quadam dixit ei; Tu domina in nobis tuum meritum cumulas, noſtrumque periculum perpendere diſſimulas: quæ intumeſcere poſſumus, quòd vna tecum comedimus, & in tuo latere reſidemus. Adhæc ancilla ancillarum CHRISTI; Ecce, inquit, oportet te in ſinu meo ſedere. & fecit ipſam HYRINEGARDIM in * *M. Yrmingardis*

Digitized by Google

in ſuo gremio reſidere. ſicque cum eis affabilis, & benigna victitabat: tractabilis & manſueta; ſermonibus affluens dulcibus, & iocundis, & nihilominus vtilitate fœcundis.

Nequaquam enim ſuſtinere poterat, quod quiſquam, ea præſente, verba vanitatis, vel indignationis, & iræ proferret. Verum ſi quando coram ipſa huiuſcemodi verbum inſonuit, mox illud gratioſa auctoritate caſtigauit, dicens: *Vbi nunc Dominus? de ſe etenim loquentibus conſueuit Dominus ſuam præſentiam exhibere.* Math. 18,

De indefeßis exercitiis operum pietatis.

CAPVT VIII.

IBat quoque cum ancillis ad domus pauperum, faciens ſecum deferri panes, carnes, farinam, aliaque victui neceſſaria: quæ manu propria pauperibus largiens, diligenter lectos, & veſtes eorum reſpiciens viſitabat; occulte annulos aureos, & pepla ſerica, aliaque xenia ſecularia vendend odiſtrahens, egentib᷒ miniſtrabat. Et quidquid pauperes deſiderabant, hæc illis ſtudioſiſſimè prouidebat. Nempè ægro deſideranti piſces, cupiens ſatisfacere, procuratorem ſuum inuocans DOMINVM IESVM CHRISTVM, ad fontem prorſus ſterilem, vt aquam hauriret, feſtinauit. Moxque ad hoſpitium reuerſa piſcem ſufficientem in vaſe reperit, & infirmum refecit.

Multa etiam miracula in vita ſua per eam dignatus eſt omnipotens oſtendere: quæ ipſa humilitatis cultrix ſtuduit occultare. Mater quoque eius iam dudum miſerabiliter ab VNGARIS interempta, in ſomnis ei apparens flexis genibus, dixit:

Mi dilecta filia ora pro doloribus meis, quos adhuc patior; quia negligenter vixi: potes enim.

Euigilans ELIZABETH, ſurgit cum fletu; orauit deuotè: & iterum obdormiuit. Adeſt mater denuò & gratias agens ſe aſſeruit liberatam: dicens orationem eius cunctis eam inuocantibus profuturam.

Inter cætera pietatis opera miniſtra CHRISTI ELIZABETH, puerum paralyticum, vtroque parente orbatum, continuoque fluxu ſanguinis laborantem, quandoque ſex vicibus, vel pluries ad huius ægritudinis requiſita, brachiis ſanctis noctibus deferens, ſuis manibus ſordes abluebat.

Quo mortuo, virginem leproſam aſſumpſit. Cui in domo ſua abſconditæ omne charitatis impendit officium: vt non ſolùm ad cibanda

bandum, eiq; ſternendum, & lauandum, verum etiam ad diſcalceandum eam ſe mulier ſancta REGIS filia humiliter exhiberet.

Qua per MAGISTRVM amota, puerum pauperculum ſcabioſum, nec pilos in capite habentem, curandum aſſumens: eius in lauando, & medicando, neſcio à quo didicerit, curam geſſit.

Præterea ELIZABETH ancillarum CHRISTI humillima ſuis ſubſeruiens, ollas, ſcutellas lauabat; patellas, cæteraque vaſa coquinaria mundabat ſuis manibus & tractabat. Et vt hoc abiectum & ſeruile opus liberius exercere potuiſſet, ancillulas eo tempore de domo emittebat. Quæ regreſſæ, ipſam id agere, vel egiſſe ſæpius inuenerunt.

Loquar nunc ad te confidenter, ô nobilis & ſancta fœmina, Quid eſt ELIZABETH? quid operaris regis filia? cur inquinaris per hæc vilia? quæ nutriebaris in croceis, cur amplexaris ſtercora? quare ſpernis palatia, & amas tuguria? reſponde obſecro mihi.

Noli mirari quæ facio opera: non ego operor illa, ſed in me manens Dei gratia. quæ ego ago, non vilia, ſed Dei mirabilia: nec ſunt inquinamenta, ſed morum medicamenta. Caue ne dicas ſtercora; quibus ſanctificantur pectora. Contempſi mundi palacia: quæſiui enim regna cœleſtia. Elegi vitam quam reputaui deſpectiſſimam: & ſi foret deſpectior, hanc præeligerem vt chariſſimam. Nam per viam arctiſſimam itur ad gloriam ampliſſimam.

LIBER SEPTIMVS.

Beata Elizabeth omnem dotem ſuam in pecunias reſoluit ad erogandum egenis.

CAPVT I.

POſt mortem * illuſtriſſimi Principis felicis recordationis LVDEWICI THVRINGIÆ LANTGRAVII, relicta ipſius venerabilis ELIZABETH, aliquandiu, vt prædictum eſt, pauperem geſſit vitam, & grauem cum hilaritate multa & patientia pertulit egeſtatem. Tandem MAGISTRO CONRADO mediante, quem dominus PAPA GREGORIVS nonus eidem dederat defenſorem, à domino HEINRICO fratre mariti ſui quādam accepit Dei famula penſionem. Erat quippe idem HEIN-

* *mſ. Codex Rebdorf. ſereniſsimi & i.*

Digitized by Google

RICVS vir benignus, & MAGISTRO CONRADO ſatis ſubditus, & deuotus.

Acceptam verò fidelis diſpenſatrix, & prudens non fodit in terram, nec in ſudario abſcondit pecuniam domini ſui: ſed ad menſam dedit eam, & tradidit ad vſuram. Nempè hæc veriſſima Chriſti diſcipula EVANGELICIS edocta conſiliis obediuit, & omnia quæ habuit, vendidit. pro rebus ſuæ dotis immobilibus res petens, & acceptans mobiles; mobilem per mortem ſe cognoſcens: de mobilibus ſibi ſatagens æterna & immobilia promouere. Iuxta euangelicum verò dictũ datura pauperibus iuſſit edicto de circumferentia oppidi MARBVRG ad duodecim milliaria multitudinem pauperum conuocari. Et vt indifferens ſit, nullique præcludatur hæc largitatis gratia, certus locus, & dies cunctis venire volentibus deſignatur.

De larga eleemoſyna ipſius.

CAPVT II.

CONuenit igitur loco & die præfixo pauperum debilium, cæcorum, & aliorum egentium infinita vtriuſque ſexus vndique multitudo. Aderant viri & famuli robuſti, qui tumultum compeſcerent, & turbam per loca diſponerent ordinatè. Et vt vulgi ignobilis audacia, & indigentiũ comprimeretur auiditas ſtolida; lex ſtatuta eſt, poſitaq; pœna, quod ſi quis de loco ſurgeret, vel aliis præiudicium faciens eleemoſynam iterato accipere præſumeret, capillorum detruncationem confuſibiliter ſuſtineret. Erant inſuper perſonæ fideles, & idoneæ in diſpenſatione huius miniſterii conſtitutæ. Prçterea aderat multitudo non minima, quæ videre venerat, quod fiebat. Horum omniũ ſtabat medio REGINA glorioſa, & inclyta, vultu placido, corde iocundo: miſerans in hilaritate, tribuens in ſimplicitate. Ibat ſuccincta inter miſeros conſolatrix miſerorum. Gaudebat in exercitu pauperum filia Principis. Gratulabatur in aduenis & pupillis hoſpita liberalis: tribuens & diſtribuens, pro vt deſtinauit in corde ſuo; non ex triſtitia, aut ex neceſſitate; ſciens quod hilarem datorem diligit Deus.

Diſtributis itaq; inter tot millia pauperum tot theſauris, marcis videlicet quingentis vna die; redierunt ad loca ſua, Dominum in famula ſua ELIZABETH collaudantes.

Remanſerunt autem nocte illa infirmiores & debiliores quique in angulis, & in ſepibus hoſpitalis. Quos videns pauperum miſeratrix

colle-

Digitized by Google

collegit; præcipiens ignem in longum parari coram eis, paneſque diſtribui, quorundam pedes lauari, & vngi, ſingulisque ſex COLONIENSES nummos dari, maioribus, & puſillis. Tunc repletum eſt gaudio cor eorum, & lingua exultatione; cœperuntque cantare. Quod audiens huius autrix lætitiæ, gaudebat cum gaudentibus.

Dic obſecro, quis vnquam Imperatorum, Regum vel Principum, aut etiam ſanctorum, tàm copioſam vno die locoque in tot millia pauperum effudit eleemoſynam. Verè non eſt in hac prærogatiua gratiæ inuentus illi ſimilis: ideoque non immeritò eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia ſanctorum.

De conuerſione cuiuſdam puellæ.

CAPVT III.

ILlo quoque die quo tàm larga quingentarum marcarum fuit eleemoſyna diſtributa, contigit vt puella quædam capillis ornatiſſima, tanquam ſtatutæ legis præuaricatrix dominæ ELIZABETH iudicio offerretur. Quæ viſa capillorum eius pulchritudine; iuſſit eos continuò circumcidi. Quo facto cœpit adoleſcentula alta voce eiulare. Aderant quidam dicentes, eam innocenter punitam. Venerat non eleemoſynam acceptura; ſed ſororem ſuam infirmam viſitatura. Quibus domina ELIZABETH, Bene, inquit, pro ea factum eſt: his capillis choreas, de cætero non frequentabit. Quæ cum vocata fuiſſet, & ad eius veniſſet præſentiam; quæſiuit, ſi quando melioris vitæ propoſitum habuiſſet. Puella reſpondit: Dudum, inquit, Domino in habitu religionis famulatum exhibuiſſem, ſi non me tantùm cæſariei meæ claritas pulcherrima delectaſſet. Ecce quomodo grauabat eam cæſaries! Verè cum ABSOLONE pulcherrimorum capillorum ſuſpendio interiſſet; niſi eam Dominus per famulam ſuam ELIZABETH totondiſſet. Quo audito, dixit ELIZABETH caſtitatis amatrix; Plus igitur gaudeo de tuorum præciſione capillorum quam de filii mei gauiſura forem in Romanum imperium prouectione. O verbum gratiæ, ſermo regalis, de fonte prodiens ſinceriſſimæ charitatis. Aſſumpſit ergo eam piiſſima domina mutato ſeculari habitu in hoſpitali perpetuò ſerui turam.

Digitized by Google

Quomodo Magiſter Conradus exercuerit ſanctam Elizabeth in fractione propriæ voluntatis.

CAPVT IV.

HIs ita geſtis: reſiduum pecuniæ, quam pro dote ſua, Dei famula acceptauerat, in vſus cōſimiles charitatis & miſericordiæ ſtuduit erogare. Dilatatum erat cor eius, & manus aperta inopi, & palmæ extentæ ad pauperes. Vnde conſueuit non parcere & pauca, ſed liberaliter & multa miſeris & egentibus elargiri. Quod MAGISTER CONRADVS comperiens, ipſam nō ſufficere formidans, nimiam ei effuſionem & prodigiam interdixit; eo quod nihil prorſus retineret, quin pauperibus largiſſimè erogaret. Adiunxerat autem ei quaſdam fœminas auſteras, per quas multas oppreſſiones, & coërciones ſuſtinuit in patientia propter CHRISTVM. Quæ etiam rigidè ſe habentes ad ipſam, & obſeruantes facta eius ad Magiſtrum ea frequentius detulerunt, de obedientia non ſeruata; eo quod egenis aliquid daret, vel dari ab aliis flagitaret.

Accuſata verò ſic ab illis multa ſæpius verbera à MAGISTRO pertulit, ita vt alapas in faciem ei daret: quas tamen ex deſiderio optauerat in memoriam alaparum Domini ſuſtinere.

In rebus arduis & difficilibus obedientiam voluntariam & prōptiſſimam cuſtodiuit. Nam ad loca quantumcunq; diſtantia à Magiſtro vocata, ſine mora citius veniebat. Amantiſſimis ſuis, & intimis dominæ YSENTRVDI & ſorori GVTÆ, ad eam quandoque venientibus: nec pro victu ſaltem quidquam dare; nec audebat ſine licentia ſalutare.

In miſericordiis autem pauperum obedientiam paratiſſimam exhibebat. Prohibita namq; nō plus, quàm vnum nummū vni daret pauperi ſigillatim tribuit, quod ſimul largiri non licuit. Nummorum igitur largitio interdicitur, panis verò conceditur. Verum ſicut in nummis; ſic obediuit in panibus erogandis. Iubetur tandem ne panes integros tribuat, ſed panis particulas tantum tradat. In omnibus his exercebatur obedientia, & prouocabatur miſericordia. Quando prohibebatur eleemoſynas dare, leproſos & alios infirmos ſordidos balneis lauabat. Ipſa languens erat miſerationis affectu in dolore compaſſionis intrinſecus cruciata.

De

Digitized by Google

De zelo ſanctæ Elizabeth erga animas infirmorum.

CAPVT V.

AT vir iuſtus videns, quod feruore ſpiritus ſemetipſam non curaret, cunctaque terrena tanquam ſtercora reputaret; timens teneritudinem nobilitatis eius poſſe morborum contagio infici, vel corrumpi; à talium eam familiaritate arcebat; à tactu etiã & deoſculatione vlcerum prohibebat. Nempè circa horridos, & fœtidos, & omnibus abominatos miſeros inaudita à ſeculis, & ſtupenda ferebatur ſancti ſpiritus vehementia; & incredibili & miranda, commanendi, contrectandi, procurandique ſtudioſiſſima diligentia. Prodigalitatem ei etiam & immoderatam eleemoſynarum largitatem, quæ neceſſitatibus nil retinere curauit; prohibuit ſeruus Dei.

Nec pati ſe dignum iudicauit, quòd talis perſona ori proprio detrahens, deficeret aliis largiendo. Actum hunc inſpiratio diuina mentem eius docuerat: quem ſic per ſeruum ſuum temperandum decreuerat.

Inſtabat tamen miniſtrans in hoſpitali & cooperans. Balneatis ſternebat, in lectos deponebat & tegebat; dicens ad ancillas: Quàm benè nobis eſt, quod dominum noſtrum ſic balneis lauamus & tegimus! Cui vna ex eis, Tibi, inquit, domina benè eſt cum iſtis; neſcio ſi aliis ita benè eſt.

O res miranda & digna memoriæ commendanda! Nulla ſcriptura loquitur ſanctorum quenquam tanta ſedulitate, tantaque familiaritate ſordidiſſimorum infirmorum immundicias obſequioſis manibus contrectaſſe, tamque indefeſſo corde omnibus miſericordię operibus vſque ad mortem inſudaſſe. Meritò proindè apud miſericordiarum patrem ſpecialis gloriæ prærogatiua prælucet, cuius miſerationes ſuper omnia opera eius. Quia non ſolùm corporalibus commodis, ſed in ſpiritualibus exhortationibus ſtudioſè curauit cunctis prodeſſe fidelibus.

Admonebat piè homines ne paruulos negligerent baptizare. Infirmos, vt SACRAMENTA ECCLESIÆ requirerent, & perciperent, verbis & factis efficaciſſimè inducebat. Nam quandam pauperculam, vt confiteretur admonens, nõ profecit. Iacebat enim miſera illa ſomnolenta & pigra. Quàm benigna animarum zelatrix virgis verberauit, &

Digitized by Google

à ſomno negligentiæ verberibus excitatam ad CONFESSIONEM induxit. His & aliis pietatis exercitiis iugiter intenta maieſtati diuinæ grata extitit & placuit, mundi amatoribus diſplicuit, apud quoſdam etiam pios reprehenſibilis apparuit; nunc autem inter ſanctos tanquam ſol reſplendet.

Qualiter quidam ingrati ſanctæ Elizabeth non valuerunt progredi.

CAPVT VI.

QVidam paupercula vicinæ partui nutrix pauperum ELIZABETH, hoſpitium & in eo iuſſit omne commodum prouideri. Infanti cũ baptizaretur nomẽ ſuum ELIZABETH imponi voluit. Qualibet die matrem viſitans, benedicebat, paſcens eam piè & dulciter integro ferè menſe. Tandem cùm à benefactrice ſua accepiſſet pallium & calceos, quos de ſanctis pedibus exuit, & pepla, lardum, & farinam, & duodecim nũmos COLONIENSIVM, & puerũ manicis, quas de pellicio famulę ſuæ tolli iuſſerat inuolutũ ſero valefaciens dominæ beneficè receſſit manè cum marito, puero derelicto. Ante matutinas verò dixit miſeratrix ELIZABETH ancillæ ſuæ, Defer quas habeo ſpecies paupercula illi, quibus vtens confortetur. Quæ veniens inuenit puerum ſine matre. Quod audiens piiſſima: pergens, inquit, cito affer puerum, ne negligatur. Quem allatum commiſit vxori cuiuſdam militis procurãdum, accerſitoque iudice ciuitatis, præcepit, vt per diuerſas vias mater pueri quæreretur. Qua non inuenta dixit ad dominam ELIZABETH ancilla, Ora ad Deum, vt oſtẽdat matrem pueri, timebat MAGISTRI CONRADI iracundiam vehementer. Et dixit domina; Non ſcio petere, niſi quod voluntas Domini fiat. Et ecce poſt modicum vir regreſſus proſtratus veniam petiuit. Mulierque adducta de ingratitudine & offenſa gratiam implorauit. Vterque verò manifeſtè profeſſi ſunt, quod progredi non valentes, tanquam coacti redierunt. Ablatum autem eſt à muliere ingrata, quod datum ei fuerat.

Sanè pallium collatum eſt deuotæ virgini, quæ mox in caſtitate ſe vouit Domino ſeruituram. Calcei verò dati ſunt cuidam viduæ, compaſſa tamen miſericors ELIZABETH, mulieri calceos alios dari iuſſit. Quæ recepto puero diſceſſit.

Vide nunc euidenter, quomodo triumphat gratia de natura, & ſuper eam præualet excellenter. Nonne conſideras, quod hæc repleta gra-

Digitized by Google

gratia alienos paruulos in Deo complectitur, & ſuorum natos viſcerum à ſe abdicans obliuiſcitur? Nempe paruulum vteri ſui infantulũ, annum & ſex menſes habentem, ne nimio eum amplecteretur affectu, à ſe omninò elongari fecit, occaſione eius timens à ſpiritualium exercitio præpediri.

De admiranda virtute orationis ſanctæ Elizabeth.

CAPVT VII.

POſtquam de his, quæ in proximorum & miſerorum neceſſitatibus ſubleuandis, tanquam ſollicita & laborioſa MARTHA, miſericors & benigna perfecit ELIZABETH, nunc ad conſiderationem ſpiritualium gratiarum, & diuinorum chariſmatum, quibus eam DEVS decorauit, animum & ſtylum pariter conuertamus, quid eius meritis præſtet SPIRITVS SANCTVS. Quia otium pacatæ contemplationis præcedit laborem iuſtæ actionis.

Noſtra de qua loqui intendimus, ſpeculatrix, humillimis ſtudebat operibus, & piiſſimis inſudabat laboribus; à quibus dum vacabat, frequentiſſimis & puriſſimis orationibus intendebat. Tanta verò orationum eius virtus, vt non ſolùm ſpiritualiter, verum etiam corporaliter ſentiretur.

Venit ad eam aliquando matrona nobilis* GERTRVDIS de LEINBACH, viſitandi gratia, & cum ea adoleſcens quidam BERTHOLDVS nomine ſeculariter indutus. Quem ſeculi contemplatrix ELIZABETH ad ſe vocans, dixit illi: Videris nimis indiſcretè te habere: & quare non ſeruis Creatori tuo? Reſpondit iuuenis: O domina mea ſupplico vobis, vt oretis pro me, vt Dominus det mihi gratiam ſuam ſeruiendi ei. At illa, Velleſne, ait, quod ego orarem pro te? Et ille, Vellem vtique. Et ipſa inquit: Oportet vt te ad gratiam Dei habilites ſimiliter orando; & ego pro te libenter orabo. Moxque prouolutis genibus in loco competenti monaſterii in WERDE, vbi tunc erat, cœpit orare pro iuuene. Ipſeque iuuenis à longè orationi inſtabat. Et cum vterque aliquandiu oraſſent, cœpit iuuenis alta voce clamare dicens: O domina ceſſate ab oratione. At illa inſtabat feruentius. Poſtmodũ iuuenis altiꝰ vociferari cœpit, dicẽs: O domina ceſſate ab oratione; quia deficio. Nimio nãq; calore acceſſus iuuenis ſudabat, & fumabat, & brachia, totũq;

** M. Gertrudis de Leymbach.*

Digitized by Google

corpus huc & illuc tanquam demens iactabat. Tunc domina ipſius ſeruientis, & duæ beatæ ELIZABETH ancillæ accurrentes, tenuerunt eum, & inuenerunt eum totum incaluiſſe, veſteſq; nimio ſudore madidas. Sæpius autem iterans clamorem, tandem dixit: In nomine Domini oro, vt ceſſetis ab oratione, quia iam igne conſumor. Et quæ tenebant eum, vix calorem manibus poterant tolerare. Mox autem, vt ceſſauit oratio, refrigeratus eſt.

Accidit itaque hoc mirum anno ante mortem DEI famulæ: & iuuenis ad ordinem FRATRVM MINORVM ſe tranſtulit, ſic attractus. Contigit hoc frequentius & aliis, pro quibus ipſa Dominum exorabat. Diſcite quo charitatis ardore feruebat, quæ calore ſuo fluxum ſecularis concupiſcentiæ ſiccat, & ad amorem æternitatis inflammat.

De veneratione deuotiſſima myſteriorum reliquiarumque.

CAPVT VIII.

DIuinis myſteriis & miniſteriis cum omni reuerentia aderat, intenta corpore & mente. Sanctorum quoque geſta & feſta religioſa colens pietate reuerebatur; & ſacras eorum RELIQVIAS condigno & dulci amplectens amore, conſueuit Chriſtiano more candelis ardentibus, & thure accenſo deuotè & venerabiliter honorare. Nummos, quos ad altare pro Dei & ſanctorum reuerentia more catholico deferebat, ſuarum labore manuum acquirebat. Deum mente gerens cùm ad quoſdam religioſos paupertatem profeſſos veniſſet, videns in Eccleſia eorum ſculpturas ſumptuosè deauratas, circiter viginti quatuor aſſiſtentibus ſibi dixit; Sumptus hos fructuoſius veſtro victui adhibuiſſetis & amictui: cùm harum veritatem imaginum oporteret nos in corde ſcriptas potiſſimè retinere. Cùm autem quidam coràm ea de quadam pulchra imagine faceret mentionem, reſpondit; Ego iconam talem opus non habeo: veritatem enim eius in pectore meo porto.

De contemplationis gratia in qua diu permanſit.

CAPVT IX.

FRequenter cùm à pietatis opere vacabat orationi vel contemplationi potius Dei famula cùm ſolitaria erat, oculis, manibus, cordeque

deque ad Deum ſuſpenſis deuotiſſimè intendebat. Lachrymas fundens largiſſimè, nunquam tamen vt à flentibus aſſolet, faciem deformabat. Fluebant tanquam de fonte, vultu eius ſereniſſimo & iocundiſſimo exiſtente. Erat namque gaudens & iocundiſſima etiam in tribulatione; adeò quod nunquam viſa ſit moleſtiam pati; refulgebat in ea conuerſatio amabilis, actio humilis, habitus contemptibilis, affectio ſancta, cogitatio ſincera, mundum cor, conſcientia bona, intellectus purus & ſimplex, fides non ficta, ſpes inuicta, charitas perfecta, vita immaculata, contemplatio continuata.

Non diſcredas nec mireris in his, quæ audis; luce enim clarius cuncta patent. Rapiebatur enim in exceſſum & extaſin mentis; ſed non erat in eius raptu rara hora, & breuis mora, verum multa frequētia & perſiſtentia diuturna; ſiquidem per horas aliquot perdurauit. In illo itaque diuino lumine conſolata & informata intellexit & didicit, vnde tanta perfectio emanauit. Inde enim humanæ infirmitati influit, quo in hac mortali vita prudenter, fortiter, temperanter, iuſteque viuatur. Ibique angelicas viſitationes, viſiones, & allocutiones, multaſque reuelationes tàm diebus, quàm noctibus habere meruit, quæ tamen omni ſtudio occultauit.

Ipſum quoque Dominum Iesvm facie ad faciem, multitudine ſanctorum comitatū vidit, ſe benigniſſimè alloquendo conſolantem, & apparendo confortantem. Quam ob rem cùm à ſecreto contemplationis veniret, cernebatur facies eius ſplendore mirabili refulgere; & quaſi ſolis radii ex eius oculis procedebant. Splendida quippe fiebat facies eius, dum reſpiceret in eam Dominus. Videnteſque, qui digni erant, claritatem ipſius, mirabantur valdè. Cumque, ſicut dictum eſt, per horas aliquot rapiebatur in ſpiritu, poſtmodum diutiſſimè permanſit, quod nullo cibo corporali, vel modiciſſimo paſcebatur. Reficiebatur namq; intus inuiſibili mentis cibo.

Multa quidem & alia de hac fœmina dici poterant, & debuerant; ſed in omnibus faſtidii mater prolixitas eſt cauenda. Nempè natalium eius generoſitatem, conuerſationis humilitatem, vitæ ſanctitatem, mundi contemptum, patientiam aduerſitatum, largitatem eleemoſynarum, mirabilium operum & virtutum effectum vix aliquis ſufficiet enarrare. Hæc autem breuiter paucis verbis perſtricta ſunt ad vtilitatem Eccleſiæ, vt laudetur in ea Iesvs Christvs ſponſus eius, qui eſt benedictus in ſecula.

Digitized by Google

LIBER OCTAVVS.

Quomodo ſancta Elizabeth mortem ſuam prædixit.

CAPVT I.

CVm beata ELIZABETH de ærumnis & laboribus huius mundi ad æternitatis gloriam tranſitura eſſet, apparens ei in viſu Domin⁹, vocauit eam, dulciter loquens ei: Veni dilecta mea in præparata tibi tabernacula ab æterno. Iam verò tunc ægrotauit, vir DEI MAGISTER CONRADVS de oppido MARBVRG SACERDOS, & graui infirmitatis moleſtia torquebatur. Et introiuit ad eum viſitandum infirmorum conſolatrix DEI famula ELIZABETH. Factum eſt autem dum fabularentur inuicem, interrogauit eam ſacerdos infirmus, dicens: Quomodo, mi domina, & filia poſt mortem meam ſtatum tuum proponis ordinare? Tunc DEI famula de morte ſacerdotis nil reſpondens, ſui ipſius obitum eidem indubitanter prædixit, quem SPIRITV SANCTO præcognouerat reuelante. Et ecce die quarta poſt hæc verba ægritudinem DEI famula incidit, in qua ex hac luce ſubtracta mortem perdidit, & vitam æternam adiit.

De ægritudine beatæ Elizabeth.

CAPVT II.

CVmque per dies duodecim, & amplius in ægritudine Dei famula laboraret, aſſidens eius lecto decumbentis die quadam vna ex ancillis eius æquiuoca, audiuit quaſi intra guttur eius vocem dulciſſimam. Poſt puſillum conuertens ſe ad ancillam (iacuerat enim ad parietem verſus) dixit: Vbi es dilecta mea? reſpondit ancilla: Adſum, & adiecit, O domina, quàm dulciter cantaſti! Quæſiuit ergò ab ancilla, ſi quid audiſſet. Et dixit, Etiam. At illa, Dico tibi, quod inter me & parietem auicula quædam mihi iocundiſſimè cantauit. Cuius dulcedine excitata, oportebat & me cantare. Tertia verò die eius obitum præcedente iuſſit à ſe omnes ſeculares excludi perſonas, nec etiam nobiles, qui ad eam frequẽter viſitandi gratia venerant, ad ſe voluit intromitti.

Re-

Digitized by Google

Requiſita verò, cur aduenientes excluderet, circumſedentibus ſuum ſtatũ dixit: Volo de extremo diſtricti iudicii examine, & de meo omnipotente iudice meditari. Poſthæc dominica ante Octauam MARTINI proxima poſt cantatas matutinas confeſſionem eius præfatus audiuit ſacerdos: Verum mundum cor, & pura conſcientia nil recoluit, quod non per veram conpunctionem ſæpius fuerit expurgatum. O fœlicem conſcientiam, quæ non ad extremam vitæ horam ſuam differre voluit pœnitentiam.

De ſignis eximiæ deuotionis eiuſdem.

CAPVT III.

COmpleta confeſſione, quæſiuit ſacerdos, quid de ſua ſubſtantia & ſupellectili decreuiſſet faciendum. Reſpondit: Omnia quæ iam dudum videbar poſſidere, erant pauperum. Rogauitque ipſum magiſtrum, vt omnia illis diſtribueret; præter vilem tunicam, in qua voluit ſepeliri. Teſtamentum non ſtatuit: hæredem propter Chriſtum habere noluit.

Sed nec de pompa funeris, & exequiarum ſolenniis cogitauit, teſtamentum pacis, hæreditatem immarceſſibilem, immortalitatis ſtolam, ſocietatem angelicam, & cœleſtem quærens habitationem. His & ſimilibus cũ magiſtro pertractatis, circa horam primam allata ſunt ei veneranda corporis & ſanguinis Domini noſtri IESV Chriſti ſacramenta, quæ plena fide & deuotione tota deſiderauerat.

Qua ſinceritatis affectione, qua mentis puritate, quanto cordis deſiderio, & ſpirituali gaudio hoc ſuaue & internum acceperit epulum, nullum æſtimare poſſe arbitror, præter ipſum, quem in hoc ipſo conuiatorem, & viaticum, ducemque, quo pergebat itineris aſſumere digna fuit. Attamen quæ apparuerunt extrinſecus viſibiliter hominibus pietatis iudicia interioris gratiæ extiterunt certiſſima argumenta. Ex tunc quippe per totam diem vſque in horam veſpertinam deuotiſſima permanſit; vtpote menſæ cœleſtis particeps effecta, & ſanguine vitæ, qui Chriſtus eſt meraciſſimo, deebriata. Erat illo die in ore eius freques verbum veritatis, & aperiens os ſuum ſapientiæ, loquebatur de optimis, quæ in prædicatione audierat; eructans de corde ſuo verba bona; & lex clementiæ audiebatur in lingua eius. Loquebatur autem ex abundãtia cordis ſui, quomodo beatas illas ſorores MARIAM dico & MARTHAM in ſuſcitatione fratris ſui LAZARI Dñs IESVS

conſolari dignatus eſt. Et tractans quemadmodum illis lachrymantibus collachrymatus fleuit ſuper mortuum, memoriam abundantiæ ſuauitatis domini eructauit affectu & effectu.

Quædam religioſæ perſonæ, quæ affuerant, audientes hæc verba, per gratiam in eius labiis diffuſam, deuotione accenſæ, lachrymis reſolutæ fleuerunt. Quibus ſancta Dei ad mortem iam tendens; domini ad mortem euntis verba oris eius dulcia memorauit, dicens: Filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed flete ſuper vos. Hoc dicto obticuit. Mira res. Tunc voces ſuauiſſimæ ſine omni motu labiorum in eius gutture audiebantur. Cumque circumſedentes ab ea quærerēt, quid hoc eſſet; requiſiuit ab eis, dicens: Nunquid audiſtis aliquos mecum decantantes?

Hîc nulli fidelium dubitare conceditur, quando ſupercœleſtium agminum eius exitum præſtolantium ſuauem ac mulcebrem, cui concinuerit tàm dulciter, audierit armoniam, cantans cum ipſis gloriam Domini. Deinde à crepuſculo iacuit, quaſi exultans & iubilans, eximiæque deuotionis ſigna præferens & oſtendens vſque ad galli cantum. Imminente autem gallicinio tanquam iam ſecura in Domino aſſidentibus ſibi dixit; Quid faceremus, ſi ſe nobis inimicus humani generis diabolus oſtenderet? Quo dicto poſt paululum alta & libera voce, quaſi dæmonem repellens exclamauit, dicens; Fuge, fuge.

De extrema expiratione ſancta Elizabeth.

CAPVT IV.

AVdito autem primo galli cantu ELIZABETH dixit; Ecce inſtat hora, in qua virgo peperit Dominum; & intulit ad præſentes, Modo loquamur de Deo & puero IESV; quia inſtat media nox, quando natus eſt IESVS, & in præſepio reclinatus quieuit, nouamq; ſtellam ſua omnipotentia creauit, quam nunquam aliquis prius vidit. Huiuſmodi loquens, iocundiſſima fuit, tanquam nō infirmaretur. Ait namque; Licet debilis ſim, nullius tamen infirmitatis moleſtiam ſentio, vel dolorem. Hæc dicens, omnes ſibi aſſidentes Deo deuotiſſimè commendauit. Itaque per totam diem illam & noctem, vt prædictum eſt, ſacratiſſimis mentis affectionibus in Deum eleuata, diuiniſſimis quoque eloquiis & colloquiis ſpiritu inſtammata, tandem iubilando requieuit, & quaſi ſuauiter obdormiens inclinato capite expirauit. Sicq;

à do-

Digitized by Google

à dolore mortis extranea, occurrentibus & comitantibus angelis & ſanctorum choris, ad regna euolauit ſiderea. Tunc quæ aderant eius famulæ aliæque deuotiſſimæ fœminæ corpus ſacrum cum reuerentia componentes, tunica, ſicut deſiderauerat, induerunt. Quod à Religioſis & à Clero ac populo in capellam cum canticis & orationibus, & cum multis lachrymis deportatum eſt.

De exequiis circa ſacrum corpus exhibitis.

CAPVT V.

COmperta autem eius morte MONACHI CISTERTIENSES, aliique Religioſi, & Clerici, diuites inſuper & pauperes ad tàm ſacras exequias ex omni parte cum deuotione venerunt. Plurimi verò fidei virtute ſublimes, eius pilos capitis, alii digitorum vngues, alii pannorum particulas præcidebant, & pro ſanctuario reſeruabant. Magnus erat dolor & fletus pauperum, deuotus luctus omnium, maxima præcipuè lamenta infirmorum, tanquam ſi mater omnium extitiſſet.

a Exigente autem deuotione populi, vſque in diem quartum ſacrum corpus ſuper terram in medio multitudinis & pſallentium eſt relictum. Erat namque non horror, ſed honor; non abominabile, ſed amabile, cernere mortuum corpus iſtud. quod nullum omninò præter pallorem ſolum mortis indicium præferebat. Inerat carni quædam, tanquam viueret, teneritudo; & in partem hinc & inde ad libitũ contrectantium leniter flectebatur. Et quoniam hoc ſacroſanctum corpuſculum non fuit, nec eſt, nec erit fœdum vitiorum ſtabulum, ſed fuit, & eſt, & erit diuinorum apotheca chariſmatum, virtutumque, ac gratiarum alabaſtrum; idcircò non de ipſo deteſtanda prauitas fœtoris, quæ præſentes inficeret, verum mirifica ſuauiſſimi odoris iocunditas prodiit: quæ mentes reficeret, ſenſum delectaret. Quis tanti aromatici corporis præſentiam non affectaret? quem huius mundiſſimæ carnis aſpectus non delectaret?

De venerabili & lachrymoſa ſancta Elizabeth ſepultura.

CAPVT VI.

QVarta tandem die poſt celebrata deuotiſſimè ac ſolenniſſimè

Digitized by Google

MISSARVM Officia puriſſimum illud balſamum ſuo vaſculo conceptum ſepulturæ tradiderunt. gemmam precioſiſſimam ſub deſpectibili lapide reponentes. Iterum fiebat multarum effuſio vberrima lachrymarum. Factus eſt ploratus & vlulatus. Infundebatur pectorib' compunctio: accendebatur piis deuotionis oratio. Eratq; omnibus in cōmuni vox laudis, & gratiarum actio. Acta ſunt hæc apud oppidum HASSIÆ MARBVRG in CAPELLA XENODOCHII PAVPERVM: quod ipſa nobilis REGIS filia, CHRISTIQVE famula eximia SANCTA ELIZABETH ſuis ſumptibus conſtruxerat.

Interfuerunt Abbates multi, virique religioſi, ac populi multitudo. quos ibidem Cleri prouidentia & voluntas diſpoſuerat congregandos cum omni pietate Chriſtiana, ac celebri reuerentia, tàm glorioſi funeris exequias conſummantes, Anno incarnationis dominicæ
Ann. 1231. milleſimo ducēteſimo triceſimo primo, menſe Nouembri quarto die obitus eius terra condita eſt, migrante anima ad requiem opulentam. Ad quam ipſius ſuffragiis nos perducat Dei filius Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui eſt benedictus in ſecula, Amen.

Hæc vſq; ad caput 7. non ſunt in codice m. ſ. Ribdorffenſi.

Die poſt hanc ſepulturam proxima, acceſſit quidam Ordinis Cyſtercienſis Monachus ad tumulum, inuocans in beata ELIZABETH plena fide Dominum Ieſum Chriſtum. Qui à plaga cordis, ac mentis morbo, quo per quadraginta annos & amplius turbulentus languerat, per mœrentium conſolatricem liberatus eſt, & hoc iuramento confirmauit.

In m. ſ. hic titulus erat: De quodam magno Prælato.

Acceſſit alter vir nobilis clari ſanguinis ac ſublimis Prælationis, qui horrendis vitiis intricatus, lubrico carnis miſerabiliter & deteſtabiliter laborabat. Hic fœdiſſimorum criminum, quibus vrgebatur, horrore confuſus, ad confeſſionis præſidium frequentius veniebat. Verum poſt confeſſionis tutiſſimum portum, rurſus tempeſtate tentationis exorta, in altitudinem relabens turpitudinis, ruina deſperabili mergebatur. Is pollutus, & immundus, & obſcœnis peccatorum ſordibus, tanquam ſus in volutabro volutatus, ad tumbam amatricis munditiæ ſanctæ ELIZABETH cum multa deuotione accedens, lacrymarum fluuios cum intima cordis fundens contritione, orationi non perfunctoriè, ſed diutiſſimè cum feruore valido aſſiſtebat. Nec deſtitit, donec appropinquaret deprecatio eius in conſpectu altiſſimi, & introiret clamor eius in aures eius. Sanè precibus dilectæ ſuæ ELIZABETH ſuſcepit Dominus orationem tribulati pauperis, ſenſitque ſibi quan-

Digitized by Google

quandam ſpiritualis conſolationis ſuperinfundi gratiam, per quam deinceps impulſibus obſiſteret vitiorum. Quod poſtmodum venerabili viro Magiſtro Conrado de Martburg in confeſſione cum magna atteſtatione, aſſeruit: quod ex tunc ſtimulus carnalis lubricitatis ſic in ipſo extinctus fuit, quod poſtmodum non apprehendit eum, vt prius tentatio vehemens; ſed nulla; vel tàm leuis, cui facillimè reſiſtebat.

Aliis itidem ſpiritu ſuperbiæ inflatis, aut iracundiæ, vel inuidiæ ſtimulis agitatis, ſeu parcitatis aut auaritiæ vinculo frenatis, & quibuſcunque vitiorum ſpiritualium motibus occupatis, beata ELIZABETH vitiorum extirpatrix, deuotè inuocata, expurgatis vitiorum immunditiis, meritis ſuis per Dei gratiam effectum impetrauit virtutis. Hæc ſunt glorioſiſſima miracula. Quibus non tantùm ægritudines morborum, ſed morbi ſanantur morum: quibus non moritura corpora, ſed in æternum victura curatur anima. Quæ tanquam digniora & valentiora, quia ſpiritualia, interiorem hominem ſanctificantia, nō immeritò locum obtinent principalem.

Sunt nimirum & alia, quæ non fidelibus, ſed infidelibus in ſignum data ſunt exterioris hominis curationi conceſſa, quibus coruſcat noſtra cœleſtis medica ELIZABETH beatiſſima inceſſanter. Nam ad eius tumbam ipſius ſuffragantibus meritis, cœcis lumen, ſurdis auditus redditur, claudus graditur, mutus loquitur, captiui compedes, & carceres euadūt; paralytici, epileptici, phrenetici curantur; dæmoniaci liberantur; mortui reſurgunt, leproſi mundantur; & cateruatim veniens populus in variis miſeriis optatum conſequuntur præſidium. Quorum explicitam narrationem oportuniori tempori reſeruamus: hoc addentes, quod ibi, quod quiſque cum debita humilitate petit, accipit; quod cum fidei alacritate quærit, inuenit; cum inſtantia deuotionis pulſanti ianua gratiæ aperitur, Domino Ieſu Chriſto præſtante, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.

De miraculis ad ſedem Apoſtolicam tranſmiſſis.

CAPVT VII.

CVm ad declaranda famulæ ſuæ ELIZABETH merita, in loco vbi

corpus eius quieſcit, Deus omnipotens virtutum multiplicaret inſignia, conſtructa ſunt in ipſa capella ad laudem eius à fidelibus duo altaria. Quæ dum venerabilis dominus * SEVFRIDVS Moguntinus Archiepiſcopus, ſicut euidenter in reuelatione acceperat, ad preces deuoti viri Magiſtri CONRADI prædicatoris verbi Dei in die ſancti Laurentii dedicaret. Præfatus prædicator populo qui ex omni parte confluxerat infinitus, iniunxit, vt qui aliquam curationis gratiam meritis Dei famulæ ELIZABETH percepiſſent, ſequenti die manè Archiepiſcopo ſe præſentarent, quod circa ipſos actum foret per Dei gratiam, per teſtes fideliter probaturi. Conuenit igitur non modica multitudo. Archiepiſcopus autem Moguntinus euidentia conſcribi fecit: ſuoque ac aliorum Prælatorum ſigillis roborari ad ſedem Apoſtolicam transferenda.

* *M. Siffridus. al. Syfridus.*

De examinatione miraculorum.

CAPVT VIII.

IGitur pater ſanctiſſimus GREGORIVS Papa nonus de trans miſſis à venerabili SEVFRIDO Moguntino Archiepiſcopo beatiſſimæ ELIZABETH miraculis facta examinatione diligenti, maturo nihilominus ac prudenti fretus conſilio, & ſuper omnia ſancti Spiritus ordinante prouidentia, diſponente clementia, præmonenteque gratia; decreuit beatam ELIZABETH ſanctorum in terris aſcribendam catalogo, quæ in vitæ conſcripta libro cum ipſis exultat in æternæ beatitudinis regno.

Lectis ergò coram omnibus, quæ de ſanctitate vitæ & miraculorum gloria beatæ ELIZABETH fuerant recitanda; accenſa multitudinis deuotio in eius canonizationem vnanimiter & ardentiſſimè declamauit.

De ſolenni canonizatione ſanctæ Elizabeth.

CAPVT IX.

TVnc præſentibus venerabilibus viris HIEROSOLYMITANO videlicet & ANTIOCHENO PATRIARCHIS, & multis reuerendis Patribus, Archiepiſcopis & Epiſcopis, aliiſque quàm plurimis Prælatis cũ Cleri religioſorumq; ac populi innumerabili multitudine, facta proceſſione

ceſſione feſtiua, in die magno feſtiuitatis PENTECOSTES, ſeptimo Calendas Iunii canonizauit illam felicem & benedictam ELIZABETH: dans illi nomen grande, iuxta nomen magnorum, qui ſunt in cœlis, & ſanctis nomen eius connumerans, & connominans, ipſam inter ſanctos inuocauit; ac in Sanctorum catalogo annotari præcepit: indicéſque conſtituit per ſcripturam, demandans, vt dies ſacræ migrationis eius annua deuotione inter ſanctorum feſtiuitates ab vniuerſali Eccleſia venerabiliter recolatur. O felicem & religioſiſſimam feminam, quam cum tot ſanctis Patribus ac ſapientibus viris Apoſtolicæ auctoritatis celſitudo eo honoris faſtigio, quo maiorem militantis Eccleſiæ dignitas non habet, rectiſſimè & reuerentiſſimè ſublimauit. Et ecce inter ſanctos ſors illius eſt, & inter filios altiſſimi computata.

Peractum eſt hoc CANONIZATIONIS OFFICIVM PERVSII in CONVENTV FRATRVM ORDINIS PRÆDICATORVM, ANNO INCARNATIONIS DOMINICÆ MILLESIMO DVCENTESIMO TRICESIMO QVINTO, SEXTO KALENDAS IVNII. Conſtitutũ eſt autẽ ibidẽ ALTARE in honore ipſius, quod idem ſummus Pontifex GREGORIVS deuotione pia honorans, dotauit triginta dierum indulgentiam aduenientibus quotidiè, & adorantibus miſericorditer relaxando. Fratres quoque illius conuentus feſtum diem beatæ ELIZABETH valdè ſolenniter recolunt, & deuotè officium tàm nocturnum quàm diurnum, ſub melodia officii patris ſui ſancti DOMINICI celebriter peragentes. *A. 1235. Kalendas Iunii.*

De translatione beatæ Elizabeth.

CAPVT X.

ADiecit adhuc humilium exaltator altiſſimus magnificare ancillam ſuam ELIZABETH humilem, & corpus eius ſacrum in infirmitate ſepultum, miraculorum prodigiis crebris celebriter frequẽtatum, amplioribus ſuæ dignationis beneficiis viſitans, contemptibili vlterius loco recondi noluit; ſed pro laude ſua de puluere pauperem, & egenum voluit de ſtercore ſuſcitari.

Poſt tàm ſolemnem itaque, quæ per beatiſſimum PAPAM GREGORIVM nonum geſta eſt canonizationem, inſpirauit cordibus fidelium SPIRITVS SANCTVS, vt oſſa cum CHRISTO regnantis de ſepulchro eleuata humili, ad locum transferrent digniorem, tantæque magis cõgruum ſanctitati. Igitur die ſtatuto ad indictam ſacroſancti corporis translationem, conuenit EPISCOPORVM, PRINCIPVM, NOBILIVM,

Digitized by Google

PRÆLATORVM, RELIGIOSORVM, CLERICORVM, & vtriuſq; ſexus populorum innumerabilis multitudo. Tunc effoſſa terra, & tumulo patefacto, non ſecundum morem ſepulchrorũ fœtor putredinis, & abominatio corruptionis proceſſit; ſed odor pietatis & mundiciei redoleuit, ædificans & lætificans aſſiſtentes. Accedentes verò viri religioſi & deuoti huic miniſterio deputati, oſſa ſacroſancta de terra cum multa deuotione & reuerentia ſuſtulerunt, ea in arca plumbea collocãtes, quæ clauſa EPISCOPORVM SIGILLIS eſt fideliter conſignata.

De deſiderio populi.

CAPVT XI.

EXpectabant autem & affectabant cum pio deſiderio ambientes, qui aderant, cupientes videre, amplecti, & oſculari oſſa illa ſacra, SANCTI SPIRITVS organa, de quibus tot manabant ſanctitatum chariſmata.

O terra ſancta, tanto conſecrata depoſito, tanti cuſtos & conſcia ſacramenti! Huius enim temporis felix ætas, cui ſe talis theſaurus aperuit, tantum munus gratiæ ſe oſtendit. Verè theſaurus inæſtimabilis, in quo pauper, quod iuuet, inueniat; diues habet, quod delectat. Ibi peccator veniam, ibi ægrotus, ſi poſtulet medicinam inuenit. O ſanctiſſimi gleba corpuſculi, tanti ponderis apud Dominum, apud homines tantæ virtutis, vt cœcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, vitam mortuis, omnibus præſtet gratiam ſanitatum! Paueat hæreticæ veſania prauitatis, & Iudaicæ cœcitatis perfidia contabeſcat. Hanc inſanam, ELIZABETHÆ monſtrauit fides; illam oſtendunt miracula fore cœcam. Taceat animalis ſapientia huius mundi, quam hæc fœmina ſtultè ſapiens, & ſapienter ſtulta confudit. Cuius loculum ſepulturæ angeli frequenter viſitant, requirunt populi, magnates inſpiciunt, & ROMANVM IMPERIVM ſe inclinauit ad videndum. Quis enim in huius tàm ſuaui fragrantiæ odore non currat? Vnguenta virtutum vbique diſtillant, redolent aromata gratiarum: & ELIZABETH corpore pullulante fidei reuireſcit amœnitas, ac Eccleſiæ reflorentis calore ſpirante redundat odoribus hortus eius. Quem in fœmina tàm ſanctæ nouitatis pulchritudo non trahat? Quem non alliciat tàm nouæ ſpecies ſanctitatis?

De

Digitized by Google

De ſublimibus perſonis, quæ aderant, & oblationibus.

CAPVT XII.

ADerat proinde glorioſiſſimus quidem tunc FRIDERICVS IMPERATOR ſuis PRINCIPIBVS ſtipatus & militibus: ad honorem eius CORONAM offerens AVREAM in titulũ REGIÆ dignitatis. HENRICVS quoq; LANTGRAVIVS illuſtris THVRINGORVM PRINCEPS, vnà cũ fratre ſuo CONRADO, & matre domina SOPHIA, aliiſq; vtriuſq; ſexus nobilibus lectulum ſepulchri ELIZABETH miraculis floridum ambiebant, reuerenter oblationibus condignis & orationibus honorantes. Præterea præclarus vir dominus SEIFRIDVS MOGVNTINVS diœceſanus ARCHIEPISCOPVS cum ſuis ſuffraganeis, & venerabiles Patres COLONIENSIS & TREVERENSIS ARCHIPRÆSVLES cum aliis multis EPISCOPIS huius ſacræ TRANSLATIONIS celeberrimum gaudium venerabiliter peregerunt.

Ex diuerſis itaque nationibus, populis & linguis talis ac tanta ibi fuit multitudo collecta, qualis in ALEMANIÆ partibus vno in loco vix vnquam potuit, vel in futurum poterit congregari. Oblationum verò tàm abundans & affluens copia erat, quæ non facilè valuit æſtimari.

Conſideratio operationis diuinæ circa hoc negotium.

CAPVT XIII.

INtueri libet miſericordiæ diuinæ maieſtatis admirandum in hoc ôpere ordinem & amandum. Ecce hæc, quæ mundi gloriam reſpuit, & in hac vita magnatorum conſortia recuſauit, dignitate PONTIFICIALIS OFFICII, & IMPERIALIS MAIESTATIS obſequiis magnificè honoratur. Et quæ in hoc tempore nouiſſimum locum eligens, ſedebat in terra, dormiuit in puluere; nunc REGIIS & PRINCIPVM manibus in ſublime ſuſtollitur. Et ad locum, quo priorem militans Eccleſia non habet, ſummo cum honore transfertur. Omne enim temporalis gloriæ faſtigium transuolat, ſimilem factam eſſe in gloria Sanctorum. Vultum namque eius deprecantur omnes diuites plebis, & Reges munera offerunt, & Principes dona adducunt, adorant

magna-

Digitized by Google

magnates, eique ſeruiunt omnes gentes. Nec immeritò, vendidit namque omnia, quæ habuit, & dedit egenis; facta eſt paupercula, omnemque ſubſtantiam ſuam pro nihilo computans, hanc ſibi æternitatis margaritam impreciabilem comparauit.

De ſacro oleo quod de oßibus ſanctæ Elizabeth emanauit.

CAPVT XIV.

SVper hæc omnia magna & præclara, quibus eam in Eccleſia plebis, & apud proximos ſuos exaltauit; adiecit diuina liberalitas magnificare inter electos de plebe ſanctam ſuam raro ac miraculo glorioſo.

Aperto quippe die ſequenti ſarcofago, in quo SANCTISSIMI CORPORIS oſſa repoſita, SIGILLIS PONTIFICVM fuerant conſignata, inuenerunt ipſum ſarcofagum cœleſtis roris benedictione copioſè perfuſum. Illa ſiquidem emanatio omnipotentis DEI fuit dextra. DOMINVS IESVS CHRISTVS ſalutaris OLEI liquorem producens de ſacroſanctis oſſibus iuſſit emanare. Eratque ſacra illius liquoris non modica diſtillatio, ſed abundans; eructans memoriam abundantiſſimæ ſuauitatis. Proceſſit itaque de ipſo odor mirificus tanquam de fracto vnguenti precioſi alabaſtro. Hæc nempè oſſa exercitiorum ſpiritualium attritione multipliciter diſſipata, & mortificatione fracta ſunt. Vnctionum SANCTI SPIRITVS extiterant organa, & ſunt facta nunc odoriferum alabaſtrum. Hoc itaque ſalutiferum profluuium & odoriferum ſtillicidium, poſtmodum fidelibus inſpicientibus liquidè patuit oculata fide probatum. Ex illis etenim ſacratis oſſibus guttæ liquoris ſancti, tanquam roris ſuper gramen vel herbam deſcendentis, ſtant, & diſtillant; illiſque deſcendentibus vel abſterſis aliæ paulatim renaſcuntur, ſubtiliſſimæ tanquam ſudor de poris corporis euaporans.

O verè condignum & congruum & rationi omninò conſonum miraculum! Specioſa nempè & pullulans oliua ELIZABETH, generoſa virtutum odore, florida vnctionis, paciſque germine fœcunda, luminis nihilomin' & medicaminis refectioniſque vbertate prædita, in domo Dei, quod eſt Eccleſia, ſuauiſſimos fructus protulit & ſalubres. Vncta quippe SPIRITV SANCTO, & virtute, in manſuetudine perficiens opera ſua, vnitatem ſpiritus in vinculo pacis ſollicita cuſtodiuit. Per exemplarem quoque vitæ ſanctimoniam ægris mentibus, & per gratiam curationum languidis corporib' exhibuit Medicinam. Multa pau-

Digitized by Google

ta pauperum millia de ſuis panibus ſatiauit, totamq; Eccleſiam ſignis & prodigiis perluſtrauit. Meritò igitur huius dulciflui liquoris, olei oliuæ odoriferæ decoratur miraculo, cuius ſanctitatis tàm luculenta puritas excellenter irradiat, lenit ſuauiter, abundanter ſatiat, fragrat redolens opulenter.

Multa quidem & alia innumera comperta & probata ſunt miracula, de quibus nullam ſpecialem modo facimus mentionem; ſed tangendo quædam breuiter generaliter duximus annotanda.

EPILOGVS BREVIS Miraculorum.

CAPVT XV.

POrrò ſicut electa Dei famula ELIZABETH beatiſſima mirandis virtutum ſignis in vita claruerat, ſic & à die tranſitus ſui beati vſque in præſens per diuerſas mundi partes præclaris miraculorum prodigiis, diuina eam potentia glorificante, coruſcat. Nam, cœcis, mutis, ſurdis, & claudis, hydropicis, dæmoniacis, & leproſis, naufragis, & captiuis, ipſius meritis remedia conferuntur: omnibus quoque morbis, neceſſitatibus, & periculis ſubuenitur. Sed & multis mortuis, puta ſedecim, per ipſam mirificè ſuſcitatis, innoteſcit fidelibus mirificans ſanctam ſuam magnificentia virtutum altiſſimi. Cui eſt honor & gloria per infinita ſecula, Amen. NB.

FINIS.

Ee HA-

Digitized by Google

HALITGARII EPISCOPI CAMERACENSIS

DE VITIIS ET VIRTVTIBVS, & ordine Pœnitentium

LIBRI V.

AD

EBONEM ARCHIEPISCOPVM RHEMENSEM.

Nunc primùm ex M. S. membranis Monaſterii celeberrimi S. Galli editi.

DE HALITGARIO ET EBBONE.

DE Halitgario hæc Epitome Biblioth. Geſne. *Halitgarii Epiſcopi quinq; libri pœnitentiales ad Ebonem Epiſcopum manuſcripti extant in Bibliotheca Tigurina.* Nos operis huius exemplar nacti ſumus ex Bibliotheca S.Galli, beneficio & conceſſu Reuerendiſsimi Patris & Illuſtriſsimi Principis BERNARDI Monaſterii S.Galli Abbatis doctiſsimi; nō ſine opera & ſtudio R.P. Iodoci Metzleri, eiuſdem Monaſterii Profeſsi, & SS.Canonum Doctoris. Fuit Halitgarius Epiſcopus Cameracenſis, floruit ſub Ludouico Pio Imperatore, de quo hæc incertus Auctor editus à Pithæo in vita eiuſdem Imperatoris: *Ipſo tempore Halitgarius Cameracenſis Epiſcopus, & Auffridus Nouantulæ Monaſterii*

rii Abbas, à tranſmarinis partibus redeuntes, humaniſſimè ſe ſuſceptos à Michaele retulerũt. Cum Ebone, ſeu vt alii ſcribunt, *Ebbone*, Archiepiſcopo Rhemenſi in Daniam gentium illarum conuerſioni operam nauaturus conceſsit. Teſtis Adamus Bremenſis in ſuo Chronico his verbis: *In diebus illis* (Anno Domini 823.) *ſcribitur, quod Ebo Rhemenſis, cum de ſalute gentium religionis ſtudio ferueret, legationem ad gentes cum Halitgario ſuſcepit à Paſchali Papa, quã poſteà noſter Ansgarius, diuina opitulante gratia, feliciter peregit:* Et quidem ſolus, ſi fides habenda Krantzio libro 1. Metropoleos cap. 27. *Cum Ebo ſaculi rebus implicitus, in Francia diſtrictus teneretur.* Ipſum tamẽ Ebonem in Daniam quoque perueniſſe, multoſque Danorum Chriſtianæ fidei præceptis imbuiſſe apud Aimoinum proditum eſt: cùm enim agit Auctor de filiorum Godefredi ad Ludouicum Imperatorem aduentu, & in patriam regreſſu, ſic ſcribit: *Cum quibus Ebbo Rhemorum Archiepiſcopus, qui conſilio Imperatoris & auctoritate Romani Pontificis prædicandi gratia ad terminos Danorum acceſſerat æſtate præterita, &* *Aim. lib. 4. cap. 3.*

 mul-

multos ex eis ad fidẽ venientes baptizauerat, regreſſus eſt. Hanc Ebonis in ſuſcepto munere inconſtantiam notat quoque Adamus in ſua hiſtoria. *In adiutorium etiam Prædicationis datus eſt ei* (Anſgario) *Ebo Rhemenſis Archiepiſcopus, de quo & anteà diximus. Hic ſeu fatigatione itineris, ſeu corporis debilitate impeditus, ſiue potius occupatiõe ſæculi delectatus, vicarium pro ſe dedit Anſgario nepotem Gaudbertum. Quem ipſi ambo conſecrantes Epiſcopum vocauerunt eum Simonem, eumq́ diuinæ gratiæ commendatum in Sueoniam miſerunt.* Eadem ferè iiſdem verbis Krantzius in Metropoli cap. 32. Ex his certò liquet Ebbonem, cui Halitgarius ſuos libros inſcripſit, fuiſſe Archiepiſcopũ Rhemenſẽ; ideoq; & nos in titulo Rhemẽſem nominauimus: cùm codex m. ſ. tantum Archiepiſcopum ſine additamento vocet. Quod monere volui, ne quis falsò imaginaretur ſibi hîc Ebbonem Archiepiſcopum Senonenſem, quem & Elbonem nominat Trithemius, & hæc de illo habet: *Elbo Archiepiſcopus Senonenſis poſt beatum Guericũ, qui ſancto Vulframmo ſucceſſit, vir ſanctiſſimæ conuerſationis, multis &*

Trithem. lib. 3. de vir illuſt. ord. S. Benedicti. cap. 191.

in

in vita & poſt mortem claruit virtutibus: qui orbatus parentibus, à quibus hæreditatem ampliſſimam relictam, ſibi contemnens, in monaſterio ſancti Petri Senonis Monachus factus eſt. Cuius loci poſtmodum Abbas factus, inde ad Pontificatum electus eſt. Claruit anno Domini 740. Hæc Trithem.

PLVRA DE EBONE ARCHIEPISCOPO RHEMENSI, CVIVS rogatu hos quinq; libros Halitgarius conſcripſit, eidemq́; dedicauit.

VNus ex præcipuis Auctoribus fuit, quorum factione Ludouicus Imperator de Imperio deiectus eſt Anno Domini 833. de quo plura Theganus, quē conſule, ſi lubet. Ludouico in Imperium reſtituto, Epiſcopatu ceſsit Anno Domini 835. ſiue volens ſiue nolens; non enim immeritò metuebat ſibi à Ludouico, in cuius offenſam adeò grauiter ceciderat. Quo autem Epiſcopatu ſuo priuatus ſeſe cōtulerit, accipe ex Krantzio lib. 1. Metrop. cap. 30. *Ebo pridem Archiepiſcopus Rhemenſis*

ſis in Galliis, cùm eſſet cōſpirationis in Imperatorem Ludouicum non ignarus, repoſituſq; eſſet in plenam poteſtatem adminiſtrandi imperii & regni Ludouicus, quòd malè ſibi timeret ab Imperatore, nō putauit exſpectandum, ſed peruenit ad D. Anſgarium in Eccleſiā Hamburgenſem, cum quo ſibi pridem fuiſſet delegatum legationis in gentes Danorum miniſterium. Amplexus eſt virum primarium Anſgarius, quod magno culmine deiectum videret, miſeratus eſt peregrinationem eius, & prouenit, vt Eccleſia Hildeſemenſis illa tempeſtate viduata careret Epiſcopo. Patiente Imperatore, qui tū inprimis ad ſtatuendos Epiſcopos erat implorandus, in Eccleſiam illam eſt aſſumptus ordine quartus. Longè illum ſibi eſſe voluit Imperator, & potuit ſine inuidia in gente nouellà magno ſuo periculo ſuſtineri, ſimul vt legationi ſibi credita propior eſſet, tranſiturus ex conſtituto ad prædicandum in Borealibus Chriſti Euangelium; quod vtrū opere impleuerit cum Anſgario, vel ſine illo peregrinatus, annales non cōmemorant: ſed Epiſcopum eſſe factum Hildeſe-

men-

Digitized by Google

menſem, inter omnes conſtat; in qua ſede duodecim ille annos permanſit, ſuſtinente ac defendente Ludouico Rege Imperatoris filio, qui à patre regnum Germaniæ ſuſcepit. Magna fuit inter Anſgarium & Ebonem ex antiquo familiaritas, quod dono Ebonis de Eccleſia Rhemenſi venerandas Reliquias ſanctorum Sixti & Simnitii Epiſcoporum acceperit, quas in Hamburgum contulit; & pòſt inde à Danis fugatus, trāſportauit ſecum in Ramſolam vltra Albim: locum quidem Verdenſis parochiæ, ſed qui etiam propter memoriam Diui Ansgarii ibi diu commorantis, Bremenſi Diœceſi reputatur, ibíq; ſeruantur in hodiernum. Hæc Krantzius.

Cæterum, qualis qualis demum Ebbo in Ludouicum Imperatorem fuerit; gregis ſui & ſacerdotalis dignitatis, honeſtatiſque amantem fuiſſe Antiſtitem, vel Epiſtola eius ad Halitgarium abundè docet, qua tàm enixè poſtulat, vt pœnitentiæ rationem & ordinem ex ſanctis Patribus, Cōciliis & Canonibus in ſcripta referat, bonoque publico diuulget. Quod Halitgarius ſegniùs non præſtitit, quàm ille imperauit; nec mala methodo; cùm enim pœnitentia agenda ſit propter

commiſſa crimina, rectè libro primo de octo præcipuis & capitalibus vitiis, eorumque remediis: Secundo autem libro de virtutibus diſſerit. Tertio pœnitentium ordinem & rationem generatim exſequitur. Quarto demùm & quinto de pœnitentia Laicorum & Clericorum agit. Exſtant eiuſdem argumenti alia opuſcula: vt *Pœnitentiale Romanum: De remediis peccatorum venerabilis Bedæ Presbyteri: Pœnitentium liber Rabani Mauri Moguntinenſis Archiepiſcopi.* Canones pœnitentiales Aſtenſis, & alia, quæ notis illuſtrata, & in vnum volumen colligata, in publicum dedit iam dudum celeberrimus ille & eruditiſsimus Archiepiſcopus Tarraconenſis Antonius Auguſtinus. Ex quibus noſtro Halitgario non parum lucis accedet, ſi quis illa cum his Halitgarianis ſtudioſè conferre volet.

IN

Digitized by Google

IN NOMINE DOMINI, REVERENDISSIMO IN CHRISTO FRAtri ac Filio Halitgario Epiſcopo, Ebo indignus Epiſcopus ſalutem.

NOn dubito tuæ notum eſſe charitati, quanta nobis Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quantiſque noſtrorum neceſſitatibus ſubditorum, & inſuper mundialium oppreſſionibus, quibus quotidiè agitamur, cura conſtringat. Idcirco, vt tecum contuli, ex Patrum dictis, Canonum quoque ſententiis, ad opus conſacerdotum noſtrorum excerpere pœnitentialem minimè valui, quia animus, dum diuiditur per multa, fit minor ad ſingula: Et hoc eſt, quod hac in re, me valdè ſolicitat, quod ita confuſa ſunt iudicia pœnitentium in presbyterorum noſtrorum opuſculis, atque ita diuerſa, & inter ſe diſcrepantia, & nullius auctoritate ſuffulta, vt vix propter diſſonantiam poſſint diſcerni. Vnde fit, vt concurrentes ad remedium pœnitentiæ, tàm pro librorum confuſione, quàm etiam pro ingenii tarditate, nullatenus eis valeant ſubuenire. Quapropter, chariſſime frater, noli te ipſum nobis negare, qui ſemper in diuinis ardenti animo diſciplinis, ac ſolerti cura ſcripturarum meditationibus, perfectiſſimo otio floruiſti. Arripe quæſo ſine excuſationis verbo huius ſarcinæ pondus, à me quidem tibi impoſitum, ſed à Domino, cuius onus leue eſt, leuigandum. Noli timere, neque formides huius operis magnitudinem, ſed fidenter accede. quia aderit tibi, qui dixit: Aperi os tuum, & ego adimplebo illud. Scis enim optimè, paruis parua ſufficere. Nec ad menſam magnatorum, pauperum turbam poſſe accedere. Noli tuæ deuotionis nobis ſubtrahere ſcientiam. Noli accenſam in te ſub modio ponere lucernam, ſed præcelſo eam ſuperponere candelabro, vt luceat omnibus, qui in domo Dei ſunt fratribus tuis, & profer nobis veluti ſcriba doctus, quod accepiſti à Domino. aderit tibi huius laboris itinere illius gratia, qui duobus diſcipulis euntibus, tertium ſe ſocium addidit in via, & aperuit illis ſenſum, vt ſanctas intelligerent ſcripturas. Spiritus paraclitus, omni veritatis do-

Matt. 11. 30
Pſal. 80. 11.
Matt. 5. 15
Matth. 13. 52.
Luc. 24. 32

ctrina,& perfecta charitatis ſcientia tua reſplendeat pectora chariſſime frater. Vale.

Fuit Remenſis Archiep.

DOMINO, ET VENERABILI Patri in Chriſto Eboni Archiepiſcopo, Halitgarius minimus Chriſti famulus ſalutem.

POſtquam venerande Pater, directas beatitudinis veſtræ accepi litteras, quibus me hortari dignati eſtis, ne mentis acumen inerti, torpentique otio ſubmitterem: ſed cognitioni ac meditationi quotidiè ſacræ Scripturæ me vigilanter traderem: & inſuper, ex ſanctorum Patrum, canonumq; ſententiis, pœnitentialẽ in vno volumine aggregarem. Durum quippe mihi & valdè difficile, tremendumque hoc quoque fuit imperium, vt hanc ſuſciperem ſarcinam, quam à prudentibus cognoſco relictam. Multumq; reniſus ſum voluntati veſtræ, non velut procaciter durus, ſed propriæ infirmitatis admonitus. Hac etenim cura ſolicitus neceſſarium duxi, vt aliquandiu me à ſcribendi temeritate ſuſpenderem. Sed quia ſicut perpendi, iniuncti operis difficultatem, ita & iniungentis auctoritatem; nec volui, nec debui vſquequaque reſiſtere: certus, quia imbecillitatem meam multo amplius veſtra adiuuaret præcipientis dignitas, quam aggrauaret meæ ignorantiæ difficultas. Valete.

INCIPIT PRÆFATIO DE pœnitentis vtilitate.

QVamuis originalia in Baptiſmatis munere, gratia mediatoris cuncta aboleri veraciter credantur peccata, quia ſufficit illa ſola ſpiritalis regeneratio. Attamen cùm ventum fuerit ad ætatem, quæ præceptum iam capit, & ſubdi poteſt legis imperio: ſuſcipiendum eſt bellum contra vitia, & gerendum acriter, ne iterum reducatur ad damnabilia peccata. Pauciſſimi autem ſunt tantæ felicitatis, vt ab ipſa ineunte adoleſcentia, nulla damnabilia peccata committant, vel in flagitiis, vel in facinoribus, vel in homicidiis, vel in nefariæ cuiuſquam impietatis errore: ſed magna ſpiritus largitate neceſſa-

Digitized by Google

ceſſarium eſt opprimere, quidquid in eis poteſt, aut potuit carnalis delectatio dominari. Tunc itaque victa vitia deputanda ſunt, cum DEI amore vincuntur, quem niſi DEVS ipſe non donat, nec aliter, niſi per mediatorem DEI, & hominum IESVM CHRISTVM, qui factus eſt particeps mortalitatis noſtræ, vt nos participes faceret diuinitatis ſuæ. Veruntamen in graui iugo, quod poſitum eſt ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum; vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium, & iam hoc malum miſerabiliter reperitur. Ideoque ſobrii ſimus, atq; intelligamus hanc vitam de peccato illo nimis nefario, quod in Paradiſo perpetratum eſt, factam nobis eſſe pœnalem; totumque, quod nobiſcum agitur, non pertinere, niſi ad noui ſeculi hæreditatem nouam: vt hîc pignore accepto, illud, cuius hoc pignus eſt, ſuo tempore conſequamur, ſed quomodo filii DEI, quandiu mortaliter viuunt, cum morte confligunt: & ſic, ſpiritu DEI excitantur: & tanquã filii DEI proficiunt ad Dominum: vt etiam Spiritu ſancto, aggrauante corpore corruptibili, tanquam filii hominum, in quibuſdam humanis motibus deficiant ad ſeipſos, & ideò peccent. Intereſt quidem quantum, neque enim omne peccatum crimen eſt, ſed omne crimen, peccatum eſt. Sanctorum itaque hominum vitam, quà in hac morte viuitur, ſine crimine inueniri poſſe, ſine peccato autem nunquam, vt ait Apoſtolus: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Vnum tamen pro altero conſueuit ponere Scriptura. In actione autem pœnitentiæ, vbi tale commiſſum eſt crimen, vt is à Chriſti corpore, qui commiſit, ſeparetur, nõ tàm conſideranda eſt menſura temporis, quàm doloris, cor autem cõtritum, & humiliatum DEVS non ſpernit. Sanè quia plerunque dolor alterius cordis occultus eſt alteri, rectè conſtituuntur tempora pœnitentiæ ab his, qui præſunt Eccleſiis, vt ſatisfiat etiam Eccleſiæ, in qua remittuntur peccata. Ergò, cum tanta eſt plaga peccati, vt medicamẽta corporis, & ſanguinis Domini ſint differenda, auctoritate antiſtitis debet ſe quiſque ab altario remouere ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari; hoc eſt enim corpus, & ſanguinem Domini indignè accipere, ſi eo tempore accipiat, quo pœnitentiam debet agere. Nam ipſa pœnitentia, quãdo digna eſt cauſa, vt ſecundum morem Eccleſiæ agatur, plerunque infirmitate non agitur. quia & pudor, timor eſt diſplicendi, dum plus delectat hominem exiſtimatio, quàm iuſtitia, qua ſe quiſque humiliat pœnitendo. Meminerit ille, quicunq; eſt, quia DEVS ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Quid

Ex S. Greg. M. lib. 21. Moral. in cap. 30. Iob. cap. 9.

1. Ioan. 1. 8.

Pſal. 50.

Iacob. 4. 6.

Digitized by Google

enim eſt peruerſius, quidúe infelicius, quàm de ipſo vulnere, quod latere non poteſt, non erubeſcere, & de ligatura plus erubeſcere? Nemo arbitretur propterea ſe conſilium ſalubre huius pœnitentiæ debere contemnere; quia aduertit fortè, nouitque ad altaris ſacramenta accedere, quorum non ignorat talia crimina apud ſe retinere. Corriguntur enim multi, vt Petrus: multi tolerantur, vt Iudas. Multi neſciuntur, donec veniat Dominus, & illuminet abſcondita tenebrarum, & manifeſtet cogitationes cordium.

Nos verò quemquam à communione prohibere non poſſum*; quamuis hæc prohibitio nondum ſit mortalis, ſed medicinalis: niſi aut ſpontè confeſſus: aut in aliquo ſiue ſeculari; ſiue eccleſiaſtico iudicio accuſatum atq; conuictum. Pleriq; autem attendunt multos in ipſis honoribus eccleſiaſticis, Præpoſitorum, & miniſtrorum non congruenter viuere ſermonibus, & ſacramentis, quæ per eos populis miniſtrantur. O miſeros homines, * quibus intuendo Chriſtum obliuiſcũtur: qui & tanto antè prædixit, vt legi Dei potius obtemperetur, quàm imitandi videantur illi, qui quæ dicunt, non faciunt, & traditorem ſuum tolerans vſque in finem, etiam ad euangelizandum cum cæteris miſit. Aliquis fortè deſperatus dicat: Ego iam baptizatus in Chriſto, à quo omnia peccata præterita mihi dimiſſa ſunt, vilis factus ſum nimis iterans vias meas, & canis horribilis oculis Dei conuerſus ad vomitũ ſuum. Quo abibo à ſpiritu eius, & à facie eius quò fugiam? Quò frater, niſi ad eius miſericordiam pœnitendo, cuius poteſtatem peccando contempſeras. Quidquid enim feceris, quæcunque peccaueris, adhuc in vita es; vnde te omninò auferret, ſi ſanare nollet.

** fort. qui hos, vel, qui alios.*

Matth. 23.

Pſal. 138. 7.

Oportet igitur ad pœnitentiam accedere cum omni fiducia, & ex fide credere indubitanter, pœnitentia aboleri poſſe peccata, etiamſi in vltimo vitæ ſpiritu cõmiſſa pœniteat, & publica lamẽtatione peccata ꝓdantur. quia propoſitũ Dei, quo decreuit ſaluare, quod perierat, ſtat immobile, & ideo, quia voluntas eius non mutatur, ſiue emendatione vitæ, ſi tempus conceditur: ſiue ſupplici confeſſione, ſi continuò vita exceditur, venia peccatorum fideliter præſumatur ab illo, qui non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur à perditione pœnitẽdo, & ſaluet' miſeratione Dei viuat. Certiſſimæ ſunt & fideliſſimæ claues Eccleſię, q̃bus quodcũq; in terra ſoluitur, etiã in cœlo ſolutũ ꝓmittitur.

Ezec. 33. 11.

Matt, 16.

Hæc dicta ſunt de publica ſatisfactione, qua quiſq; humiliando ſe, non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram Eccleſia, quæ habet clauem regni cœlorum, in qua fit remiſſio peccatorum.

Secre-

Digitized by Google

Secreta quoq; ſatisfactione ſolui mortalia crimina non negam⁹: mutato prius ſeculari habitu, & indefeſſo religionis ſtudio, per vitæ correctionē,& iugi,imò perpetuo luctu,miſerante Deo, ita duntaxat, vt cōtraria,pro his,quę pœnitet,agat. Quotidiana verò,leuiaq; peccata,ſine quibus, hæc vita non ducitur, dominica oratione purgantur, quorum eſt dicere; Pater noſter qui es in cœlis, & reliqua: Vbi dicitur; Dimitte nobis debita noſtra: quia ipſa eleemoſyna eſt, veniam homini petenti,ignoſcere. Vnde Dominus ait;Date eleemoſynam,& omnia munda ſunt vobis. *Matth.6.* *Luc.11.41.*

Multa igitur genera ſunt eleemoſynarum,quæ cùm facimus,adiuuamur, vt dimittantur noſtra peccata, ſed ea nihil eſt maius, quàm (quando) ex corde dimittimus,quod in nos quiſq; peccauit.

Sunt autem quædam peccata, quæ putantur leuiſſima, niſi in ſcripturis demonſtrarentur opinione grauiora. Quis enim dicentem fratri ſuo,Fatue,reum gehennæ putaret, niſi veritas diceret? Aut quis æſtimaret,quàm magnum eſſe peccatū, dies obſeruare, menſes,& annos,& tempora,ſicut obſeruant, qui certis diebus, ſiue menſibus,ſiue annis,volunt,vel nolunt aliquid inchoare, niſi Apoſtolus diceret: Timeo vos,ne ſine cauſa laborauerim in vobis. *Matt.5.22.* *Galat.4.*

Quàm multa ſunt alia peccata,ſiue in loquendo,de rebus,& negotiis alienis, quæ ad te non pertinent: ſiue in vano cachinno: ſiue in ipſis eſcis,quæ ad neceſſitatem huius vitæ parantur, in quibus eſt auidior appetitus; ſiue in vendendis, & emendis rebus: charitatis,& vtilitatis vota peruerſa.

Sunt & alia huiuſcemodi peccata,quę fiunt verborum offenſionibus,& cogitationū, Iacobo dicēte Apoſtolo: In multis enim offēdimus omnes. Oportet quotidiè,crebroq; exoremus ad Dominū,atque dicamus: Dimitte nobis debita noſtra:nec in eo, ꝙ ſequitur, mentiamur:ſicut,& nos dimittimus debitoribus noſtris: ꝓ quibus etiā ſacrificia eleemoſynarum, & ieiuniorum pro viribus offerre non ceſſet. *Iacob.3.2.* *Matth.6.*

Pro illis ergò peccatis,q̄ legis decalogus cōtinet, & de quibus Apoſtolus ait,ꝙ neq; auari, neq; rapaces,neq; adulteri, neq; maſculorū concubitores, &c. quoniā q̄ talia agunt, regnū Dei non poſſidebunt. Illa actio pœnitentiæ ſubeunda eſt,in qua maiorē in ſe quiſq; ſeueritatem debeat exercere, vt à ſeipſo iudicatus, non iudicetur à Domino. quæ actio pœnitentiæ tunc erit perfecta, & acceptabilis, ſi aſcenderit homo aduerſum ſe tribunal mentis ſuæ,& conſtituerit ſe ante faciem ſuam, ne hoc ei poſtea fiat, ſicut comminatur Devs peccatori, *1.Cor.6.9.* *1.Cor.11.31.*

atq;

Digitized by Google

atque ita conſtituto in corde iudicio, adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, carnifex timor: deinde ſanguis animæ confitentis per lacrimas profluat. Poſtremò in conſcientia ſua ſe indignum iudicet participatione corporis, & ſanguinis Domini. Verſetur ante oculos imago futuri iudicii, vt, cùm alii accedunt ad altare DEI, quo ipſe non accedit, cogitet, quàm ſit contremiſcenda pœna, qua percipientibus aliis vitam æternam, alii in mortem præcipitantur æternam.

Menſuram autem temporis in agenda pœnitentia, idcirco non ſatis attentè præfigunt canones pro vnoquoque crimine, ſed magis in arbitrio antiſtitis relinquendum ſtatuunt. quia apud DEVM non tàm valet menſura temporis, quàm doloris. Nec abſtinentia tantum ciborum, ſed mortificatio potius vitiorum.

Propter quod tempora pœnitentiæ, fide, & conuerſatione pœnitentium adbreuiando præcipiunt, & negligentia protelanda. Extant tamen pro quibusdam culpis modi pœnitentiæ in canonibus impoſiti, iuxta quod cæteræ perpendendæ ſunt culpæ: cùm ſit facilè per eoſdem modos vindictam, & cenſuram canonum æſtimare.

Hanc autem epiſtolam nemo quidem exiſtimet meam: ne illi pro paruitate nominis mei vileſcat. Sed ſciat, à maioribus noſtris ex ſanctorum ſententiis eſſe collectam: à me quidem excerptam, ne nimia prolixitate negligentibus lectoribus faſtidium generaret.

Libellum de vitiis octo principalibus, eorumq; remediis: quem de libris Gregorii, Auguſtini, necnon Proſperi excerpſimus, in capite præponimus, poſt præfationem hanc, quam excerpſimus.

Secundus quidem libellus continet de vita actiua, & contemplatiua pauca capitula, nec nõ & principalium virtutum nomina. Ipſa quidem ex ſanctorum Patrum dictis collecta. Quorum nomina cuius ſunt ſententiæ, in* marginibus poſuimus, propter prolixitatem vitandam repetendorum nominum: & ne aliquis inuidus nobis vocitaret compilatorem.

** in m. ſ. ſunt nomina auctorũ poſita, ſed nõ citationes librorũ vel capitũ, quæ alicubi adiunximus.*

Tertius de ordine pœnitentum cum nominibus, vnde ſumptus eſt, conciliorum.

Quartus verò de iudiciis Laicorum.

Quintus de Ordinibus Clericorum; & de regulis, ſi deuiauerint, ipſorum.

IN

INCIPIVNT CAPITVLA Libelli primi.

I. *De octo principalibus vitiis, & vnde oriuntur.*
II. *De vitio ſuperbiæ.*
III. *De remedio ſuperbiæ.*
IV. *De vitio inanis gloriæ.*
V. *De remedio inanis gloriæ.*
VI. *De vitio inuidiæ.*
VII. *De remedio inuidiæ.*
VIII. *De vitio iræ.*
IX. *De remedio iræ.*
X. *De vitio triſtitiæ.*
XI. *De remedio triſtitiæ.*
XII. *De vitio auaritiæ.*
XIII. *De remedio auaritiæ.*
XIV. *De vitio ventris ingluuiæ.*
XV. *De remedio gulæ vitii.*
XVI. *De vitio luxuriæ.*
XVII. *De remedio luxuriæ.*

INCIPIT LIBER PRIMVS FELICITER.

De octo principalibus vitiis, & vnde oriuntur.

CAPVT I.

A PARADISI gaudiis, poſtquam expulſum eſt genus humanum, *octo criminalia in filios Adæ originaliter dominantur vitia. Quæ niſi per gratiam Saluatoris, ac Baptiſmi

**Octo principalia vitia numerant Theodulphus epiſcopus Aurelianenſis Epiſt. ad Clerũ. Euagrius ad Anatoliũ lib. de octo vitioſis cogitationib. S. Nilus lib. de octo vitioſis affectionib. & alii. Vide quæ notauimus tom. 1. Antiquæ lectionis in appendice ad monoſtichon S. Columbani. fol. 2.*

Digitized by Google

a Ex Greg. M. in cap. 39. Iob lib. 31. Moral. cap. 17. hæc deſumpta ſunt.
b S. Greg. editio Rom. regnanti.

renouationis minimè abolenda credamus. Vnde beatus *a* Gregorius in expoſitione Iob loquitur. Vitia quippe tentantia, quæ inuiſibili contra nos prælio *b* repugnanti ſuper ſe ſuperbiæ militant: alia more Ducum præeunt; alia more exercitus ſubſequuntur.

Ipſa namque vitiorum regina ſuperbia, cùm deuictum plenè cor ceperit, mox illud ſeptem principalibus vitiis, quaſi quibuſdam ſuis ducibus deuaſtandum tradit. quos videlicet duces exercitus ſequitur. quia ex eis proculdubio importunæ vitiorum multitudines oriuntur. Quod melius oſtendimus, ſi ipſos duces, atque exercitus, vt poſſumus, enumerando proferamus.

Eccli. 10. 15.

Radix quippe cuncti mali ſuperbia eſt: de qua, Scriptura atteſtante, dicitur: Initium omnis peccati ſuperbia. De hac quoque virulenta radice, VII. principalia vitia proferuntur: ſcilicet, Inanis gloria, Inuidia, Ira, Triſtitia. Auaritia, Ventris ingluuies, Luxuria. Nam quia his ſeptem ſuperbiæ vitiis nos captos doluit, idcircò redemptor noſter ad ſpiritalis liberationis prælium, ſpiritu ſeptiformis gratiæ plenus venit. Sed habent contra nos hæc ſingula exercitum ſuum.

Nam de inani gloria hæc oriuntur: Inobedientia, Iactantia, Hypocriſis, Contentiones, Pertinaciæ, Diſcordiæ, & nouitatum præſumptiones.

De Inuidia naſcitur: Odium, Suſurratio, Detractatio, Exultatio in aduerſis proximi; Afflictio autem in proſperis.

De Ira proferuntur: Rixæ, Tumor mentis, Contumeliæ, Clamor, Indignatio, Blaſphemiæ.

De Triſtitia naſcitur: Malitia, Rancor, Puſillanimitas, Deſperatio, Torpor circa præcepta, Vagatio mentis ergà illicita.

De Auaritia oriuntur: Proditio, Fraus, Fallacia, Periuria, Inquietudo. Et contrà miſericordiam Obdurationes cordis.

De ventris ingluuie propagatur: Inepta lætitia, Scurrilitas, Immunditia, Multiloquium, Hebetudo ſenſus circa intelligentiam.

De Luxuria generatur: Cœcitas mentis, Inconſideratio, Inconſtantia, Præcipitatio, Amor ſui, Odium DEI, Affectus præſentis ſæculi, Horror autem, vel deſperatio futuri.

Quia ergò ſeptem principalia vitia tantam de ſe vitiorum multitudinem proferunt: cùm ad cor veniunt, quaſi ſubſequentis exercitus cateruas trahunt. Ex quibus videlicet VII. quinque ſpiritalia, duoque carnalia ſunt. Sed vnumquodque eorum tanta ſibi cognatione iungitur, vt non niſi vnum de altero proferatur. Prima namque ſuperbiæ

perbiæ ſoboles inanis eſt gloria. quæ dum oppreſſam mentem corruperit, mox inuidiam gignit. Quia nimirum dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipiſci valeat, tabeſcit.

Inuidia quoq; Iram generat. Quia quanto interno liuoris vulnere animus ſauciatur, tanto etiam manſuetudo tranquillitatis amittitur. Et quia quaſi dolens membrum tangitur, idcircò oppoſitæ actionis manus velut grauius preſſa ſentitur.

Ex Ira quoque Triſtitia oritur: Quia turbata mens, quo in ordine ſe concutit, eo addicendo confundit. Et cùm dulcedinem tranquillitatis amiſerit, nihil hanc niſi ex perturbatione ſubſequens mœror paſcit.

Triſtitia quoque ad Auaritiam dirigitur: Quia dum confuſum cor bonum lætitiæ intus amiſerit, vnde conſolari debeat, foris quærit. Et tanto magis exteriora bona adipiſci deſiderat, quanto gaudium non habet, ad quod intrinſecus recurrat.

Poſthæc verò duo carnalia vitia, id eſt, ventris ingluuies, & luxuria ſuperſunt. Sed cunctis liquet, quod de ventris ingluuie luxuria naſcitur, dum in ipſa diſtributione membrorum ventri genitalia *a* ſubnixa videantur. Vnde dum vnum inordinatè reficitur, aliud procul dubio ad contumelias excitatur.

a S. Greg. ſubnexa.

Benè autem duces exhortari dicti ſunt; exercitus vlulare. quia prima vitia deceptæ menti quaſi ſub quadam ratione ſe inſerunt; ſed innumera, quæ ſequuntur, dum hanc ad omnem inſaniam pertrahunt, quaſi beſtiali clamore confundunt *b*.

b Hucuſq; ex S. Greg. M.

De vitio ſuperbiæ.

CAPVT II.

CONſideremus ergò, quæ cauſæ præcedant, quas vitia ſubſequantur. *c* Ait enim Proſper: Quod, vt credibilius videatur, Scriptura diuina conſulta reſpondeat. Vnde quæſita protulit, dicens: Initium omnis peccati ſuperbia. Non, alicuius, ſed omnis peccati. *d* quomodo non ſolum peccatum eſt ipſa? ſed etiam nullum peccatum fieri poteſt, aut potuit, vel poterit ſine ipſa. Siquidem nihil aliud omne peccatum, niſi DEI contemptus eſt, quo eius præcepta calcantur. Denique ipſe diabolus inuentor ſuperbiæ, per ipſam de cœleſtibus corruit, quem DEVS fecerat ſine vllo peccato. Et hæc eſt omnium malorum cauſa. Hinc eſt, quod idem primus homo, ſuperbi ſpiritus ela-

c Proſper lib. 3. de vita contemplatiua, cap. 2. Eccliti.

d Proſper quoniam n. ſ. p. eſt ipſa, ſed &.

Digitized by Google

tione corruptus, omnem poſteritatem ſuam, quæ in illo radicaliter fuit, neceſſitate corruptionis, ac mortalitatis addixit. De quo dicit Apoſtolus: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiuit *a*. Superba voluntas, facit DEI præcepta contemni, & ex angelis dæmones fecit.

Rom. 5.

a hucuſque ex Proſp. libro 3. de vita contempl c. 2. Greg. eſt in m. ſ. margine Greg. qui tamen longè aliter de ſuperbia libro 34. Moral. in Iob. cap. 18.

Quapropter audiant ſuperbi: quia ſunt omnia tranſitoria, quæ ambiuntur, & æterna, quæ perduntur. Et illud: Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur. Et iterum: Quid ſuperbit terra, & cinis? Et illud: Ante ruinam, exaltabitur ſpiritus. Et: DEVS alta à longè cognoſcit. De eorum quoque capite diabolo ſcriptum eſt: Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.

Luc. 18. 14. Eccl. 10. 9. Prou. 16. 18. Pſal. 137. 6. Iob 41. 25.

b Iam nunc videamus, quibus indiciis poſſit ſuperbia deprehendi. Vnde, paulò pòſt ſequitur: Habitus quoque & inceſſus pedum ſuperbos oſtendunt: quorum erecta ceruix, facies torua, truces oculi, & ſermo terribilis, nudam ſuperbiam clamant; humana iura, diuinaq; confundunt: honoribus intumeſcunt, aliena rapiunt, & ſeipſos ſuperbiæ corrupti morbo non capiunt. Eſt enim & occulta ſuperbia, quæ proficientes aliquantulum occultè captiuat: quos in profundum malorum fraudulẽta dominatione præcipitat: & ne vnquam poſſint *c* exſurgere, iugiter calcat. Inde eſt, quod hi, quos ſuperbæ mentis tabes purulenta corruperit, ſeniorum ſuorum non obſeruant imperata, ſed iudicant. De ſuis negligentiis obiurgati, aut rebellant, aut murmurãt. de loco ſuperiori *d* deceptant. præferri ſe melioribus affectant. ſuas ſententias procaciter iactant. non ſeruant in obſequio reuerentiam. Hæc ſunt ſuperbiæ tumoris indicia: quibus DEVS offenditur: & his malis diabolus paſtus exultat *e*.

b ſequẽtia ex Proſpero lib. 3. vitæ contempl. c. 8.

c Proſp. emergere.

d Proſp. diſceptãt.

e Hucuſq; ex Proſp.

De remedio ſuperbiæ.

CAPVT III.

HVmilitas virtutum omnium mater, penitus conterit ſuperbiam, quemadmodum ſcriptura teſtatur: Omnis qui ſe humiliat, exaltabitur. Et: Gloriam præcedit humilitas. Et iterùm: Ad quem reſpiciam, niſi ad humilem, & quietum, & trementem ſermones meos. Et: DEVS humilia reſpicit. Vnde Gregorius inquit: Dicatur ergò humilibus, quia dum ſe deiiciunt, ad DEI ſimilitudinem aſcendunt. Et; quid humi-

Greg l. 23. Moral. in Iob. cap. 7. Luc. 18. 14. Prou 15. 33. Eſa. 66. 2. Pſal. 137. 6. Simile q. ſ. S. Greg. l. 32. Moral. Iob. c. 7.

humilitate ſublimius? quæ dum ſe in ima deprimit, auctori ſuo manẽti ſuper ſumma coniungitur. Eſt tamen aliud, quod in eis debeat cautè penſari. quia ſæpè quidam humilitatis decipiuntur ſpecie. Quidam verò elationis ſuæ ignorantia falluntur: idcircò oportet omnes ſolicitos eſſe, vt maculæ ſuperbiæ imbribus lacrimarum deleantur, & contritio cordis, & humilis ſpiritus, omnem fomitem vitiorum excludat: & qui proximis læſionem intulit, veniæ ſatisfactione reconciliet, rapinam pauperum miſericordia largitatis diluat: eiſque quibus iniuſtè abſtulit, ſi quid poteſt, miſericorditer reddat: & inſuper eleemoſynarum fructus minimè negligat: aliiſq; bonis operibus vitam ſuam corrigendo apud Domini miſericordiam ſtudioſè perquirat: ſicut ſcriptũ eſt; Miſerere animæ tuæ placens DEO. Idcirco temporis menſuram in agenda pœnitentia pro vnoquoque crimine non præfigunt canones, ſed magis in arbitrio antiſtitis relinquẽdum ſtatuunt Quia apud Dominum non tàm valet menſura temporis, quàm doloris. nec abſtinentia tantum ciborum, quàm mortificatio vitiorum.

De vitio inanis gloriæ.

CAPVT IV.

INanis namq; gloria deuictum cor quaſi ex ratione ſolet exhortari, cùm dicit: Debes maiora appetere. vt qua poteſtate volueris multos excedere, eò etiam valeas & pluribus prodeſſe. Sed ſcriptura è contra ſignum vanitatis oſtendit dicens: *Greg.*

a Eſt enim vanitas inflata quædam circa delectationes varias animi languentis affectio, potiendi honoris auida ſimul & neſcia, morbo excellentiæ inanis afflata, caua, morbida, turbulenta, animorum leuium domina, malè fundatis omnibus blanda; repugnantibus fumea, capiendis ſeductoria, captis inuicta: ſimulatio quædam virtutum b, appetitio dignitatum, dulcis miſeris, amara perfectis: cui ſeruiunt tumidi: ſub qua iacent elati: qui ſe de operibus, quorum ſibi conſcii non ſunt, turpiter iactant, qui ſe ab omnibus prædicari per nefas affectant. Qui ſanctos viros ſui c deprecatione depreciant. His, & ſimilibus delinitos vanitas premit, nec eos morbum ſuum ſentire, aut ad medicum venire permittit. Et quid eſt, ad medicum venire, niſi infirmum ſuas infirmitates cognoſcere? tantumq; eos ardor humanæ laudis inflammat, vt laborioſa opera, quæ populus admiretur, & quibus fama diffunditur, ſine labore ſuſcipiant, & li benter exerceant. Inde eſt, quod

Proſp.
a Hæc ex Proſp. lib. 3. vitæ cõtemplat. cap 10.
b Proſp. anima vitiorum, fomes carnalium delectationum, labes morum, appetitio d.
c Proſp. ſui comparatione.

ieiunare, abſtinere, vigilare, eccleſiam frequentare, vel pſallere, cùm hæc omnia ſine labore non faciant, etiam cum delectatione faciunt, *vt ab hominibus, quibus placere, non Deo, deſiderant, videantur. Vnde Veritas ait: Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.

** Hucuſq; ex Proſpe.* *Matt. 6, 16.*

De remedio inanis gloriæ.

CAPVT V.

1. Cor. 4, 7.

APoſtolica ſententia in medio eſt proferenda, qua dicitur: Quid enim habes, quod non accepiſti: etſi accepiſti, vt quid gloriaris, quaſi nõ acceperis? Huius enim morbi eſt medicina ſalutis, recordatio diuinæ bonitatis, per quã omnia bona nobis collata ſunt, quæ habere videmur. Etiã & perpetua ipſius DEI caritas. in cuiꝰ laudẽ omnia agere debemus, quidquid boni in hoc ſeculo operemur: & magis deſiderare, à DEO laudari in die retributionis æternæ, q̃ ab homine mortali quolibet, in huius tranſitoriæ vitæ. Hoc quoq; inanis gloriæ vitium, vt iam diximus, lacrimarum fletibus eſt abolendum, cum ceterorum actibus bonorũ operum. Quia in cunctis, quæ agimus, neceſſe eſt, vt conſideratio propriæ infirmitatis deprimat: ne hæc ante occulti arbitri oculos tumor vanæ laudis exſtinguat.

Gregor.

De vitio Inuidiæ.

CAPVT VI.

Gregor.

INuidia quoq; deuictum cor quaſi ex ratione ſolet exhortari, cùm dicit: In quo illo, vel illo minor es? cur ergò eis vel æqualis, vel ſuperior non es? quanta vales, quæ illi non valent? Non ergò tibi, vt ſuperiores eſſe, aut etiam æquales debent. * Apoſtolica aduerſus hos clamat ſententia: Inuidia ſiquidem diaboli mors intrauit in orbem terrarum.

Sap. 2. 24. citat S. Greg. lib. 5. Moral. Iob c. 31. de inuidia pulcherrimè differens.

*Inuidus certè, qui alienum bonum, ſuum facit inuidendo ſupliciũ: nulla videtur ad inuidendũ concupiſcentia prouocari, ſed tantum ſuperbiæ morbo vexari: quo ſibi iugiter ingemiſcit meliorem, cui inuidet, anteferri. Ac per hoc ſequitur diuinum munus in homine: cũ potius amari homo debeat pro ſui meriti ſanctitate. Tantos enim inuidus habet iuſta pœna tortores, quantos inuidioſus habuerit laudatores. Nihil infelicius poteſt eſſe inuidia: quæ alienis torquetur bonis. Vnde igitur bonus proficit, inde inuidus contabeſcit. Inuidia ſenſum mordet, pectus vrit, mẽtem affligit. Qui autem inuidet, diabolo ſimilis eſt: qui per inuidiam hominem de Paradiſi felicitate deiecit.

Proſper. ** Hæc ex Proſp. lib. 3. vit. cont. c. 5.*

Quan-

Digitized by Google

Quantum eis bonum corrumpat inuidia miſerabiliter eſt intuendum. cùm quidquid boni fieri, vel dici à ſanctis audierint, vel omninò non credunt: aut res benè geſtas in malum malè interpretando conuertunt. Omne malum, quod de illis mendax fama iactauerit, ſtatim tanquam ſi ipſi viderint, credunt. *Proſper.*

Et dum liuorem à corde non proiiciunt, ad apertas operum nequitias deuoluuntur. quia à ſe incipit omnis tractatus malus, & priuſquam noceat alteri, ipſi ſibi parat exitium. Namque ex hoc vitio oriuntur homicidia. Niſi enim Cain inuidiſſet, acceptam fratris hoſtiam, minimè perueniſſet ad exſtinguendam vitam. *Gregor.*

De remedio inuidiæ.

CAPVT VII.

APoſtolus terribiliter comminatur, dicens: Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt: & qui inuidet fratri ſuo, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat.. Vnde ſi huic vitio valenter reſiſtere cupimus, caritatem Deo exhibeamus, & proximo, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta; & facilè peccato reſiſtimus, ſi bonis omnibus abundamus: ſeculi blandimenta contemnimus: &, omnia, quæ difficilia ſunt humanæ fragilitati, vel aſpera, etiam cum dilectione perficimus, ſi hæc præcepta dilectionis cuſtodimus. *1. Ioh. 3, 15.*

Attamen ordinem dilectionis illi peruertunt, nec modum diligendi cuſtodiunt: qui aut mundum, qui contemnendus eſt, diligunt: aut corpora ſua minus diligenda, diligunt: aut proximos non ſicut ſe ipſos: aut Devm plus quàm ſeipſos forte non diligunt. Proximos autem tunc diligimus ſicut nos, ſi non propter aliquas vtilitates noſtras, non propter ſperata beneficia, vel accepta: ſed propter hoc tantùm, quod ſunt naturæ noſtræ participes, diligamus. Quapropter hæc eſt proximi tota dilectio, vt bonum, quod tibi conferri vis, velis & proximo. Poteſt itaq; homo, alterius bonum, ſuum facere, dum amat in alio, quod ipſe non facit. *Gregor.*

Hinc ergò penſent inuidi, caritas quantæ virtutis eſt; quæ alieni laboris opera noſtra ſine labore facit. Dicendum itaque eſt inuidis; quia dum ſe à liuore minimè cuſtodiunt, in antiquam verſuti hoſtis nequitiam demerguntur. Igitur ſummoperè eſt vigilandũ, vt hoc vitium radicitus à cordibus citius euellatur, ac bonis operibus, vt præſcriptum eſt, cum conſilio tamen ſacerdotis emundetur, & quotidiè *Gregor.*

pro

pro illo exoret, quem oderat, eique officia caritatis exhibeat, ac neceſſitatibus, ſi valuerit, frequenter ſubueniat, cui, cùm non amauit, minus diligendo exhibuit.

De vitio iræ.

CAPVT VIII.

Greg. IRa etiam deuictum cor quaſi ex ratione ſolet exhortari, cùm dicit: quæ erga te aguntur, æquanimiter ferri non poſſunt: hæc imò patienter tolerare, peccatum eſt. quia ſi non eis cum magna exaſperatione reſiſtitur, contra te deinceps, ſine menſura cumulantur.

Epheſ. 4. Apoſtolica contra hæc reſpondet ſententia: Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Vnde, & veritas dicit; Quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. *Mat. 18. 35* Et: ſi non dimiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo, de cordibus veſtris, nec Pater veſter cœleſtis dimittet vobis delicta veſtra. *Matt. 5.* Nam ſi iraſci fas non eſt, aut dicere racha, aut fatue: multò minus eſt licitum, tenere aliquid animo, vt in odium indignatio conuertatur. Eſt enim ira, mentis furor: quæ ſi in corde infigitur, omnem eximit prouidentiam ab eo, facti: nec iudicium rectæ diſcretionis inquirere; nec honeſtæ contemplationis virtutem, nec conſilii poterit habere maturitatem. Sed omnia per præcipitium quoddam facere videtur. Ex qua naſcitur homicidium.

Greg. Dicendum quippe eſt impatientibus: quia dum frenare ſpiritum negligunt, per multa etiam, quæ non appetunt, iniquitatum abrupta rapiuntur. Quia videlicet mentem impellit furor, quò non trahit deſiderium, & agit commota, velut neſciens, vnde poſt doleat, ſciens. Per hoc quoque impatientiæ vitium plerunque mentem arrogantiæ culpa transfigit. quia dum deſpici in mundo hoc quiſque non patitur; bona, ſi qua bona ſibi occulta ſunt, oſtendere conatur, ac per impatientiam, vſque ad arrogantiam deducitur.

De remedio iræ.

CAPVT IX.

PAtientia namque furorem, omneque iræ vitium cum recordatione mandatorum DEI ſuperare noſcitur: cùm virtutum omnium mater CARITAS ad memoriam reuocatur. quia impatientiæ vitium minimè oritur, niſi virtutum mater CARITAS amputetur. Scriptum quippe eſt, caritas, patiens eſt. Igitur cùm minimè eſt patiens, caritas in eo non eſt.

Greg. Per hoc quoque iræ vitium, ipſa virtutum nutrix, doctrina diſſipa-

ſipatur. Vnde ſcriptum eſt: Doctrina viri, per patientiam noſcitur. Tanto ergò quiſque minus oſtenditur doctus, quanto minus conuincitur patiens. Scriptum eſt enim; Melior eſt patiens viro forti, &, qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium. Vnde veritas, electis ſuis dicit: In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Cuſtodem igitur conditionis noſtræ patientiam, Dominus eſſe monſtrauit: qui in ipſa nos poſſidere noſmetipſos docuit. Vnde & alibi dicit: Diligite inimicos veſtros: benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos. Virtus itaque eſt coram hominibus, aduerſarios tolerare. Sed virtus coram DEO, diligere. Et Paulus Apoſtolus, poſſidere patientiam monuit, cum diſcipulis hoc præceptum monendo inſtituit: Omnis, inquit amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia, tollatur à vobis, cum omni malitia. Quia nimirum ſi vltrà indignatio, & clamor, & blaſphemia, ab exterioribus tollitur: ſi in interioribus vitiorum mater malitia dominatur. Admonendi ſunt igitur patientes, vt cor poſt victoriam muniant, ne hoſtis callidus eo in deceptione poſtmodum maiori exultatione gaudeat, quod illa dudum cõtra rigida colla victorum calcat: Quiſquis hoc vitio iræ diu tabefactus deperiit, oportet vt ei rehumiliando ſatisfaciat, cui iratus exſtitit, ne coram DEO reus iudicetur: qui non aliter noſtra delet facinora: ſi fratrum à cordibus noſtris penitus non amputentur delicta. *Greg.*

De vitio Triſtitiæ.

CAPVT X.

TRiſtitia quoque deuictum cor quaſi ex ratione ſolet exhortari, cùm dicit: Quo habes, vnde gaudeas, cum tanta mala de proximis portas? perpende cum quo mœrore omnes intuendi ſunt, qui in tanto, contra te, amaritudinis felle vertuntur. Apoſtolica aduerſus hæc dicit ſententia: Quis nos ſeparabit à caritate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia? & reliqua. Sunt quippe duo genera triſtitiæ: Vnum ſalutiferum: aliud verò peſtiferum. Triſtitia ſalutaris eſt, quando animus ex delictorum recordatione contriſtatur, vt confeſſionem, & pœnitentiam agere quærat, & conuerti ad DEVM ſe, toto corde deſiderat. Alia igitur huius mundi eſt triſtitia, quæ mortem operatur animæ, nihilque in bono operis deſiderio valet perficere; quæ perturbat animum, & ſæpè mittit in deſperationem, ac futurorum ſpem abſtra- *Greg.* *Rom. 8. 35.* *2. Cor. 7. 10*

bit bonorum: cui etiam hoc patienti vitium vita præſens nulla eſt delectatio.

De remedio triſtitiæ.

CAPVT XI.

SVperatur namque hoc nefas ſpiritali lætitia, & ſpe futurorum, & conſolatione Scripturarum, vel fraterno in ſpiritali iucunditate, colloquio: vel cùm ad mentem reducitur, quàm parua ſint, quę videntur: ſicut ſcriptum eſt. Quæ enim videntur temporalia ſunt. Vnde Eccleſiaſtes dicit: cuncta ſubiacent vanitati, & omnia pergunt ad vnum locum, quia de terra facta ſunt, & in terram pariter reuertentur. quæ autem non videntur, æterna ſunt.

2. Cor. 4. 18
Eccle. 3. 19.

Proſper. Hæc verò, & his ſimilia loquentes, ac cogitantes, nihil eſt aliud, quã vitiis omnibus repudiũ dare, & omne genus triſtitiæ amputare. Ab his ergò triſtibus malis aſcendendum eſt ad illa ſublimia, quibus proficientium mentes, in ſpem promerendæ beatitudinis aſſurgunt: abdicatiſq; terrenis, cœleſtia concupiſcunt, vbi DEVS videbitur in ſecula ſeculorũ. Sed quicunq; hoc vitio carere deſiderat, orationibus frequenter inſiſtat: mortem animæ quotidiè ante oculos ponat. Et quia omnis caro fœnũ eſt, recognoſcat: miſericordiam, & bonitatẽ DEI ergà omnes ſperantes in ſe, cum magna conſideratione, aut per ſe meditando, aut ab aliis audiendo, ex toto animo conſiderare non negligat. Pauperibus, & peregrinis, viduis, ac pupillis, nec non infirmis, & ſoſpitibus, ſi quid valet, miſericorditer tribuat, & in cæterorum bonorum operibus non deficiat.

De vitio Auaritiæ.

CAPVT XII.

Gregor. AVaritia quoq; deuictum animum, quaſi ex ratione ſolet exhortari, cum dicit: Valdè ſine culpa eſt, quod quædam habenda concupiſcis, quia multiplicare non appetis, ſed egere pertimeſcis: & quod malè alius retinet, ipſe melius expendis.

1. Cor. 6. 10. Apoſtolica contra hæc clamat ſententia: quod neque auari, neque rapaces, regnum DEI poſſidebunt. Vnde & Salomon dicit: Auarus non implebitur pecunia: &, qui amat diuitias, fructus non capiet ex eis. Et iterum: Diuitiæ conſeruatæ in malum domini ſui. Pereunt enim in afflictione peſſima. Et paulò pòſt dicit: Auaro autem nihil eſt ſceleſtius: nihilque iniquius, quàm amare pecuniam. Et iterum: cùm enim moritur homo, hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes. Vnde &

Eccle 5. 9.
Eccle. 5. 12.
Eccli. 10. 9.
Eccli. 10. 13.

Digitized by Google

de & Dominus ait: Facilius eſt enim camelum per foramẽ acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. Et iterum: Væ, vobis diuitibus, qui habetis conſolationem veſtram. Et alibi: Non poteſtis Deo ſeruire & Mammonæ. Vnde Apoſtolus diſcipulo de diuitibus dicit: Diuitibus huius ſæculi præcipe, non ſuperbè ſapere: neque ſperare in incerto diuitiarum. Eſt namque auaritia, nimia diuitiarum adquirendi, habendi, vel tenendi cupiditas. Vnde Gregorius dicit: Auaritia enim non ſolùm pecuniæ eſt, ſed etiam altitudinis. Quæ peſtis inſaturabilis eſt, ſicut morbus hydropici: quia in bibendo non ſitim exſtinguit, ſed potando ſuccreſcit: ſic auaritia, quanto magis habet, tanto plus deſiderat. Et, dum modus non eſt in habendo, modus illi non erit in deſiderando. Ex qua oriuntur inuidię, furta, latrocinia, homicidium, & reliqua. *Mat. 19. 24. Luc. 6. 24. Mat. 6. 24. 1 Tim. 6. 17. Greg.*

De remedio Auaritiæ.
CAPVT XIII.

Dominus enim cuidàm quærenti, quid faceret, vt vitam poſſideret æternam, reſpondit: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo. Et alibi: Si verè diuites eſſe cupitis, veras diuitias amate: Diſcant igitur diuites, quia diuitias, quas conſpiciunt, tenere nequaquam poſſunt. Et ideò miſericorditer tribuant, vnde ſibi ſuperfluè hærere conſpiciunt. quia hilarem datorem diligit Devs. Admonendi ſunt etiam, qui iam ſua miſericorditer tribuunt, vt ſolicitè cuſtodire ſtudeant: ne, cum commiſſa peccata eleemoſynis redimunt, adhuc redimenda committant. Ne venalem Dei iuſtitiam æſtiment: ſi, cùm curant pro peccatis nummos tribuere, arbitrentur ſe poſſe inultè peccare. Plus namque eſt anima, quàm eſca: & corpus, plus, quàm veſtimentum. Qui ergò eſcam, atque veſtimentum pauperibus largitur, ſed tamen anima, vel corpus iniquitate polluitur: quod minus eſt iuſtitiæ, obtulit, & quod maius eſt, culpæ: ſua enim dedit Deo, & ſe diabolo. *Mar. 10. 21. Gregor. 2. Cor. 9. 7.*

Iterum admonendi ſunt, qui aliena rapere intendunt. Audiant, quod ſcriptum eſt: Væ ei, qui multiplicat non ſua. Profectò enim quia augere opes ambit, vitare periculum negligit. Quoniam radix omnium malorum eſt cupiditas. *Habac. 2. 6. 1. Tim. 6. 10.*

Vnde quærendum eſt; ſi initium omnis peccati ſuperbia dicitur, quare radix omniũ malorũ cupiditas affirmetur. Sanè, quia cupiditas, atque ſuperbia in tantum, vnum eſt malum, vt nec ſuperbus ſine cupidi- *Poſper. Hæc ex Proſp. li. 3. vit. contẽpl. cap. 4.*

Digitized by Google

piditate, nec ſine ſuperbia poſſit inueniri cupidus. Deinde ſi quodlibet peccatum perpetrare non poſſum, niſi meæ delectationi conſentiam; quod cupiditatis eſt proprium: & DEI præcepta contemnam, quod eſt ſuperbiæ malum: quomodo non ex cupiditate, quæ eſt radix omnium malorum: & ex ſuperbia, quæ initium omnis peccati dicitur, procedit omne peccatum?

Eccli. 10.

Vincitur quoque hoc vitium in largitione pauperum, in viſitatione infirmorum, & integumento nudorum: nec non, & ſi quid iniuſtè quis abſtulit, reddendum eſt in quadruplum, iuxta ſententiam Domini. Et nunquam à corde diſcedat timor Domini: & inſuper fletu, ac lacrimis, cum contritione cordis purget indeſinenter animam: ne, pro incerto diuitiarum, amittat vitam æternam.

Hucuſque de quinque ſpiritalibus vitiis ex SS. Patrum teſtimoniis dictum ſufficiat. Reſtat quoque, vt de duobus carnalibus, videlicet gula, atque luxuria pertractemus.

De vitio ventris ingluuie.

CAPVT XIV.

Greg.

VEntris quoque ingluuies deuictum cor quaſi ex ratione ſolet exhortari, cùm dicit: Ad eſum DEVS omnia munda cõdidit: &, qui ſatiari cibo reſpuit, quid aliud, quàm muneri conceſſo contradicit?

Proſp.

At contra videamus, qualiter illi homines primi commiſerint tàm grande peccatum, quod & ipſos de Paradiſo proiecit in hoc vitæ pœnalis exilium, & in eis originaliter totum damnauit genus humanum. Prohibitum ſiquidem à Domino fuerat, quod de ligno ſcientiæ boni, & mali, ne comederent: ſed gulæ vitio decepti comederunt. Niſi enim comediſſent, perpetuò immortales eſſent, ſi ſub DEO ſuo viuentes, præceptum, quod acceperunt, cuſtodiſſent. Nec desererentur à DEO, niſi DEVM prius ipſi dèſererent. Et idcirco in hanc ærumnoſam huius vitæ miſeriam, gulæ delicti, atque morti traditi ſunt deiecti. Vbi omnis homo per peccatum naſcitur, per laborem viuit; per dolorem moritur.

Greg.

Quapropter admonendi ſunt gulæ dediti, ne in eo, quo eſcarum delectationi incumbunt, luxuriæ ſe mucrone transfigant. quanta ſibi per eſum loquacitas; quanta mentis leuitas inſidietur, adſpiciant: nedum ventri molliter ſeruiunt, vitiorum laqueis crudeliter adſtringantur. Audiant Apoſtolum dicentem: Eſca ventri, & venter eſcis: DEVS autem & hunc, & has deſtruet. Et rurſum: Non in commeſſatio-

1. Cor. 6. 13.
Rom. 13. 13

Digitized by Google

tionibus & ebrietatibus. Et iterum: Eſca nos non commendat Deo. 1. Cor. 8. 8.
Et rurſum: quorum Devs venter eſt, & gloria in confuſione eorum. Philip. 3. 19
quia gulam ſequitur luxuria.

De remedio gulæ vitii.

CAPVT XV.

Qvia prim' homo, hoc vitio gulæ cum poſteritate ſua cecidit, neceſſarium eſt, vt per abſtinentiam reſurgamus: ſed in ipſa abſtinentia, eſt aliud quiddam, quod ſolerti cura penſare debemus.

Greg. Quia plerunque dum, plus quàm neceſſe eſt, per abſtinentiam caro atteritur, humilitas foris oſtenditur: ſed de hac ipſa humilitate grauiter interius ſuperbitur. Ideò admonendi ſunt abſtinentes, vt ſolicitè ſemper aſpiciant, ne cum gulæ vitium fugiant, acriora his vitia, quaſi ex virtute generentur. Incaſſum ergo per abſtinentiam corpus conteritur, ſi inordinatis demiſſa motibus, mens vitiis diſſipatur.

Proſp. Qui autem non ſolùm à qualitate, ſed etiam à quantitate ciborum cupiunt abſtinere, nihil aliud ſtudent, niſi, vt quantum ſtomacho reficiendo, ac fami eximendæ ſatis eſſe videtur, indulgeant: nec expleant ſuos appetitus auiditate percipiendi, ſed comprimant: atque eis non ſaturitas edendi finem faciat, ſed voluntas. qui tàm à cupiditate precioſorum ciborum, quàm à nimia perceptione vilium continebant. qui, cibis nec lautioribus volunt carne luxurioſè diſſolui, nec diſtentione ventris vilibus onerari: quando abſtinentes viri, nec delitioſi ſolent eſſe, nec auidi. De vino autem abſtinendo quid dicam? vnde Apoſtolus certam fixit regulam, dicens: Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria: quaſi diceret: luxuriam facit, & nutrit vini perceptio nimia, non natura: Et ideo, non vos vti vino, ſed ne inebriamini, prohibeo. Vnde Timotheo præcepit, dicens: Noli aquam bibere; ſed modico vino vtere, propter frequentes tuas infirmitates. Ac per hoc, nihil contra abſtinentiam faciunt, qui vinum non pro ebrietate, ſed tantùm pro corporis ſalute percipiunt. Vnum tamen eſt intuendum: quod nihil illis proficiat, qui ſe à cibis temperant, ſi vitiis ſeruiant. Quia facilius res, quæ poſſidetur, abiicitur, quàm voluntas.

Greg. Admonendi ſunt abſtinentes, vt nouerint, quia tunc placentem Deo abſtinentiam offerunt, cum ea, quæ ſibi de alimentis ſubtrahunt, indigentibus largiuntur. Non enim Deo, ſed ſibi quiſque ieiunat, ſi ea, quæ ventri ad tempus ſubtrahit, non inopibus tribuit, ſed ventri poſtmodum offerendo cuſtodit. Rurſumque admonendi

Digitized by Google

ſunt, vt abſtinentiam ſuam, & ſemper ſine imminutione cuſtodiant, & nunquam hanc, apud occultum iudicem eximiæ virtutis credant: ne, ſi fortaſſe magni eſſe meriti creditur, cor in elatione ſubleuetur. Hinc Ioël ait: Sanctificate ieiunium. Ieiunium ſanctificare eſt, adiunctis bonis aliis, dignam Deo abſtinentiam carnis oſtendere. quia tunc nobis proderit, quod corpora noſtra, aut cetera corporum incentiua, rigore diſtrictioris abſtinentiæ caſtigamus, ſi carnalibus deſideriis abſoluti, ſanctis virtutibus floreamus. Vnde, ſi per delectationem, & deſiderium voluptatis à Paradiſi gaudiis cecidimus, oportet, vt per ieiunium, ac lamenta pœnitentiæ redeamus.

De vitio Luxuriæ.

CAPVT XVI.

Gregor. Luxuria quoque deuictum cor quaſi ex ratione ſolet exhortari, cùm dicit: Cur te, in voluptate tua modò non dilatas, cùm quid te ſequatur, ignoras? Acceptum tempus in deſideriis perdere non debes: quia, quàm citius pertranſeat, neſcis. Si enim miſceri Devs hominem in voluptate coitus nollet, in ipſo humani generis exordio, maſculum, & feminam non feciſſet. Non enim Devs, vt diuina teſtatur auctoritas, ideò maſculum & feminam creauit, vt carnali fruerentur deſiderio, aut in delectatione carnis viuerent, ſed procreandorum cum benedictione filiorum, mutuò iungerentur. Et niſi tum tranſgreſſio mandatorum fuiſſet, nulla vtique ſentiretur delectatio in copula coniugatorum. Luxuria quippe eſt immunditia corporalis, quæ fieri ſolet, ex incontinentia libidinis, & mollitie animæ, quæ conſentit ſuæ carni, peccare. Quia tribus modis omne agitur peccatum: ſuggeſtione, delectatione, conſenſu.

Proſper Qui concupiſcentiæ carnis addictus, numquid non videtur nihil habere ſuperbiæ? cùm præſertim paſſio ipſa eum videatur humiliare luxuriæ. Et tamen, niſi prius Deo rebellis exiſteret: cuius ſalubre præceptum de pudicitia conſeruanda, ſuperbi ſpiritus præſumptione contemnit, nulla eum laſciua cupiditas prouocaret. In animo eius diu * deceptant, Dei contemptus, & metus. Sed aut contemptus Dei præponderat, & ſuperbus animus recepta cupiditate, pudicitiam perdit; Aut obtinet metus, & animus Deo ſubiectus, cupiditati ſimul, ac ſuperbiæ contradicit. Pleroſque enim gula, & abundantia vini, turpiter in luxuriam ſoluunt. alios, in iniuriam pudicitiæ ſordidæ cogitationes incendunt. Nonnullos depoſita caſtitate, occaſiones oblatæ deii-

* leg. diſceptant.

Digitized by Google

deiiciunt. quoſdam ſub impudicitiæ iugum exempla perditè viuentium mittunt. Sunt alii, quorum vitam vita turpis inflammat, & turpem conſcientiam manifeſtat. qui prius inuerecundos ſermones; aut proferunt libenter, aut audiunt: ac deinde paulatim morbo creſcente, ab honeſtate deficiunt. Cogitatio quippe eſt, quæ mentem ſicut turpis inquinat; ita, ſi fuerit honeſta, purificat. Hinc eſt, quod ille corporis fluxus, qui fit in dormientibus, ſine culpa, interdum vigilantibus contingat ex culpa. Aliud eſt, quod in dormiente fit; aliud, quod vigilans facit. Ibi naturaliter plenitudo humoris expellitur. Hîc turpiter concupiſcentia publicatur. Sed hæc concupiſcentia illis vigilantibus hunc elicit fluxum, quibus per fœda colloquia ſordidum commouerit appetitum.

De remedio Luxuriæ.

CAPVT XVII.

PAVLVS Apoſtolus terribiliter admonet, dicens: Qui habent vxores, tanquam non habentes ſint, &c.

Vxorem quippe quaſi non habendo habet, qui ſic per illam carnali conſolatione vtitur, vt tamen nunquam ad praua opera à melioris intentionis rectitudine, eius amore flectatur. Vxorem quippe quaſi non habendo habet, qui tranſitoria cuncta conſpiciens eſſe, curam carnis ex neceſſitate tolerat: ſed æterna gaudia ſpiritus ex deſiderio exſpectat. Vnde iterum dicit: de quibus ſcripſiſtis mihi: Bonum eſt homini, mulierem non tangere. Propter fornicationem autem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat: & vnaquæque ſuum virum habeat. Hoc autem dico, ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium. Culpa quippe eſſe innuitur, quod indulgere perhibetur: ſed quæ tanto citius relaxetur, quanto non poſt hanc illicitũ quid agatur. Sed hoc, quod eſt licitũ, moderamine non tenetur. Quod benè Loth in ſemetipſo exprimit, qui ardentem Sodomam fugit. Sed tamen Segor veniens, nequaquam mox montana conſcendit. Ardentem quippe Sodomam fugere eſt, illicita carnis incendia declinare. Altitudo verò eſt montium, munditia continentium. In monte ſtare, eſt, carnaliter non adhærere. Gregorii

At contrà admonendi ſunt, qui ligati coniugiis non ſunt, vt præceptis cœleſtibus eò rectius ſeruiant, quò eos ad curas mundi nequaquam iugum copulæ carnalis inclinat.

Admo-

Admonendi ſunt cœlibes, ne ſine damnatione miſceri ſe feminis vacantibus putent. Cùm enim Paulus fornicationem vitium tot criminibus exſecrandis inſeruit: cuius ſit reatus, indicauit, dicens: Neque fornicatores, neque idolis ſeruientes, neque molles, neque maſculorum concubitores: neq; fures, neq; auari, neq; ebrioſi, néq; maledici, neq; rapaces regnum Dei poſſidebunt. Et rurſum: Fornicatores, & adulteros iudicabit DEVS. At contra admonendi ſunt peccata carnis ignorãtes, vt tanto ſolicitius præcipitem ruinam metuant, quanto altius ſtant. Quibus per Ioannem dicitur: Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati. Hi, ſequuntur agnum, quocunque ierit. Quapropter cùm cœperit animus ad delectationem carnis inclinare, oportet timorem iudicii ad mentem reducere, pœnaſque infernalium, vbi nemo, niſi obnoxii retruduntur, ſolicitè cogitare: quæ nam pœna iniuſtis ſit reddenda æternis ſuppliciis. Vnde ſcriptum eſt: Mittite eos in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor dentium: vbi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non exſtinguetur.

Proſper. Quid excuſationis obtendere poterimus, quid faciamus ſub tanti iudicis maieſtate in illa die? qua nos defenſionis arte purgabimus? quæ nobis ſubuentura eſt pœnitentia, quam in hac carne contempſimus? Hæc multa, & his ſimilia cogitare nihil eſt aliud, quàm vitiis omnibus repudium dare, & omnia blandimẽta carnalia refrenare.

Sed quia de octo principalibus vitiis, eorumq; remediis, prout largitor omnium bonorum dedit: ex ſanctorum Patrum ſententiis ſtilus noſtræ deſcriptionis colligendo perſtrinxit: libellus finem excipiat, vt in ſequenti opere, de virtutibus, vnde hîc pauca tetigimus, donante Domino plenius diſputemus.

Explicit Liber primus.

INCIPIT LIBER II.

SVperiori libro rationem vitiorum principalium octo complexus, pro viribus, quas Dominus donare dignabitur, de actuali, & cõtemplatiua vita, nec non, & virtutibus, vti promiſi, ex Patrum dictis colligere curaui.

CAP. LIBRI SECVNDI.

I. *De vita actiua.*
II. *De vita contemplatiua.*

Digitized by Google

III. De fide.
IV. De Spe.
V. De charitate.
VI. De virtute.
VII. De prudentia.
VIII. De iuſtitia.
IX. De fortitudine.
X. De temperantia.

De vita actiua.

CAPVT I.

ACtualis eſt vita conuerſatio religioſa, quæ edocet, quomodo præpoſiti ſub ſe regant viuentes, & diligant, hac, non minus de eorum ſalute, quàm de ſua ſoliciti, quod eis expedire ſciunt, paterna cura prouideant: & qualiter Præpoſito ſuo ſubiecti, tanquam capiti membra deſeruiant, ac præcepta eius, velut imperium DEI, ſummo amore cuſtodiant. Ipſa namq; actualis vita panem eſurienti tribuit: Verbo ſapientiæ neſcientem edocet: errantem corrigit: ad humilitatis viam ſuperbientem proximum reuocat: infirmantis curam gerit: quæ ſingulis quibusq; expediant, diſpenſat: & commiſſis, qualiter ſubſiſtere valeant, ſolicitè prouidet. Quæ cùm & in præſenti fiunt, & cum corpore deficiunt, attamen merces huius vitæ permanet in æternum.

Proſper.

De vita contemplatiua.

CAPVT II.

COntemplatiua vita à contemplando, id eſt, à videndo, nomen accepit: in qua, creatorem ſuum creatura intellectualis, ab omni peccato purgata, atq; ex omni parte ſanata, viſura eſt. Sed etſi diligenter conſiderare velimus in hoc fragili tabernaculo, vbi quotidiè ingemiſcimus, contemplatiuæ vitæ quodammodo participes fieri poſſumus, nemo quis dubitet. quia * Eccleſiarum principes vitæ contemplatiuæ poſſe, & debere fieri ſectatores. quia ſiue ſecundum quorundam opinionem, nihil aliud ſit vita contemplatiua, quàm rerum latentium, futurarumq; notitia: ſiue vacatio ab omnibus occupationibus mundi: ſiue diuinarum ſtudium litterarum, non videtur quid impedi-

Proſper. Ex Proſp. lib. 1. de vita contempl. c. 1.

Hæc ex Proſp. ibi. cap. 13.

menti ſanctis ſacerdotibus poſſit afferri, quo minus ad virtutes nequeant peruenire. quorum cura eſt, ab occupationibus mundi aufugere, & diuinarum ſtudiis litterarum inhærere. Qui non torpent otio, ſed inſiſtunt perfectionis ſuæ negotio: Verbo DEI infatigabiliter vacant, ſapientes veraciter fiunt: cœleſtia ſapiunt: terrena deſpiciunt: obedientes inſtruunt, ſanctis virtutibus, quibus in dies ſingulos fiant Deo propinquiores, incumbunt. Quæ vita, per fidem, & ſpem, in præſenti incipit ſæculo, ſed in futuro permanet cum Domino.

De fide.

CAPVT III.

Proſper. *a Proſp. ex quo explicat Proſp. lib. 1. de vocat. gent. c. 24. & reſp. ad excerpta Genuenſis reſp. ad priora 3. dubia.*

FIdes verò iuſtitiæ eſt fundamentum: quam nulla opera bona præcedunt: ex *a* qua omnia procedunt. Ipſa, nos à peccatis omnibus purgat; mentes noſtras illuminat: DEO reconciliat; cunctis participibus noſtræ naturæ conſociat: ſpem nobis futuræ remunerationis inſpirat: Auget in nobis virtutes ſanctas, ac nos in earum profeſſione confirmat *b*. Ipſa quoque gradus * aſcenſionis eſt, per quam greſſus omnis tranſeuntis vitæ dirigitur: vt errores humanæ vitæ transfugiat, & ad cœleſtia ſecurus perueniat. quam ſacerdos noſſe debet, vt doceat: & populus credere ea, quæ docetur, intelligat: dicente Apoſtolo: niſi credideritis, non intelligetis. Vnde datur intelligi, quod non fides ex intellectu, ſed ex fide intellectus exiſtat: ac, per hoc, vt benè agat, quis intelligere ſtudeat, & vt intelligat, credat, debet doctor Eccleſiæ prædicare, quod audiat crediturus. quia ſine prædicatione, nullus erit auditus: ſcriptum eſt: Quomodo audient ſine prædicante? Verbum fidei prædicandum eſt, vt audiens credat, credens intelligat, & intelligens opus bonum perſeueranter exerceat. quoniam NEC OPERA SINE FIDE, NEC SINE OPERIBVS FIDES SOLA IVSTIFICAT. Et ideo, ſi corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Qui autem non crediderit, non habendo fidem, nec iuſtitiam cordis habere poterit, nec ſalutem.

b Huc vsq. ex Proſp. lib. 3. vit. cont. ca. 21. *M. S. Malè, accenſionis.* *Rom. 10. 14.*

Hebr. 11. Eſt autem fides, vt Apoſtolus ait, ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum, non apparentium. In hac enim teſtimonium conſequuti ſunt ſenes. Fide intelligimus apparata eſſe ſecula

Verbo

Digitized by Google

Verbo DEI, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent. Fide, *plurimam hoſtiam Abel quàm Cain obtulit. Fide, Enoch tranſlatus eſt, ne videret mortem. Fide, Abraham obtulit Iſaac, cum tentaretur, & quia ſicut idem ait Apoſtolus, ſine fide impoſſibile eſt placere DEO. Et iterum; Ex fide igitur iuſtificati pacem habeamus ad DEVM per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum: per quem & acceſſum habemus per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum DEI. M.S. plurimum. Heb. 11. 6. Rom. 5. 1.

De Spe.

CAPVT IV.

SPes dicitur, cum aliquid, quod promittitur, cum non videtur ſperatur, dicente Apoſtolo: ſpe enim ſalui facti ſumus. Spes autem, quæ videtur, non eſt ſpes. Nam quod videt quis, quid ſperat? Si autem, quod non videmus ſperamus, per patientiam exſpectamus. Et ideo ambulemus in ſpe proficientes de die in diem, & ſpiritu facta carnis mortificemus. Nouit enim Dominus qui ſunt eius. Et, quotquot ſpiritu DEI aguntur, hi filij ſunt DEI, ſed gratia, non natura. Vnicus enim natura filius DEI propter nos miſericordia factus eſt hominis filius, vt nos natura filij hominis, filij DEI per illum gratia fieremus. In actuali quippe vita in qua, per quem peregrinatur Eccleſia, fides, & ſpes ſunt adipiſcendæ cum caritatis laude. Vnde Apoſtolus ait: Nunc autem manet fides, ſpes, & caritas; maior autem horum eſt caritas. Et ideo maior; quia non cum mundo tranſit perituro. Sed hic incipit, & permanet in futuro. Proſper. Rom. 8. 24. Rom. 8. 13. Rom. 8. 14. 1. Cor. 13. 13.

De caritate.

CAPVT V.

IAm porrò caritas, quam duabus iſtis, id eſt fide, ac ſpe maiorē dixit Apoſtolus: quanto in quocunque maior eſt, tanto melior, in quo eſt. Cum enim quæritur, vtrum quisq; homo bonus ſit: non quæritur q̄d credat, aut ſperet: ſed q̄d amet. Nam, qui rectè amat, procul dubio rectè credit, & ſperat. Qui verò non amat, inaniter credit, etiamſi ſunt vera, quę credit; inaniter ſperat, etiamſi ad veram felicitatem doceantur pertinere, quæ ſperat: niſi hoc credat, & ſperet, quod ſibi petenti donari poſſit, vt amet. Per caritatem igitur bona omnia iuſtificantur, Auguſtinus.

Proſp. l. 3. in fine cap. 13. & init. 14. vit. cont.
1. Cor. 12. 31.
Proſper.
Ex Proſp. lib. 3. vit. cont. c. 13.

quæ creduntur, ac ſperantur. * Quam excellentiorem viam Apoſtolus nuncupat: ad quam non pedum via, ſed morum, eſt aſcendendum. Quia caritas eſt recta voluntas ab omnibus terrenis, ac præſentibus prorſus auerſa, iuncta DEO inſeparabiliter, & vnita igni quodam ſancti Spiritus, nullo vitio mutabilitatis obnoxia: Supra omnia, quę carnaliter diliguntur, excelſa, diuinæ contemplationis auida: in omnibus ſemper inuicta: mors criminum: vita virtutum. Quam Fides concipit; ad quam ſpes currit: cui profectus omnium ſeruit: ſine qua, nullus DEO placuit: cum qua, nec potuit aliquis peccare, nec poterit. Hæc eſt caritas vera, germana, perfecta, & omninò via, quę ducit per ſe ambulantes ad patriam. quia ſicut ſine via nullus poterit peruenire, quò tendit. Ita ſine caritate, quę dicta eſt via, non ambulare poſſunt homines, ſed errare. * Vnde Apoſtolus inquit; caritas, patiens eſt, benigna eſt; non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa; non quærit quæ ſua ſunt. Et iterum: Omnia ſuffert: omnia ſperat, omnia ſuſtinet. eos autem, in quibus fuerit, omnibus his bonis, quæ habet, impertit. Et, quid illis eſſe poteſt in hac vita perfectius, qui tantis abundant, caritate in ſe regnante, virtutibus? * Quapropter caritas hîc quidem in præſenti neceſſaria eſt, quæ nos ſeparat à diabolo, purificat à peccato, reconciliat DEO. Sed in futuro perfecta erit, cùm perfectos, DEO, à quo eſt donata, coniunxerit.

** Hucuſq; ex Proſp. c. 13. ib.*
1. Cor. 13.
Hucuſq; ex Proſp. c. 14. ib.

De Virtute.

CAPVT VI.

** Forè, principalibus, id eſt, cardinalibus.*
Proſper.
Ex Proſp. lib. 3. vit. cont. c. 16.
** Proſp. formantur informia.*
** Proſp. auerſa.*
Hucuſq; ex Proſp. c. 16. ib.

PORrò antequam de principalium virtutibus quatuor dicatur aliquid: primò indagatione veritatis ſcire oportet, quid ſit, aut quare virtus dicatur, quæ in tanto nominis præcellit honore, vt nulla, quamuis videantur recta, ſine virtute, DEO fiant acceptabilia.

Virtus namq; omnis ſancta res eſt, diuina, incorporea prorſus, atq; mundiſſima: quam mentes inquinatæ non inquinant, ſed ipſa inquinatos emaculat: cuius participatione * firmantur infirma, ſuſcitantur mortua, ſanantur infirma, corriguntur praua, reconciliantur * aduerſa. Hanc non habet, niſi DEVS, & is, cui dederit DEVS. Quæ, in animo habitat, ſed animam, corpuſq; ſanctificat. Ad quam, nullus accedit inuitus: quam nullus amittit, niſi propria voluntate deceptus. De qua rurſum aliâs dicitur. * Virtus quoq; animi, habitus eſt naturæ, decuſq; vitę, ratio morum, pietatis cultus, diuinitatis honor, & æternæ beatitudinis meritum. Cuius partes ſunt, vt diximus, principales quatuor; Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia.

De

Digitized by Google

De Prudentia.

CAPVT VII.

PRudentia eſt rerum diuinarum, humanarumq; prout homini datum eſt, ſcientia. Inqua intelligendum eſt, quid carendum ſit, quidue faciendum. Vnde Pſalmiſta loquitur: Diuerte à malo, & fac bonum. Quia, nulla melior ſapientia, quàm ipſa, qua DEVS, ſecundum humanæ mentis modulum intelligitur, & timetur, atq; eius futurum creditur iudicium: vbi bona boni, mala verò mali pro meritorũ qualitate recipiunt. *Pſal. 33.*

Prudentiam igitur, & ſapientiam pleriq; in indagatione veri, & inuentione conſtituunt. Propterea quod nec ſapiens dici rectè poſſit, cui deeſt prudentia. nec prudens, cui deeſt ſapientia. Quapropter ſi nihil aliud prudentiæ, ac ſapientiæ munus accipitur, niſi inquiſitio, & compræhenſio veritatis: qui veritatem prudenter quærere, & ſapienter inuenire potuerit, is prudens, is ſapiens iure vocabitur. Et quidquid de prudentia fuerit diſputatum, id totum de ſapientia poſſit intelligi. *Ex Proſp. ib. cap. 30.*

Qui ergò prudentiæ participatione prudentes effecti, DEO ſuo non pedibus, ſed ſanctis moribus appropinquant, ex ea parte, qua ſunt DEI dono prudentes, nec ſuo perire poſſunt, nec alieno peccato. Ex eo autem, quod necdum ita eſt eorum perfecta prudentia, ſicut erit in illa vita, vbi perfectè viuentibus vllus error omnino obrepere non poterit. Etiam prudentes aliquoties peccatis fallentibus adquieſcunt, non voluntate deprauati, ſed humano errore, vt homines lapſi: nec adhuc tota prudentiæ, ac ſapientię perfectione perfecti, ſicut ibi erunt, vbi nec ignorare aliquid, nec peccare iam poſſunt. Tales Dominus in Euangelio fieri præcepit dicens: Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices, ſicut columbæ. quia nec ſimplices circumuenire aliquos poſſunt: nec prudentes ſe circumueniri permittunt. Quandoquidem hæc virtus multum à vitio ſecularis, ac mundialis prudentiæ diſtat: quod illud, corrumpit ſana: hæc verò ſanat * vitia, acceſſione corrupta: ac ſic omnibus, quibus poteſt, prodeſſe feſtinat veraciter prudens: vt eius meritis omnium, qui per eum Domino adquiruntur, fructus accreſcat. * ſed quoniam ordo diſputationis depoſcit, vt etiam de prudentia, quæ principalis eſt virtus, primo poneretur in loco, reſtat quoque, quid ſit Iuſtitia, aperire. *Matth. 10.* ** Proſp. ſanat vitia acceſſione corrupta. Huc uſq; ex Proſp. cap. 30. ib.*

Digitized by Google

De iuſtitia.

CAPVT VIII.

IVſtitia eſt animi nobilitas, vnicuique rei propriam tribuens dignitatem. In hac, diuinitatis cultus, & humanitatis iura, & iuſta iudicia, & æquitas totius vitæ conſeruatur. Quid enim iuſtius, quam DEVM diligere, eiusque mandata cuſtodire? per quem, dum non fueramus, creati ſumus: dum perditi fuimus, recreati ſumus, & à ſeruitute diabolica liberati: Qui nobis omnia bona, quę habemus, conceſſit.

Proſper. Ipſa quippe iuſtè, ac rationabiliter dicitur iuſtitia, qua fiunt iuſti, qui eam fuerint operati. *a* Ex qua manat æquitas, quæ nos facit, vt omnium neceſſitates hominum, noſtras eſſe dicamus. Nec nobis tantum, ſed etiam generi humano nos natos eſſe credamus.

a Ex Proſp. lib. 3. vit. cont. c. 22.

b Quapropter ſi in hac vita iuſtitiam conamur implere, cuius iuſtitiæ opus proprium ſua cuique tribuere, DEO nos, à quo ſumus facti, reddamus, nec dominari nobis ea, quibus ſumus naturaliter præpoſiti, permittamus. Dominetur vitiis ratio: ſubiiciatur corpus animo; animus DEO: & impleta eſt hominis iuſtitia, totaq; perfectio. *c.*

b Hucusq; ex Proſp. cap. 22.

c Hucusq; ex Proſp. ibid. ca. 26.

De iuſtitiæ adhuc fonte procedunt, liberalitas, beneficentia, caritas, & cetera huiusmodi, quibus multipliciter iuuari homines poſſunt. Liberalitas eſt, quæ etiam in eos, qui nihil indigere videntur, exuberat. In qua liberalitate rei familiaris ponitur amplitudo. Beneficentiæ multa ſunt opera, quibus neceſſitati laborantium, miſericorditer ſubuenitur: & de terreno cenſu regni cœleſtis hæreditas comparatur. *d.*

d Hucusq; ex Proſp. ib. c. 24.

De fortitudine.

CAPVT IX.

FOrtitudo eſt magna animi patientia, & longanimitas, & perſeuerantia in bonis operibus, & victoria contra omnium vitiorum genera.

Proſper. Animi igitur fortitudo ea debet intelligi, quæ non ſolum diuerſis pulſata moleſtiis inconcuſſa permaneat, ſed etiam nullis voluptatum illecebris reſoluta ſuccumbat. alioquin ſi impetus quidem malorum ſęuientium frangat, ſi calamitatibus quibuſlibet impactis obſiſtat: ſi inter iniuriarum ſæua, inter procellas angentium preſſurarum, inter inimicitias, & damna præſentia, atque multimodas perſe-

perſequutiones, infatigata perſiſtat. Eos autem, quos ad tolerantiam paſſionum fortes DEI caritas reddit: nulla delectatio carnis, nulla voluptas malè blanda corrumpit. quia animi fortitudo ab illo eſt nobis, cui cum Propheta cantamus: Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem: Fortitudo noſtra eſt, quia ita nos contra omnia vitia inuicta protectione corroborat, vt animum noſtrum nec blanda diſſoluant, nec aduerſa deiiciant; & tunc laus noſtra Dominus fit: ſi non nos de muneribus DEI, ſed diuina in nobis cupiamus munera prædicari. Et vtique animi fortitudo tam deſperandi ignauiam debet excutere, quàm iactantiæ contraire. *c* Et quid hac fortitudine melius eſt, quàm diabolum vincere, omneſq; eius ſuggeſtiones ſuperare, & aduerſa mundi pro DEI nomine fortiter tolerare? *Eſai. 12.* *c Hucuſq; ex Proſp. ib. c. 20.*

De temperantia.

CAPVT X.

TEmperantia eſt totius vitæ modus, ne quid nimis homo vel amet, vel odio habeat, ſed omnes vitæ huius varietates conſiderata temperet diligentia. Vnde quidam Philoſophorum ait, apprimè in vita eſſe vtile, vt ne quid nimis.

Temperantia igitur temperantem facit, abſtinentem, parcum, ſobrium, moderatum, pudicum, tacitum, ſerium, verecundum. Hæc virtus ſi in animo habitat, libidines frenat, affectus temperat, deſideria ſancta multiplicat, vitioſa caſtigat, omnia intra nos confuſa, ordinat: ordinata corroborat, cogitationes prauas remouet, inſerit ſanctas, ignem libidinoſæ voluptatis exſtinguit: omnemq; intemperantiam noſtram ad honeſtum modum redigit in cibo ipſo, & potu, vt contenti ſimus appoſitis. *Proſper.*

Temperantiæ eſt, quod reuerentiam ſenioribus exhibemus, æquales germanitus honoramus: iunioribus gratiam paternæ dilectionis impendimus.

a Itaque *b* difficile quidem eſt nomina virtutum, quæ ex iſtis quatuor principalibus oriuntur, oſtendere. Veruntamen hoc noſſe, & tenere debemus: quod iſtæ virtutes quatuor, vel omnes, quæ ex illis exiſtũt, dona ſunt DEI. Et quod nullus eas habet, aut habuit, vel habebit, niſi cui DEVS, qui eſt virtutum omnium proprietas, & origo contulerit. *a Hucuſq; ex Proſp. lib. 3. vit. cont. c. 19. b Sequentia ex Proſp. c. 18.*

c Principales ergò quatuor eſſe virtutes, non ſolum Philoſophi ſenti- *c Sequẽtia ex Proſp. ib. c. 18.*

ſentiunt, ſed etiam noſtri conſentiunt. quia, quaternarium numerum perfectionis ſacratum penè nullus ignorat. Siquidem totus orbis, oriente, occidente, aquilone & meridie, quatuor terminari partibus inuenitur. Et ipſe Adam, qui eſt humani generis pater, vel generale nomen, quod dicitur homo, quatuor literis explicatur. Corpus quoq; quatuor elementis exſtructum, quaternarij numeri in ſe continet ſacramentum. Ipſius etiam animæ quatuor eſſe affectiones, quibus vel ad bona vtimur, vel ad mala. Quatuor etiam flumina, quæ de paradiſi fonte procedunt, vel quatuor Euangelia. Et ideo virtutes iſtæ, quæ tantum continent perfectionis in numero, ſolicitè conſiderare debem⁹, quantam ſanctitatem conferant animo Chriſtiano: & quàm nihil perfectionis * vnquam ſit, quod in iſtis virtutibus non ſit. Nam ſi prudentia prudentẽ, Iuſtitia iuſtũ, temeprantia temperantẽ facit; eò quod prudenter, & iuſtè, & fortiter, ac temperanter agit, nihil eſt, quod poſſit eſſe perfectius. *Quapropter ſicut ex elementorũ numero quaternarii cõpago mundi, nec nõ & corpora humana perficiunt, quibus inſunt venę, neruiq;, ac cætera * corporis vtilia. Ita principaliũ numero virtutũ oĩa quæcunq; rectè viuendi ſunt inſtituta, nemo quis dubitet eſſe cõnexa.

Gen. 2.

Proſp. vnquam ſit.

Hucusq; ex Proſp. c. 18.

* Fortè corpori.

Hæ ſunt enim à ſacratiſſimis viris virtutes expoſitæ, quas ſacerdotes Domini, qui iura tenent Eccleſiæ, nec non ligandi, atq; ſoluendi habentes poteſtatem, intentè debent intelligere, ac frequentius prædicare, vt populus careat vitiis, & opitulante ſuperno adiutorio conetur pro viribus quiſq; inhærere virtutibus. Satis, vt opinor, ex tribus gradibus, cœleſtium ſcilicet, Fide, & Spe, & Caritate; nec non & virtutibus quatuor, quibus ad culmina virtutum aſcenditur, eſt diſputatum. Nunc iam qualiter vnumquodq; iudicio ſacerdotali purgandum ſit vitium, breuiter eſt in ſequentis operis libello inſerendum.

Explicit lib. II. de virtutibus.

INCIPIT LIBER DE ORDINE pœnitentium.

CAP. LIB. III.

I. *Vt pœnitentiæ tempora, iuxta qualitatem peccati decernantur.*

II. *Quod nulli ſit vltima pœnitentia neganda.*

Digitized by Google

III. De his, qui neceſſitate mortis vrgente, pœnitentiam ſimul, & viaticum petunt: de his, qui obmuteſcunt, antequam ad eos ſacerdos daturus pœnitentiam accedat.

IV. De his qui pœnitentiam agere differunt.

V. Quod oporteat eum, qui ab illicitis veniam poſcit, etiam à multis licitis abſtinere.

VI. Quod pœnitenti nulla lucra negotiationis exercere conueniat.

VII. Quod ad militiam ſæcularem poſt pœnitentiam redire non debeant.

VIII. De his, qui pœnitentiam minimè ſeruauerunt.

IX. De remedio pœnitentiæ; & quod abſolutio pœnitentûm per manuum impoſitionem Epiſcoporum ſupplicationibus fiat.

X. De his qui communionem tempore mortis expoſcunt: aut ſi deſperatus, & conſequutus communionem, iterum conualuerit.

XI. De pœnitentibus, vt à presbyteris non reconcilientur, niſi præcipiente Epiſcopo.

XII. De eadem re.

XIII. De tempore remiſſionis pœnitentiæ.

XIV. De communione priuatis, & ita defunctis.

XV. De his, qui pro diuerſis erratis pœnitudinem feruentius exegerunt.

XVI. De Epiſtola S. Iacobi Apoſtoli, in qua pro infirmis orare præcipitur, & vngere oleo.

VT POENITENTIÆ TEMpora iuxta qualitatem peccati decernantur.

CAPVT I.

POenitentibus ſecundum differentiam peccatorum Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur. *Ex Concilio Africano.*

Item in eodem.

SAcerdos pœnitentiam imploranti abſq; perſonæ acceptione pœnitentiæ leges iniungat.

Quod nulli ſit vltima pœnitentia deneganda.

CAPVT. II.

Ex Epiſt. Papæ Cœleſtini c. 15.

Vide notas Antonij Auguſtini in Rabani Pœnitent.

VEra ergo ad DEVM conuerſio in vltimis poſitorum, mente potius eſt æſtimanda, quàm tempore: Propheta hoc taliter aſſerente: cum conuerſus ingemueris, tunc ſaluus eris. Cum ergò Dominus ſit cordis inſpector, quouis tempore non eſt deneganda pœnitentia poſtulanti, cum illi ſe obliget iudici, cui occulta omnia nouerit reuelari.

De his, qui neceſſitate mortis vrgente pœnitentiam ſimul & viaticum petunt; & de his, qui obmuteſcunt, antequam ad eos ſacerdos daturus pœnitentiam accedat.

CAPVT III.

Ex Epiſt. Papæ Leonis ad Theodorum Epiſcopum.

ITa ergò talium neceſſitati auxiliandum eſt, vt nec actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur: ſi eam etiam amiſſo vocis officio, per indicia integri ſenſus quærere comprobentur. Quod ſi ita aliqua ægritudine fuerint aggrauati, vt quod paulò ante poſcebant, ſub præſentia ſignificare non valeant, teſtimonia eis fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt. Simul tamen, & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium conſequantur.

De his, qui pœnitentiam agere differunt.

CAPVT IV.

In decreto Leon. Papæ cap. 21.

DIſſimulatio poteſt nō contemptu eſſe remedij, ſed de metu grauius delinquendi. Vnde pœnitentia, quæ dilata eſt, cum ſtudioſius petita fuerit, non negetur: Vt quo modo ad indulgentiæ medicinam anima vulnerata perueniat.

Quod

Digitized by Google

Quod oporteat eum qui ab illicitis veniam poſcit, etiam à multis licitis abſtinere.

CAPVT V.

ALiud quidem eſt, debita iuſta repoſcere: aliud, propria perfectionis amore contemnere. Sed illicitorum veniam poſtulantem oportet etiam à licitis abſtinere, dicente Apoſtolo: Omnia licent, ſed non omnia expediunt. Vnde, ſi pœnitentes habent cauſam, quam negligere forte non debeant, melius expetit quis Eccleſiaſticum, quàm forenſe iudicium. *In decretali eiuſdem.*

Quod pœnitenti nulla lucra negotiationis exercere conueniat.

CAPVT VI.

QValitas negotiantium aut excuſat, aut arguit, quia eſt honeſtus quæſtus, & turpis. Veruntamen pœnitenti vtilius eſt diſpendia pati, quàm periculis negotiationis adſtringi. Quia difficile eſt inter ementis, vendentiſque commercium non interuenire peccatum. *In eodem cap. 23.*

Quod ad militiam ſæcularem poſt pœnitentiam redire non debeant.

CAPVT VII.

COntrarium eſt omninò Eccleſiaſticis regulis, poſt pœnitentiæ actionem redire ad militiam ſecularem, cum Apoſtolus dicat: Nemo militans DEO, implicat ſe negotiis ſecularibus. Vnde non eſt liber à laqueis diaboli, qui ſe in militiam mundanam voluerit implicare. *In eodem Concilio. cap. 24.*

De his qui pœnitentiam minimè ſeruauerunt.

CAPVT VIII.

HI verò, qui acta pœnitentia, tanquam canes ac ſues ad vomitus priſtinos, & volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & noua coniugia, & inhibitos denuo appetiuere concubitus: quorum profeſſam incontinentiam generati, poſt abſolutionem filij prodiderunt. De quibus, quia iam ſuffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, vt ſola, intra *In decretali Siricij Papæ. c. 5.*

Digitized by Google

Eccleſiam fidelibus oratione iungantur ſacræ myſteriorum celebritati, quamuis non mereantur, interſint. A Dominicæ autem menſæ conuiuio ſegregentur: vt hac ſaltem diſtrictione correpti, & ipſi in ſe ſua errata caſtigent: & aliis exemplum tribuant: quatenus ab obſcenis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cùm ad Dominum cœperint proficiſci, per communionis gratiam volumus ſubueniri. Quam formam, & circa mulieres, quæ ſe poſt pœnitentiam talibus pollutionibus deuinxerunt, ſeruandam eſſe cenſemus.

De remedio pænitentiæ, & quod abſolutio pænitentium per manuum impoſitionem Epiſcoporum ſupplicationibus fiat.

CAPVT IX.

In decretali Leonis Papæ, ad Theodorum Foroiulienſem Epiſcopū.

His autem, qui in tempore neceſſitatis, & in periculis vrgentis inſtantiæ, præſidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant: nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda. quia miſericordiæ Dei nec menſuram poſſumus ponere, nec tempora definire. apud quem nullas patitur venire moras conuerſio, dicente Dei Spiritu per Prophetam: Cum conuerſus ingemueris, tunc ſaluus eris. Et alibi: Dic iniquitates tuas prior, vt iuſtificeris. Item, quia apud Dominum miſericordia eſt, & copioſa apud Devm redemptio. In diſpenſandis itaque Dei donis, non debemus eſſe difficiles, nec ſe accuſantium gemitus, lacrimaſque negligere, cùm ipſam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inſpiratione contentam, dicente Apoſtolo: Ne forte det illis Devs pœnitentiam, vt reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem.

De his, qui communionem tempore mortis expoſcunt: aut, ſi deſperatus, & conſequutus communionem iterum conualuerit.

CAPVT X.

Ex concilio Niceno cap. 13.

De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua, regulariſque ſeruabitur: ita, vt ſi quis egreditur corpore, vltimo, & neceſſario

ceſſario viatico minimè priuetur. Quod ſi deſperatus, & conſequutus communionem, oblationiſque particeps factus, iterum conualuerit, ſit inter eos, qui communionem orationis tantummodò conſequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi communionis gratiam tribui. Epiſcopus probabiliter ex oblatione dare debebit.

De pœnitentibus, vt à presbyteris non reconcilientur, niſi præcipiente Epiſcopo.

CAPVT XI.

VT pœnitentibus ſecundum differentiam peccatorum Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur: & vt presbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet pœnitentem, niſi abſentia Epiſcopi neceſſitate cogente. Cuiuscunq; autem pœnitentis publicum, & vulgatiſſimum crimen eſt, quod vniuerſam Eccleſiam commouerit, ante abſidam manus ei imponatur. *Ex Concilio Carthaginenſi. cap. 10.*

De eadem re.

CAPVT XII.

AVrelius Epiſcopus dixit: ſi quiſquam in periculo fuerit conſtitutus: & ſe reconciliari diuinis altaribus petierit: ſi Epiſcopus abſens fuerit, debet vtiq; presbyter conſulere Epiſcopum, & ſic periclitãtem eius præcepto reconciliare. quam rem debemus ſalubri conſilio roborare. *In concilio Carthaginenſi. c. 7.*

De tempore remiſſionis pœnitentiæ.

CAPVT XIII.

DE pœnitentibus autem, qui, ſiue ex grauioribus commiſſis, ſiue ex leuioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interueniat ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat. Cæterum de pondere æſtimando delictorum ſacerdotis eſt iudicare, vt attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus, atque lacrimas corrigentis, actum iubere dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem. Sanè ſi quis ægritudinem inciderit, atque vsque ad deſperationem deuenerit, ei eſt ante tempus Paſchæ relaxandum, ne de hoc ſeculo abſque communione diſcedat. *Ex decretali Papæ Innocentij. cap. 7.*

De communione priuatis, & ita defunctis.

CAPVT XIV.

Ex Epiſt. Papæ Leonis, ca. 10.

HOrum cauſa iudicio reſeruanda eſt: in cuius manu fuit, vt talium obitus vſque ad communionis remedium differatur. Nos autem, quibus viuentibus non communicauimus, mortuis communicare non poſſumus.

De his, qui pro diuerſis erratis pœnitudinem feruentius exegerunt.

CAPVT XV.

Ex Concilio Laodicenſi, ca. 11.

DE his, qui diuerſis facinoribus peccauerunt, & perſeuerantes in oratione, confeſſionis, & pœnitentiæ, conuerſionem à malis omnibus habuere perfectam pro qualitate delicti, talibus pœnitentiæ tempus impenſum propter clementiam, & bonitatem DEI communio concedatur.

De Epiſtola S. Iacobi Apoſtoli, in qua pro infirmis orare præcipitur, & vngere oleo.

CAPVT XVI.

Innocentij Papæ ca. 8.

IAcobus Apoſtolus ſcripſit: Infirmatur quis in vobis, inducat preſbyteros, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei ſaluabit infirmum, & ſuſcitabit illum Dominus. Et, ſi in peccatis fuerit, remittentur ei. Quod non eſt indubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere. Qui ſancto oleo perungi poſſunt, quod ab Epiſcopo confectum, non ſolum ſacerdotibus, ſed omnius vtique Chriſtianis in ſua, aut ſuorum neceſſitate vngendum. Nam idcirco preſbyteris dictum eſt, quia Epiſcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non poſſunt. Cæterum ſi Epiſcopus poteſt, aut dignum ducit à ſe viſitandum, & benedicere, & tangere Chriſmate ſine cunctatione poteſt, cuius eſt ipſum Chriſma conficere. Nam pœnitentibus iſtud fundi non poteſt, quia genus eſt ſacramenti. Nam quibus reliqua ſacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur poſſe concedi.

Explicit liber de ordine pœnitentium.

Digitized by Google

INCIPIT LIBER QVARTVS.
DE IVDICIO POENITENTIVM
laicorum.

SAnè quia de liuore inuidiæ, & de ira & de libidine, nec non de auaritia, vt ſuperius digeſtum eſt, oriuntur homicidia: rectè, vt arbitror, cenſuim', de ipſo vitio primum qualiter ſacerdotali iudicio canonicè penitus ſit corrigendum, oſtendere. Ac deinde ſecundum ordinem vitiorum ita remedium ſubſequatur, quò facilius vndecunq; pœnitens purgari voluerit, ſine dilatione in ſingulis inueniatur.

CAP. LIB. IV.

I. *De homicidiis ſponte commiſſis.*

II. *De his, qui non ſponte homicidium commiſerunt.*

III. *De his, qui partus ſuos ex fornicatione diuerſis modis interimunt.*

IV. *De his, qui ſeruos ſuos extra iudicem necant.*

V. *Si Domina per zelum ancillam occiderit.*

VI. *De his, qui ſibi quacunq; neligentia mortem inferunt, & de his qui pro ſuis ſceleribus puniuntur.*

VII. *De his, qui fornicantur irrationabiliter, id eſt, qui miſcentur pecoribus, aut cum maſculis polluuntur.*

VIII. *De his qui in pecudes, vel in maſculos, aut olim polluti ſunt, aut hactenus hoc vitio tabeſcunt.*

IX. *De his, qui adulteras habent vxores. vel ſi ipſi adulteri comprobantur.*

X. *De his, qui vxores, atq; viros dimittunt, vt ſic maneant.*

XI. *Quod his, qui intercedente repudio, diuortium pertulerunt, aliisque ſe iunxerant nuptiis, adulteri eſſe monſtrentur.*

XII. *Qui vxorem habent, & ſimul concubinam.*

XIII. *Si cuius vxor adulterium fecerit, aut vir in alienā irruerit.*

XIV. *De his, quæ duobus fratribus nupſerit, vel qui duas ſorores acceperunt vxores.*

XV. Quod

Digitized by Google

XV. *Quod non liceat alterius ſponſam ad matrimonii iura ſortiri.*
XVI. *De raptoribus.*
XVII. *De his, qui rapiunt puellas.*
XVIII. *De deſponſatis puellis, & ab aliis corruptis.*
XIX. *De virginibus velatis, ſi deuiauerint.*
XX. *De virginibus non velatis, ſi deuiauerint.*
XXI. *De his, qui proximis ſe copulant, vt à communione Chriſti ſeparentur.*
XXII. *Gregorius de inceſtis.*
XXIII. *De his, qui diuinationes expetunt.*
XXIV. *Quod non liceat Chriſtianis obſeruationes diuerſas attendere.*
XXV. *De auguriis.*
XXVI. *De periurio.*
XXVII. *De furto.*
XXVIII. *De falſis teſtibus.*
XXIX. *De diſcordantibus.*
XXX. *De his, qui per odium ad pacem non reuertuntur.*
XXXI. *De his, qui Sacramento ſe obligant, ne ad pacem redeant.*
XXXII. *Quod vſuram laici Chriſtiani exigere non debent.*

DE HOMICIDIIS SPONTE COMMISSIS.

CAPVT I.

Ex concil. Ancyrano. cap. 21.

QVi voluntariè homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem iugiter ſe ſubmittant: perfectionem verò circa vitæ exitum conſequantur.

De his, qui non ſponte homicidium commiſerunt.

CAPVT. II.

In eodem concilio. cap. 22.

DE homicidiis non ſponte commiſſis, prior quidem definitio poſt

poſt ſeptennem pœnitentiam perfectionem conſequi præcepit. Secunda verò quinquennii tempus explere.

De his, qui partus ſuos ex fornicatione diuerſis modis interimunt.

CAPVT III.

DE mulieribus, quæ partus ſuos necant, vel quæ agunt ſecum, vt vtero conceptus excutiant. Antiqua quidem definitio, vſque ad exitum vitæ eas ab Eccleſia remouet. Humanius autem nunc definimus, vt eis decem annorum tempus ſecundum præfixos gradus pœnitentiæ largiamur.

De his, qui ſeruos ſuos extra iudicem necant.

CAPVT IV.

SI quis ſeruum proprium ſine conſcientia iudicis occiderit, excommunicationem, vel pœnitentiam biennii, reatum ſanguinis emundabit. *Ex Concilio Agathenſi cap. xxxv.*

Si domina per zelum ancillam ſuam occiderit.

CAPVT V.

SI qua femina furore zeli accenſa, flagellis verberauerit ancillam ſuam, ita vt infra diem tertium animam cruciatu effundat. Et quod incertum ſit, voluntate, an caſu occiderit. Si voluntate, poſt ſeptem annos: ſi caſu, per quinquennii tempora, ac legitimè pœnitentia à communione placuit abſtineri. Quod ſi intra tempora conſtituta fuerit infirmata, accipiat communionem. *Ex Concilio Eliberitano. ca. v.*

De his, qui ſibi quacunq; negligentia mortem inferunt: & de his, qui pro ſuis ſceleribus puniuntur.

CAPVT VI.

PLacuit, vt hi, qui ſibi ipſis, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, vel quolibet modo violentè inferunt mortem: nulla illis in oblatione commemoratio fiat: Neque cum Pſalmis ad ſepulturam eorum cadauera deducantur. Multi etiam ſibi per ignorantiam hoc vſurparunt. Similiter & de his placuit, qui pro ſuis ſceleribus puniuntur. *Ex Cōcilio Bracarenſi cap. vi.*

De Luxuria.

CAPVT VII.

De his, qui fornicantur irrationabiliter, id eſt, qui miſcentur pecoribus, aut cum maſculis polluuntur.

Digitized by Google

Ex Cōcilio Ancyrano. cap. xv.

DE his, qui irrationabiliter verſati ſunt, ſiue verſantur; quotquot ante viceſimum annum tale crimen commiſerint, quindecim annis exactis in pœnitentia, communionem mereantur orationum. Deinde quinquennio in hac communione durantes, tunc demum oblationis ſacramenta contingant. Diſcutiatur autem & vita eorum, qualis tempore pœnitudinis extiterit: & ita miſericordiam cōſequantur: Quod ſi inexplebiliter his hæſere criminibus, ad agendam pœnitētiam prolixius tempus inſumant. Quotquot autem peracta viginti annorum ætate, vxores habentes, hoc peccato prolapſi ſunt, viginti quinq; annis pœnitudinem gerentes in communione ſuſcipiantur orationum. In qua, quinquennio perdurantes, tunc demum oblationis ſacramenta percipiant. Quod ſi & vxores habentes, & tranſcendētes quinquageſimum annum ætatis, ita deliquerint, ad exitum vitæ, communioris gratiam conſequantur.

De his, qui in pecudes, vel in maſculos, aut olim polluti ſunt, aut hactenus hoc vitio tabeſcunt.

CAPVT VIII.

Ex Cōcilio Ancyrano. cap. xvi.

EOs, qui irrationabiliter vixerunt, & lepra inceſti criminis alios polluerunt, præcepit ſancta ſynodus inter eos orare, qui ſpiritu periclitantur immundo.

De his, qui adulteras habent vxores, vel, ſi ipſi adulteri comprobantur.

CAPVT IX.

Ex Cōcilio Ancyrano. cap. xviii.

SI cuius vxor adulterata fuerit, vel ſi ipſe adulterium commiſerit, ſeptem annorum pœnitentia oportet eum perfectionem conſequi, ſecundum priſtinos gradus.

De his, qui vxores, aut quæ viros dimittunt, vt maneant ſic.

CAPVT X.

Ex Cōcilio Africano. cap. lxix.

PLacuit, vt ſecundum Euangelicam, & Apoſtolicam diſciplinam, neq; dimiſſus ab vxore, neq; dimiſſa à marito, alteri coniungatur. Sed ita maneant, aut ſibimet reconcilientur. Quod ſi contempſerint, ad pœnitentiam redigantur.

Quod hi qui intercedente repudio diuortium pertulerunt, aliiſq; ſe iunxerunt nuptiis, adulteri eſſe monſtrentur.

CAPVT XI.

Qui

Digitized by Google

QVi verò vel vxore viuente, quamuis diſſociatum videatur eſſe coniugium, ad aliam copulam feſtinarunt, neq; poſſunt adulteri non videri: in tantum, vt etiam hæ perſonæ, quibus tales coniuncti ſunt, etiam ipſæ adulterium commiſiſſe videantur: ſecundum quod legimus in Euangelio: qui dimiſerit vxorem ſuam, & duxerit aliam, mœchatur. Similiter, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur. Et ideò omnes à communione fidelium abſtinendos. De parentibus autem aut propinquis eorum, nihil tale ſtatui poteſt, niſi incentores illiciti conſortii fuiſſe detegantur. *In decretali Innocent. Pap. cap. xxvi.*

Qui vxorem habet, & ſimul concubinam.

CAPVT XII.

DE eo, qui vxorem habet, ſi concubinam habuerit, non communicet. Cæterum is, qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habet, à communione non repellatur. Tantum aut vnius mulieris, aut vxoris, aut concubinæ, vt ei placuerit, ſit coniunctione contentus. Aliâs verò viuens abiiciatur, donec deſinat, aut ad pœnitentiam reuertatur. *Ex Cõcilio Toletano, cap. lxxxi.*

Si cuius vxor adulterium fecerit, aut vir in alienam irruerit.

CAPVT XIII.

SI cuius vxor adulterium fecerit, aut vir in alienam irruerit, ſeptem annos pœnitentiam agat. *Ex Cõcilio Bracarẽſi.*

De his, quæ duobus fratribus nupſerint, vel qui duas ſorores, vxores acceperint.

CAPVT XIV.

MVlier, ſi duobus fratribus nupſerit, abiiciatur vſque ad mortem. Veruntamen in exitum, propter miſericordiam, ſi promiſerit, quòd facta incolumis, huius coniunctionis vincla diſſoluet, fructum pœnitentiæ conſequatur. Quod ſi defecerit mulier, aut vir in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti.

Quod non liceat alterius ſponſam ad matrimonii iura ſortiri.

CAPVT XV.

DE coniugali autem velatione requiſiſti, ſi deſponſatam alii puellam, alter in matrimoniũ poſſit accipere. hoc, ne fiat, modis omnibus inhibemus. quia illa benedictio, quam nupturæ ſacerdos imponit, *Ex Epiſtola Papæ Siricii ad Himeriũ Tarraconẽſem Epiſcopum cap. iv.*

Digitized by Google

apud fideles cuiuſdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi vlla tranſgreſſione violetur.

De raptoribus.
CAPVT XVI.

Ex Epiſt. Papæ Symmachi.

RAptores igitur viduarum, vel virginum, ob immanitatem tanti facinoris, deteſtamur illos vehementius perſequendo, qui ſacras virgines, vel volentes, vel inuitas in matrimonio ſuo ſociare tentauerint. quos ꝓ tàm nefandiſſimi criminis atrocitate ſuſpendi præcipim⁹.

De his, qui rapiunt puellas.
CAPVT XVII.

Ex Cõcilio Chalcedonenſi, cap. xxvii.

EOs, qui rapiunt mulieres, ſub nomine ſimul habitandi cooperantes, aut conuiuentes raptoribus, decreuit ſancta Synodus, vt ſi quidem Clerici ſint, decidant gradu proprio; ſi verò Laici, anathematizentur.

De deſponſatis puellis, & ab aliis corruptis.
CAPVT XVIII.

DEſponſatas puellas, & poſt, ab aliis corruptas, placuit erui, & eis reddi, quibus antea fuerant deſponſatæ, etiamſi eis à raptoribus vis illata conſtiterit.

De virginibus velatis, ſi deuiauerint.
CAPVT XIX.

Innocentii Papæ. cap. xiv.

ITem, quæ Chriſto ſpiritaliter nubunt, & à ſacerdote velantur, ſi poſteà vel publicè nupſerint, vel ſe clanculo corruperint, non eas admittendas eſſe ad agendam pœnitentiam, niſi is, cui ſe iunxerat, de mundo receſſerit. Si enim de hominibus hęc ratio cuſtoditur, vt, quæcunq; viuente viro, alteri nupſerit, habeatur adultera: nec ei, agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, niſi vnus ex eis fuerit defunct⁹. quãto magis de illa tenenda eſt: quæ antè immortali ſe ſponſo coniunxerat, & poſteà ad humanas nuptias tranſmigrauit.

De virginibus non velatis, ſi deuiauerint.
CAPVT XX.

In eodem Concilio cap. xx.

HÆ verò, quæ necdum ſacro velamine tectæ, tamen in propoſito virginali ſemper ſe ſimulauerunt permanere, licet velatæ non fuerint, ſi fortè nupſerint. His aliquanto tèmpore pœnitentia eſt; quia ſponſio eius à Domino tenebatur.

De

Digitized by Google

De his, qui proximis ſe copulant, vt à communione Chriſti ſeparentur.

CAPVT XXI.

NAm & hæc ſalubriter præcauẽda ſancimus, ne quis fidelium propinquam ſanguinis ſui, vſquequo adfinitatis lineamenta generis ſucceſſione cognoſcit, in matrimonio ſibi deſideret copulari. Quoniam ſcriptum eſt; Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedat, vt releuet turpitudinem eius. Et iterum: Anima, quæ fecerit quippiam ex iſtis, peribit de medio populi ſui. Sanè quibus coniunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris coniugii libertatem. *In Concilio Toletano.*

S. Gregorius de inceſtis.

CAPVT XXII.

SI quis monacham, quam DEI ancillam appellant, in coniugio duxerit, anathema ſit.

Si quis commatrẽ ſpiritalem duxerit in coniugio, anathema ſit.

Si quis fratris vxorem duxerit in coniugio, anathema ſit.

Si quis neptem duxerit in coniugio, anathema ſit.

Si quis nouercam, aut nurum ſuam duxerit in coniugio, anathema ſit.

Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit in coniugio, anathema ſit.

Si quis viduam furatus fuerit in vxorem, vel conſentientibus ei, anathema ſit.

Si quis virginem, niſi deſponſauerit, furatus fuerit in vxorem, vel conſentientibus ei, anathema ſit.

Si quis ariolis, aruſpicibus, vel incantatoribus obſeruauerit, aut phylacteria vſus fuerit, anathema ſit.

De multinubis.

CAPVT XXIII.

DE his, qui in plurimas nuptias inciderũt, & tempus quidem præfinitum, manifeſtum eſt, ſed conuerſatio eorum, & fides, & tempus, adbreuiat. *Ex Cõcilio Neocæſarienſi. Cap. iii.*

De quæſtionibus coniugiorum.

CAPVT XXIV.

QVi in matrimonio ſunt, tribus noctibus ac diebus abſtineant ſe à coniunctione, antequam communicent.

Digitized by Google

Vir abſtineat ſe ab vxore ſua quadraginta diebus ante Paſcha in octauas Paſchæ. Inde ait Apoſtolus, vt vacetis orationi. Mulier tres menſes debet ſe abſtinere à viro ſuo, quando concipit ante partum. Et poſt, tempore purgationis, hoc eſt, xl. diebus & noctibus, ſiue maſculum, ſiue feminam genuerit.

De Sacrilegio.

CAPVT XXV.

De his, qui diuinationes expetunt.

Ex Cōcilio Ancyrano. cap. xxiii.

QVi diuinationes expetunt, aut more gentilium ſubſequuntur, aut domos ſuas huiuſcemodi homines introducunt exquirendi aliquid arte malefica, aut expiandi cauſa, ſub regula quinquennii iaceant ſecundum gradus pœnitentiæ definitos.

Quod non licet Chriſtianis obſeruationes diuerſas attendere.

CAPVT XXVI.

Ex Cōcilio Bracarēſi.

NOn liceat Chriſtianis traditiones gentilium obſeruare, vel colere elementa, aut Lunæ, aut ſtellarum curſum, aut inanem ſignorum fallaciā pro domo facienda, vel ob ſegetes, vel arbores plantandas, vel coniugia ſocianda. Scriptum eſt enim: Omnia, quæcunque facitis, in verbo, aut opere, in nomine Domini noſtri IESV Chriſti facite, gratias agentes DEO.

In eodem.

Non liceat in collectione herbarum, quæ medicinales ſunt, aliquas obſeruationes, vel incantationes attendere: niſi tantùm, cum ſymbolo diuino, & oratione dominica, vt DEVS, & Dominus honoretur.

Item.

Non liceat mulieres Chriſtianas vanitatem in ſuis lanificiis obſeruare: ſed Dominum inuocent adiutorem, qui eis ſapientiam texendi donauit.

In eodem.

CAPVT XXVII.

De auguriis.

AVguriis, vel incantationibus ſeruientem à conuentu Eccleſiæ ſeparandum.

De periuriis.

CAPVT XXVIII.

QVicunq; verò ſciens periuriū perpetrauerit, annos ſeptem ſe pœnitentiæ ſubdat: & ita deinceps ad communionem reuertatur.

Digitized by Google

De furto.

CAPVT XXIX.

QVi verò cupiditate captus furtum fecerit, quod abſtulit, reddat, & annis quinque pœnitentiam agat.

De falſis teſtibus.

CAPVT XXX.

FAlſos teſtes à communione eccleſiaſtica ſubmouendos, niſi pœnitentiæ ſatisfactione crimina admiſſa diluerint.

De diſcordantibus.

CAPVT XXXI.

OBlationes diſſidentium fratrum neq; in ſacrario, néq; in gazophylacio recipiantur. *Ex Cōcilio Carthag.*

De his, qui per odium ad pacem non vertuntur.

CAPVT XXXII.

PLacuit etiam, vt, ſicut plerunque fit, vt qui cum odio, aut longinqua inter ſe lite diſceſſerint, & ad pacem reuocari diuturna intentione nequiuerint, de Eccleſiæ cœtu iuſtiſſimè excommunicatione pellantur. *Ex Cōcilio Agathēſi.*

De his, qui ſacramento ſe obligant, ne ad pacem redeant.

CAPVT XXXIII.

QVi ſacramento ſe obligauerint, vt litigans in quolibet ad pacem nullo modo redeat: pro periurio vnum annum à communione corporis & ſanguinis Domini ſegregetur. Reatum ſuum eleemoſynis, & fletibus, quantis potuerit ieiuniis abſoluat, ad caritatem verò quæ operit multitudinem peccatorum, celeriter venire feſtinet. *Ex Cōcilio Ilerdenſi. m. ſ. Obelerdenſe.*

Quod vſuram Laici Chriſtiani exigere non debeant.

CAPVT XXXIV.

NE hoc quoque prætereundum duximus: quoſdam lucri turpis cupiditate captos vſurariam exercere pecuniam, & fœnore velle diteſcere. Quod non dicam in eos, qui ſunt in clericali officio, conſtitutos, ſed & in laicos cadere Chriſtianos ſe dici cupiunt, condolemus. Quod vindicari acrius in eos, qui fuerint computandi, decernimus; vt omnis peccandi opportunitas adimatur. *Ex Epiſt. Leonis Papæ.*

Huc-

Digitized by Google

Huculſque de criminibns laicorum: quemadmodum in canonibus contineutur, collectum eſt. Nunc verò ad iudicia clericorum eſt tranſeundum.

Explicit Libellus de pœnitentia Laicorum feliciter.

INCIPIVNT REGVLÆ DE MIniſtris Eccleſiæ, ſi deuiauerint, canonicè prolatæ. Capitula LIBRI QVINTI.

I. *De Presbyteris qui vxores acceperunt, vel fornicati ſunt.*

II. *De Diaconibus ſimiliter.*

III. *De his, qui ad Presbyterium promouentur, & ante ordinationem peccatorum ſibi conſcii ſunt.*

IV. *De canone Apoſtolorum.*

V. *De diuerſis ordinibus ab vxoribus abſtinendis.*

VI. *Quod Sacerdotes, & Leuitæ cum mulieribus coire nō debeant.*

VII. *De incontinentia Sacerdotum, vel Leuitarum.*

VIII. *De ſubintroductis mulieribus.*

IX. *De Clericis vſuras accipientibus.*

X. *Vt nullus Presbyter, & Diaconus conductor exiſtat, & vt Cleri abſtineant ſe ab vſuris.*

XI. *Vt Clerici, vel Continentes, ad Virgines, & viduas ne accedant.*

XII. *De Clericis, vel Monachis non manentibus in ſuo propoſito.*

XIII. *De Monachis & Virginibus propoſitum non ſeruantibus.*

XIV. *Vt ad ſacrarium mulieres non introeant.*

XV. De adem re.

XVI. *Quod nulli Sacerdoti canones liceat ignorare.*

XVII. *De pollutionibus interrogatio Auguſtini, & reſponſio Gregorii.*

XVIII. *Quod nihil proſit Sacerdoti, etiam ſi benè viuat, ſi malè viuentibus tacendo non contradicit.*

XIX.

Digitized by Google

De Presbyteris, qui vxores acceperunt, vel fornicati ſunt.

CAPVT I.

PResbyter, ſi vxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si verò fornicatus fuerit, aut adulterium perpetrauerit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi. *Ex Concil. Cæſar.*

De Diaconibus ſimiliter.

CAPVT II.

SImili modo etiam Diaconus, ſi eodem peccato ſuccubuerit, ab ordine miniſterii ſubtrahatur. *In eodem Concilio.*

De his, qui ad Presbyterium promouentur, & ante ordinationem, peccatorum ſibi ſunt conſcii.

CAPVT III.

PResbyter, ſi occupatus corporali peccato, & confeſſus fuerit de ſe, quod ante ordinationem deliquerit, oblata non conſecret, manens in reliquis officiis propter ſtudium bonum. Quod ſi de ſe non fuerit ipſe confeſſus, & argui manifeſtè nequiuerit, poteſtati ſui iudicii relinquatur. *In eodem Concilio.*

De Canone Apoſtolorum.

CAPVT IV.

PResbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut periurio, aut furto, aut homicidio captus eſt, deponatur. Non tamen communione priuetur: Dicit enim Scriptura: Non iudicabit Dominus bis in id ipſum.

De diuerſis ordinibus ab vxoribus abſtinendis.

CAPVT V.

SAcerdotes Dei, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant pudicitiæ cuſtodes ab vxoribus ſe abſtineant. *Ex Cōcilio Carthaginēſi ca. iiii.*

Quod Sacerdotes & Leuitæ cum mulieribus coire non debeant.

CAPVT VI.

PRæterea, quod dignum, & pudicum, & honeſtum eſt, tenere Eccleſiæ *In decretali Pap. Innoc. c. xviii*

ſiæ omnimodo debent, vt Sacerdotes, & Leuitæ cum mulieribus non coëant. quia miniſterii quotidiani neceſſitatibus occupantur. Scriptum eſt enim: Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum Dominus DEVS veſter.

De incontinentia Sacerdotum, vel Leuitarum.

CAPVT VII.

Innocentii Papæ, cap. xxi.

DE Presbyteris, & Diaconibus diuinarum legum eſt diſciplina, vt incontinentes in officiis talibus poſiti, omni honore eccleſiaſtico priuarentur: nec admittantur ad tale miniſterium, quod ſola continentia oportet impleri.

De ſubintroductis mulieribus.

CAPVT VIII.

Ex Concil. Niceno, cap. iii.

INterdicit per omnia magna Synodus, non Epiſcopo, non Presbytero, non Diacono, non alicui omninò, qui in clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem.

De Clericis vſuras accipientibus.

CAPVT IX.

In eodem Concilio. cap. xvii.

QVoniam multi ſub regula conſtituti, auaritiam, & turpia lucra ſectantur: oblitique diuinæ Scripturæ dicentis; Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram: mutuum dantes, centeſimos exigunt: iuſtè cenſuit ſancta, & magna Synodus: vt, ſi quis inuentus fuerit poſt hanc definitionem vſuras accipiens, aut ex inuentione aliqua, vel quolibet modo negotium tranſigens: aut hemiolia, id eſt, ſeſcupla exigens, vel aliquid tale prorſus excogitans turpis lucri gratia, deiiciatur à clero, & alienus exiſtat à regula.

Vt nullus Presbyter & Diaconus conductor exiſtat, & Clerici abſtineant ſe ab vſuris.

CAPVT X.

Ex Cõcilio Carthaginẽſi ca. xvi.

PResbyteri & Diaconi non ſint conductores, aut procuratores, neque vllo turpi negotio, & inhoneſto, victum quærant. quia reſpicere debent, ſcriptum eſſe: Nullus militans DEO, implicat ſe negotiis ſecularibus. Si quis commodauerit pecuniam, pecuniam accipiat. ſi ſpeciem, eandem ſpeciem, quantum dederat, accipiat.

Vt Clerici, vel continentes, ad virgines, vel viduas non accedant.

CAPVT XI.

Cle-

CLerici, vel continentes, ad virgines vel viduas non accedant, niſi ex iuſſu, vel permiſſu Epiſcoporum non accedant. *Ex Concil. Africano. cap. v.*

De Clericis vel Monachis non manentibus in ſuo propoſito.

CAPVT XII.

QVi ſemel in Clero deputati ſunt, aut Monachorum vitam expe-tiuerunt, ſtatuimus neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam, aut hoc tentantes, & non agentes pœnitentiam, quo minus redeant ad hoc, quod propter DEVM primitùs elegerunt, anathematizantur. *Ex Concil. Chalcedonẽ. ca. vii.*

De Monachis vel Virginibus propoſitum non ſeruantibus.

CAPVT XIII.

VIrginem, quæ ſeſe Domino conſecrauit, ſimiliter & Monachum, non licere nuptialia iura contrahere. quod ſi hoc inuenti fuerint perpetrantes, excommunicentur. Confitentibus autem decreuimus, vt habeat auctoritatem eiuſdem loci Epiſcopus, miſericordiam, humanitatemque largiri. *In Concil. Chalcedon. cap. xv.*

Vt ad ſacrarium mulieres non introeant.

CAPVT XIV.

QVod non oporteat mulieres ingredi ad altare. *Ex Concil. Laodicẽſi. cap. xliv.*

Quod nefas ſit feminas ſacris altaribus miniſtrare vel aliquid ex his, quæ virorum ſunt, officiis deputata præſumere.

CAPVT XV.

NIhilominus impatienter audiuimus, tantùm diuinarum rerum ſubeſſe deſpectum, vt fœminæ ſacris altaribus miniſtrare firmẽtur, cunctaque non niſi virorum famulatui deputata ſexum, cui non competit, exhibere. niſi quod omnium delictorum, quæ ſigillatim perſtrinximus, noxiorum reatus omnis, & crimen eos reſpicit Sacerdotes, qui vel iſta committunt, vel committentes minimè publicando, prauis exceſſibus ſe fauere ſignificant. *Ex Epiſtola Papæ Gelaſii. cap. xxvi.*

Quod nulli Sacerdoti Canones liceat ignorare.

CAPVT XVI.

NVlli Sacerdotum ſuos liceat Canones ignorare, nec quidquam facere quod Patrum poſſit regulis obuiare. *Cæleſtini Pap. c. xiii.*

Digitized by Google

De pollutionibus interrogatio Auguſtini, & reſponſio Gregorii.

CAPVT XVII.

Interrogatio Auguſtini.

SI poſt illuſionem, quæ per ſomnium ſolet accidere, vel corpus Domini quislibet accipere valeat, vel, ſi ſacerdos ſit, ſacra myſteria celebrare.

Reſponſio Gregorii.

Extāt lib. 12. Regiſtri epiſt. 31. interrogatione 11. tō. 4. S. Gregor. M. edit. Rom. cum quibus hæc cōferri, & quædā in vulg. edit, corrigi poſſunt.

ET quidem hunc, teſtamentum veteris legis, ſicut in ſuperiori capitulo iam diximus, pollutum dicit, niſi lotum aqua. Ei vſque ad veſperum intrare Eccleſiam non conceditur. quod tamen aliter populus ſpiritalis intelligens, ſub eodem intellectu accipiet, quo præfati ſumus. quia, quaſi per ſomnium illuditur, qui tentatus immunditia, veris imaginibus in cogitatione inquinatur. ſed lauandus eſt aqua, vt culpas cogitationis lacrimis abluat. Et niſi prius ignis tentationis receſſerit, reum ſe quaſi vſque ad veſperum cognoſcat. Sed eſt in eâdem illuſione neceſſaria valdè diſcretio, quæ ſubtiliter penſari debeat, ex qua re accidat menti dormientis. Aliquando enim ex crapula: aliquando ex naturę ſuperfluitate, vel infirmitate: aliquando ex cogitatione contingit. Et quidem ſi ex naturæ ſuperfluitate, vel infirmitate euenerit, omninò hæc illuſio non eſt timenda. quia hanc animus neſciens pertuliſſe magis dolendus eſt, quàm feciſſe. Cùm verò vltra modum appetitus gulæ in ſumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula grauantur; habet exinde animus aliquem reatum, non tamen vſque ad prohibitionem percipiendi ſacri myſterii, vel miſſarum ſolemnia celebrandi, cùm fortaſsè aut feſtus dies exigit, aut exhiberi myſterium pro eo, quod Sacerdos alius in loco deeſt, ipſa neceſſitas compellit. Nam ſi adſunt alii, qui implere *miniſterium valeant, illuſio per crapulam facta, à perceptione ſacri myſterii prohibere non debet, ſed ab immolatione ſacri myſterii abſtinere, vt arbitror, humiliter debet, ſi tamen dormientis mentem turpis imaginatio non concuſſerit. Nam ſunt, quibus ita plerunque illuſio naſcitur, vt eorum animus etiam in ſomno corporis poſitus, turpibus imaginationibus non fœdetur. Qua in re vnum ibi oſtenditur, quod ipſa mens rea non tunc ſit, *ſed ſuo iudicio libera, cùm ſe ex dormienti corpore nihil meminit vidiſſe, tamen in vigiliis corporis meminit in ingluuiem cecidiſſe. Sin verò ex turpi cogi-

** vulg. ed. myſteriū.*

** m. ſ. vel.*

cogitatione vigilantis oritur illuſio in mente dormientis, patet animo reatus ſuus. Videt enim à qua radice inquinatio illa proceſſerit. quia quod cogitauit ſciens, hoc pertulit neſciens. Sed penſandum eſt, ipſa cogitatio vtrum in ſuggeſtione, an in delectatione, vel quod maius, in peccati conſenſu ceciderit. Tribus enim modis impletur omne peccatum, videlicet ſuggeſtione, delectatione, conſenſu. Suggeſtio quippe fit per diabolum. Delectatio, per carnem. Conſenſus, per ſpiritum. quia & primam culpam ſerpens ſuggeſſit. Eua, velut caro delectata eſt. Adam verò velut ſpiritus conſenſit. Et neceſſaria eſt magna diſcretio inter ſuggeſtionem, atque delectationem: inter delectationem, atque conſenſum, iudicem ſui præſidere animum. Cùm enim malignus ſpiritus peccatum ſuggerit in mente, ſi nulla peccati delectatio ſequatur, peccatum omnimodo perpetratum non eſt. Cùm verò delectari caro cœperit, tunc peccatum incipit naſci. Si autem etiam ad conſenſionem ex deliberatione deſcendit, tunc peccatum cognoſcitur perfici.

In ſuggeſtione igitur peccati ſemen eſt; in delectatione, fit nutrimentum; in conſenſu perfectio. Et ſæpè contingit, vt hoc, quod malignus ſpiritus ſeminat in cogitatione, caro in delectatione trahat, nec tamen anima eidem delectationi conſentiat. Et cùm caro delectari ſine animo nequeat, ipſe tamen animus carnis voluptatibus reluctans, in delectatione carnali aliquo modo ligatur inuitus, vt ei ex ratione contradicat, ne conſentiat, & tamen delectatione ligatus ſit, ſed ligatum ſe vehementer ingemiſcat. Vnde & ille cœleſtis exercitus præcipuus miles gemebat, dicens: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Si autem captiuus erat, * minimè pugnabat. ſed & pugnabat. Quapropter & captiuus erat, & pugnabat: Igitur legi mentis, lex, quæ in membris eſt, repugnabat. ſi autem pugnabat, captiuus non erat. Ecce itaque eſt homo, captiuus liber. Liber ex iuſtitia, quam diligit: captiuus ex delectatione, quam portat inuitus. Amen.

Rom. 7.

* *vulg. minimè pugnabat, quapropter & captiuus erat, & captiuus non erat, ſed pugnabat.*

Quod nihil proſit Sacerdoti, etiamſi benè viuat, ſi malè viuentem tacendo non corrigit.

CAPVT XVIII.

Proſper. 1. Pet. 5. Eſt cap. 20. lib. 1. de vita contēpl. Proſperi.

QVod verò dicit Apoſtolus, vt nos formam debeamus exhibere fidelibus, quid valebit, ſi is, cui vel hortandi bonos, vel caſtigandi malos cura commiſſa eſt; benè viuendo ſe imitandum bonis exhibeat, & malos tacendo non corrigat? Ad hòc enim, niſi me fallit opinio, ſanctè viuendum eſt Sacerdoti, nã dicta ſua repugnantibus factis euacuet: ſi quod prædicat fieri debere, non faciat: aut ſi quod non facit, prædicare præſumpſerit, nihil apud eos, qui eius vitam nouere, proficiat. Quia ad hoc eſt Eccleſię DEI præpoſitus, vt non ſolùm benè viuendo alios exemplo ſuæ conuerſationis inſtituat, ſed etiam fiducialiter prædicando, ſingulis ante oculos peccata ſua conſtituat. quæ pœna maneat duros; quæ gloria obedientes oſtendat. Nullus ſalutem deſperando contemnat: animas emendari nolentium plangat, imitatus Apoſtolum, qui ait: Vt lugeam multos ex his, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam. Et iterum: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror? Quapropter ſciens, quod ſi quibuslibet diuitibus, ac potentibus malè viuentibus pareat, aut foueat eos, perdat ſimul, & pereat. Et ſanctè debet viuere propter exemplum: & docere, propter ſuæ adminiſtrationis officium. certus, quod ei nihil ſua iuſtitia ſuffragetur, de cuius manu anima pereuntis exigitur. quando quicunque alius perierit, quem nulla docendi neceſſitas manet, ſolus pœnas ſui ſceleris dabit. Ille autem, cui diſpenſatio verbi commiſſa eſt, etiamſi ſanctè viuat, & tamen perditè viuentes arguere aut erubeſcat, aut metuat: cum omnibus, qui eo tacente perierunt, perit. Et quid ei proderit non puniri ſuo, qui puniendus eſt alieno peccato? Mentior, niſi hoc Dominus per Ezechielem Prophetam, ſub cuiuſdam terroris denuntiatione loquitur, dicens ad eum: Et tu, fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſrael. Nec hoc tranſeunter debemus audire, quod Sacerdotem ſpeculatorem appellat. Vt, ſicut ſpeculatoris eſt de loco editiori proſpicere, & plus omnibus contemplari. Ita Sacerdos debet eſſe propoſitus ſublimitate celſior cunctis, ac maioris ſcientiæ habere gratiam, qua poſſit ſub ſe viuentes inſtruere. Videamus iam, quod diuinus ſermo continuet. Audies, inquit, ex ore meo ſermonem, & annuntiabis eis ex me: vt hoc dicat Sacerdos, quod ex diuina lectione didicerit, quod illi DEVS inſpirauerit; non, quod præſumptione humani ſenſus inuenerit. Annuntiabis eis, inquit, ex me: ex me, non

2. Cor. 12. [beside "um plangat"]
2. Cor. 11. [beside "Quis infirmatur"]
Ezec. 3. 17. [beside "ad eum"]

non ex te. Mea verba loqueris: non eſt, quod ex eis, tanquam Devs infleris. Ex me, inquit, eis annuntia. Sed iam quid annuntiet, audiamus. Si me dicente ad impium, Impie morieris, non fueris locutus, vt ſe cuſtodiat impius à via ſua, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem verò eius de manu tua requiram. quid potuit expreſſius? quid apertius poteſt dici? Si impio, inquit, loquutus non fueris, vt ſe ab impietate cuſtodiat, & ille perierit, ſanguinem eius de manu tua requiram. Hoc eſt dicere: Si ei peccata ſua non annuntiaueris, ſi eum uon argueris, vt ab impietate ſua conuertatur, & viuat; & te, qui non increpaſti, & ipſum, qui te tacente peccauit, flammis perennibus perdam. Quis rogo tàm ſaxei pectoris? quis tàm ferreus erit, quem ſententia iſta non terreat? quis tàm alienus à fide, qui ſententiæ iſti non credat?* ** hucuſque ex Proſp.*

Luctuoſa deſcriptio carnaliter viuentium Sacerdotum.

CAPVT XIX.

SEd nos præſentibus delectati, dum in hac vita commoda noſtra, & honores inquirimus, non vt meliores, ſed vt ditiores; non vt ſanctiores, ſed vt honoratiores ſimus cæteris feſtinamus. Nec gregem Domini, qui nobis paſcendus, tuenduſque commiſſus eſt; ſed noſtras voluntates, dominationem, diuitias, & cætera blandimenta carnaliter cogitamus. Paſtores dici volumus, nec tamen eſſe contendimus. Officii noſtri vitamus laborem: appetimus dignitatem; immundorum ſpirituum feras à grege dilacerando non pellimus; & quod eis remanſerat, ipſi conſumimus, quando peccantes, diuites, vel potentes non ſolùm non arguimus, ſed etiam veneramur: ne nobis aut munera ſolita offenſi non dirigant, aut obſequia deſiderata ſubducant. ac ſic muneribus eorum, & obſequiis capti, imò per hæc, illis addicti, loqui eis de peccato ſuo, aut de futuro iudicio formidamus: & ideò minaciter ſuperbiam noſtram diuinus ſermo contundit: ſed noſter auditus nihil, vnde proficiamus, admittit. quia præſentis vitæ capti dulcedine, quæ pœna negligentiam noſtram maneat in æternum, nolumus cogitare. In Paſtores ergò, iſta dicuntur; de quorum nobis inani appellatione blandimur. Hæc dicit Dominus Devs; Væ Paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſemetipſos, Nónne greges paſcuntur à Paſtoribus? lac comedebatis, & lanis operiebamini. *Proſper. Ex cap. 22. lib. 1. ibid. Ezech. 34.*

quod

quod craſſum erat, occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit, non ſolidaſtis: & quod ægrotum, non ſanaſtis. quod fractum, non alligaſtis; & quod abiectum, non reduxiſtis: quod perierat, non reduxiſtis, non quæſiſtis, ſed cum auctoritate imperabatis eis, & cum potentia: & diſperſæ ſunt oues meæ. eò quod non eſſet paſtor. Et factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri. Et paulò pòſt: Propterea Paſtores, audite verbum Domini. Viuo ego dicit Dominus DEVS. Pro eo, quod facti ſunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium beſtiarum agri, eò quod non eſſet Paſtor. Neque enim quæſierunt Paſtores gregem meum: ſed paſcebant Paſtores ſemetipſos: & gregem meum non paſcebant. Propterea Paſtores audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus DEVS: Ecce ego ipſe ſuper Paſtores, requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare eos faciam, vt vltrà non paſcant gregem: nec paſcant amplius Paſtores ſemetipſos. Quis ad hæc non intremiſcat? Quis iſta ſine intolerabili metu futuræ examinationis accipiat? niſi qui, aut non intelligit, aut futura non credit. ſed omnia, quæ DEVS obſeruare voluit, tàm apertè potuit, & ita ſui nominis auctoritate firmauit, vt ea facilius, quod dictu quoque nefas eſt, contemnamus, quàm nos intelligere, vel non credere. Iam aperta, & diuina fingamus, quando audimus, Hæc dicit Dominus. Quis futurum eſſe non credat, quod dicit DEVS, niſi qui DEO non credit? quod autem dicit: Væ Paſtoribus, iſtud, væ, pro maledicto poni, & Paſtorum nomine, nos ſignificare, quis non intelligat, niſi qui futurum non cogitat? Greges Domini paſcendos Paſtores facti ſuſcipimus, & nos ipſi paſcimur. quando non gregum vtilitati proſpicimus, ſed quid foueat, & augeat noſtras voluptates attendimus. Lac, & lanas ouium Chriſti oblationibus quotidianis, ac decimis fidelium gaudentes accipimus, & curam paſcendorum gregum, ac reficiendorum, à quibus peruerſo ordine volumus paſci, deponimus. Non ſanamus ſpiritali conſilio peccatis infirmũ. Non ſacerdotali ope conſolidamus, aut reficimus, diuerſis tribulationibus fractũ. Non ad viam ſalutis reuocamus erroneũ. Non requirimus ſolicitudine paſtorali veniæ deſperatione iam perditũ. Ad hoc tantùm potẽtes effecti, vt nobis in ſubiectos dominationem tyrannicam vindicemus, non vt afflictos cõtra violentiam potentum, qui in eos ferarũ more ſæuiunt, defendamus. Inde eſt, quod tam à potentibus huius mundi, quàm à nobis

Digitized by Google

nobis, quod peius eſt, nonnulli grauiter fatigati depereunt, quos ſe de manu noſtra Dominus requiſiturum terribiliter comminatur dicens: Requiram oues meas de manu paſtorum, & ceſſare eos faciam, vt vltra non paſcant. quod, quid eſt aliud, quàm paſtores, qui ſemetipſos, non greges meos paſcunt, ſublimitate ſuæ dignitatis exſpoliem, & inter reprobos, quia honorem ſuum noluerunt cuſtodire, proiiciam? Horum, & his ſimilium conſideratione perterritus, timor, & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ. Et dixi: quis dabit mihi pennas ſicut columbæ? & volabo, & requieſcam. Et hoc eſt totum, quod imperitię meæ, ac futuri finis recordatus ingemui, & volui ſarcina epiſcopatus mei depoſita elongare fugiens, & manere in ſolitudine, & ibi exſpectare DEVM, qui ſaluum me faceret, & à puſillanimitate mea, & ab ipſa intolerabilium mihi ſolicitudinum tempeſtate. *Pſal. 54.* *Hucuſq; ex Proſp.*

Explicit liber quintus feliciter.

Digitized by Google

POENITENTIALE

HALITGARII,

SIVE ALTERIVS INCERTI

Autoris,

Vbi præter cætera, etiam eſt

EPISTOLA

HORMISDÆ PAPÆ

Nunquam edita.

Digitized by Google

Lectori.

ISTum titulum poſui ex coniectura. nã ſine vllo titulo hæc, quæ ſequuntur, reperimus in eodem codice, in quo inerãt quinq; libri Halitgarij, immediate ſubiuncta. Num collecta & ex variis excerpta ſint ab ipſo Halitgario, affirmare non habeo: licet probabile ſit. nam eodẽ modo ex S. Proſpero & aliis collecta ſunt, ſicut conſueuit Halitgarius facere. Hoc certum duco, non ſpectare tanquã partem ad ſupradictos quinq; libros. Quia tamen pertinent ad pœnitentiam ritè peragendam, præceptionesq; vitia fugiendi perquam ſalutares continẽt, omnino Halitgarij libris adiungenda erant, ideoq; Pœnitentiale appellaui. Quæ ex S. Gregorio, & S. Proſpero adferuntur, iam publici ſunt iuris, vt & Epiſtola Iſidori, quam integrã nobis exhibet recentior & auctior operum Iſidori Editio. Epiſtolam Hormiſdæ inter alias eiuſdem Pontificis in Tomum primum Epiſtolarum decretaliũ relatas reperire nõ potuimus.

ORA-

ORATIO.

Domine Devs omnipotens propitius eſto mihi peccatori, vt condignè poſſim tibi gratias agere, qui me indignum, propter tuam miſericordiam, miniſtrum feciſti officio ſacerdotali: & me exiguum, humilemq; mediatorem conſtituiſti ad adorandum, & intercedendum ad Dominum noſtrum Iesvm Chriſtum pro peccantibus, & ad pœnitentiam reuertentibus: ideoq; dominator Domine, qui omnes homines vis ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, ſed vt conuertantur, & viuant: ſuſcipe orationem meam; quam fundo ante conſpectum clementiæ tuæ pro famulis, & famulabus tuis, qui ad pœnitentiam venerunt. Per Dominum noſtrum Iesvm Chriſtum.

INCIPIT ORATIO AD DANDAM pœnitentiam.

In primis dic Pſalmum xxxvii. totum, Domine ne in furore tuo arguas me.

Et poſtea dic orationem.

Et dic Pſalmum cii. Benedic anima mea Domino, vsq;, Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.

Et iterum dic orationem.

Et dic Pſalmum l. Miſerere mei Devs, vsque, Et omnes iniquitates meas dele.

Poſt hæc Pſalmum dic liii. Devs in nomine tuo.

Et dic orationem.

Et dic Pſalmum li. Quid gloriaris in malitia, vsq; Videbunt iuſti, & timebunt.

Et dic:

OREMVS.

Devs, cuius indulgentia nemo non indiget: memento Domine famulo tuo N. & qui lubrica, terrenique corporis fragilitate nudatus, quæſumus, vt des veniam confitenti: parce ſupplici: vt qui noſtris meritis accuſamur, tua miſeratione ſoluamur. Per Dominum noſtrum Iesvm Chriſtum.

Digitized by Google

ALIA.

DEVS, ſub cuius oculis omne cor trepidat, omneſq; conſcientiæ contremiſcunt, propitiare omnium gemitibus, & cunctorum medere vulneribus. Et ſicut nemo noſtrum eſt liber à culpa, ita nemo ſit alienus à venia, Per Dominum.

ITEM ORATIO.

DEVS infinitæ miſericordiæ, veritatiſq; immenſæ, propitiare iniquitatibus noſtris, & omnibus animarum noſtrarum medere languoribus, vt miſerationum tuarum remiſſione percepta, in tua ſemper benedictione lætemur. Per Dominum.

ITEM ORATIO.

PRecor Domine clementiæ, & miſericordiæ tuæ maieſtatem, vt famulo tuo N. peccata, & facinora ſua confitenti veniam relaxare digneris, & præteritorum criminum culpas indulgeas: qui humeris tuis ouem perditam reduxiſti, & publicani preces, confeſſione placatus, exaudiſti: Tu etiam huic famulo tuo placare Domine; Tu, huius precibus benignus adſpira: vt in confeſſione placabilis permaneat: fletus eius, & petitio perpetuam clementiam tuam celeriter exoret, ſanctiſq; altaribus, & ſacrariis reſtitutus, ſpei rurſum æternæ, & cœleſti gloriæ mancipetur. Per Dominum.

ITEM ORATIO.

Manus impoſitio.

DOmine ſancte, pater omnipotens, æterne DEVS, qui per IESVM Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum, vulnera noſtra curare dignatus es; te ſupplices rogamus, & petimus, nos humiles tui ſacerdotes, vt precibus noſtris aurem tuæ pietatis inclinare digneris, remittasq; omnia crimina, & peccata vniuerſa condones: desq; huic famulo tuo Domine pro ſupplicij veniam, pro mœrore lætitiam, pro morte vitam, ipſe à cœleſtis * apicis deuolutus eſt, & de tua miſericordia confidēs, ad bonam * pacis præmiis tui, atq; cœleſtia peruenire mereamur ad vitam æternam. Per Dominum.

Fort. cœleſti arce.

INCIPIT RECONCILIATIO POEnitentis quintæ feria Paſcha.

IN primis dicat Pſalmum L. cum Antiphona, cor mundum crea in me DEVS, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO.

DEVS humani generis benigniſſime conditor, & miſericordiſſime reformator: qui in reconciliatione lapſorum, etiam * ego, qui miſericordiam tuam prius indigeo, ſeruire effectibus gratiæ tuæ per miniſterium ſacerdotale voluiſti, vt ceſſante merito ſupplicis, mirabilior fieret clementia redemptoris. Per Dominum noſtrum. *Me, forte.*

ITEM ALIA.

OMnipotens ſempiterne DEVS confitenti tibi huic famulo tuo pro tua pietate peccata relaxa: vt non plus ei noceat conſcientiæ reatus ad pœnam, quàm indulgentia tuæ pietatis ad veniam. Per Dominum noſtrum.

ALIA.

OMnipotens, & miſericors DEVS, qui peccatorum indulgentiam in confeſſione celeri poſuiſti, ſucurre lapſis, miſerere confeſſis, vt quod delictorum catena conſtringit, magnitudo tuę pietatis abſoluat. Per Dominum noſtrum.

ORATIO SVPER INFIRMVM.

DEVS qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donaſti, ita & famulum tuum N. à lecto ægritudinis tua magnitudo erigat ad ſalutem. Per Dominum noſtrum.

INCIPIT EPISTOLA HORMISDÆ

Papæ per vniuerſas Prouincias.

ECce manifeſtiſſimè conſtat, quia ſecundum titulos antiquorum Patrum, à ſancto Ioanne Papa transmiſſos, & trecentorum decem & octo Epiſcoporum ſententias, ſed & Canones Gallicani Concilij contineri videntur.

Clerici in adulterio deprehenſi, & aut ipſi confeſſi, aut ab aliis conuicti, ad honorem redire non poſſunt. Et quia fortè non deſunt, quibus vel pro nimia pietate ſupra ſcripta ſanctorum Patrum ſeueritas minimè placet, ſciant ſe trecentorum decem & octo Epiſcoporum, & qui reliquos canones ſtatuerunt ſententias reprehendere, vel damnare. Sed fortè maior eſt in illis pietas, quàm in ſupradictis CCC. XVIII. Epiſcopis, maior in illis miſericordia, quàm in ſancto Ioanne Apoſtolico Papa, maior caritas, quàm in reliquis ſacerdotibus, qui hoc per exempla, vel remedia Eccleſiarum, ſuis diffinitionibus deliberauerunt. Et ideo aut per promptam voluntatem præceptis illorum conſentiant: aut, ſi non fecerint, omnibus contrarios

ſe, &

ſe,& inimicos eſſe cognoſcant. Quæ eſt iſta inimica benignitas? palpare criminoſos, & vulnera eorum vſq; ad diem iudicij incuriata ſeruare? Quod ſi etiam eos duriſſima pœnitentia per plures annos agere viderint: ſic idipſum & ſaluti eorum conſulere, & canonum debemus ſtatuta ſeruare. Cùm verò in aliquibus nec compunctio humilitatis, nec inſtantia orandi, vel plangendi appareat: nec beatum Dauid
Pſal. 6.7. imitentur, qui dixit: Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacri-
Pſa. 101.10. mis ſtratum meum rigabo, & illud; cinerē tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebo. Nec eos ieiuniis, vel lectioni vacare videamus, poſſumus agnoſcere, ſi ad honorem priſtinum redirent, cum quanta negligentia, & cum quanto tepore, & inimica animæ ſecuritate permaneant credentes, quod ſic eis non acta pœnitentia digna dimiſerit DEVS, quomodo ſacerdotes indulſiſſe vident. Verè dico, quia illi ipſi quibus cum periculoſa, & falſa miſericordia indulgere videmur, cum ante tribunal Chriſti pro tantis peccatis damnandi aduenerint contra nos ipſos cauſas dicturi ſunt dicentes: quod, dum aut aſperitatem linguæ eorum expauimus: aut falſa blandimenta, & periculoſas adulationes ipſorum libenter accepimus: nos eos, dum il-
**inutiliter forte leg.* lis * inutilitatem indulgemus in peccatis permanere, aut ipſa peccata etiam augere permiſerimus: nec recordantes illud, quod in veteri teſtamento ſcriptum eſt: Quia per vnum peccantem contra omnes ira DEI deſæuit. O pietas. O miſericordia. Vni parcere, & omnes per exemplum malum in diſcrimen adducere. Non ita ſuadet ſanctus, & beatiſſimus Cyprianus martyr dicens: Qui peccantem verbis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat. Nec perimit delicta illa, ſed fouet iterum, imperitus medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat: & abſconditum in profundis ſeceſſibus virus, dum ſeruat, exaggerat. Vnde & ſanctus Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus arguit dicens: Imperitus medicus eſt, qui indigeſta putredine ſuperducis vulneri cicatricem.

Et ideo diligenter perpendite, ſi aut poteſt, aut debet fieri, aut tantorum, aut talium, quod ſupra memorauimus, ſacerdotum, canones contemnentes, aliter, quod illi ſtatuerunt, obſeruare, vel agere præſumamus. præcipue cùm ſe illorum trecentorum decem, & octo Epiſcoporum, qui per omnes Eccleſias concilia fieri præceperunt, tam ſancta decreta neglеximus; nō illos ſolos deſpicimus, ſed &, ſicut ſupra dictum eſt, & Africanos, & omnes reliquos, qui ipſis ordinantibus per totum mundum, per Eccleſiaſticam diſciplinam aliquid ſtatuerunt,

sunt,cum peccato animæ noſtræ contemnimus. Ego me in hoc periculo immittere non audeo: quia nec talia ſunt merita mea,vt aliorum peccata in me excipere præſumam. Nec tantam eloquentiam habeo, vt ante tribunal Chriſti,contra tantos, ac tales ſanctos ſacerdotes,qui canones ſtatuerunt,cauſas dicere poſſim. Videat vnusquisq;, qualiter ſentire,vel obſeruare diſponit,qualiter poſſit in die iudicij reddere rationem. Ego,in quantum vires DEVS dignatur dare, ſtudere volo eorũ præceptionibus,& obaudire. quia cum talibus,nõ rixas,ſed pacem, ex qualicunq; parte habere deſidero. Et hoc diligenter adtendendum eſt.Quod ſi,ſecundũ quod ſcriptum eſt, illi clerici, qui ad vxores proprias redeunt,ab integro ab officio ſuſpendantur. Quod ſi etiam dicam & internuptiarum mariti, qui vtiq; rem licitam faciunt, Clerici tamen ordinari non poſſunt: aut,ſi ordinati fuerint, deiiciantur. De quibus SANCTVS FAVSTVS EPISCOPVS in Epiſtola ſua dixit: *Perdit gratiam conſecrati,qui ad officium vult exercitari mariti.* Cum hæc ita ſint,qua conſcientia quisque dicere poterit, quod ille, qui adulterium commiſerit,iterum ad honorem venire poterit. Hoc loco,ſi aliquis fuerit, qui dicat; Ergò negas miſericordiam DEI, qui dixit:Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat? Et illud; Nunquid, qui cadit,non adiiciet, vt reſurgat? Et illud: Peccator in quacunque die conuerſus fuerit,omnes iniquitates eius obliuione tradentur. Sed ad hæc voce libera reſpondere & poſſumus,& debemus. Abſit à nobis, vt de iſtis ſententiis videamur vel leuiter dubitare. Diffinitiſſimè enim credimus, quod quisque ad finem vitæ ſuæ pœnitentiam egerit, non ſolum indulgentiam accipiet, ſed etiam ad præmia æterna perueniet. Propter regulam tamen eccleſiaſticam, & propter antiquorum Patrum inſtituta,quod abſit à nobis, aut reprehendere, aut diſcutere audeamus. Cumque credimus ad vitam æternam poſt beatam pœnitentiam venire; ad honorem clericatus ſecundum tantorum patrum præcepta nouimus non debere reuerti,in tantum,vt in canonibus ſcriptum eſt; ne vllus vnquam pœnitens clericus ordinetur. Et, ſi ille, qui vltrò petit pœnitentiam, quamuis eam perfectè egit, non poteſt Epiſcopus,aut presbyter ordinari: ita vt etiamſi per ignorantiam ordinatus fuerit, & poſtea conuincitur pœnitentiam accepiſſe,deiiciatur ille,qui inuitus ad pœnitentiam agendam in monaſterium mittitur, & vtiq; quid aliud, quàm pœnitens dicendus eſt, qua conſcientia ad ſacerdotium peruenire permittitur? Nemo mihi aliam quamlibet contra auctoritatem SEDIS APOSTOLICÆ: vel

contra trecentorum decem & octo Epiſcoporum præcepta, vel reliquorum canonum ſtatuta obiiciat. quia quidquid contra illorum diffinitionẽ, in quibus Spiritum ſanctum locutum eſſe credimus, dictum fuerit, recipere, non ſolum temerarium, ſed etiam periculoſum eſſe non dubito. Valdè enim metuo, & contremiſco illam damnationem, quam ille ſacerdos, propter ſtultam indulgentiam, accipere meruit. qui pro eo, quod filios ſuos negligenter caſtigauit, & eos nec cedere, nec excommunicare voluerit, ipſi filij vna die occiſi ſunt, & xxx. millia de populo interfecti ſunt, & arca teſtamenti capta eſt, & ipſe, retro cadens fractis ceruicibus mortuus eſt, & nomen ipſius de libro vitæ deletum eſt. &c. Contra Phinees, qui pro eo, quod zelo DEI commotus, duos adulteros pariter interfecit, totum populum de DEI iracundia liberauit. Nec hoc ideo dico, vt ſicut ille fecit, etiam nunc per mortem corporum ſacerdotes Domini debeant vindicare. ſed quia melius eſt, *vnusquiſque paruo tempore, donec viuit in hoc mundo, verecundiam, vel confuſionem ſuſtineat, quàm poſtea ad ſupplicia æterna peueniat. Et multum ei vtilius eſt, propter aliorum exemplum, quàm diu viuit, remotus ab honore pœnitentiam agat, & remedium ſibi in diem neceſſitatis adquirat. Quicunq; paruitati meæ in hac cauſa voluerit oneroſus exiſtere, aliud reſponſum dare non delibero, niſi quod ſupradicti canones continere videntur.

1. Reg. 2.

*Vt, videtur in M. S. deſiderari.

EX LIBRO PROSPERI QVANTVM REmedij habeat confeſsio peccatorum & quale mereatur occultatio doloſa ſupplicium.

Proſper. lib. 2. de vita contemplat. cap. 7.

HVc accedit, quod & ipſa peccata, ſic habentur occulta, vel aliena nobis, vel alijs noſtra, vt plerumq; & ſanctus inter peccatores lateat, & famam ſancti peccator obtineat. Innocentem ſi ſe tueri non poteſt, ſuſpicio iudicis incauta condemnat: & reum calliditas ingenij viuacis excuſat. Veruntamen non diuinum, ſed humanum fallunt iſta iudicium. Et quid mirum, ſi animos aliorum, quales ſint ſine cõfeſſione ipſorum neſcimus, cùm nos ipſos ita diu nouerimus; & quales futuri ſimus craſtino neſciamus. Cum verò nobis fratres quilibet peccata ſua, tanquam medicis vulnera quibus corrigantur, aperiunt; operam dare debemus, vt quantocyus ad ſanitatem, DEO auctore, perueniant,

niant, ne in peius diſſimulata curatione proficiant. Ea autem crimina quorumlibet, ſi ex ipſis criminoſis confiteri nolentibus vndecunque clauerint, quæcunq; non fuerint patientiæ leni medicamento ſanata, velut igni quodam piæ increpationis vrenda ſunt, & curanda.

Quod ſi nec ſic quidem æquanimiter ſuſtinentis, ac piè increpationis medela * proceſſerit in eis, qui diu portati, & ſalubriter obiurgati, corrigi noluerint, tanquam putres corporis partes debent ferro excommunicationis abſcindi. Ne, ſicut caro morbis emortua, ſi abſciſſa non fuerit, ſalutem reliquæ carnis, putredinis ſuæ contagione corrumpit; ita iſti, qui emendari deſpiciunt, & in ſuo morbo perſiſtunt; ſi moribus deprauatis in ſanctorum ſocietate permanſerint; eos exemplo perditionis ſuæ inficiant. Porrò illi, quorum peccata * humanæ notitiæ, nec ab ipſis confeſſa, nec ab aliis publicata, ſi ea confiteri, vel emendare noluerint, DEVM quem habent teſtem, ipſum habituri ſunt & vltorem. Et quid eis prodeſt humanum vitare iudicium, cùm, ſi in malo ſuo permanſerint, ituri ſint in æternũ, DEO retribuente, ſupplicium? Quod ſi ipſi ſibi iudices fiant, & velut ſuæ iniquitatis vltores hîc in ſe voluntariam pœnam ſeueriſſimæ animaduerſionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna ſupplicia, & lacrimis ex vera cordis compunctione fluentibus reſtinguent æterni ignis incendia. At hi, qui in aliquo gradu Eccleſiaſtico conſtituti aliquod occultè crimen admittunt, ipſi ſe vana perſuaſione decipiunt, ſi eis videtur propterea communicare, & officium ſuum implere debere, quod homines occultatione ſui criminis fallunt. Exceptis enim peccatis, quæ tam parua ſunt, vt caueri non poſſint, pro quibus expiandis quotidie DEO clamamus, & dicimus: Dimitte nobis debita noſtra: ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Illa crimina caueantur, quæ publicata ſuos auctores humano faciunt damnari iudicio. qui autem ea commiſerint, & ideo prodere metuunt, ne ſententiam iuſtæ excommunicationis accipiant, ſine cauſa communicant. Imò verò dupliciter contra ſe iram diuinæ indignationis exaggerant. quod & hominibus innocentiam fingunt, & contempto DEI iudicio, abſtinere ſe ab altari propter homines erubeſcunt. Quapropter facilius DEVM ſibi placabunt illi, qui non humano conuicti iudicio, ſed vltrò crimen agnoſcunt; qui, aut propriis illud confeſſionibus produnt: aut neſcientibus, quales occultè ſint, ipſi in ſe voluntariæ excommunicationis ſententiã ferunt, & ab altari, cui miniſtrabant, nõ in animo, ſed officio ſeparati, vitam ſuam tanquam mortuam plangunt:

Proſſ. vulg. Profecerit.

Proſſ. humanam notitiam latent.

Digitized by Google

certi, quod reconciliato ſibi efficacis pœnitentiæ fructibus, Deo, non ſolum amiſſa recipient, ſed etiam ciues ſupernæ ciuitatis effecti, ad gaudia ſempiterna perueniant. Amen.

Epiſtola Gregorij, Secundino ſeruo Dei *miſſa.*

Fragmentum eſt Epiſtolæ S. Greg. Magni lib. 7. Epiſt. 54. dignum quod propter varias Lectiones conferatur.

a *Edit. Ro. reſurgendi auctoritates ſcriberemus, dum ſe dicit de hoc can.*

b *Ed. R. Ideo ſanctas nos generales Synodos à Nicæna incipientes, hanc cũ n. c. ſequentes, ceteræ in cunctis canonicis ſent. vnanimiter.*

Eſa. 40. Ierem. 8. Eſai. 30. Pſal. 50.

Nam tua ſanctitas inde à nobis requiſiuit,[1] vt tibi de ſacerdotali officio poſt lapſum *a* reſurgendi, dum dicis, de hoc canones diuerſos te legiſſe, diuiſaſq; ſententias, aliâs reſurgendi, aliâs nequaquam poſſe. *b* Ideo nos generaliſſima qui à Niceno incipientes, cum reliquis quatuor veneramur. quia ipſum *c* ſequentes in cunctis ſententiis vnanimes concordantur. Nam & nos præcedentes nobis patres ſequimur: qui auctore Deo à ſacra doctrina illorum non diſcordamus. A capite itaq; incipientes, vsq; in quartum altaris miniſtrum, hanc formam ſeruandam cognoſcimus: vt ſicut minorem maior præcedit in honore, ita & in crimine, & quem maior ſequitur culpa, maiori plectatur vindicta, & poſt pœnitentia credatur fructuoſa. Quid enim prodeſt triticum ſeminare, & fructum illius non colligere? aut domum conſtruere, & non illa habitare? poſt dignam ſatisfactionem credimus poſſe venire ad honorem Propheta dicente: Numquid qui cadit, non adiiciet, vt reſurgat? Et: Qui auerſus eſt, non reuertetur? Et peccatori ait: In quacunq; die conuerſus ingemueris, tunc ſaluus eris. Vnde & Pſalmiſta ait: Cor mundum crea in me Devs, & ſpiritum rectũ innoua in viſceribus meis. Ne proiicias me à facie tua; & Spiritum ſanctũ tuum ne auferas à me. Dum enim petit, ne à Domino proiiceretur pro lapſi culpa, alienam rex & Propheta ſimul rapuiſſe vxorem tremefactus expauit, Propheta indicante flagitium ſuum pœnitentiam agens addidit: Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me. Si enim ſe, dignamq; Deo pœnitentiam nõ feciſſet: nequaquam aliis prædicaret. Ait enim: Docebo iniquos vias tuas, & impij, ad te conuertentur. Dum enim peccata ſua proſpexit Propheta mundatus per pœnitentiam, non dubitauit prædicando curare aliena, & ſacrificium de ſemetipſo offerre Deo ſtuduit cum dicebat: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Ad hoc iſta ſufficerent. Sed omnis ſententia, quo plus ſacræ ſcripturæ teſtimoniis confirmatur, facilius creditur. De hoc enim Propheta dicit: Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. De hoc peccantibus dicit: Peccator in quacunq; die ingemuerit, omnes iniquitates eius in obliuione tradentur,

ſi enim

Digitized by Google

ſi enim redemptor noſter, qui peccatores non perdere, ſed iuſtificare venit, in obliuione peccantium dereliquit delicta; quis hominum, condemnanda reſeruet, cum Apoſtolus dicat: Si DEVS iuſtificat, quis eſt, qui condemnet? Ad fontem miſericordiæ recurrentes Euangelicam proferamus ſententiam: Gaudebunt, inquit, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtos, qui non indigent pœnitentia: & ouem perditam nonaginta nouem non errantibus relictis, *a* humero ad ouile reportandam: ſi ouis errans propter inuentionem ad ouile humero reportatur *b* cur, precor, pœna ad Eccleſię miniſterium non reuocetur? Quid enim eſt grauius, carnale delictum admittere ſine quo è multis pauci inueniuntur, aut DEI filium timendo negare? in quo verbo hunc ipſum beatum Principem Apoſtolorum Petrum, ad cuius nunc corpus indigni ſedemus, lapſum eſſe cognoſcimus. Sed poſt negationem pœnitentia ſequuta eſt: & poſt pœnitentiam, miſericordia data. quia illum ab Apoſtolatu non expulit, qui ante ſeipſum negare prædixit. Tibi hæc, fili chariſſime, dicta ſufficiant; vt illum, quem conſpicis delicta fletu delere, in conſpectu diuinitatis non dubites miſericordiã conſequi, q nullum peccantẽ reuerſum deſpicit, qui peccatores ſanguine redimere venit.

Ezech. 18. *Rom. 8.* *Luc. 15.*

a Vulg. humero pii paſtoris ad ouile reportatam Dominus ipſe teſtatur. b Vulg. cur iſte poſt pœnitentiam ad Eccleſiæ miniſterium lapſus non reuocetur? Sicut in Apocalypſi dicitur de miniſterio Eccleſiæ: Memento vnde excideris, & age pœnitentiam & prima opera fac. Quid enim &c.

INCIPIT EPISTOLA HISIDORI EPIſcopi ad Maſonem Epiſcopum de reſtauratione ſacerdotis.

Domino ſancto, meritisq; beato fratri MASONI *Epiſcopo, Iſidorus Epiſcopus.*

VEniente ad nos famulo veſtro viro religioſo Nicetio, literas honorificentiæ veſtræ nobis detulit: in quibus agnitio ſalutis veſtræ nihilo minus perpatuit; maximè per eum portitorem, cuius lingua, Epiſtola viuens erat. Vnde pro ſalute veſtra gratiarum actionibus DEO noſtro repenſis in quantum valuit mediocritas noſtra vicem inquiſitionis ſtuduimus poſcentes veſtrorum meritorum ſuffragiis, diuinis commendare conſpectibus. Verùm quod ſequenter in epiſtolis venerabilis fraternitas tua innotuit, nulla eſt in huius modi ſententiis decretorum diuerſitas intelligenda: quod alibi legitur, in lapſu corporali reſtaurandum honoris gradum poſt pœnitentiam. Alibi

Digitized by Google

poſt huiuſmodi delictum nequaquam reparandum antiqui ordinis meritum. Hæc enim diuerſitas hoc modo diſtinguitur. Illos enim ad priſtinos officij gradus redire canon præcipit, quos pœnitentię pręceſſerit ſatisfactio, vel digna peccatorum confeſſio. At contra hi, qui neq; à vitio corruptionis emendantur, ad hoc ipſum carnale delictũ, quod admittunt, etiam vindicare quadam ſuperſtitioſa temeritate nituntur; nec gradum vtiq; honoris, nec gratiam communionis recipiunt. Ergò ita eſt vtraque dirimenda ſententia, vt neceſſe ſit illos reſtaurari in loco honoris, qui per pœnitentiam reconciliationem meruerunt diuinæ pietatis. Hi nec immeritò conſequuntur ademptæ dignitatis ſtatum, qui per emendationem pœnitentiæ recepiſſe noſcuntur vitæ remedium. Id enim, ne fortè magis ambiguum ſit, diuinæ auctoritatis

Ezech. 16. ſententia confirmetur. Ezechiel enim Propheta ſub typo præuaricatricis Hieruſalem oſtendit, poſt pœnitentiæ ſatisfactionem priſtinum reſtaurari honorem. Confundere, inquit, ô Iuda, & porta ignominiam tuam. Et poſt paululum: Et tu, inquit, & filia tua reuertimini ad antiquitatem veſtram. Quod dixit, Confundere, oſtendit, poſt confuſionem, id eſt peccati opus debere quenquam erubeſcere: &, pro admiſſis ſceleribus, verecundam frontem humi proſtratam demergere pro eo, quod dignum confuſionis perpetrauerat opus. Deinde præcipit, vt portet ignominiam, id eſt, dehonorationem nominis, ſiue dignitatis. Ergò, dũ quisq; poſt opera confuſionis ſuę lugens cũ humilitate portauerit, reuocari ſecundum Prophetam ad priorem ſtatum.

Apoc. 2. Item Ioannes Euangeliſta angelo Epheſi Eccleſiæ inter cætera ſimile quiddam ſcribit: Memor eſto, vnde cecideris, & age pœnitentiam, & prima opera tua fac: alioquin venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo. In Euangelio Eccleſiæ præpoſitum, id eſt, ſacerdotem

Malach. 2. oſtendit: iuxta Malachiam, qui dicit: Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam: & legem exquirent de ore eius, quia angelus* Domini eſt. Præpoſitus ergò lapſus in vitium, per Euangeliſtam monetur, vt memor ſit, vnde ceciderit, & pœnitentiam agat, & prima faciat opera, vt non moueatur candelabrum. Nam condelabrum angeli, doctrina ſacerdotalis, vel honor poteſtatis, quem geſtat, intelligitur, iuxta quod ſcriptum eſt apud Samuelem in damnationem Heli: Oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam DEI, antequam exſtingueretur. Lucerna quippe DEI fuerat, quando dignitate ſacerdotali pollens, iuſtitię claritate fulgebat. Exſtinctam Propheta aſſerit, dum ob ſcelera filiorum, ſacerdotij poteſtatem, meritorumq; lumen amiſit. Candelabrum

G Domini exercituum eſt.

1. Reg. 3.

brum ergò, ſiue lucerna ſacerdotis, (quæ intelliguntur chariſmata honoris) tunc pœnitus iuxta Ioannem exſtinguitur, vel mouet, quando poſt delicti caſum, neglecta pœnitentia, admiſſa ſcelera nō deflentur. Non enim dixit, Pro eo, quod cecidiſti, commouebo cādelabrum tuum, ſed, Niſi pœnitentiam egeris, mouebo candelabrum tuum. Ergo quemquam præpoſitum peccantem, ſi ſuperueniret pœnitentia delicti, vtiq; ſequeretur & reparatio meriti. Et in Prouerbiis: Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur. Qui confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. *Prou. 28.* Nam & ipſum quod canonum cenſura poſt ſeptem annos remeare pœnitentem in ſtatum priſtinum præcipit, non hoc ex electione proprij arbitrij patres, ſed potius ex ſententia diuini iudicij ſanxerunt. *33.q.2. Hoc ipſum.* Nam legitur quod Maria ſoror Moyſi Prophetiſſa, dum obtrectationis aduerſum Moyſen incurriſſet delictum, illicò ſtigmate lepræ perfuſa eſt. Cumq; peteret Moyſes, vt emendaretur, præcepit eam DEVS extra caſtra ſeptem diebus egredi, & poſt emendationem rurſus eam in caſtra admittit. Maria ergò ſoror Aaron, caro intelligitur ſacerdotis: quæ dum ſuperbiæ dedita ſordidiſſimis corruptionum contagiis maculatur, extra caſtra ſeptem diebus, id eſt, extra collegium ſanctæ Eccleſiæ ſeptem annis proiicitur. quibus poſt emendationem vitiorum loci, ſiue priſtinæ dignitatis recipit meritum. Ecce, inquantum valuimus Concilij Anquiritani antiquam planè, & plenam auctoritate ſententiam ſacris teſtimonis explanaui; oſtendens eum poſſe reſtaurare proprium honorem, qui per pœnitentiæ ſatisfactionem nouit propria delicta deflere. Eum verò non poſſe reſtaurari, qui nec luget, quæ geſſit, & lugenda ſine vllo pudore religionis vel timore iudicij diuini committit. In finem autem Epiſtolæ huius hoc adiicendum, vt quotieſcunq; in geſtis conciliorum diſcors ſententia inuenitur, illius Concilij magis teneatur ſententia cuius potius extat auctoritas. Data ſub die pridie Kal. Mar. Anno IV, regni Domini Witerici regis.

Varia

Digitized by Google

VARIÆ LECTIONES IN EPISTOLAM ISIDORI AD MASONEM.

FRagmentum huius Epiſtolæ Iſidori, quam Halitgarius, ſiue alius quiſpiam in pœnitentiale hoc vna cum aliis congeſſit, extat in libro pœnitentium Rabani Mauri cap. I. quem Antonius Auguſtinus Archiep. Tarraconenſis, antiquitatis perітiſſimus, vna cum aliis Pœnitentialibus Antiquis edidit, & notis illuſtrauit. Item apud Gratianum diſt. 50. c. 28. Domino ſancto, apud Burchardum lib. 19. c. 73. & Iuonem l. 3. tit. 11. c. 17. & alios. Sed Iacobus du Preul monachus S. Germani à pratis adornauit recentem editionem operum S. Iſidori, hancq; Epiſtolam, quæ prius mutila extabat, integram dedit. Nos vero quia præter membranas m. ſ. Halitgarij, in quibus hæc epiſtola erat, nacti etiam ſumus ex celeberrimo VVeingartenſi monaſterio alias membranas m. S. vbi hæc itidem Epiſtola eſt; ideo dignum cenſuimus varias lectiones annotare.

H	denotat	Membranas m. S. Galli in quibus Halitgarius continetur.
I		Iſidori recentem editionem Iacobi du Preul
R		Rabani Mauri librum pœnitentium, vbi hæc Epiſtola Iſidori.
W		Weingartenſes membranas m. S.

Ad Maſonem] *Ita &* W. *Item 33. q. 2. c. 11. quæ lectio omnium maxime placet. Burchardus lib. 19. cap. 73. vocat* Maſſonem. *Rabanus & Panorm. Maſsionem* Maſſanum *edit. recens I. & Gratianus diſt. 50. cap. 28. & Iuo lib. 3. tit. 11. cap. 17. Alij Maſonum & Maſſenum vocant. quas varias lectiones vide in notis Antonij Auguſtini ad librum pœnit. Rabani.*

De reſtauratione ſacerdotis] *Ita H. Sed I. de lapſu ſacerdotis & reparatione.*

Domino ſancto] *I. Domino verè ſancto.* W. *Domino ſuo, meritisq; beato.*

Iſido-

Iſidorus] *H. Hiſidorum aliquoties vocat, licet & Iſidorum. W. Yſidorum appellat.*

Veniente ad nos] *Sic & W. niſi quod vocat Nicecium. I. veniens ad nos famulus veſter, vir religioſus Nicetius.*

Mediocritas noſtra] *W. mediocritas noſtra vice inquiſitionis ſtuduimus p. v. m. ſ. diuinis nos commendare conſpectibus. I. mediocritas noſtra inquiſitioni veſtræ ſtuduit reſpondere: poſcentes veſtrorum meritorum ſuffragiis, diuinis nos c. c.*

Sequenter] *Ita H. & I. ſed G. conſequenter.*

Venerabilis] *Ita & W. in I. hæc vox abeſt.*

Innotuit] *W. innotuit; nulla eſt in huiuſmodi ſententiis decretorum diuerſitas intelligẽda. Quod alibi legitur, id eſt, in Canone Anquirano cap. xix. poſt lapſum corporalem reſtaurãdum honoris gradum poſt pœnitentiam. Alibi verò legitur: Poſt huiuſmodi delictum, nequaquam reparandum antiqui ordinis meritum. Paulo aliter legit I. & R.*

Officii gradus] *Ita & W. & R. vox officii, in I. abeſt.*

Ademptę dignitatis] *H. vitioſè honores adepti. d. R. vitioſè, adeptæ dign.*

Poſt confuſionem] *Ita & W. ſed R. vitioſè. poſt confeſſiones id eſſe. I. oſtendit poſt peccati opus.*

Vt portet ignominiam] *W. hic copioſius ita legit. vt poſt ignominiam, id eſt, deiectionem nominis ſiue dignitatis, reuertatur ad antiquitatem. Ergo dum quiſque poſt opus confuſionis ſuæ confunditur, atque ignominiam portat, & depoſitionem ſuam luget cum humilitate, reuocari ſecundum Prophetam. I. vt portet ignominiam depoſitionis ſuæ, lugens cum humilitate. Quam ſi portauerit, reuocari ſecundum Proph. R. vt portet ignominiam depoſitionis ſuæ, lugens cum humilitate, quod peccauerat. Sic quoque reuocari ſecundum Prophetam.*

Quæ intelliguntur] *W. quæ intelligitur chariſſima honoris.*

Non deflentur] *W. non delentur.*

Ergo quenquam] *I. Ergo quenquam præpoſitum peccantem, ſi præuenerit pœnitentia delicti, vtique ſequitur & meriti. W. Ergo quenquam p. p. ſ. p. p. d. vtique ſequitur & reparatio meriti. R. Ergo q. p. p. ſ. p. p. d. vtique ſequitur & venia.*

Ex electione proprii] *W. non hoc ex elatione ſancti Patres proprii arbitrii. Vbi tamen, vox, elatione, correcta eſt, & repoſita, electione.*

Soror Moyſi] *I. & R. ſoror Aaron.*

Quibus poſt] *I & R. vbi poſt.*

Anquiritani] *W. Anquirani. I. Ancyritani. In R. hæc vox abeſt.*

Digitized by Google

Poſſe reſtaurare] W. *reſtaurari in proprio ordine. I. oſtendens eum proprio honori poſſe reſtaurari, qui, R. oſtendens eum poſſe reſtaurari proprio honore.*

Magis teneatur] W. *magis tueatur ſententia, cuius antiquior aut potior exſtat auctoritas.*

Data ſub die] *Hanc vocem, Data, repoſui ex I. nam H. legit: Dicit ſub die. In ceteris ita legit I. Data ſub die* II. *Kal. Martii annò* III. *Regnante domino noſtro Victerico glorioſo Rege. Omnia hæc abſunt in* W. *&* R. *In margine I. hæc annotata ſunt. Erat annus Chriſti* 609. *Nam iſte Victericus regnare cœpit æra* 645. *id eſt, anno Chriſti* 607. *Auctores Rodericus Toletanus lib.* 2 *de rebus Hiſpaniæ cap.* 16. *& de iiſdem Rodericus Santius parte* 2. *cap.* 22. *Item Ioan. Vaſæus in ſuo Chronico ſub eodem anno.*

Finis var. lect.

SENTENTIA CVIVSDAM DOCTORIS.

Immunditia dicit.

NOn eſt grande facinus ſine concubitu maris, & fœminæ, vel propriis, vel alterius inquinari manibus.

Sed integritas carnis reſpondet.

NOn ſic Apoſtolus. Quid ergò ait: Neque immundi regnum Dei poſſidebunt.

Luxuria dicit.

CVr te in voluptate tua modò non dilatas, cùm quid te ſequatur, ignores. Acceptum tempus in deſideriis perdere non debes. quia quàm citius pertranſeat, neſcis. Si enim miſceri DEVS hominem in voluptate coitus nollet, in ipſo humani generis exordio, maſculum & feminam non feciſſet.

Sed caſtitas illibata reſpondet.

NOlo ignorare te, fingas, quid poſt hanc vitam recipias. Si enim piè, & caſtè vixeris, ſine fine gaudebis. Si verò impiè, & luxurioſè, æternis incendiis ſubiacebis. Inde autem magis caſtius viuere debes, vnde quàm citius tempus acceptum pertranſeat, ignorare dicis. quodq; in exordio generis humani ad hoc maſculum & feminam DEVM creaſſe profiteris, vt mutuis ſe amplexibus miſcere deberent, omnino veriſſimè dicis. Sed quia nubendi licentia quibuſdam tribuitur

Digitized by Google

tur, hoc eſt, qui virginitatem, & caſtimoniam vidualem nequaquam profeſſi ſunt. quibuſdam autem non tribuitur, id eſt, qui virgines, vel continentes eſſe decreuerunt. Fornicatio verò nulli impunè conceditur. non attendis, an contemnendum putas, quod Apoſtolus lubricis dicit? Fugite fornicationem fratres. quodcunque enim peccatum fecerit homo, extra corpus eſt. qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. Quod ſi hoc paruipendendum exiſtimas, audi quod poſtea in ſempiternum deploras & gemas. Neque adulteri, inquit, neque fornicarii, neque maſculorum concubitores regnum Dei poſſidebunt. O quàm parua eſt concubitus hora, qua perditur vita futura. Quod ergò emolumentum affert corpori, quodúe tribuit lucrum, qui tàm citò animam ducit ad tartarum.

Spiritalis Fornicatio dicit.

NVmquid aliquid damnandum agit is, qui in corde libidini conſentit, & ad opus concupitæ libidinis non pertranſit?

Et munditia cordis reſpondet.

OMninò delinquit, qui animæ caſtimoniam non cuſtodit. Vnde & auctor munditiæ in Euangelio dicit; Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. quia contra per beatum Iob dicitur: Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. quam enim partem haberet Devs in me deſuper, & hæreditatem omnipotens de excelſis. Niſi enim auctori noſtro cogitatio praui conſenſus diſpliceret, nequaquam per Eſaiã diceret: Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis. Et in Euangelio Phariſæis, Quid cogitatis mala in cordibus veſtris? ſed nec Paulus Apoſtolus diceret: Cogitationum inter ſe accuſantium, aut etiam defendentium, in die, qua iudicabit Devs occulta hominum ſecundum Euangelium meum.

Ex regula ſancti Fructuoſi.

MOnachus paruulorum, aut adoleſcentium conſectator: vel qui oſculo, vel qualibet occaſione turpi deprehenſus fuerit inhiare: comprobata patenter per accuſatores veriſſimos, ſiue teſtes, cauſa, publicè verberetur; coronam capitis, quam geſtat, amittat: decaluatuſque turpiter, opprobrium pateat: omniumque ſputamentis oblinitus in facie, probraque æquè ſuſcipiat: vinculiſque arctatus

ferreis, carcerali ſex menſibus anguſtia maceretur: & triduana per hebdomadas ſingulas refectione panis exigui hordeacei, veſpertino tempore ſubleuetur. Poſt deinde, expletis his menſibus, aliis ſex menſibus, ſuccedentibus ſub ſenioris ſpiritalis cuſtodia ſegregata in corticula degens opere manuum, & oratione continua ſit contentus. Vigiliis, & fletibus, & humilitate ſubiectus, & pœnitentia lamentis veniam percipiat: Et ſub cuſtodia ſemper, & ſolicitudine duorum ſpiritaliũ fratrum in monaſterio ambulet, nulla priuata loquutione, vel conſilio deinceps iuuenibus coniungendus.

Plurimi nequaquam pleniter intelligentes iudiciorum ſententias in regula ſancti Patris noſtri Benedicti, aliter, quàm præcipit, iudicare ſolent. Sciendum itaque eſt: quatuor ibi contineri modos, quibus delinquentium error corrigitur. Primus namque eſt, quem idem Pater Benedictus proprio iudicio determinauit, vt eſt, qui per negligentiam tempore conſtituto ad nocturnos non pulſauerit ſignum; vnde in oratorio ſatisfieri iubet: &, qui ad officium diuinum tardè occurrerit: & qui per negligentiam hora refectionis ad menſam: &, ſi cui offertur aliquid à Priore, & accipere renuerit: &, ſi quis dum pronuntiat Pſalmum, aut lectionem, fefellerit: &, qui pro aliqua arte extollitur. Secundus eſt, de ſpiritalibus rebus: vnde ipſe dicit; Si quis frater contumax, aut inobediens, aut ſuperbus, aut murmurans: vel in aliquo, id eſt, ſpiritali tantùm contrarius exiſtens ſanctæ regulæ, qui proficiendo vſque ad ſeptem gradus extenditur: Occulta videlicet caſtigatio. publicè corripiendo in leuioribus culpis: excommunicando: in ieiuniis nimis affligendo: verberibus coërcendo: pro eodem inemẽdato ab omnibus orando: atque ad vltimum, de monaſterio expellendo. Tertius, de rebus exterioribus: hoc eſt, ſi quis damnum per negligentiam aliquod intulerit monaſterio. Quartus, de criminalibus delictis.

Denique per ordinem eoſdem repetentes; de primo ſciendum, quod nullatenus aliter, niſi quod regula iubet, fieri debet, hoc eſt, non aliud, ſed proprium eſt iudicium ponendum. De ſecundo, ſolicitè cõſiderandum. quia non omnibus perſonis ſupraſcripti gradus conuenire poterunt. quia, aliter corrigẽdi ſunt honeſti, aliter improbi. Nam regula præcipit de contumacia, vt ſecretè ſemel, aut bis admoneatur. Et alibi dicit: Si contumax fuerit, de monaſterio expellatur. Neceſſe eſt ergò, vt iuſto moderamine vtrunque decernatur, qualiter ſecundum regulam, & contumax ſecretè moneri poſſit, & de monaſterio

ex-

Digitized by Google

expelli. Ille namque ſecretè eſt admonendus, qui licet aliquid à Priore imperatum refutans, mox tamen increpatus, emendationem promittens, qui & honeſtus iure dici poterit. Et ille, de monaſterio expellendus, qui & contumax exiſtit, & nullo vnquam pacto adquieſcit ſuſcipere diſciplinam: quem omnimodò contumacem regula vocat. Vnde & meritò improbus eſt dicendus. quanquam & improbum illum etiam vocet, qui licet frequenter corripiatur, diſciplinæ tamen regulari non contradicit: qui honeſtatem, quam prius, dum ſe emendare profitens, habere videbatur, relinquens, ad improbam, duramque mentem tranſit. Neque, vt ſuprà dictum eſt, omnibus perſonis, omnes gradus conuenire poterunt. quia videlicet diuerſæ ſunt qualitates mẽtium; vt, vnde vnus medetur, inde alter perimitur. quapropter quorundam verberibus ſunt coercendæ perſonæ, minimè verò quorundam: de quorum qualitatibus regula dicit: Secundum vniuſcuiuſque, inquit, q̃ualitatem, vel intelligẽtiam, omnibus ſe conformet, & aptet. Itemque alibi: vt viderit cuique expedire prudenter, & cum caritate ſtudeat amputare vitia. Et notandum tria inſpicienda ſemper in iudicio eſſe. Perſonam videlicet, intentionem, atque modum delicti. Perſonam, vtrum intellectu, & modeſtia vigeat: vel duritia, & inquietudine mentis contradictor exiſtat. Intentionem, vtrum ſtudio, an infirmitate deliquerit. Modum, vtrum grauiter, vel certè leuiter errauerit. Vnde & regula dicit: ſecundum modum culpæ, excommunicationis, vel diſciplinæ debet extendi menſura. Igitur omnis ſpiritaliter delinquens, tamdiu ſecretè moneri debet, donec ſeipſum eſſe improbum reddendo, ab occulto tranſeat ad publicum. In qua publica correptione ſi non emendauerit, ad excommunicationem leuiorum culparum tranſibit. Vbi, cùm diutius nequiuerit corrigi, nimium ieiuniorum maceratione affligatur. Per quam non correptus, ſi perſona extiterit talis, flagellorum coërceatur acredine. Sin verò perſonæ non admiſerit conſideratio, communiter ab omnibus miſericordia imploretur omnipotentis. Quod ſi nec iſto modo ſanatus fuerit, proiiciatur à corpore monaſterii. Et, ſi contigerit, vt per negligentiam dum aut in occulto, aut in publico admoneatur aliquid damni monaſterio intulerit, excommunicetur in leuioribus culpis, ſecundum modum culpæ. Et, peracta pœnitentia, iterum reuertatur ad id, vbi prius tenebatur, & non ſolùm, dum verbis monetur, verùm etiam ſi aliquo ex ſupra dictis gradu deprimatur. Capitula quoque iſtiuſmodi noſcenda ſunt, quibus ordinatè intelligi valeant. Primum Capitulum eſt, XXIII.

Digitized by Google

ibi omnes gradus inueniri valent. Secundus verò Capitul' eſt, de pueris minore ætate, qualiter corripiantur xxx. Vbi facilè patet, quod in vicesimo tertio ſcriptum eſt: ſin autem improbus eſt, vindictæ corporali ſubdatur. In fine videlicet cap. xxx. vbi dicit; Hi tales, dum delinquunt, aut ieiuniis nimis affligantur, aut acribus verberibus coërceantur, vt ſanentur. Hunc ſequitur xxviii. De his, qui ſæpius correpti, emendare noluerint. Vbi ſimiliter ſeptem prædicti gradus inſerti ſunt. De tertio autem modo iudiciorum, ſicut ſuprà depoſitũ eſt, de damno cuiuslibet rei, exteriori eſt intelligendum: vbi ſolummodò animaduertendum, ſi negligentia interueniente, damnum extiterit factum, tunc ſecundum modũm delicti, & perſonam, & intentionem, leuioribus culpę iudicium ſubiacebit. In quo modo continetur, quidquid in regula inuenitur, ſiue grauiſſimę vindictæ ſubiaceat, ſeu grauiori, ſeu regulari, ſeu excommunicetur, ſeu excommunicationi ſubiaceat. Præter hoc, quod in quibuſdam locis inuenitur, diſtrictiori diſciplinæ ſubiaceat: quod quidam ita intelligi volunt, vt, ſi occultè, aut publicè verbis monebatur, in eodem gradu acrius corripiatur. Quartus quoq; modus, vt prædictum eſt, de capitalibus criminibus, conſtat: fornicatione videlicet, adulterio, atque ebrietate aſſidua, cæteriſque quæ nullo modo, niſi pœnitentia corporali ſecundum auctoritatem canonicam purgantur. In quibus, & modus, nec non & perſona, atque intentio ſemper inſpicienda ſunt. Vbi pariter quoque ſanctorum Patrum inſtitutio ſolicitè eſt perpendenda.

FINIS.

S. 151.

Digitized by Google

S. ISIDORUS

De

CONVERSIS

SIVE

AD

MONACHOS.

Nunc primùm ex m.ſ. membranis celeberrimi Monaſterii S. Galli editus.

Ad

Ad Lectorem.

HOc Opuſculũ inuenimus in m. ſ. membranis Monaſterii S. Galli tali titulo prænotatum: *Sancti Yſidori de conuerſis*. Et in fine vltimæ paginæ: *Yſidorus ad Monachos*. Non extat in Iacobi du Preul recenti Iſidori editione, quam accuratè apparauit, multis editis opuſculis, quæ anteà lucem non viderunt. Equidem gaudeo me nactum eſſe hunc m. ſ. codicem, quantumuis litera non ſolùm fugiente ſcriptum, ſed quæ pœnè legi nequeat, & vitioſiſsime. attamen verè theſaurum cenſeo, quicquid de reliquiis operum S. Iſidori Hiſpalenſis erui poteſt. De Iſidoro enim Iuniore hîc tantùm cogito. nam vt Iſidoro ſeniori, itidem Hiſpalenſi, vel Iſidoro Cordubenſi tribuam, nec ſuſpicari volo. Iſidori eſſe hoc opuſculum, ipſe teſtatur hic cap. 10. his verbis: *Væ mihi miſero Iſidoro, qui & pœnitere retro acta negligo, & adhuc pœnitenda committo*.

SAN-

SANCTI ISIDORI DE CONVERSIS. m. ſ. Yſidori.

NON inchoantibus præmium promittitur, ſed perſeuerantibus datur, ſicut ſcriptum eſt: Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Tunc enim placet Deo noſtra conuerſio, quando bonum, quod inchoamus, perſeuerante fine continenti non perdiderimus, id eſt, opus bonum conſummauerimus. Indulgentia peccatorum ſciendum vbi, quando, vel qualibus datur. Vbi quippe, niſi intra Eccleſiam Catholicam? Quando, niſi ante venturi exitus diem? quia ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Qualibus, niſi conuerſis? qui per humilitatem ad paruulorum tranſierunt imitationem. de quibus dicitur: Talium eſt regnum cœlorum. Nemo perpendere poteſt, quanti ſit ponderis iuſtitia, vel quanti fulgoris radio iuſtitia clareſcat, niſi quis prius toto mentis adniſu conuertatur ad Dominum; quatenus ipſo lumine, quo illuſtratur, & ſuam fœditatem agnoſcat; & lumen quod cœco corde non intuebatur, intelligat. Tunc aio inattigibilem intelligi poſſe iuſtitiam, dum eam quiſque qui conuerſus, tentauerit. Quia lux non intelligitur, niſi cùm videtur. Iudicium quod in hominis poteſtate conſiſtit, conuerſionis eſt gratia, per quam noſmetipſos iudicamus, quando nos flentes mala noſtra punimus; bono, quod ex Deo nobis eſt, ſolidius inhæremus. Tripertitum deſcribitur eſſe vniuſcuiuſque conuerſi, id eſt, primum corrigendi à malo. Secundum, faciendi bonum. Tertium, conſequendi boni operis præmium. Nam quod ait Propheta: Solue faſciculos deprimentes: mali eſt emendatio. Quod verò adiecit: Frange eſurienti panem tuum: operis boni eſt actio. In eo verò quod ſubiungit: Tunc erumpet matutinum tuum: operis boni eſt retributio. Ergo non proficit facere bonum, niſi correctum fuerit malum. Nec poterit quiſquam ad contemplationem Dei proficere, niſi prius in bonis ſtudeat actibus exercere. Multis mo-

Marginalia: 1. — Mat. 24. 13 — 2. Cor. 6. 2 — Mat. 19. 14. — Eſa. 58. 8.

Digitized by Google

dis terret Deus homines, vt vel ſerò conuertantur, atq; exinde erubeſcant, quòd tam diu expectati ſunt, vt redirent. Nam nunc minis, nunc plagis, nunc reuelationibus quoſdam concutit; vt qui voluntate conuerti deſpiciant, commoti terribiliter, corrigantur. Plerique ex ſola mentis deuotione conuertuntur ad Deum. nonnulli verò vocati plagis conuertuntur. Qui ex deuotione non conuertuntur, iuxta capitu-
Pſal. 31. 9. lum Pſalmi, dicentis: In freno & camo maxillas eorum cõſtringes, qui non approximant ad te. Plerique autem dum deuotione non conuertuntur, plagæ ſtimulis feriuntur, qui tamen ſub verbere ſentiunt, vt aliquatenus corrigantur. Sicut Ægyptus, quæ & pœnas dedit, & emen-
Ier. 5. 3. dari nequiuit. De talibus enim ait Propheta: Percuſſiſti eos, & non doluerunt; attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam. Nonnulli viri ſeculares elatione mentis tumentes, poſtmodum conuerſi ad Deum religioſa ſequũtur obedientia Chriſti. & qui ante celſitudine mundiali tumebant, poſtea ipſam elationem in ſtudia humilitatis commutant. Quidã ſunt, qui iam ſecretè conuerſi ſunt: quorũ conuerſio quia non ꝓcedit ad publicũ, apud exiſtimationem humanã quales fuerunt, tales adhuc eſſe putantur; iam tamen in Dei oculis ſe correxerunt. Item quidam adhuc humano iudicio ſtare cernuntur: iam tamen in Dei oculis ceciderũt. Multi apud homines ſuperbi ſunt, & apud Deũ electi. Itẽ multi apud homines electi putãtur, & apud Deum reprobi exiſtũt,
Eccl. 8. 10. Salomone docente: Vidi impios ſepultos: qui cùm adhuc viuerent, in loco ſancto erãt, & laudabãtur in ciuitate quaſi iuſtorum operum. Nullus ſe putet electum, ne fortè apud Deum ſit reprobus.

De primordiis conuerſorum.

1. TRimodum genus eſt conuerſionis ad Deum: inchoationis, cum dulcedine; medietatis, cum labore; perfectionis cum requie. Sed tamen plerunq; alii incipiunt à dulcedine, alii à tentationũ amaritudine. Omnis conuerſus ante ex fletu inchoet peccatorum, & ſic tranſeat ad deſiderium ſupernorum. Prius enim lacrimis purganda ſunt vitia, quæ geſſimus, & tunc mundata mentis acie, id quod quærimus, contemplemur; vt dum anteà flendo peccati à nobis caligo detergitur, mundatis cordis oculis, liberè ſuperna inſpiciantur. Ante neceſſe eſt timore conuerti ad Dominum, vt metu futurarum pœnarum carnales illecebræ deuincantur. Deinde oportet abnegato timore,
1. Ioã. 4. 18. ad amorem vitæ æternæ tranſire. Perfecta enim charitas foras mittit timorem, qui autem timet, pœnam habet, & non eſt perfectus. Vnde

&A-

& Apoſtolus ait: Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis. per quem ſcilicet iam non peccati pœna ſeruos comprimit, ſed amor iuſtitiæ liberos reddit. Neceſſe eſt omni conuerſo, vt poſt timorem conſurgere ad charitatem Dei debeat, quaſi filius; ne ſemper ſub timore iaceat quaſi ſeruus. Tunc enim amorem noſtræ conuerſionis oſtendimus, ſi Deum velut patrem diligimus, quem prius ſeruili mente verè vt Dominum formidabamus. Primordia conuerſorum blandis refouenda ſunt modis, ne ſub aſperitate incipiant exterriti ad priores lapſus recurrere. qui enim conuerſum ſine lenitate erudit, exaſperare potius, quàm corrigere nouit. Conuerſus quiſquis antea ab opere corrigendus eſt, poſteà verò à cogitatione ac mutatione: vt prius refrenet prauum actum, deinde appetitum ad delictum. Quod in opere non apparet, in cogitatione nequaquam perdurat. Omnis noua conuerſio adhuc priſtinæ vitæ habet commixtionem: propterea nequaquam ea victus procedere ad hominum oculos debet, donec conuerſatio vetus funditus ab animo extirpetur. Quiſquis ex deteriore iam melior eſſe cœpit, caueat acceptis extolli virtutibus, ne grauius per vanam gloriam corruat, quàm prius per lapſum vitiorum iacebat. Rom. 8. 15

De conflictu conuerſorum.

QViſque conuerſus ſi mox omnes carnales ſtimulos calcare cupit, & ſumma virtutum ſubire contendat, ſi fortè adhuc aliqua aduerſa de carnis moleſtiis tolerat, non frangatur. quia diſpenſator bonorum nouit aduerſitatis reprimere vitium ſucceſſione virtutum. Tunc magis grauari ſe quiſque impulſu vitiorum agnoſcit, dum ad cognitionem Dei acceſſerit. Sicut populus Iſraël grauiore onere ab Ægyptiis premitur, dum per Moyſen diuina illi cognitio aperitur. Vitia enim ante conuerſionem, quaſi pacem in homine habent: quando autem expelluntur, acriore virtute conſurgunt. Fiunt autem inimica cõuerſo, quæ peccatori proſperè blandiebantur: atq; itẽ fiunt blanda conuerſo, quæ peccatori aduerſa extiterunt. Multos habet conflictus Dei ſeruus ex recordatione operum præteritorum. multique poſt conuerſionem etiam nolentes motum libidinis ſuſtinent. quod tamen ad damnationem non tolerant, ſed ad probationem, ſcilicet vt ſemper habeant ꝑ excutienda inertia hoſtẽ, cui reſiſtant: dummodo non conſentiant. Vnde & nouerint ſerui Dei etiam à peccatis ſe

eſſe mundatos, ſed tamen cogitationum turpium adhuc interpellatione pulſari. Ante conuerſionem præcedit turba peccatorum; poſt conuerſionem ſequitur turba tẽtationum: illa ſe obiiciunt, ne ad Deum conuertamur; iſta ſe ingerunt, ne liberi cordis oculis Deum cernamus. Vtriuſque tumultus inſolentia nobis gignit intentionem, quæ noſtra ſæpè fraude multimoda intra concludit. Vtile eſt Dei ſeruo poſt cõuerſionem tentari; quatenus à torpore negligentiæ ſolicitantibus vitiis, ad virtutes animum per exercitium præpararet vitiorum.

De remiſſa conuerſione.

IV. MVltos remiſſa conuerſio in primos reducit errores, ac viuendi teporem reſoluit. Horum ergò exempla quiſque conuerſus deuitet, ne dum timorem Dei à tepore incipis, rurſus mundanis erroribus immergaris. Tepidus in conuerſione, otioſa verba, & vanas cogitationes noxias eſſe conſpiciat. Quod ſi à torpore mẽtis euigilet, aduertat; ea quæ leuia exiſtimabat, confeſtim quaſi horrenda atque atrocia pertimeſcat. Fraus & deſidia in omni bono opere formidanda eſt. Fraudem facimus Deo, quoties de bono opere noſtro noſmetipſos, non Deum laudamus. deſidia agimur, per torporem languidè ea quæ Dei ſunt, operamur. Omnis ars ſeculi huius ſtrenuos amatores habet. & ad exequendum promptiſſimos; & hoc propterea; quia præſentem habet operis ſui remuneratorẽ. ars verò diuini timoris pleroſq; habet ſectatores languidos, tepidos, pigritia, inertia colligatos. Sed hoc prouenit inde, quod labor eorum non pro præſenti, ſed pro futura remuneratione differtur; ideoque dum eorum laborem mercedis retributio non ſtatim conſequitur, ſpe pæne diſſoluta langueſcunt. Vnde & magna illorum gloria præparatur, qui boni conuerſionis vitæ principia augmento ſolidiore conſummant, atq; eò ad promerendã retributionem clariores præparantur, quò firmius duri itineris labores inchoant & conſummant. Quidam primo conuerſionis calore ad virtutes ſeſe accingunt. accedente verò progreſſu, dum immoderatè terrenis rebus incipiunt pulſari, infiniti appetitus obſcuratur. Vnde &
Matth. 13. Dominus de bono ſemine dicit: Quod autem cecidit in ſpinis, hi ſunt, qui audiunt verbum Dei, & ſolicitudine ſeculi, vel fallacia diuitiarum ſuffocant verbum; & ſine fructu efficitur. Nuper conuerſi nequaquã debent in curis & terrenis rebus prouehi; nam implicantur confeſtim, quaſi plantata arbuſcula, & necdum præfixa radice, concutiuntur pariter & areſcunt. Valet interdum conuerſis pro animæ ſalute mutatio

loci. Plerunque enim dum mutatur locus, mutatur & mentis affectus. Congruum eſt enim inde etiam corporalia velle, vbi quiſq; illecebris deſeruiuit. Nam locus vbi prauè quiſq; vixit, in aſpectu mentis opponit, quod ſemper ibi vel cogitauit, vel geſſit.

De exemplis Sanctorum.

AD conuerſionē ſeu correctionem mortaliū multū ꝓſunt exempla Sanctorū. Nam ad cetera perfectorū exempla mores inchoantiū non queunt ꝓficere ad benè viuendum. Reprobi autē non attēdunt documenta bonorū, q̄ imitētur ad melius. Sed ꝓponunt ſibi exempla malorū, & ad ſuorū morum peruerſitatē imitantur in peius. Ob hanc vtilitatē ſcribūtur Sanctorū ruinę & reparationes, vt ſpem faciāt ſalutis humanæ; ne quiſquam poſt lapſum pœnitendo deſperet veniā, dum conſpicit Sanctorum reparationem fuiſſe poſt ruinam. Sciant flagitio dediti, ad quam vtilitatem eorum exempla proponantur Sanctorum. ad exemplum nimirū Deus propoſuit, vt quanto de imitatione eorū conferre poſſunt nobis iuſtitiæ p̄mium, tanto de perſeuerātia mali ſint grauiora tormenta. Si enim ad boni incitamentum diuina, quibus admoneremur præcepta deeſſent, ꝓ lege nobis Sanctorum exempla ſufficerent. At contra dum & Deus nos p̄ceptis ſuis admonuit, & vitæ Sanctorum boni operis nobis exempla proponunt, nulla eſt de reatu excuſatio. Quia & lex Domini quotidiè aures noſtras pulſat; & factorum documenta bonorum cordis noſtri intima prouocant. Et ſi prauorum ſæpè ſecuti ſumus exempla, cur non imitemur Sanctorum, digna & Deo placita facta? Et ſi apti ſumus imitari iniquos in malo, cur pigri ſumus imitari iuſtos in bono? Orandus eſt Deus, vt virtutes, quas Sanctis præparauit ad coronam, nobis ad profectum ſint poſitæ, non ad pœnam. Proficient autem ad profectum noſtrū, ſi tot exempla voluerimꝰ imitari virtutum. Certè ſi ea potius auerſati, quàm imitati fuerimus, ad damnationem noſtram erit, qui ea legendo implere neglex imus. Multi vitā Sanctorum imitantur, & de moribus alterius effigiē virtutis ſumunt; tanquā ſi imago quælibet intendatur, & de eiꝰ ſimilitudine ſpecies picta formetur. ſicq; fit ad imaginē ſimilis ille, ꝗ ad ſimilitudinē viuit imaginis. Qui ſanctum virum imitatur, quaſi exemplar aliquod intuetur, ſeſeq; in illo quaſi in ſpeculo perſpicit, vt adiiciat ꝙ deeſſe virtutis agnoſcat. Minus enim ſeipſum homo ex ſemetipſo conſiderat: ſed dum alterum intendit, id ꝙ minꝰ eſt luminis, adiicit. Perfectorū eſt iam virorum, non quælibet Sanctorum imitando,

Gen. 1. 26. ſed ipſam veritatem intuendo, ad cuius imaginem facti ſunt, juſtitiā operari. Hoc indicat quod inſcribitur: Faciamus hominem ad ſimilitudinem noſtrā & imaginem. Quia ipſe intelligendo imitatur diuinitatem, ad cuius factus eſt, ſimilitudinem. Iſte ergo tantus eſt, vt non fugiat hominem demonſtratorem juſtitiæ. Sed ipſam contemplando juſtitiam imitetur exempla Sanctorum, quibus ædificatur homo, varias conſeruare virtutes; humilitatis ex Chriſto, deuotionis ex Petro, caſtitatis ex Iohanne, obedientiæ de Abraham, patientiæ de Iſaac, tolerantiæ de Iacob, caſtimoniæ de Ioſeph, manſuetudinis de Moyſe, conſtantiæ de Ioſue, benignitatis de Samuel, miſericordiæ de Dauid, abſtinentiæ de Daniel. Sic & cætera facta priorum quò labore, quo moderamine, qua vel intentione, vel compunctione gerantur, vir ſanctus imitando conſiderat.

Extat S. Iſidori liber de vita vel obitu Sanctorū.

De compunctione cordis.

VI. COmpunctio cordis eſt humilitas mentis cum lacrimis, exoriens de recordatione peccati & timore judicii. Illa eſt conuerſis perfectior cōpunctionis affectio, quæ omnes à ſe carnaliū deſideriorū affectus repellit, & intentionē ſuā toto mētis ſtudio in Dei contēplationē defigit. Gemina eſt cōpunctio. qua propter Deum anima cuiuſq; electi afficitur, id eſt, vel dum operum ſuorū mala conſiderat, vel dū deſiderio æternæ vitæ ſuſpirat. Quatuor ſunt qualitates affectionum, quibus mens iuſti tædio ſalubri compungitur, hoc eſt, memoria præteritorū facinorū, recordatio futurarū pœnarum, cōſideratio peregrinationis ſuæ in huius vitæ longinquitate deſideriū ſupernæ patriæ, quatenus ad eā quantocius valeat peruenire. quiſquis peccatorū memoria cōpungitur ad lamēta, tunc Dei ſeruus ſe vitare ſciat præſentia quando id, ex quo ſe amiſiſſe recolit in terris erubeſcit, ſuoq; iudicio pudenda jam punit. Nā tūc Petrus fleuit, quādo in eū Chriſtus reſpexit. Vnde & Pſalm. Reſpexit, inquit, & cōmota eſt, & cōtremuit terra. Greſſus Dei ſunt in cor hoīs in terrore, quādo bona deſideria ſurgūt, vt calcētur mūdana. Quādo ergo iſta in corde hoīs fiūt, ſciendū eſt, tunc eſſe Deū per gratiā cordi humano præſentē. Vnde ſe tūc magis homo acuere ad cōpunctionē debet, quādo ſentit & Deū interius operantē. Quoties hoīes juſti ex vera cōpunctione rapiuntur, & qualiter infirmati reuertuntur. Deguſtatæ lucis magnitudinē illā noſſe poſſe.* qui iam aliquid exinde guſtauit. Sunt qui non ex vera cordis cōpūctione ſui accuſatores fiūt, ſed tantū ad hoc eſſe ſe peccatores aſſignāt, vt ex ficta humilitate cōfeſſionis, locū inueniāt ſanctitatis.

Lucæ 22. 61.

Digitized by Google

De confeſsione peccatorum & pœnitentia

EX eo vnuſquiſque iuſtus eſſe incipit, ex quo ſui accuſator extiterit. Multi autẽ ſemetipſos peccatores fatẽtur, & tamẽ ſemetipſos à peccato non ſubtrahunt. Magna iam iuſtitiæ pars eſt, ſeipſum noſſe. Homo quid, niſi cinis eſt? vt ex eo diuinæ virtuti ſubdatur humilius, ex quo ſuam infirmitatem agnoſcit. Benè de ſe iuſtus in hac vita ne iudicetur à Deo dãnatione perpetua. Tunc autẽ iudiciũ de ſe q̃ſq; ſumit, quãdo per dignã pœnitẽtiã ſua praua facta cõdẽnat. Amaritudo pœnitẽtiæ facit animũ & ſua facta ſubtilius diſcutere, & dona Dei quæ cõtẽpſit, flẽdo cõmemorare. Nihil autẽ peius, quàm culpã agnoſcere, nec deflere. Duplicẽ debet habere fletũ in pœnitẽtia omnis peccator; ſiue quia ꝑ negligẽtiã bonũ non fecit; ſiue q̃a malũ per audaciã perpetrauit. Quod .n. oportuit, nõ geſſit; & geſſit q̄ agere nõ oportuit. Ille pœnitẽtiã dignè agit, q̃ ſic deprecata mala deplorat, vt futura iterũ nõ admittat. Nã q̃ peccat, & iterũ admittit peccatũ, quaſi ſi q̃s lauet laterẽ crudũ, quẽ quãto magis eluerit, tãto magis lutũ facit. Quãuis quiſq; ſit peccator & impius, ſi ad pœnitẽtiã cõuertatur, cõſeq̃ poſſe veniã creditur. Nullus .n. de bonitate Dei dubitet, ſed ſola impœnitẽtiũ prauitas cõferri ſibi indulgẽtiã abnegat. In hac vita tãtũ pœnitẽtiæ patet libertas. poſt mortẽ verò nulla correctionis eſt licentia. Vnde Dñs dicit: Me oportet operari eius, q̃ me miſit, donec dies eſt. Veniet autẽ nox, quando nemo poteſt operari. Hinc & per Prophetã: Date, inq̃t, Dño Deo veſtro gloriã anteq̃ cõtenebreſcat, id eſt, anteq̃ mors æterna præueniat. In hac vita dũ eſtis, Deum per pœnitentiam glorificate. Adhuc in hoc ſæculo pœnitentiam operantibus Dei ſubuenit miſericordia. in futuro autem non operamur, ſed ratione noſtrorum operum punimur. Per id deteriorãtur plerunq; iniqui, per quod per patientiam Dei ſpatium accipiunt emendandi. quam illi morã viuendi non vtuntur ad pœnitentiam, ſed ad peccãdi vſurpãt audaciã. Ad malum autẽ deterius vadit, qui tempus ſibi ad pœnitẽdũ indultũ, ad libertatẽ praui operis vtitur. Feſtinare debet ad Deũ pœnitendo vnuſquiſq;, dum poterit; ne ſi, dum poteſt, noluerit, cùm tardè voluerit, omninò non poſſit. Proinde Propheta ait: Quærite Dominum, dum inueniri poteſt: inuocate eum, dum prope eſt oĩbus inuocantibus ſe. Nam tunc lõge eſt, quando dixerit: Ite in ignem æternũ. Modo enim non videtur, & propè eſt: tunc videtur, & prope non eſt, quia & videri poterit, & non poterit inueniri. Si quando

Ioan. 9. 4.

Ier. 13. 16.

Eſa. 55. 6.

Mat. 25. 41

quando quiſq; peccare poteſt, pœnitet, vitamq; ſuam viuens ab omni crimine corrigit, non dubium, quod moriens ad æternam transeat requiem. Qui autem prauè viuendo pœnitentiam in mortis agit periculo, ſicut eius damnatio incerta eſt, ſic remiſſio dubia. Qui ergò cupit certus eſſe in morte de indulgentia, pœniteat, ſanuſque perpetrata facinora deleat. Sunt qui pœnitentibus ſecuritatem citò pollicentur, quibus benè per Prophetam dicitur: * Curant contritionem filiæ populi mei, cum ignominia; dicentes, Pax: & nō eſt pax. Cum ignominia igitur curat contritionem, qui peccanti, & non legitimè pœnitenti promittit ſecuritatem. Vnde & ſequitur: Confuſi ſunt qui abominationem fecerunt, id eſt, confuſi ſunt non * pœnas * lugendo. Aliter enim confunditur coram iudice reus dum plectitur, atque aliter quidem in malo opere erubeſcens corrigitur. Ille enim qui apprehenſus eſt, confunditur; iſte quia ſe malum feciſſe memoratur, quamuis per pœnitentiam propitiatio peccatorum ſit, ſine metu tamen eſſe non debet. Quia pœnitentiæ ſatisfactio diuino tantùm penſatur iudicio, non humano. Proinde quia miſeratio Dei occulta eſt, ſine intermiſſione flere neceſſe eſt. Neque enim vnquam oportet pœnitentem habere de peccatis ſecuritatem. Nam ſecuritas negligentiam parit, negligentia autem ſæpè incautum ad vitia tranſacta reducit; dum per pœnitentiam fuerint expulſa. Ad hominem vitia ſi fortè poſthac intercedente ſecuritate qualibet ſubreperent, confeſtim delectationes priſtinæ vitiorum mente auidius repunt, pulſanteſque hominem in conſuetis operibus grauius pertrahunt, ita vt ſint nouiſſima illius peiora prioribus.

Ierem. 6. 14. * *m. l. curãte. f. & curabant. vel, curãtes.* * *hic aliquid deeſt.* * *f. luendo*

Matt. 12. 45

De deſperatione peccatorum.

VIII. NOn per locorum ſpatia, ſed per affect⁹ bonos, vel malos, itur, receditur à Deo. neq; in greſſu pedũ, ſed greſſu morũ elõgamur, vel ꝓpinquamus ad Deũ. Perpetrare flagitium aliquod, mors animæ eſt. Contemnere pœnitentiam, & permanere in culpa, deſcẽdere in infernũ poſt mortẽ eſt. Ergò peccare ad mortẽ pertinet, deſperare verò, in infernũ deſcendere. Vnde & ſcriptum eſt: Impius dum in profundũ malorũ venerit, cõtemnit. Sæpè diabolus eos, quos cõuerti ad pœnitẽtiã aſpicit, immanitate ſcelerũ ꝑculſos ad deſperationẽ deducit; vt ſubſtrata ſpe veniæ, in diffidẽtia, quos nõ potuit retinere ꝑſeuerãtes in culpa. Sed pœnitẽs ꝓuideat callidas cõtra ſe hoſtis inſidias, ſicq; Dei iuſtitiã metuat, vt tamen, quãuis in magnis ſceleribus de miſericordia eius

confidat. Amplius lætatur Deus de anima deſperata, & aliquando conuerſa, prodigo filio, qui mortuus fuerat, & reuixit, perierat, & inuentus eſt. de cuius regreſſu magnum fit gaudium patris. nam ait, coram Deo & angelis copioſius eſſe gaudium de eo, qui à periculo liberatur, quàm de eo, qui nunquam nouit periculum peccati. Quanto enim contriſtat res perdita, tanto magis, ſi fuerit inuenta, lætificat. Sicut in Euangelio Paſtor ille exultat, qui perditam ouem inuentam, humeris ſuis gaudens reportauit. Nullus deſperare debet veniam, etiamſi circa finem vitæ ad pœnitentiam conuertatur. vnumquemq; enim DEVS de ſuo fine, non de vita præterita iudicat. Hoc quippe ex legis teſtimonio edocetur, quod homo de ſuo extremo iuſtificatur, quando DEVS pro aſini primogenito ouem iuſſit offerri, hoc eſt, immunditiam vitę prioris mutandam innocentia boni finis. Vnde & cauda iubetur offerri in hoſtia, id eſt, vita extrema in pœnitentia. Multi ſuperna reſpecti gratia, in extremis ſuis ad DEVM conuertuntur per pœnitentiam, & quæcunq; mala geſſerunt, quotidianis fletibus purgant, atque bonis factis male geſta cōmutant. quibus iuſtè totum quod deliquerant, ignoſcitur; quia ipſi, quod male geſſerunt, pœnitendo cognoſcunt. In vita hominis bonus finis quærendus eſt. Quoniam non reſpicit, quales antea viximus, ſed quid erimus, cùm vitam finimus.

Luc. 15. *Exod. 13. 13.* *Leuit. 7. 3.*

De his qui à Deo deſeruntur.

IX.

DEo deſerente nullum pœnitere; DEo reſpiciente, vnumquemque facta videre & plangere, & vnde ceciderit, cogitare. Nonnulli autem ita deſpiciuntur à DEO, vt deplorare mala ſua non poſſint, etiamſi velint. Conſilium immundorum Spirituum hoc eſt, vt quia ipſis negatum eſt poſt præuaricationem regredi ad iuſtitiam, obſerare aditum pœnitentium hominibus cupiant; ne vel ipſi reuertantur ad DEVM. eosq; ſocios in perditione habere contendunt; quibuscunq; fraudibus inſiſtentes, vt aut deſerantur à DEO, aut flagelli immanitate deſperent. Ingemiſcendum eſt iugiter, & poſtpoſita ſecuritate lugendum, ne DEI ſecreto & iuſto iudicio deſeratur homo, & perditus in poteſtate dæmonum reliquatur. Nam reuera quem DEVS deſerit, dæmones ſuſcipiunt. Dominici contemptores præcepti ſtatim vt auertunt à DEO, à malignis ſpiritibus occupantur; à quibus etiam vt mala faciant, perſuadentur. Hinc eſt illud Propheticum: Inimicos DEI perſequuntur tenebræ, qui intelliguntur dæmones. Vnde & in Pſalmo legitur: Immiſſiones per angelos malos. Quidam reproborum in poteſtate

Nahū. 1. 8. *Pſa. 77. 49.*

Digitized by Google

Eſai.34.17. teſtate dæmonum occulto Dei iudicio & iuſtiſſimo rediguntur, Iſaia teſtante: Ipſe diuiſit eis ſortem, & manus eius diuiſit eis in menſuram: vſq; in æternum poſſidebunt eam. Quidam electorum dimittuntur diuina iuſtitia incedere in horrore peccati; ſed tamē miſeratione eius reducti denuo conuertuntur. De talibus enim per Prophetam Dominus loquitur: Et dimiſi eum & reduxi eum, & reddidi conſolationē. *Eſai.57.18. Sanaui eũ & reduxi.* Nonnunquam etiam reuertens Devs hominem quē deſeruerat, rurſus affligens viſitat, & per lacrimarum ac pœnitentiæ afflictionem à peccatis expurgat, dicente Iob ad Devm: *Iob 10. 16.* Propter ſuperbiam, inquit, quaſi leæna capies me; reuerſus mirabiliter me crucias. Reuertē enim Devs hominem cruciat, quando quem peccantem deſeruerat flagellandum, iterum viſitat. Malis actibus contra nos amplius cœleſtem iracundiam nequaquam prouocare debemus: quin potius ſi pœnitendo digna Deo geſſimus, ſeueritatem eius in clementiam commutabimus. Nam ille qui nos malos tolerat, non dubium eſt, quod conuerſus clementer ignoſcat. Nam quod ſeruatur nobis tempus pœnitentiæ, vt non ſimul morte obruamur præcipiti, ſed detur nobis locus ſatisfactionis, hoc totum de Dei procedit clementia; vt nos nō damnet crudeliter, ſed expectet ad pœnitentiam patienter.

De his qui ad delictum poſt lacrimas reuertuntur.

X.

IRriſor eſt, non pœnitens, qui adhuc agit, quod pœnitet: nec videtur Devm poſcere ſubditus, ſed ſubſannare ſuperbus. Canis reuerſus ad vomitum, & pœnitens ad peccatum. Multi enim lacrimas indeſinenter fundunt, & peccare non deſinunt. Quidā accepere lacrimas ad pœnitentiā, & effectū pœnitentiæ nō habuere. quia incōſtantia mentis, non recordatione peccati lacrimas fundunt. Nūc vero reuiuiſcente vſu, ea quæ fleuerunt, iterādo cōmittunt. Qui & præterita vult plangere, & actionibus ſecularib' incubare, iſte mundationē nō habet: quoniā agit quæ pœnitēdo flere poſſit. Eſaias peccatorib' dicit: *Iſai.1.16.* Lauamini, mūdi eſtote. Lauat itaq;, & mūdus eſt, qui & præterita plāgit, & flenda iterū non admittit. Lauat, & non eſt mundus, qui plangit, quæ geſſit, nec deſerit; & poſt lacrimas, ea quæ fleuerat, repetit. Sic deniq; alibi animum pœnitentiū, atq; iterū delinquentiū ſermo diuinus increpat, dicens: Quā vilis facta es nimis iterando vias tuas. *Iere. 2. 36. iterans vias.* Quiſquis ergo culpas præteritas plorat, hunc neceſſe eſt modum teneat, vt ſic admiſſa defleat, ne iterum flenda committat. * Væ mihi miſero Ysidoro, qui & pœnitere retro acta negligo, & adhuc pœnitenda committo.

** NB. hic S. Iſidorus ſe autorem huius libri probat.*

De

De peccato. XI.

DVobus modis peccatũ cõmittitur, id eſt, aut cupiditate, aut metu. vel dũ quisq; vult adipiſci quod cupit; vel timet, ne incurrat quod metuit. Quatuor modis committitur peccatũ in corde, quatuor perficitur & opere. Admittitur in corde ſuggeſtione dæmonum, delectatione carnis, conſenſione mentis, defenſione elationis. Cõmittitur opere nunc latenter, nunc palam, nunc conſuetudine, nunc deſperatione. Iſtis enim talibus & corde delinquitur, & opere malitia perpetrať. Tribus modis peccatum geritur, hoc eſt, ignorantia. quomodo peccauit in paradiſo Eua. Sicut Apoſtolus ait: Vir non eſt ſeductus, mulier autẽ ſeducta in præuaricatione fuit. Ergo Eua peccauit ignorantia: Adam induſtria: quia non eſt ſeductus, ſed ſciens, prudensq; peccauit. Qui vero ſeducitur, quî conſentiat euidẽter ignorat. De infirmitate magnus Petrus deliquit, quando ad metum interrogantis ancillæ Chriſtum negauit. Vnde & poſt peccatum amariſſimè fleuit. Grauius eſt infirmitate, quàm ignorantia quẽq; delinquere, grauiusq; induſtria, quam infirmitate peccare. Induſtria namq; peccat, qui ſtudio ac deliberatione mentis malum agit. infirmitate autem, qui caſu, vel præcipitatione delinquit. Nequius autem de induſtria peccant, qui non ſolum non bene viuunt, ſed huc bene viuentes, ſi poſſunt, à veritate auertunt. Sunt enim, qui ignoranter peccant; & ſunt qui & ſcienter; & ſunt etiam qui ignorantiæ excuſatione ſcire nolunt: vt minus culpabiles habeantur. qui tamen ſeipſos non muniunt, ſed magis decipiunt. Neſcire ſimpliciter, ad ignorantiam pertinet: noluiſſe vero ſcire, ad contumacem ſuperbiam. Voluntatem quidem proprij domini velle neſcire, quid eſt aliud, quem velle dominum ſuperbiendo contemnere? Nemo igitur ſe de ignorantia excuſet; quia dicitur: Non ſolum eos iudicat, qui à cognitione ſua reuertuntur, ſed etiam illos, qui neſcierunt; teſtante Domino per Prophetam: Diſperdam, inquit, homines à facie terræ, & eos qui auertuntur poſt tergum Domini, & qui non quæſierunt Dominum, nec inueſtigauerunt eum. Et Pſalmus: Effunde, inquit, iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt.

1. Ti. 2. 14.

Sophon. 1.

Pſal. 78. 6.

De ſuperbia. XII.

OMnibus deterior eſt ſuperbia; ſeu propter quod à ſummis perſonis & primis adſumitur; ſeu quod de opere iuſtitiæ & virtutis exoritur, minusque culpa eius ſentitur. Luxuria verò carnis ideo

notabilis omnibus eſt, quoniam ſtatim per ſe turpis eſt: & tamen penſante DEO, ſuperbiâ minor eſt. Sed qui detentus ſuperbia, non ſentit, labitur carnis luxuriâ, vt per hanc humiliatus, & à confuſione exſurgat, & à ſuperbia. Omnis peccans ſuperbus eſt, eo quod faciendo vetita, contemptui habeat diuina præcepta. Rectè ergo initium omnis peccati ſuperbia. Quia vbi præceſſerit mandatorum DEI inobedientia, transgreſſionis conſequitur culpa. Omnis ſuperbia tanto in imo iacet, quanto in alto ſe erigit; tantoq; profundius labitur, quanto excelſior eleuatur. Qui enim propria ſuperbia attollitur, per DEI iuſtitiam inclinatur. Qui inflantur ſuperbia, vento paſcuntur. Vnde & Propheta: Omnes, inquit, paſtores tuos paſcit ventus, hoc eſt, ſuperbiæ Spiritus. Qui de ſuis virtutibus ſuperbiunt, ex ipſis iudicandi ſunt operibus, quæ pro virtutibus vtuntur. quia rem bonam non bona voluntate faciunt. Nam reuera ſine humilitate virtus quælibet, & ſine caritate, in vitio computatur. Merito ſuperbiâ diabolus à ſuperna beatitudine corruit. Qui ergo de virtutibus attolluntur, diabolum imitantur; & exinde grauius corruunt; quia de excelſis labuntur. Superbia ſicut origo eſt omnium criminum, ita ruina cunctarum virtutum. Ipſa eſt enim in peccato prima, ipſa in conflictu poſtrema. hæc enim aut in exordio mentem per peccatum proſternit, aut nouiſſimè de virtutibus deiicit. Inde & omnium peccatorum eſt maxima: quia tam per virtutes, quàm per vitia humanam mentem exterminat. Ibi cadere ſuperbiam, vbi naſci....... Non ſit ſuperbis aliud culpa, aliud pœna; ſed ipſa culpa ſit illis & pœna. De ſuperbia naſcitur arrogantia; non de arrogantia naſcitur ſuperbia. Nam niſi præceſſerit occulta elatio mentis, non ſequitur aperta iactantia laudis. Ita ergo in culpa præponitur ſuperbia arrogantiæ, ſicut præfertur origine. Plerunq; ad elationis emendationem, prouidentia DEI, aliquo caſu nonnulli cadunt, pro quo lapſu reprehenſi à ſemetipſis humiliter ſapiant, & de muneribus DEI, à quo acceperunt, ſe laudari non appetant, ſed laudent DEVM. Vnde qui laudari volunt, vtilius eſt arrogantiam quocunq; vitio labi, & humiles poſt caſum DEO fieri, quàm per elationem ſuperbire, in grauiorisq; ruinæ damnationem per ſuperbiam irruere.

Eccl. 10.

Ier. 22. 22.

De fornicatione.

XIII. EX culpa ſuperbiæ abominanda carnis immunditia. Ita enim alterū pendet ex altero. Sed ſicut per ſuperbiam mentis, itur in proſtitutionem libidinis, ita per humilitatē mentis ſalua fit caſtitas carnis.

Deus

Digitized by Google

DEVS autem nonnunquam deiecit occultam mentis ſuperbiam per carnis manifeſtam ruinam. Libidinis naſcitur immunditia de animi occulta ſuperbia: exemplo primi hominis, qui mox per ſuperbiam contra DEVM tumuit, ſtatim carnis libidinem ſenſit, & pudenda operuit. Quapropter vnusquisq; ſuę deputet culpæ, quod cecidit, quoties libidine vincitur. Quia niſi præceſſerit latens ſuperbia, non ſequetur libidinis manifeſta ruina. Nonnunquam in gemino vitio Chriſtianus à diabolo appetitur, & occulto per elationem, & publico per libidinem: & dum euitat quis libidinem, cadit in elationem; item dum incautè declinat elationem, cadit arroganter in libidinem. Sicque ex occulto vitio elationis, ictus in aperto libidinis; & de aperto libidinis ictu, ictus in occulto elationis. Sed DEI ſeruus diſcretè vtrumq; penſans, ſic cauet libidinem, vt non incurrat in elationem; & ſic premit elationem, vt non reſoluat animum ad libidinem. Luxurioſis atq; ſuperbis dæmones plus fautores exiſtũt: dumq; in ceteris vitiis Spiritus malignus deſeruiuit, his tamen maiori familiaritate iunguntur, eisq; amplius iuxta deſiderium famulantur. Principaliter his duobus vitiis diabolus humano generi dominatur, id eſt, per ſuperbiam mentis, & luxuriam carnis. Vnde & Dominus in Iob loquitur de diabolo dicens: *Iob. 40. 16.*
Sub vmbra dormit, in ſecreto calami, in locis humentibus. Per calamum enim, inanis ſuperbia; per loca vero humentia, carnis demonſtratur luxuria. Per hæc enim duo vitia diabolus humanum poſſidet genus; vel dum mentem in ſuperbiam erigit, vel dum per luxuriam carnem conſumit. Multi luxuriæ ſubditi ſunt, & contumaci ſuperbia de ipſo luxuriæ opere gloriantur; & inde magis elati ſunt, vnde humiliari debuerant. Ad comparationẽ mali fit deterius, quando non ſolum flagitia vanitate laudis perditæ extolluntur. Sicut ſcriptum eſt: Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ. Quid enim peius *Pſal. 10. 3.*
quàm in flagitiis miſeros gaudere, de quibus iam debent copioſius deplorare? Libido tunc magis quæritur, dum videtur. Nam quidam ſapiens ait: Prima fornicationis oculorum tela ſunt, ſecunda verborum. Sed qui non capitur oculis, poteſt verbis reſiſtere. Sufficit natura, vbi adhuc liber affectus eſt. Qui delectationem refrenat libidinoſæ ſuggeſtionis, tranſit à conſenſu libidinis. Cito enim reſiſtit operi, qui titillanti non commodat delectationi. Durius impugnatur, qui vsque ad conſenſionem, etſi non vsque ad perpetrationem tentatur. Stimuli carnis, qui in Paulo, excitante Satanæ angelo incrant, ex lege peccati erant, quæ in membris hominum de neceſſitate libi-

dinis habitat. quare luctantem dum in ſe expugnat, perficitur de infirmitate libidinoſæ titillationis virtute ſuſcepti glorioſi certaminis. Seruorum Dei multa certamina de ſua carne mouentur. Nam quamuis in amore Dei eorū ſit incōcuſſa mentis intentio, tamen de carne, quam exterius geſtat, interna prælia tolerat. Devs autem, qui hæc ad probationem permittit, gratia protegente ſuos non deſerit. Ideo nonnunquam electi lapſu carnali corruunt, vt à vitio ſuperbiæ, qua de virtutibus tument, ſanentur. & qui de virtutum effectibus exiſtunt ſuperbi, vt cadant; carnis vitio humiliantur, vt reſurgant. Antequam perficiatur adulterium in opere, iam adulterium extat in cogitatione. Ex corde enim primum fornicationes ſunt auferendæ & non prorumpunt in opere. Hinc eſt quod per Prophetam dicitur: Accingite lumbos veſtros ſuper vbera veſtra, hoc eſt in corde libidines reſecate, quæ ad lumbos pertinent. Nam cor ſuper vbera eſt, non in lumbis. Libidinis immoderata licentia neſcit habere modum. Nam dum ſe vitioſus animus in explenda fornicatione, carne luxuriante laxauerit, nihilo minus ad alia nefanda ſcelera, ſuadentibus dæmonibus tranſit: dumque immoderata temeritas metas pudoris exceſſerit, crimen criminibus adiicit, paulatimque ad deteriora procedit. Non ita ſuauis eſt amantium, * immorantium incerta carnis libido, ſicut experta. Nec ita delectat fornicatio, dum primum committitur, nam repetitam actionem delectatione ingerit. Iam verò ſi in vſu venerit, tanto perditis dulcior fit, vt ſuperare difficile ſit. Vnde & ſæpe ex conſuetudine delinquendi, quaſi captiui ad peccandum cum quadam violentia trahimur, ſenſuſque noſtros in nobis contra rectæ voluntatis rebellare compedes ſentimus. Si plus oblectat mentem delectatio fornicationis, quàm amor caſtitatis, adhuc in homine peccatum regnat. Certè ſi iam amplius delectat pulchritudo intimæ caſtitatis, iam non regnat peccatum, ſed regnat iuſtitia. Non ſolum de commiſſa fornicatione peccatum regnat in homine; Si ſua adhuc delectatur, atque animum teneat, procul dubio regnat. Fornicatio carnis eſt adulterium, fornicatio animi, ſeruitus idolorum eſt. Eſt autem & ſpiritualis fornicatio, ſecundum quod Dominus ait: Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Omnis immunda pollutio, fornicatio dicitur: quamuis quiſq; diuerſa turpitudinis voluntate proſtituatur. Ex delectatione enim fornicandi varia gignuntur flagitia, quibus regnum Dei clauditur, & homo à Deo ſeparatur. Inter cetera ſeptem vitia fornicatio maximum eſt ſceleris

Eſai. 32. 11. Super vbera veſtra plangite,

** M.S. immo antium. fort. immo amentium.*

Matth. 5. 28.

Digitized by Google

leris. quia per carnis immunditiam templum DEI violat, & tollens membra Chriſti, facit membra meretricis. Maximè per carnis luxuriam humanum genus ſubditur diabolo, quàm per cetera vitia. Cùm enim ille variis tentamentis illectos homines conetur peruertere, magis autem mœchandi deſiderium ſuggerere. quia vtrumque ſexum in hoc vitio amplius ægrotare intendit. Dæmones enim ſcientes pulchritudinem eſſe animarum, caſtitatem, & per hanc hominem angelicis meritis, quibus illi lapſi ſunt, coæquare; liuore perculſi inuidiæ, iniiciunt ſenſibus corporis opus deſideriumq; libidinis, quatenus à cœleſtibus deorſum deiectum animum pertrahant, ſecumque, quod vicerint, gloriantes, ad tartara ducant. Quando impulſu dæmonum mens ad delectationem fornicationis impellitur, diuini iudicij metus, æterni tormenta incendij, ante oculos proponantur. quia nimirum omnis pœna, grauioris ſupplicij formidine ſuperatur. Sicut enim clauus clauum expellit, ita ſæpe recordatio ardoris gehennæ, ardorem excludit luxuriæ. Quidā in iuuentute luxurioſè viuentes, in ſenectute continentes fieri delectantur; & tunc eligunt ſeruare caſtitatem, quando eos libido ſeruos habere contempſit. Nequaquam in ſenectute continentes vocandi ſunt, qui in iuuentute luxurioſè vixerunt. Tales non habent præmium, quia laboris certamen non habuerunt. eos enim expectat gloria, in quibus fuerunt laborioſa certamina. *1. Cor. 6.*

Videntur aliqua deeſſe. nam in M. S. lineæ circiter decem, quæ ſequebantur, ſunt eraſæ.

FLAC.

Digitized by Google

Digitized by Google

FLACCI
ALCVINI
EPISTOLA
De
CONFESSIONE
Peccatorum facienda
AD
PVEROS
S. MARTINI.

Nunc primùm in lucem data.

Ex manuſcriptis membranis Monaſterij S. Galli.

Ad Lectorem.

TEſtatur Balæus Hæreticus Centuria ſecunda Scriptorum Britanniæ, Alcuinum de Confeſsione auriculari librum vnum ſcripſiſſe. Idem ex Balæo alij. Qui fortè hanc Epiſtolam intelligentes libri nomine affecerunt. Vt vt ſit, monumento hoc Lectorem fraudare noluimus, præſertim cum eiusdem argumenti Epiſtola ad Scotos exſtet inter epiſtolas Alcuini, quas primo Antiquæ lectionis tomo vulgauimus; & inde eam Illuſtriſsimus Baronius in appendicem decimi tomi Annalium retulit. Atq; hinc ſectarij huius ætatis diſcant, commentum eſſe, quod ipſi de Confeſsione peccatorum ſacerdotibus facienda, quaſi de nouitio inuento, petulanter garriunt.

Epiſto-

EPISTOLA ALCVINI AD PVEROS S. MARTINI DE CONFESSIONE PECCATORUM.

DIlectiſſimis in Chriſto filiis bonæq; ſpei adoleſcẽtulis qui in Eccleſia ſummi pontificis protectoriſq; magni beati Martini Domino IESV deſeruire vidẽtur atq; ab Eccleſiaſticis erudiuntur magiſtris in Domino DEO, ego Albinus bene cupiens ſalutis veſtræ æternæ, proſperitatis in Chriſto Domino ſalutem.

Deſiderans vos filij Chariſſimi in ſalutem animarum proficere veſtrarum, ideo aliquas paterno affectu vobis admonitiones dulci ſermone dirigere ſtudui, vt per eas præſentis vitæ proſperitatem, & futuræ, DEO miſerante, beatitudinem habere mereamini, & fragiles veſtræ ætatis annos in DEI ſeruitio edocti ad perfectum ſenectutis diem adducere. Vos quoq; ſancti patres lumina huius fraternæ congregationis doctores & ductores in omni bonitate iuuentutis deprecor, vt ammoneatis eos, id eſt, diſcipulos veſtros, vt ſtudioſè diſcãt, quæ DEO placent & ad ſalutem animarum pertinent ſuarum: quatenus ex illorum profectu & proſperitate vos perpetuam apud Dominum habeatis mercedem. Exhortamini illos ſobriè, caſtè, pudicè, cum omni humilitate & obedientia DEO ſeruire in bonis moribus, & ſancta conuerſatione, & religioſa caſtitate, & maximè de cõfeſſione peccatorum ſuorum. quia multæ ſunt contra adoleſcentulos Diabolicæ fraudis inſidiæ in deſiderio carnali & cæteris adoleſcentiæ vitiis. Sed nihil DEO donante, proficit in ſua Diobolus malitia, ſi puram volunt iuuenes facere confeſſionem, & fructus dignos pœnitentiæ agere, id eſt, vt vulneribus

Digitized by Google

Eccli. 17.20 vulg. vid. iuſtit. vulnera non ſuperadiiciant, & ſanata non reſaucient. ſiquidem pœnitentiæ eſt remedium, pœnitenda iterum non perficere. Scriptum eſt enim; pœnitentibus Deus dedit partem iuſtitiæ. Age igitur pœnitens propria ſcelera confitere, pande per confeſſionem tuæ iniquitatis ſecretum. Nota ſunt Deo, quæ in occulto feciſti; quæ ſi non dixerit lingua; non poterit celare conſcientia. Fruſtra intra parietes tua æſtimes crimina abſcondi. Patet Deo omne, quod abſconditum putas. & ſi hominis oculos in peccatis effugere valeas, nullatenus tamen Dei adſpectum latere poterit, quidquid in occulto geſſeris. Dic per confeſſionem peccata antequam iudicis iracundiam ſentias. Crede mihi, totum veniale erit, quod peccaſti, ſi confiteri non erubeſces: & per pœnitentiam purgare * curaberis, dicente Pſalmographo: *Dixi aduerſum me iniuſtitias meas Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Exſpectat Dominus à nobis confeſſionis ſacrificium, vt præſtet nobis delectabile indulgentiæ munus, qui vult omnes homines ſaluos fieri & neminem perire: eo dicente & in alio ſcripturæ loco: In quacunque die peccator conuerſus fuerit, vita viuet, & non morietur. O ſingulare clementiſſimi iudicis beneficium. ô magnificum diuinæ pietatis theſaurum. Propter hoc à peccantibus vult confeſſionis munus accipere, vt non inueniat, quod vlciſci debeat. Non ſimus ingrati tantæ beneuolentiæ redemptoris noſtri: qui magis vult ignoſcere, quàm punire; magis ſaluare, quam perdere. Adquiritur Domino, quod non punitur in ſeruo: & multum confertur auctori, ſi deputatus pœnæ veniæ condonetur. Nec optat vlciſci, qui paratus eſt miſereri: ipſo de ſe per prophetam dicente: Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Ecce verus vitæ auctor, qui non vult peccantis mortem, ſed conuertentis vitam: vnde & in Euangelio ipſa ait veritas: ſic erit gaudium in cœlo coram Patre veſtro & Angelis eius ſuper vno peccatore pœnitentiam agente: & in Propheta; dic tu iniuſtitias tuas prior, vt iuſtificeris. Ecce benignus eſt largitor veniæ, qui præbet pro lucro temporali æternitatis gaudium ipſo dicente; Beati qui lugent nũc, quoniam ipſi conſolabuntur: & alio loco: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos: ait enim vt diximus, dic tu prior iniuſtitias tuas, vt iuſtificeris, & non condemneris: vt maneat in te præmium pœnitentiæ, non vindicta peccatorum. Nunquid quaſi neſcius Deus nos confiteri hortatur peccata, qui priuſquam geſta eſſent, præſciebat: cuius prouidentiæ omnia pateſcunt occulta? Tunc enim poteris per-

Marginalia: * curabis. — *Pſal. 31.5. Dixi confitebor aduerſũ me.* — *Ezech. 33. 12.* — *Ezech. 33. 15.* — *Ezech. 33. 11.* — *Luc. 15. 7.* — *Eſai. 43. 26. Narra ſi quid habes, vt iuſtificeris.* — *Matth. 5. 5.* — *Mat. 11. 28.*

perfectum conſequi beneficiũ medicinæ, ſi nõ celes medico tuæ vulnera conſcientiæ. Opinor enim, niſi interpelletur Medicus, non curatur ægrotus. confeſſio tua medicina eſt vulnerum tuorum, & ſalutis tuæ certiſſimum ſubſidium. Homo ægrotus à medico quærit medicinam; qui ſæpe incerto *laborare deſudat in ægroto. Deus verò ſine labore ſanat: ſine tarditate medicamenta veniæ præſtat, ſi deuota lacrymis ſcripta in auribus pietatis ſuę *legatur pœnitentię. Nemo te homo melius reficit, quàm qui fecit. Nec alius ſanat; niſi qui flagellat & curat. ſolus enim nouit operis ſui fragilitatem, qui hoc tantum exſpectat, vt fatearis; mora non erit, vt ſaneris: qui per Prophetam Ezechielem ait: cum cõuerſus fueris & ingemueris, tunc ſaluaberis. Datur nobis à benigniſſimo iudice locus accuſandi nosmetipſos in peccatis noſtris coram SACERDOTE Dei: ne iterum accuſet nos in eis Diabolus coram iudice Chriſto: Vult vt ignoſcantur, ne puniantur in futuro. Igitur pius Pater, dum videt per pœnitentiam peccata noſtra à nobis damnari, gaudet miſereri, & proprium exercere munus miſericordiæ in pœnitentes optat, ſicut per Iſaiam teſtatur prophetam: Ego ſum, qui deleo iniquitates tuas; & iterum: conuertimini ad Dominum Deum veſtrum, quoniam miſericors & pius eſt, patiens & multæ miſericordiæ. Hoc ſciens beatus Dauid ait: Peccatum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitias meas non operui: è contra ſi peccatum, quod fecerit homo *negatur, pœna reatus accumulatur; quia punitur contumacia ſceleris negatione. Sed dicis forſan: Me terret meorum magnitudo peccatorum: quinimmo tanto magis inſiſtendum eſt tibi ô peccator, in medicina confeſſionis, ne pereas in putredine vulnerum, ſi medico erubeſcis aperire multiplices vlcerum dolores. Nullatenus diuinæ abundantiam clementiæ numeroſitas tuorum ſuperare poterit peccatorum. Ne tardes de die in diẽ, dicit ſcriptura, conuerti, quia neſcit quid ſuperuentura pariat dies. quia qualem te vltimus inuenerit dies, talis iudicaris. Nec te voluit Deus diem illum præſcire, vt ſemper paratus eſſes, qualem optas ante iudicem te ſtare, talem te præpara, dum habes tempus operandi. Eſto negotiator deuotus. Eme tibi regnum Dei pœnitentiæ lucris, memor Dominum dicentem: Pænitentiam agite, & adpropinquabit vobis regnum Dei. Pro te igitur, ô iuuenis, Deus homo factus eſt, vt te redimeret, & ſeipſum tradidit in mortem, vt te ſaluaret in vitam: quid tu iaces in morte ſcelerum? Surge & dic: Pater peccaui in cœlum. adduc tibi tuæ pœnitentiæ teſtem fidelem:

*f. laborat
*f. legantur
Ezech. 18.
Eſai. 43. 25.
Ioel 2, 13.
Pſal. 31. 5.
*negatur.
Eccli 5. 8.
Matth. 3. 2.
Luc. 15.

Munda vis habere veſtimenta; quare non multo magis quæris mundam te habere animam? Sordidus procedere non vis in conſpectu hominum; quare non multo magis times ſordidum peccatis te procedere in conſpectu Dei? Laua te lacrymarũ fonte; nequid in te eius *oculus maieſtatis offendat. Quis rogo cadens non quærit ſurgere? Quis infirmatur, & non deſiderat conualeſcere? Quis periclitatur, & non optat euadere? Pœnitebit te poſtmodum tarditatis, ſi non cogitaueris quid animæ tuæ proficiat ad ſalutem. Exſurge fili exſurge, placare Patrem pœnitentia, quem offendiſti ſcelere. Confitere culpam, vt ſaneris à Medico. Eſto in tua ſollicitus ſalute. Si tu ipſe tui ipſius non habes curam, quis tibi ad ſalutem prodeſſe poterit, vel quis tibi fidelis erit, ſi tu ipſe tibimet infidelis eſſe probaberis? Infidelitas eſt magna non curare de ſalute tua te moriente in peccatis, non reſuſcitare per pœnitentiam. Quanto longius receſſiſti pro ſcelerum magnitudine à Deo, tanto fortius per pœnitentiam appropinquare ſtudeas. Clemens Pater paratus eſt te accipere, ſi tu non tardaueris reuertere. Aſpera tibi videtur cõuerſio, carnalia relinquere deſideria; ſed multo durior conditio æternis te ardere flam̃is, & pro modica temporis luxuria pœnis tradi perpetuis. Quanti modò infernalibus deputati tormentis cõuerti voluiſſent, ſi ſpacium illis daretur conuertendi! Omnia quidem huius ſeculi dura in comparatione tormentorum infernalium leuia & quodammodo iocunda videntur. Seruiſti Diabolo in luxuria, *ſeruire Chriſto in caſtitate, vtriuſq; rei finem attende. Illa ſiquidem *idem luxuria hominem mittit in flammas. Caſtitas charitati coniũcta nos deducit in regnum Dei. Reuertere in viam de qua aberraſti. Ieiuniis corpus afficitur, ſed pulchritudo animæ paritur. Vilis ſit corporis cultus; ſed ipſe præcipuus eſt ſanctitatis ornatus. Vigiliarum aſſiduitas in orationibus & in laude Dei Angelicæ eſt imitatio vitæ. Parcus cibus, paſtus eſt animæ. Si habes vnde pauperibus porrige manum, quia manus pauperis gazophylacium eſt Chriſti. Nec de opere miſericordiæ te iuſtè excuſare poteris, dum calix aquæ frigidæ mercede remunerabitur perpetua: viſitare infirmos, mærentes conſolari, hoſpitibus occurrere, fame vel ſiti laborantes reficere, poſſeſſio eſt regni Dei in cœlis: ſicut in Euangelio legitur. Matth. 25. In talium, ô fili, operum exſecutione, peccatorum remiſſio adhibetur; inſuper & perpetuę beatitudinis præſtat ingreſſum. Noli degeneris animi eſſe. Dei filius in baptiſmo conſecratus es: ſed tam excellens nobilitas, non niſi morũ dignitate conſeruari poterit. Cœleſtis Pater, im-

* oculos.

* ſerui.

* eadem.

mo

mo omniũ Dominus peccatis ſubditos dedignatur habere filios. Excute de collo tuo iugum captiuitatis Diabolicæ. Recurre ad pietatẽ paternæ dilectionis. Reuertere ad Dominũ, fili, reuertere, & ex mortuo reuiuiſce, & ex perdito reparare. Quærit ouẽ bonus paſtor errantẽ, & amplius de inuenta, quã nõ perdita gratulatur, humeris ſuis inter Angelicos reuehit cœtus; animaduerte clementiſſimã Dominicæ pietatis ſententiã dicentis: Nõ enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores in pœnitentiã. Vocat ergo Dñs ad Pœnitentiã peccatores, quia magis optat ſaluare, quã dãnare, & plus cũ ſanctis nos gaudere, quã cũ Diabolo punire. Vocat nos per ſeipſum. Vocat per ſcripturas ſanctas. Vocat etiam per doctores Catholicos, vt reuertamur ad eũ; qui paratus eſt nos accipere, ſi nos non erimus pigri ad eũ venire. Audiamus beatũ Ioannem Euangeliſtã ad pœnitentiã nos exhortãtẽ. Dicit enim in Epiſtola ſua. Si dixerimus, quia peccata non habemus, nos ipſos ſeducim⁹, & veritas in nobis non eſt: ſi autem confeſſi fuerimus peccata noſtra; fidelis & iuſtus eſt Deus, vt nobis peccata noſtra dimittat, & mũdet ab omni iniquitate. Si null⁹ eſt ſine peccato, quis eſt qui pœnitẽtia nõ indigeat? Quæ ſine confeſſione vix fructuoſa fieri valet. Cõſideremus beati Iacobi Apoſtoli præceptũ dicentis. Cõfitemini alterutrũ peccata veſtra. Recordemur, quod redemptor noſter publicanũ peccatorẽ ſe confitentẽ Phariſæo ſe in ſua laudanti iuſtitia prætulerit. Scit enim conditor noſter fragilitatẽ naturæ noſtræ. Ideo medicamenta pœnitentiæ vulnerib⁹ noſtris perdonauit. Dicamus cũ Propheta: Sana me Domine & ſanabor. Itẽ: Domine ſana animã meã, ꝗa peccaui tibi. Idcirco chariſſimi filij feſtinate ad confeſſionis medicamentũ. Aperite vulnera in cõfeſſione, vt medicamenta ſalutis proficere valeant in vobis. Tranſeũt huius vitæ dies, & incerta eſt hora vnicuiq; noſtrũ qua reuertatᷣ puluis in puluerẽ & ſpirit⁹ redeat ad Dominũ, qui dedit illũ, vt iudicetᷣ ſecũdũ opa ſua. Auditura erit tunc anima quidqͩ hic copulata carne geſſit in occulto. Si nũc erubeſcit cõfiteri peccata ſua, & ꝑ pœnitentiã emũdari, ſtabit accuſator malign⁹ cõtra eã, ꝗ quõdã ſuggeſſit illi vt peccaret, ſi nos neglexerim⁹ ꝓuenire faciẽ iudicis in cõfeſſionib⁹. Quæcũq; enim humiliter cõfitemur in noſtris peccatis, nihil horũ diabol⁹ habet poteſtatẽ nobis obiicere in illo tremẽdo iudicio noſtrę vitę. Agite nũc iuuenes, adoleſcẽtes & pueri, liberate voſmetipſos de Diabolica ſeruitute. Concurrite per pœnitentiam ad clementiſſimam omnipotentis Dei pietatẽ. Nolite per deſideria carnis veſtrę ꝑdere gaudia cœleſtia, & æterni regni inter Angelicos cœt⁹ beatitudinẽ, ſed cõfortate voſmetipſos, & viriliter pugnate cũ aduerſario veſtro, vt fideliter mereamini

Luc. 15.
Matt. 9. 13.
1. Ioan. 1. 8.
Iacob. 5. 16.
Iere. 17. 14
Pſal. 40. 5.

coronari cum ſanctis DEI, & perpetuam cum illis poſſidere gloriam. Et vos ſanctiſſimi huius familiæ magiſtri & patres, docete filios veſtros piè, ſobrie, & caſtè viuere, coram Deo in omni humilitate, obedientia, & ſanctitate, & puram facere ſacerdotibus Chriſti confeſſionem peccatorum ſuorum & pœnitentiæ lacrymis abluere ſordes luxuriæ carnis, nec eas iterum repetere, quia poſteriora vulnera peiora ſunt prioribus: ſcientes voſmetipſos ſalutis filiorum veſtrorum æternam habere apud Dominum remunerationem, quatenus quorum miniſteriis vtimini in terris, eorũ proſperitatis mercedem habeatis perpetuam in cœlis.

Finis Epiſtolæ Alcuini.

Digitized by Google

De

S. ADALBERTO

PRAGENSI EPISCOPO

ET

MARTYRE,

Ottoni III. Imperatori

PERQVAM FAMILIARI,

PRVSSORVM,

BOEMORVM,

POLONORVM, &

Hungarorum

Apoſtolo.

Auctor æquæuus.

Nunc primùm in lucem editus ex membranis m. ſ. Monaſterii Windbergenſis in Bauaria in finibus Boëmiæ.

Digitized by Google

Martyrologium Rom. 23. April.

IN Pruſſia Natalis S. Adalberti, Pragenſis Epiſcopi & Martyris, qui Polonis & Hungaris Euangelium prædicauit.

Ad quæ Baronius notat.

De eodem hac die agitur apud Bedam & Adonẽ. Habet eius res geſtas Sur. tom. 2. Alias ab his diuerſas legimus in cod. m. ſ. Monaſterii S. Cæciliæ Trãſtiber. quarum eſt exordium: Eſt locus, &c. (Et ſunt hæc ipſa acta quæ hîc damus) *Plura de eodẽ in Breuiario Polonico. in epiſtola Petri Damiani de renunciando Epiſcop. De eodẽ in Actis S. Stephani regis Hungariæ. Sigebert. in Chron. an. 994. Æneas Silu. hiſt. Bohem. c. 16. Item Chron. vet. Polon. & nouiſſimè Mart. Chrom. de reb. Polon. lib. 3. qui eũ Martyrio occubuiſſe refert an. Dom. 997. Dies trãſlationis eius agitur tertio decimo Kal. Nouẽb. cuius etiam rei geſtæ hiſtoriã ſub Othone Imp. legi in vet. m. ſ. vbi agitur etiam de trãslatione ſanctorum Abundii & Abundantii.* Hæc Baron.

Fit

Digitized by Google

Fit mentio S. Adalberti in diſputatione cum Rokyzana coram Gyrzicone rege Bohemiæ, quam tomo 3. Antiq. Lect. edidimus. fol. 475.

Plurima de S. Adalberto Dubrauius lib. 6. hiſt. Bohē. initio.

Laudat & citat hæc quæ hic damus Acta S. Adalberti Baronius tom. 10. anno 983. nu. 20. & 22. & alibi.

Auctorem hunc S. Adalberto æquæuum fuiſſe hæc probant. Ait cap. 16. *Qui modò regnat tertius, & Deo iuuante, maximus Otto.* Et cap. 7. *quia ſecularis Philoſophia ſcientiſſimus erat, nouimus omnes.* Cap. 19. dum de Nilo Græcorum Abbate non longè à Caſſino, hæc habet: *Qui & vſque hodie ita amore Chriſti feruentem, non meminit ſe vidiſſe aliquem iuuenem.* Cùm verò paulo ante eodem cap. de iiſdem monachis ait; *Hi verò omnes propriis manibus victum quærentes, ſecundum regulam ſancti Patris noſtri Baſilii, cœleſtibus veſtigiis innituntur;* an fuit monachus Ordinis S. Baſilii?

Sed cap. 35. itidem: *Confeſſoris noſtri & Patris Benedicti.*

Cap. 24. *Ioannis filiam, qui nunc vrbis præfectus eſſe dignoſcitur.*

Cap. 28. Dicunt autem Abba & fratres eius de eo &c.

Cap. 42. De Ioannis Canaparii viſione. *vt adhuc hodie meminit.*

VITA VEL PASSIO SANCTI Adalberti Epiſcopi & Martyris Christi.

1\. ESt locus in partibus a GERMANIÆ, diues opibus, præpotens armis, ferocibuſque viris, quem incolæ BOEMIAM cognomine dicunt. huius maxima pars infidelitatis errore præuenta creaturam pro creatore, lignum vel lapidem pro DEO colunt; plerique verò nomine tenus CHRISTIANI, ritu gẽtilium viuunt, quibus cauſa periculi, fit res ſalutis. Nonnulli tamen ex eadem gente & benè credunt, & pro ſpe futuræ mercedis bona opera agunt.

a Boii in medio ſaltu ad Albis fontes, loco aperto, vberes agros, manſuro Boiohemi nomine tennere, inquit nobiliſſimus M. Velſerus libro 2. rerum Boicarum, initio, quem vide.

2\. Igitur in illis finibus, vbi CHRISTIANITATIS religio pulcherrima floruit, erat vir b ZLAVNICVS nomine potens in honore & diuitiis, amore iuſtitiæ, ac operibus miſericordiæ perrarus ciuis, vir magn' inter eius terræ habitatores, auro & argento locupletiſſimus, inter delicias fidus cuſtos diuinæ legis, ambulans ſolicitè iuxta præcepta Sacerdotum, charus toto populo, ſed propriè amicus pauperũm.

b Primæ duæ literæ in m. ſ. penè eraſæ erant, à manu, quæ nomen corrigere voluit. Nomen & dignitas apud Dubrauium qui lib. 6. hiſtor. Bohem. hæc: Slauonicus, Libicenſis Comes (ſic enim qui vicariam Principis iuriſdictionem regionatim per arces, vel oppida adminiſtrabant, tunc appellabantur, vt nunc quoque apud Hungaros, Comites vocãtur, & apud Polonos Palatini) filium ſuum Voytichium, egregia indole iuuenem, quem in aulam Cæſaris mittere deſtinarat, mutata ſententia, Magdeburgum miſit, vt ibi eiſdem inſtitutis & præceptis, in eodem quo Dethmarus cœnobio edoctus erat, imbueretur.

Hic accepit c vxorem dignam generis ſui, & ipſam honeſtis moribus plenam, quæ audiendo verba vitæ plus ſitiuit, eademq́ue operãdo famem non expleuit, nec delectabatur matronarum pompis, nec auro lapidibusq́ue precioſis, pro minimo ducens quæ ſtulti maxima putant. Sancta erat moribus, ſancta ſermonibus, fortis, vt dicunt, in ieiunio, familiaris Deo in oratione, mater lugenti pupillo, peregrino & viduæ gratiſſima ſoror.

c ap. Dubrauium ib. in margine vocatur Streſilaus, quã auctor familiaris ap. Sur. 23. Apr. ait fuiſſe ex genere Sclauorum nobiliſſimo.

Digitized by Google

Pro his ergo & his ſimilibus, quas ambo egerant virtutibus, honorauerunt eos nobiles, & diuites, & coluerunt, maximè pauperum turba. 3.

Itaq; cum de tam prænobili coniugio ſancta proles meritò foret naſcitura, inter magnanimos iuuenes, quos procreauerant, natus eſt illis puer ſpecioſior cunctis, cui poſt in ſacri BAPTISMATIS lauachro datum eſt nomen *d* WOYTECH.

d Voicech⁹ ſonat exercitum conſolationem, inquit auctor vitæ S. Adalberti ap. Sur. Præfuerat (inquit Dubrauius lib. 6 hiſt. Boem. initio) Vrbi Magdeburgenſis Præſulu nomine Adalbertus, quem primum omnium Otto Cæſar Metropolitem ibi inſtituit, virum à commendatione virtutum celebrem. Huic cum Voytichius ab omni item virtute commendatus eſſet, ſolenni more eum in religione Chriſtiana confirmat, & pro Voytichio, nomine ſibi ignoto, Adalbertum eum ſuo vocabulo appellat, ſicq; deinceps nominatus eſt.

Iſte quantus eſſet futurus cum ignoratum fuerit, parentes pepercerunt formæ eius, & præ nimia pulchritudine, quam habuit, deſtinauerunt eum ſæculo. Quidquid autem pius error, vel mala venia parentum in hoc deliquit, mox culpæ proditor cœleſtis iræ gladius correxit. Cerneres namque infantuli corpuſculum ſubita magnitudine excreuiſſe, & præ nimia inflatione ventrem toto corpore maiorem. Sic in horas dolore maiore addito, periculum mortis imminere cœpit.

Turbantur parentes, decurrunt vbertim lachrymæ patris, & curuis vnguibus lacerat ora pallida nutrix, ſtant mœſti fratres, ſæuit dolor inter viſcera matris. nec vox, nec animus, nec color certa ſede manent.

Tandem ſub ipſa morte confugiunt ad pium & miſericordem DOMINVM, & quæ pro hominum neceſſitate plus omnibus Sanctis ſuccurrere ſolet, MATREM DOMINI appellant. Inde veniunt ad templum cum magna humilitate ac deiectione cordis, ponenteſque puerum ſupra ALTARE SANCTÆ MARIÆ, votum placabile vouerunt eum Domino.

His ita factis auerſa eſt indignatio Dei, & extenuato ventre, puer priſtinæ redditur pulchritudini. Parentes verò qui cauſa huius mali erant, pœnitentia ducti, glorificauerunt Dominum, qui pro melioratione hominum iræ ſuæ flagella diſponere nouit. 4.

Puer autem proficiens ætate & ſapientia, vbi tempus erat, CHRISTIANIS imbuitur literis; nec egreſſus eſt domum patris, donec memoriter didicit PSALTERIVM. Proinde pro diſcendis liberalibus ſtu-

Digitized by Google

Magdeburg.

diis miſit eum pater ad ARCHIEPISCOPVM ADALBERTVM, qui ab eo, quod verbis docuit, moribus & vita nuſquam receſſit. Præerat autem idē ſacræ vrbi, quæ latinè VIRGINVM ciuitas, græcè PARTHENOPOLIS vocatur, vrbs quondā nota populis, & vna ex magnis vrbibus, dum primus OTTO ſceptra regalia rexit, nunc autem pro peccatis ſemiruta domus, & maleſida ſtatio nautis.

5.

e Auctor ap. Sur. 23. Ap. dubiè: Altheri-cum, alii O-thricum vocant.

Ipſo tempore erat Magiſter ſcholarum, e OHTRICVS quidā Philoſophus, ſub quo turba iuuenum & liberorum copia multa nimis creſcente ſtudio floruerunt. Ergo Archiepiſcopus ille, puerum cum magna charitate ſuſcipiens, dat ſibi CONFIRMATIONEM SACROSANCTI CHRISMATIS, & ſuo nomine ADALBERTVM appellans; tradidit ſcholis.

Aderat ſibi diſcenti Spiritus ſemper indiuiduus comes, & currunt diuite vena ingenium, ratio, & ſenſus. Toto autem tempore ſcholaris ſtudii non æmulatus fuerat facientes iniquitatē, non ſtetit in cōſilio eorū, quib' erāt inutiles actus, & puerilia negotia; ſed mox vbi lōgi' aliquo poſitus Magiſter ei locū prebuit, occultis itinerib' ad SS. MARTYrū domicilia cōfugit, vbi ſecundū menſurā tēporis orationū vota perſoluens, rurſum ante occurſum magiſtri loco ſuo reſedit.

Noctibus quoq;, vt opus ſuum bonum ab humanis laudibus occultaret, circuit pauperes, debiles, & cæcos, quibus ſecundum modum miſeriarum amica ſolamina præſtat.

Verum ne à bonæ operationis ſtudio ceſſaret, pater & eius optima mater omnia ſufficienter dederunt; quin & magiſtro ſuo aurum & argentum, & quæcunq; oculis hominum digniſſima erant, offerentes, chari filii doctrinam magno pretio emerunt.

Ille vero indefeſſo curſu ad omne virtutū exercitium, ſemetipſū ſēper extendens, inter ſuos collegas pulcherrimus proceſſit. Receſſu magiſtri quando cæteri inanibus ludis & ioco laborē legēdi minuerūt, ille DAVIDICI nectaris mella deguſtans, ſpirituali riſu ſe ſolatur. quādo illi prandētes in angulis ſcholæ, dulcia obſonia magiſtro furantur, ille furtiuas orationes DOMINÆ ſuæ mittens, ANGELICAM dapem ſibi mercatur.

6.

Videamus nunc inter alias virtutes, quas habuit, ſanctæ ſimplicitatis quàm ditiſſimus erat. Quadam die dum iret de ſcholis, vnus qui erat ſocius itineris, prætereuntem puellam humo proſtrauit, de cauſa ludi eum deſuper proiecit; concurrūt ſcholares, & quidnam foret acturus, cū ingenti cachinno expectant. Ille autem quia veſtitam virginem tetigit, O bona ſtultitia! iam ſe nupſiſſe veriſſimè credidit; inde erigens ſe, de-

Digitized by Google

ſe, dein viſa virgine, dedit ſe benè ſimplex puer in amariſſimas lamẽtatiões, atq; cõtinuo imbre oculos humectãs, Heu me, nuplerã inq̃t, & criminis machinatorem digito monſtrans, Hic me nubere fecit.

Hæc & ſimilia his Deo plenus infantulus iam tunc agendo, multorũ oculos in ſe defixit, mirantium eius acta ac dicentium, Benedicẽs benedixit hunc puerum Deus, qui infra limina pueritiæ adhuc poſitus, ad optima quæq; ſic arduus ſurgit. O ter quaterq; beatus, ſi hæc humanitatis ſtudia tota deuotione adimpleuerit, & arrepti operis curſum congruo exitu terminauerit. 7.

Quibus verò cognitus erat pater & eius mirifica mater, Non eſt mirum, aiunt, ſi tantus eſt de tantis parentibus ortus. patris iuſtitia floret in eo, & maternæ pietatis imago in purpureo pectore vernat.

Quot annis ſtuduit, incertum eſt: ſed quia ſecularis Philoſophiæ ſcientiſſimus erat, nouimus omnes. quem Dominus, credo, ad hoc humanæ Philoſophiæ ſtudere voluit, vt poſt diuinæ ſapientiæ montes faciliore greſſu ſcãdere poſſet; aut potius ſeculi amara paruulus potare debuit, vt poſt vir factus Dei dulcia auidiore animo hauriret. 8.

Poſthęc f magiſter ſcholarum IMPERATORIS ſeruitio aſſcriptus, acceſſit in regiã curtẽ. At ARCHIMANDRITA ADALPERTVS debitum naturæ perſoluens, ex hoc pelago ad littora ſẽpiternæ beatitudinis trãſuolarat. Alumnus autem ille patriã, charoſq; propinquos reuiſens, ſub ſacræ ciuitatis PRAGÆ g Epiſcopo arma Chriſtianæ militiæ militaturus aſſumpſit.

f Obtricũ & Ottonem II. intelligit. Succeſſit autem Othricus Adalberto Archiep. Magd. bu. ſed eodem anno, quo electus, 983. dũ iret Romã, obiit.

g Dethmarũ ſiue Diethmarum Saxonẽ intellige, de quo fusè Coſmas Pragenſis Decãus in Chro. Boh. l. 12. & Dubrauius l. 6.

Nec multo pòſt cœpit languor peſſimus eundẽ Epiſcopũ, & deteſtabili fine clauſura venit ei vltima dies. Nã in extremo anhelitu, cum tamen adhuc magna pars animæ ſuperſtes foret; aſtãtibus, quorũ ille adoleſcens vnus erat; hanc fabellam ægra voce retulit.

Heu mihi qualis erã, & quãtũ mutatus ab illo; qualẽ me nunc eſſe vellẽ! Heu me miſerũ! Perdidi dies meos; jam pœnitentiæ fructus nuſquã. Perii. vbi nunc honor meus & inanes diuitiæ? O caro putribilis, & eſca vermiũ! vbi nũc gloria & pulchritudo vanitatis tuæ. Decepiſti me, decepiſti fallax ſeculũ; ꝓmittẽs mihi añoſam ætatẽ; & ecce inſperatæ mortis gladio malè interemiſti animã meã. Sed meũ ſcelus vtcũq; veniabile erga piũ Dominum foret, niſi quod cõmendatæ plebis ſcelera ad cumulũ miſeriarũ accedunt. Voluptates .n. & deſideria eis pro lege erant, nec ꝓhibui furentẽ, nec prohibere potui ſpõte pereuntem populũ, q adhuc hodie nil ſciũt vel faciũt, extra q̃ digitus Satanæ in eorũ cordibus ſcripſit. Væ mihi, q̃a ſilui. hoc eſt quod dolet, dolebitq; in

„ in æuum. Nam ecce diræ mortis victima in infernum recta via pro-
„ ficiſcar, vbi vermes mei non moriuntur, & ignis meus ardebit in æ-
„ ternum, & vltra. Sic ait & citius obdormiuit, factuſq; eſt planctus magnus ſuper eum.

Timuerunt autem timore magno; ſed præ omnibus adoleſcens ADALBERTVS, qui his diebus delicioſus MILES erat, nocte eadem ſacco indutus cilicino, & caput cano cinere reſpergens, ſingulas circuit ECCLESIAS, pauperibus quoq;, quæ habuit largè diſpergens, ſe & cauſam ſuam precibus Domino commendauit.

Ipſi autem EPISCOPATVS honorem jam tunc aliqui tacitis promiſſionibus, nonnulli publico ſermone promiſerunt.

9. Poſt mortem verò Epiſcopi non longè ab vrbe PRAGA factus eſt conuentus deſolatæ plebis, vnà cum principe illius terræ; & fit diligens inquiſitio, quem pro illo ponerent.

Reſponderunt autem omnes vno ore: Et quis alius, niſi indigena noſter ADALBERTVS, cuius actus, nobilitas, diuitiæ, ac vita cum honore concordant? Hic quo ipſe gradiatur optimè nouit, hic etiã ducatum animarum prudenter adminiſtrat.

Eodem die dominico, quando hæc electio facta eſt, quidam validiſſimo dæmone raptus, fertur in ECCLESIAM, vbi ſedes EPISCOPALIS eſt, & cœpit palam confiteri mala ſua, quorum ſibi conſcius erat. Tunc conuenerunt miniſtri dominicalis menſæ, orantes pro eo, & ſacris verbis inimicum proſequentes.

Exclamauit autem per os illius impuriſſimus dæmon, dicens.
„ Quid mihi & vobis? Veniſtis detrudere me de hoc habitaculo meo?
„ Quid prodeſt vos jactare inania verba? Ego illum, qui ſeſſurus eſt in
„ iſta ſede valdè timeo; cumq; illum video vel audio, non auſus ſum ſtare. Et continuò ſpumans dæmon murmura & horriſona verba ingeminat, & diris dentibus diu infrendens, ad vltimum exiuit, homine ſano.

Die poſtero ante ortum ſolis venit nuncius dicens, Quia heri dominus ADALBERTVS conſenſu publico electus eſt in Epiſcopum. Concurrunt populus cum Clero glorificantes, & gratias agentes Domino, quia volens nolenſque nequam ſpiritus confeſſus eſt electionem illius.

10. Redиens interea de SARACENICO bello adiit VERONAM Imperatorius apex, ſcilicet OTTO ſecundus, cui fuit manus in prælio fortis, in paruo corpore maxima virtus, Auguſtus melior bono patre, &, vt

Non tã æquum in Ottonem hic alter auctor vitæ S. Adalberti apud Surium.

&, vt fama meminit, per omnia CÆSAR CHRISTIANISSIMVS.

Idem tunc victor, & victus, pro recolligendo milite huc venerat, volens vltum ire damna victoriæ; ſed neſciens, quia mors eum proxima pulſat.

Ad hunc ergo SCLAVONICA manus perrexit, ferens legationẽ de parte *h* DVCIS, & obtulit electum EPISCOPVM; rogans eius manu popularem confirmari electionem.

Non minus Imperator eorum dignæ petitioni adquieſcens, dat ei paſtoralem virgam; & cui⁹ SVFFRAGANEVS erat, *i* MAGONTINO ARCHIPRÆSVLI in EPISCOPVM direxit conſecrandum.

Conſecratus ille feſto amicorum Domini IESV PETRI & PAVLI, multo comitatu equitat in dulcem patriam. Equus autem, cuius tergo inſederat, non more frementium equorum, nec properis curſibus gradiebatur, neq; auro & argento portat fulgentia frena; ſed in ruſticum morem torta canabe ora ſtrictus inceſſit ad arbitriũ ſedẽtis.

Ventum eſt ad ſanctam ciuitatem PRAGAM, vbi Dux * præcliuis *k* WENEZLAVS *l* quoddã regnum tenuit, ac in Dei ſeruitio viuere, ſuũ egregiè perduxit. Poſtea verò ſub impii fratris ferro nobile martyrium conſumens manifeſtis indiciis ac ingentibus hodie vſq; miraculis ſua merita probat. Ibi nouus ille Pontifex vincula pedũ ſoluẽs, nudo pede intrat vrbem; huic humili & contrito corde orationis iura pſoluẽs, magno gaudio ciuiũ EPISCOPALEM CATHEDRAM obſederat XI.

Erat autem cunctis diebus Pontificatus Epiſcopii ſui piè ac fideliter ſeruiens Dño, ſed multo ac inproficuo labore, Chriſtianitatis normã exercens; in populo res Eccleſiaſticas ſub æqua diuiſione diſtribuit in quatuor partes; primam partem pro neceſſariis vel ornatibus ECCLESIÆ ſecundã CANONICORVM commoditatibus aſcripſit, tertiam verò in agmina pauperum proflua miſeratione expendens; vltimæ partis ſummulam pro ſuis vſibus ſeruat.

XII. Præterea omni die feſto plurimos pauperes ad miſericordiæ opera vocat, quæ eis neceſſaria erant, affluente copia miniſtrans.

Item quotidianis diebus ter quaternos habere ſolitus erat, quos in APOSTOLICI nominis honorem dape & potu ſatiat.

Raro autem extra feſtũ aliquod vidit eum meridianus ſol mãducantẽ, & nunq̃ media nox ſomno indulgentem. Stat lectus altis plumis, & oſtro rigidus, die oculos hoĩum paſcens, nocte verò aut habuit FRATRVM GAVDENTIVM, aut cœtũ natũ; extra quos ſuo cubili amiciſſima familiaritate iunctos, & ſe tertiũ, nemo quartus recubuit in vna

h hunc Ducem Boleſlaum vocat Dubrauius l. 6.
i VVilligiſus erat.
* præcliuis an præclarus.
k leg. VVenzeſlaus.
l for. quondam aut quota, pro aliqua parte.

domo. Ipſi verò nuda humus, vel * lene cilicium, & lapis pro capitis ſuſtentaculo ſomnum dabant. Nunquam ſaturo ventre iuit dormitum, & nondum expleto ſopore ſurgit ad ſolitæ orationis conuiuia.

*ſleno.

Corpus verò, & corporis incẽtiua acerrimis attriuerat ieiuniis, nec vlli vnquam voluptati animũ dare volebat. Parua quies oculis, & nulla venia eſt defectis pedibus. luſtrauerat enim carcerem, & carcere poſitos, quorum longa ſeries & infinitum agmen erat.

Nulli plus nota propria domus, quàm ſibi erat, quis, quo nomine, & in qua parte cubaret infirmus, aut quot capita rediuiua ſalus vitæ, quot fatalis hora mitteret leto. quorum omnium poſt pia obſeqa ſacri ſeminis, ſeruus erat, ad caminum decurrit, & ſatione peracta, vnde viuerẽt propriis manibus ſe laboraſſe gaudebat.

Hinc viator intrepidus aderat, ſacris ædibus ſæpius Dño precator importunus cœleſtes fores pulſat, nunc longis genuum flexionibus orationẽ protrahit, nũc ægra ſuſpiria cordis multo flumine rigat.

De COMPLETORIO vſq; ad PRIMAM non exiit ſermo de ore eius, & ad inſtar MONACHICÆ profeſſionis, nocturna ſilentia ſeruat.

Poſt PRIMAM paſtoralibus cauſſis ſtudia ſua impendit, audiens diligenter, quid cũ prædato paupere peregrinus & vidua ciularent.

Quando autem exteriore cura vacabat, vſq; ad MISSÆ celebrationem DAVIDICIS vtitur colloquiis. Homini non locutus eſt verbum, quãdiu dominicæ menſæ infulatus aſtitit, & ſupra ſancta ſanctorũ immolat angelicũ panẽ. Poſt aut opera manuum laborat, aut cum charis CAPELLANIS ſacræ lectionis cibaria deguſtat. His ociis longum diem, talibus negotiis totam ducere noctem, hi ſibi mores, hoc ſtudium, hæc erat meta viuendi.

13. Poſt completoriũ cum ſolitis orationibus incubaret, quidam paup cui nihil præter vitã & membra impius latro reliquit, miſeris vlulatibus templi oſtia pulſat; quo audito cum de erogatis opibus nullę ſuperfuiſſent; cœpit curioſius excogitare, quid illi dare poſſet: & cũ nihil aliud occurreret, ingreſſus cubile, quod ſolũ habuit, tulit inde ſericum puluinar. Cui abſtrahens ſericũ, plumas circumquaq; per domũ reſperſit; deinde ad iacentis mendici clamorem recurrens, inanẽ purpuram in rugam complicuit, & per coëuntiũ januarũ foramina emittens, hoc fertili dono manum pauperis accumulauit. cuius furti autor cũm lateret; cumq; WILLICO domus ſuæ præpoſitus hoc inter pueros aſperius inquirere vellet, prohibuit eum, dicens, Nequaquam inimicus homo hoc fecit, ſed qui indigens erat, forſan pro explenda neceſſitate aſſumpſit.

Digitized by Google

Inter hæc ſancta opera non deſierant pluere prædicationis pulchre verba. nec ſibi ſolum bonus, ſed eum pluribus cœleſtium gaudiorum particeps eſſe voluit; ſingulis compaſſione proximus, & præ cunctis in contemplatione ſuſpenſus: ſic alta petens, vt proximorum infirma non deſpiceret; ſic infirmis proximorum congruens, vt alta petere non deſiſteret; ſic diſcretionis artem ſeruare nouit, vt eſſet in eo, & iuſtè conſulens miſericordia; & piè ſæuiens diſciplina.

Ipſi autem contraria volũtate ad carnalem ſenſum relapſi, bonum paſtorem ſequi noluerunt. Nouo quippe modo cùm eſſent cœleſtib⁹ bonis paſti, peccatorũ fæcibus explebantur. Ille ſpiritalibus adiutoriis claues ſuas præmunire inſtat; illi deſtruere, quod fecit, diabolicis impugnationibus feſtinant: Ille à captiuitate dæmonium, & vitiorum populum liberare parat; illi eo arctius ſe in omni peccato obligare nõ ceſſant.

Vidit ergo Epiſcopus, quia diuinis legibus aduerſum ire, omnibus modis feſtinauerunt; vidit, quod obdurato corde in Deum grandia quæq;, & noua ſcelera adimplere meditantur, vidit optimæ gubernationis fruſtrari lacertos, plus etiam obeſſe ſibi, quàm populo prodeſſe.

Deflet ergo peccatum; & amariſſimo luctu proſequitur damna perditæ gentis. Ad vltimum cogitat, melius eſſe relinquere, quàm in cæco & ſponte pereunte populo operam perdere, quod maximè de tribus cauſis actum eſſe dicunt, qui huius rei ordinem, ipſo narrante, comperecrunt.

Prima & velut principalis cauſa, propter plures vxores vnius viri.

Secunda proter deteſtanda coniugia Clericorum.

Tertia propter captiuos & mancipia Chriſtianorũ, quos mercator videns infelici auro emerat, emptoſq; tot Epiſcopus redimere non potuit.

In ſomnis quoq; apparuit ei dominus ſuſcitans eum, & de lento ſopore ſurgere iubẽs. Inquit ille, Quis es tu tam imperioſæ auctoritatis, vel cuius rei gratia quietem frangere iubes? Reſpondit: Ego ſum Ieſus Chriſtus, qui venditus ſum, & ecce iterum vendor IVDÆIS; & tu adhuc ſtertis? Ille expergefactus ſecũ tacito corde pertractat, quidnam hæc viſio vellet. Admonet ſoluẽdæ quæſtiunculæ ſociũ, elegãtẽ virũ WILLICONEM. Hic honore PRÆPOSITVRÆ præerat cęteris. hũc vir ſãctiſſ. cõſiliorũ ſuorũ participẽ fecit, cui cũ ſuã viſionẽ exponeret, reſpondit in propria verba, & cogitationes ille mitiſſimus hæros: Quando vendũtur CHRISTIANI IVDÆIS: hãc vẽditionẽ patitur IESVS CHRISTVS

cuius nos ſumus corpus & membra, à quo mouemur & ſumus.

15. Hæc S. Epiſcopus, æqua lance perpendens, & ab imo cordis longa ſuſpiria trahens, amplius ſtare timuit; ſicq; conſilio doloris accepto, venit ROMAM, & APOSTOLICÆ SEDIS PONTIFICEM, quid in tãto ſuo populiq; diſcrimine agendũ foret, gemebundis quæſtionibus inqrit.

Qui fuit Benedictus ſeptimus.

Cõmendatus, inquiens, mihi grex audire non vult, nec capit ſermo meus in illis. iniquorum pectoribus dæmoniacæ ſeruitutis imperia regnant; & ea regio eſt, vbi pro iuſto virtus corporis, pro lege voluptas dominatur.

Ad hæc APOSTOLICVS, Fili, inquit, quia te ſequi nolunt, fuge quod
„ nocet. Operæ pretium eſt enim, ſi cum aliis fructum facere non potes,
„ vel teipſum non perdas. Quare in eo conſilio arripe tibi ocia contem-
„ plationis, & ſede inter eos, qui vitam quietam in ſtudiis dulcibus & ſa-
„ lubribus agunt.

Hac itaq; velut diuina reſponſione animatus, cùm ad futura ſanctorum gaudia ardenti deſiderio anhelaret; ſtatuit ſecum, natale ſuũ ſolũ, notioreſq; populos derelinquere. vult ꝑ dño peregrè proficiſci; atq; velut ſub alio ſole inopem ducere ſenectã. Oĩa dura & aſpera pro dilecto Ieſu dulcia ſibi viſa ſunt; pro diuite Chriſto anguſtam pauperiem pati, non tam labor, quàm ingens amor erat. Poſt hanc ſuæ mentis deliberationem argentum pauperibus largè diſtribuens, Epiſcopalem cameram euacuauit.

16. Erat .a. ipſis diebus ROMÆ IMPERATRIX AVGVSTA *a* THEOPHANIA, mater eius, qui modo regnat, TERTIVS, & DEO iuuãte, MAXIMVS OTTO, cui pia cura circa pauperes cũ ſumatibus viris, & benè quærentibus Chriſtum ſinceriſſima dilectio fuit.

a Hanc auctor familiarũ S. Adalberti ap. Sur. vocat pulchrã luſã.

Hæc comperto quod gratia orationis exulans ille vſq; IEROSOLYMAM pergere vellet, clam venire illum fecit, & argenti tantũ, quantum iuuenis Gaudentium vix leuare poſſet, pro viatico accipere fecit. quod eadem conſequenti nocte pauperibus fideliter diuiſit, atq; ab vno denario totum expendens, nil ſibi retinuit.

Deinde pueris remiſſis in patriã, mutat habitũ, & aſinum pro portãdis oneribus mercatus, cũ tribus numero fratribus ſociũ iter aſſũpſit.

Habens itaq; animũ IEROSOLYMIS SEPVLCHRVM DOMINI inuiſere, venit ad montẽ *b* CASSINVM, in cuius cacumine monaſteriũ

b Leo Oſtienſis lib. 2. c. 17. Romam egreſſus ad ſanctam ciuitatem. præter ſpem imperfectum iter ſuſcepit. Nam ea via ductus ad montem Caſsinum vſq; peruenit. vbi B. Benedictus poſtremo charam ſedem poſuit, ibi Abbatũ & fratrum piis monitis caſtigatus, ne inutili vagatione vitam expenderet, ſed loco ſtaret. Hæc & plura alia Leo conuenientia cum hic noſtris actis, quæ & Baron. tom. 10. anno 983 num. 20. & 22. citat.

Digitized by Google

ſedet, quod hoc in loco primus conſtruere cœpit beatiſſimus Pater Monachorũ flos & gloria BENEDICTVS. Ibi quoq;, vt GREGORII melliſluũ os ſonat, vltimã vitæ partem deguit, & veræ religionis exemplar omnibus, qui in Chriſto piè viuere volunt, digito cõſcripſit. Hic tum licet agnitus non fuiſſet, tamen Domino quod futurum erat, prouidente, honorificè hoſpitio ſuſceptus eſt.

Poſt paucos dies cùm iter cœptum agere vellet, acceſſit ad eum illius loci Abbas, & cum ipſo admodum illuſtres viri, hęc conſilia velut à diuina arce ferentes. 17.

Via, inquiunt, quã beatitudinis acquirendæ cauſa cœpiſti, longè eſt à recta via, & ab illa, q̃ ducit ad vitã. Perplexitatibus quippe fugacis ſeculi carere magnanimi eſt; ſed quotidiè loca noua mutare min⁹ laudabile eſt. Sicut enim hiberni maris inconſtantia malum nautis, ita vagatio de loco ad locum periculum ſuis ſequacibus minatur. ſtare autẽ loco, & ſupernis vſibus eò liberius perfrui, non nos, ſed præcepta maiorum, virorumq; fortium exempla tibi dicunt.

Quod conſiliũ prouidus heros non ſecus, quàm diuinitus datũ accipiẽs, ibi finẽ laboris & cætera errabũdæ vagationis ponere cogitauit.

Hæc eo cogitãte fruſtratur eum Deus, volẽs dilecti hominis deſideria aliquantulum dilatare, vt quanto nunc amara primum & labore parata, tanto poſt dulciora fuiſſent. 18.

Nam cùm ibi monaſtica lege viuere vellet, cumq; à minimo vſque ad maximum omnes hoc libentiſſimè vellent, repentè attonitas * terribile verbum tranſuerberat aures.

** Quod nõ manſerit cum Caſsinatibus, eò quod videret ſe ab illis coli, vt Epiſcopum, narrat Leo Oſt. lib. 2 c. 17. Cũ die quadam Seniores illi monaſterii dicerent, Bonum eſt, Pater, vt hîc nobiſcum maneas, hîc monaſticam ſuſcipias veſtem, hîc Deo placitam exigas vitam, quoniam cùm ſis Epiſcopus, & Eccleſias noſtras dedicare, & noſtros clericos ad ſacros promouere ordines decentiſsimè poteris: moleſtè hoc tulit. Deſcendensq; ad virum ſanctiſsimum Nilum, quem tunc ad vallem lucis cum Græcis aliquibus fratribus, religioſiſsimè conuerſari didicerat, deuotè ſe contulit.*

Et bonum eſt, inquiunt, vt ſtes nobiſcum, hîc monachicum induas habitum, hîc Deo placiturum viuere ducas, noſtras quoq; Eccleſias nouo opere conſtructas, cũ ſis Epiſcopus, ſacrare potes. Quo audito ille heros iam dudũ intra ſe turbatus, hæc ira dictãte reddidit, Vtrũ me hominem vel aſinum putatis, vt cùm amota filiorum cura Epiſcopus eſſe deſiſterẽ, nunc ſub nomine Epiſcopi veſtras domos cõſecrarẽ?

Nec mora iuit deorſum per montis conuexa, & quaſi duorum dierum itinere acto, ad magnũ virum NILVM perrexit; cuius nobile me- 19.

ritum in monaſtico ordine, velut nouus lucifer in æthereo axe refulget: ſub quo etiam duce ac diuinæ artis magiſtro diſcipulorum plurima manus Deo militarunt.

Hi verò omnes propriis manibus victum quærentes ſecundum regulã ſancti Patris noſtri BASILII cœleſtibus veſtigiis innituntur.

Hac fama ductus aggreditur ſanctum ſenem, & prouolutis genibus diu profudit lachrymas, quærens ab illo reſponſa, & amica ſolatia, quem intuitus domnus ABBAS NILVS, cuius meriti in conſpectu Domini viueret, iam in primo ſermone cognouit; q. & vſq; hodiè ita amore Chriſti feruentem, non meminit ſe vidiſſe aliquem iuuenem.

» Et recepiſſem te, inquit, dulcis nate, niſi hæc ſuſceptio mihi me-
» iſq; nocitura, tibi tamen minimè eſſet profutura. Etenim vt iſte habitus
» & barbæ pili teſtantur, non indigena, ſed homo GRÆCVS ſum; terra
» autem quantulacunq; eſt, quam ego & mei mecum incolunt, illorum,
» quos tu benè fugis, propria eſt. Sed ſi quod Deo volente nimis vellẽ,
» vnà nobiſcũ cohabitaueris; tollunt illi, quæ ſua ſunt; ego cũ charis filiis
» expellor totus; tu de incerta re plus incertus eris. Quin imò accipe Pa-
» tris cõſilium, & vnde digreſſus es, repete vrbem ROMAM; quò cum an-
» gelo bono te ducente perueneris, dominum Abbatem LEONEM nobis
» amiciſſimum ex noſtra omniumq; perſona ſalutes, atq; epiſtolam no-
» ſtram feras in hæc verba: aut te apud ſe, quod plus volo, retineat: aut ſi
» ei difficile apparet, ad Abbatem ſancti SABÆ mea vice commendet.

Hac ſpe confirmatus regreditur ad ſacratam arcem vrbium dominam & caput mundi ROMAM.

20. Inde cui monaſterio Abbas LEO præfuiſſet, diligenter inquirẽs, ad ſanctorum limina BONIFACII & ALEXII, monſtrante populo, perductus eſt. Poſtquam ingreſſus eſt, & cum Abbate copia datur fandi, obtulit ſalutationẽ & literas, quas miſerat Abbas NILVS: quibus perlectis, vt ex longo vſu ſpiritum probare doctus erat, priuſquam recepiſſet illum, arguta arte cuncta explorat.

Primum incepit indignationem ſimulare, quis qua mente præditus eſſet, auerſo vultu indagare, aſpera & dura illi prædicens, cunctaque arcana mentis eius ſagaci ingenio perquirens. Iuſtum verò ac tenacem propoſiti virum, nec * dira hominis reſpõſio frangere valuit, nec venientium tentationum minæ à ſemel arrepta voluntate reuocare potuerunt.

* dura.

Abbas verò LEO vbi non ſolùm auertere à ſuo propoſito, ſed etiã dira prædicando plus accẽdere poterat, accepturum ſe fore illum pollice-

licetur. Statuit autem DOMINVM APOSTOLICVM cum humiliato Antiſtite prius conuenire; vt quidquid agendum foret, tanti patris ſententia, ſuorumq; CARDINALIVM conſilia deliberarent.

Poſt hæc rite peractis omnibus, qua die DOMINVS DISCIPVLORVM ſuorum pedes lauit, ac linteo extersit, monachalem habitum ſanctus ille EPISCOPVS accepit. SABBATO SANCTO, quando baptizati catechumeni* criminalib' vinclis ſoluũtur. ſoluta eſt & ipſi capite pẽdens, *crinalib* cuculla. Hinc ſecundum regulæ morem, fratrum numero addictus quærendum anguſto calle cœpit ardentius cupere Chriſtum.

Duo autem ex fratribus, qui cum eo erant, iam dudum vidẽtes, 21. quia ſe monachum facere vellet, non benè relicto clipeo fugam dederunt. Solus verò GAVDENTIVS, exemplo conſtantis viri, remanens cũ beato viro, Monachicam atq; probabilem conuerſationem conſecutus eſt: qui etiam ſibi carne & ſpiritu duplex germanus, & ab infantia ſemper fidiſſimus comes adhæſit.

Ipſe verò omni obedientia ac humilitate ambulãs inter fratres, contra bella tentationum, vitiorum intrepidus tyro accingitur; in cogitationibus ſuis ad humilem confeſſionem ſemper confugiens, quaſſatæ mentis arcana ſpiritalibus viris pandere non ceſſauit. Ceſſante verò tentationum imbre, in nouam meſſem virtutum refloruit; ac poſt victoriam ſolito clarior eluxit.

Proceſſit ergò vt lux ſplendens, & creuit vſq; ad perfectũ diem. *Prou. 4.*

Obedientia, qua donauit eum ſuus Abbas, huiuſcemodi erat, vt coquinæ fratrum aquæ miniſtratorios vſus humero apportaret; manibus quoq; eorum lauandis ſimile obſequium ageret, ſic ſe cunctis fratribus ſeruire lætatur.

Nec moratur interea æmulus hoſtis, nunc aperto bello, nunc 22. latentibus inſidiis hominem DEI impugnaturus. & cum teſtacea vaſa, nunc aqua, aliquando vino plena portaret, prædictus hoſtis callido aſtu lapſus parat, ac vt confracta in partes ſpargerentur efficiens, ſacri viri faciem ingenti rubore perfudit.

Hæc dum multoties fierent, & ipſe tot vicibus veniam proſtrato corpore peteret, tandẽ vltor eius confuſionis reſpexit ad hæc negotia DEVS. Nam vna dierũ cum fratrum menſæ apportaturus foret merũ, offenſo pede corruit ipſe ſuper vias, & vas ingenti cecidit ſuper marmora lapſu. audit à lõge pater monaſterii, cunctiq; fratres per ordinẽ, quomodo labitur ille heros; neſcientes quia hunc caſum proſperrima aduerſitas comitaretur; ita enim vas ſanum & vini portio non minuta reperitur, ac ſi nulla facta foret ruina. Item

Digitized by Google

23. Item nobilis quædam fœmina monaſterium hoc cauſa orationis ingreditur, & cum charitatẽ ibi facere iuſſa foret, iam ſeptẽ annis panẽ ſe non guſtaſſe profitetur. ille verò hunc abſtinentię morem pro infirmitate ei adhæſiſſe recognoſcens, allato pane ſalutiferæ CRVCIS SIGNACVLVM impreſſit, ac deinde prandenti matronæ apponens, In nomine Domini mei IESV CHRISTI, filia, inquit, manduca panem: non licet tibi ſanctam charitatem violare, pro eius enim amore hoc parum prandii accipere iuſſa es.

Ad hanc vocem credula mulier, panis munera deguſtans, cum gratiarum actione regreditur in domum ſuam. Ex hinc ergò cõmuni cibo vſa eſt: rem nouam ſibi contigiſſe ciuibus narrat, ac glorificat voce omnium dominum DEVM.

24. Nec prætereundum eſt, qualiter cuiuſdam IOANNIS filiam, qui nunc VRBIS PRÆFECTVS eſſe dignoſcitur, atrociſſimus febrium dolor vexare cœpit, quam cum homo DEI ſacratiſſima ſua manu tangeret, omnis languor corporis eius imperio abſceſſit.

25. ARCHIEPISCOPVS verò MAGONTINVS beati præſulis gregem ſine paſtore ire conſpiciens, miſit legatos cum literis, per quos DOMINVM APOSTOLICVM de ſancti viri reditu interpellat.

Facta eſt ROMÆ ſynodus pro hac cauſa, & oritur vtrinque litigium grande, ex vna parte eorum qui monachum perdere timuerunt; ex alia eorum, qui paſtorem ſuum cum auctoritate quæſierunt. Cumque inuicem pugnantibus ſententiis vtraq; pars diu decertarent; tandem dubiam, nunciorum PRIMAS vix promeruit victoriam. Hic ipſe PRIMAS frater erat DVCIS, cuius terræ, qui exigebatur EPISCOPVS præfuit.

Tum APOSTOLICVS non tàm voluntate, quàm iure DEI permotus talia reſpondit: *REDDIMVS, QVOD IVSTE QVÆRVNT; QVAMVIS DE BONO PATRE IAM DEGENERASSENT FILII, ET DABIMVS EVM HAC LEGE. SI AVDIERINT EVM, TENEANT CVM DEI BENEDICTIONE, FACIANTQ; SVB IPSO FRVCTVM CENTVPLVM. SI AVTEM A CONSVETA INIQVITATE SVA RECEDERE NOLVNT; HIC NOSTER ABSQ; PERICVLO SVI CAPITIS MALORVM CONSORTIA DECLINET.

* Decretũ Ioãnis XV. anno 989. quod ex his ipſis Actis laudat Baron. an. 989 nũ. 2. vbi vide variã lection.

26. Hæc vbi dicta dedit, finita eſt ſynodus, & ſoluto cœtu redierunt quiſque in domum ſuam. Abſcedunt legati, monachis triſtibus, & læto animo ac magna exultatione. Cumque emenſo itinere PRAGAM venirent, eunt ei obuiam omnis ætas & ſexus, & quaſi cum ingenti gaudio acceperunt eum; dant manus ac promittunt omnia, velut

de

Digitized by Google

de ſua reuerſione oppido gauderent; & ſecundum eius præcepta priorem vitam pleniſſime emendare vellent.

Sed paulo poſt cœpit eos ignauia, mollicies. Et neglectis prædicationibus itur in omne nefas. Veterum quippe vitiorum recordationibus præuenti, in carnalem partem relabuntur, & pereunt labor paſtoralis, & diligens cura boni patris.

Inter hæc luctuoſum & miſerabile crimen exoritur. Mulier cuiusdam NOBILIS cum CLERICO adulteraſſe publice arguitur. Quam cum more barbarico parentes dedecorati coniugis decapitare quærerent, fugit illa, per celeres auras, donec voce & curſu vsq; ad optatum peruenerat Epiſcopum. Volens autem de illorum manibus mulierem liberare, clauſit eam in monaſterio SANCTIMONIALIVM, quod ſub vocabulo & veneratione ſancti GEORGII conſecratum firmiſſimis mænibus vallatur; clauim verò Eccleſiæ cuſtodi fideliter commendat: credens, vt fœmina inter fœminas ſolatia doloris, & ſub ALTARIS DEFENSIONE vitæ ſecuritatem haberet. 27.

Crimen quoq; in ſe referre voluit, vt ſe ſceleris auctore magnum aliquid fieret, ſcilicet, vt pro pœnitentiæ fructibus, aut illam vitæ ſeruaret, aut ambo ſimul iuſſi morerentur. Qua voluntate, quia martyrij coronam expoſcens erat, adimpleret vtiq; quod voluit, niſi eum prudenter Dominus Willico prohiberet.

Impia manus interea abſconſæ mulieri ferrum necemq; parans, armato milite EPISCOPALE FORVM irruperunt. Quærunt & contumacibus EPISCOPVM dictis, qui contra fas, & legalia iura adulteram defendere vellet. Quod ille diuinæ contemplationis otio vacans, vbi aure percepit, cùm velut diuiſæ noctis hora eſſet, dicto verſu fregit ſilentia, & in quo clauſus erat, exiuit de templo. Deinde qui ſecum erant fratribus, pacis oſcula libans, Bene valete, inquit, & pro me miſero ferte pia vota Chriſto. 28.

Inde totus ardore martyrij flagrans, non tardiore deſiderio & curſu, quam qui fugit hoſtem, ſponte venit in hoſtem, ac medium agmen intrepido greſſu incedens, Si me quæritis, inquit, præſto ſum.

Vnus autem ex illis, cui cum bonis ſemper læua voluntas erat, omnium ore talia reſpondit: Caſſa ſpes martyrij te tenet, & nobilis gloria lethi. Errat pro certo hæc ſanctitas, quæ noſtrum vult fieri peccatum; non implebitur tua voluntas, ſed agitur aliquid, quod plus dolet. Quia niſi hæc meretrix nobis citius reddatur, habemus fratres tuos, in quorum vxoribus, prole & prædiis hoc malum vlciſcamur.

Hæc dum furens SCLAVVS contra EPISCOPVM delatrauit, ecce corruptus auro proditor, adeſt, qui excerpens eos clam de agmine vocat, ſeque itineris ducem præbens, domum in qua clauſa erat, domusq; cuſtodem manifeſtat. Cuſtos verò tentus ab illis, nunc minis, amicis nunc affatibus, vt illam in manus eorum redderet, diu probatur. Ad vltimum mortis timore perterritus, non ſic ſibi creditam cruentis hoſtibus prodidit fœminam. Rapitur illa infelix, fruſtra preſſis altaribus, & ſub manu coniugis capitalem iuſſa eſt ſubire ſententiam.

Quod cum ille velut vir iuſtus facere nollet, ſub gladio vilis vernulæ truncata pœnas male vſi corporis capite exſoluit.

His atq; horum maioribus popularis nequitiæ ſtudiis cum ſermo docentis EPISCOPI contraire nequiret, flet bonus paſtor; quia in morbido grege ſigna ſalutis nulla ineſſe conſpexit.

Hinc pro ſpectandis ſequentibus malis oculos claudere volens, dulcis ROMÆ mœnia reuiſit, & naue monaſterij mutat paſtoralia frena.

Congaudent illo redeunte monaſticæ plebis ſacra collegia, ac ſanctitatis ſuæ amore pariter & vtilitate perfruuntur. Dilexerunt eum omnes, ſed præ omnibus ABBAS ſuus: qui & poſt ſe totis cohortibus fratrum præfecerat illum. Ille autem omni vilitate & extremitate contentus, quanto magnus erat, tanto ſe cunctis inferiorem præbuit; quanto ſpiritalibus diuitiis diues, tanto in oculis hominum paruus, pauper, & deſpectus eſſe cupiuerat.

Dicunt autem Abba & fratres eius de eo, quia in omni virtute ad vnguem perfectus eſt, & extra Martyrium verè ſanctus erat. ſic de die in diem ſemper nouus & ſeipſo robuſtior ſuccreſcens ad diuinæ contemplationis faſtigia velut caſtiſſima turtur euolauerat.

29. Volens autem Dominus oſtendere ſeruo, cuius meriti viueret in conſpectu ſuo, monſtrat ei per viſum duos ordines in cœlo, vnum purpureo, alterum niueo amictu: quibus ſub diuerſa ſpecie ſingulare meritum, & propria merces; ambobus tamen eſca & potus erat laus perpetua CREATORIS. Et facta eſt vox ad eum dicens: Inter vtrosq; eſt tibi locus, conuiuatio menſæ, & aptiſſimus honor.

Cuius rei viſionem Abbati ſuo cum exponeret, non hoc de ſe, ſed velut ſanctiſſimus PAVLVS reuelationis ſuæ myſteria de alio homine narrat. Scio, inquit, huiuſmodi hominem, cui Dominus per viſum talia oſtendit, & hæc ipſa donaturum ſe promittit

2. Cor. 12.

Hoc ipſo tempore iter agit ROMAM REX FRANCORVM OTTO terti-

tertius, pulchri CÆSARIS pulcherrima proles. Decurſis quippe puerilibus annis, cum iam velut lanugine barbæ floreret, tempus & virtus maior annis IMPERATORIAM ſibi expoſcerat dignitatem.

ROMA autem cum caput mundi & vrbium domina ſit, & vocetur; ſola reges imperare facere; cumq; PRINCIPIS SANCTORVM corpus ſuo ſinu refoueat, merito principē terrarū ipſa conſtituere debet.

Summus ipſis diebus PONTIFEX acerrima febre correptus, corpus terræ, animam cœlo, vtraq; in ſua dimiſit exordia. Rex autem OTTO alpium niues multo milite tranſmeans, iuxta ſacram vrbem RAVENNAM regalia caſtra metatus eſt. Ibi in eius occurſum veniunt epiſtolæ cum nunciis, quas mittunt ROMAM Proceres, & ſenatorius ordo; primo illius aduentum, velut toto tempore paternæ mortis non viſum, totis viſceribus deſiderare, ac debita fidelitate pollicitantur expectare. Deinde in morte DOMINI APOSTOLICI tam ſibi, quam illis non minimam inuectam eſſe partem incommodorum annuntiant, & quem pro eo ponerent, regalem exquirunt ſententiam.

Erat item in CAPELLA REGIS quidam Clericus BRVNO, ſecularibus literis egregie eruditus, & ipſe regio ſanguine gen⁹ ferens, magnæ indolis; ſed ꝙ minus bonum, multum feruidę iuuentutis. *a* Hunc quia Regi placuit, à maioribus electum, MAGONTINVS ARCHIPRÆSVL WILLIGISVS & ſuus collega VDELBALDVS EPISCOPVS adduxerunt ROMAM. Proinde à ROMANIS honorifice acceptū ad hoc ordinati EPISCOPI APOSTOLICO honore promulgarunt. Superueniens etiam REX ROMANO more egregie accipitur. Deinde magno gaudio omnium IMPERATORIVM attigit apicem. 31.

a OTTO Romam veniens, inquit Dietmarus lib. 4. glorioſè nepotem ſuum Brunonem Ottonis filium Ducis in loco Ioannis Papæ nuper defuncti, cum omnium laude præſentium conſtituit. Vide Baronium anno 996.

Lætantur cum primatibus minores ciuitatis, cum afflicto paupere exultant agmina viduarum, quia nouus *b* IMPERATOR dat iura populis, dat iura nouus PAPA.

b Ex his confirmātur quæ de coronatione Ottonis III. diſputat Baron. an. 996. num. 27.

His temporibus Chriſtianiſſimus ille CÆSAR, cui circa ſeruos DEI maximum ſtudium ſemper & diligēs cura fuit, crebro alloquitur ſanctum ADALBERTVM, & habebat eum ſibi familiarem, audiens libenter quæcunq; ſibi diceret: Archiepiſcopus vero WILLIGISVS veterem querimoniā canens interpellat, congeminat vota cum votis, & vt reportaret illū omnibus modis inſtat. In Apoſtolica quoq; ſynodo canonum teſtimonia reuoluens coram omnibus ſe iuſte petere clamat, peccatum eſſe ſingulis Eccleſiis maritatis ſolam PRAGAM viduari, iuſte poſcentibus beneuolam aurem viduæ Eccleſiæ maritum ſuum præbere libera mente poſtulans erat. 32.

 Rur-

Rurſum ex itinere, quo verſus eſt ad patriam, continuis literis hoc idem reiterare non ceſſat, nec dimiſit prius, donec pollicitus eſt Dominus Apoſtolicus facturum ſe eſſe quæ vellet.

Triſtatus eſt autem homo DEI, quia linquere cogitur monaſterium, præſcierat enim, quia populum, cui poſtoralem curam debuit, à via ſua mala nemo flectere quiſſet. Sed triſtem eius animum hoc valde ſolatur; quia ſi in commiſſis ſibi animabus dignos fructus agere nequiſſet, extraneis & non baptizatis prædicator miſſus fuerat.

33. Ergo multis lachrymis dulce monaſterium linquens, cum ſummæ diſcretionis viro Notherio Epiſcopo vltra ALPES proficiſcitur. Cumque velut duorum prope menſium iter ageretur, venerunt Magontiam. Vbi regreſſus ab ITALICIS oris IMPERATOR commoratus eſt, cum quo vir DEI manſit bonum tempus, quia familiariſſimus ſibi erat, & nocte pariter ac die, velut ſanctiſſimus cubicularius, imperiali cameræ adhæſit. Hoc autem non ſic, velut ſeculi aliquo amore captus; Sed quia dilexit ipſum, & dulcibus dictis ad amorem cœleſtis patriæ accendere voluit.

Nam die ſiue nocte, cum turba locum dedit, ſanctis alloquiis aggreditur illum, docens, ne magnum putaret, ſe imperatorem eſſe; cogitaret ſe hominem moriturum, cinerem, ex pulcherrimo putredinem, & vermium eſcam eſſe futurum: Viduis exhibere ſe maritum, pauperibus & pupillis monſtrare ſe patrem; timere DEVM, vt iuſtum ac diſtrictum Iudicem: amare, vt pium veniæ largitorem, ac miſericordiæ fontem: ſollicite penſare, quàm anguſta via, quæ ducit ad vitam, & quam perpauci, qui intrant per eam: bene agentibus eſſet vt per humilitatem ſocius, contra delinquentium vitia per zelum iuſtitiæ erectus.

Ad hunc modum plura ſubnectens, monet charum filium præſentis vitæ bona deſpicere, æternitatis electionem deſiderare, manſura quærere, in temporalibus rebus & tranſitoriis fiduciam non habere.

Cunctis qui in regia domo erant, velut ſeruus omnium, ſic eorum viliſſima quæque manibus tractat; & omni humilitate eorum ſeruitia facit. Noctibus quoque cum carpſerant ſomnum, calceamenta eorum componere cura fuit, à ianitore vsque ad principem regiæ domus omnium caligas aqua lauit, & purgatis ſordibus eas ſuo loco reſtituit.

Ad

Digitized by Google

Ad hunc modum plurima ſeruitia egit in CAMERA; quanto quæque viliſſima erant, tanto libentius ea pro humilitate miniſtrat. Sed ſeruiminis auctor diu incognitus latuit, donec quidam Wolthacrius regius imperialis miniſter, & ſibi dilectus cubicularius ſanctum prodidit furem. 34.

Vidit quoq; ibi ſomnium nocte vna, quod huiuſmodi erat. Putabat ſe fratris ſui curtem adire, & media curte ſtare domum, cuius ſtructura aſpectu erat delectabilis, parietes & tecta niuei candoris; intus duo lecti, vnus ſibi, alter fratri ſuo deputatus. Erat vtique ſcilicet, vt decuit, multum honoris gerens, ſed lectus ſuus omnem gloriam alterius longe præcellens totus purpureo ſplendore, & ſericis ornamentis amictus; ad caput vero aurei ſtaminis linteo pulcherrime redimitus; ſurſum verò in capite erat aureis literis ſcriptum: MVNVS HOC * AVCTENTVM FILIA SPONSATVR. Cuius viſionis ordinem cum aliquibus narrando exponeret. Vide, inquiunt illi, quia Chriſto ſecundante, Martyr eris futurus. Regis filia, quæ dat tibi regia dona, hæc eſt domina cœli ſacratiſſima virgo Maria. Hoc audiens ille factus eſt lætiſſimo animo, & ingreſſus cubiculum cordis, egit gratias ſanctorum ſancto, Angelorum Domino & omnipotenti Chriſto. Hinc matrem gratiarum quæ regis ſolio proxima, ſedet, prona ceruice & gauiſæ mentis iubilo adorat; Gratias tibi, inquiens, virgo maris ſtella, quæ me vt pia Domina humillimum ſeruum tuum reſpicere dignata es.

Quid, auctentum, non aſſequor. Auctor ille apud Sur. hanc inſcriptionē ita habet: Munus hoc donat tibi filia regis.

Hac ipſa tempeſtate adiit Turoniam, quærens auxilio ſanctum ſenem Martinum. Nec præteriit Floriacum, quæ beatiſſimum corpus confeſſoris noſtri & patris Benedicti ſuo grege collocare meruit. Vbi etiam quis ille ſit cæcorum viſus, claudorum greſſus, & cœleſtium miraculorum multa millia proteſtantur. Horum duorum chariſſimorum patrum ſacris confabulationibus paſtus, læto animo regreditur ad imperiale domicilium. 35.

Inde quid ſibi mente foret, quæ volente DEO agere vellet, ſub lucem proferens, cœpit cū dilecto CÆSARE familiarem & extremum ſermonem habere. Finita locutione pacis oſcula inuicem libant, & amplius nunquam ſociandos non abſque dolore ſeparant amplexus. Vir ergo ſanctus eius charam vitam chariſſimo Ieſu multum commendans, ſecundum placitum ARCHIPRÆSVLIS ſui ad Apoſtatricem gentem pergere cœpit. Sapuit ipſe, quia conſilio ſuo non obaudirent; ſed ne inobediens eſſet, iuſſum iter adimplere maluit.

Digitized by Google

Hoc etiam eius animo magnam ſpem tribuit, quia ſi non in filiis; in alienis, & in barbariſmo animarũ lucra congregare potuit. Erant enim multæ nationes per circuitum, per quas aut ſibi martyrium aut eis baptiſmi gratia conferri potuit.

Gens autem hæc ſceleratiſſima ad quam redire compulſus eſt in odium ſui nominis grande nefas commiſerunt. Nam parentes ſuos nobiles & ꝓclaros viros miſero vulnere ꝓſternũt, fratres fratrũq; filios, maſculum vna cum fœmina, omnes morte ſæuiſſima damnarunt, ciuitates quoque eorum igne ac ferro deuaſtantes nomina eorum bona in captiuitatem redegerunt.

36. Vnus erat ex ſuis fratribus, dum hæc mala domi geruntur, cum BOLEZLAO BOLANIORVM DVCE in expeditione IMPERATORIS erat. Dux vero ille pro amore ſancti fratris magnis promiſſis & amicis opibus eum ſolatur.

Ergo pro his ſceleribus aditum ſibi clauſum iter putans ille ſanctiſſimus heros noluit fruſtrari aduentum ſuum; ſed declinauit ad præfatum DVCEM, quia ſibi amiciſſimus erat, & ſi recipere vellent per eius miſſos explorare potuit.

Quo facto, è contrà illi magna indignatione remittunt ei iræ & furoris plena verba dicentes: Sumus peccatores, populus iniquitatis, gens duræ ceruicis; tu ſanctus amicus DEI, verus Iſraħelita: & tibi omnia cum domino. talem ac tantum non portant cohabitationes & conſortia iniquorum. Et tamen vnde hoc genus, vt totiens repulſos, totiens abiectos, non vnius ſed diuerſarum mentium requirat Epiſcopus? Agnoſcimus, agnoſcimus, ingeminãt, quid ſub colore pietatis mendoſum tinniat hæc ſanctitas. Nolumus eum. quia ſi veniet non venit pro noſtra ſalute; ſed pro puniendis malis & iniuriis, quę de fratribus ſuis fecimus, & feciſſe iuuat. Non eſt qui recipiat eum, non eſt vſque ad vnum.

37. Hæc & his ſimilia audiens illuſus EPISCOPVS, tanto læticiæ riſu exuberat, vt pœne à ſolito rigore magnum aliquid excederet. Diſrupiſti, inquit, vincula mea, tibi immolabo gloriam & ſacrificiũ laudis, quia paſtoralis curæ funes, & vincula de collo meo ipſorum refutatio liberauit. Fateor me hodie, ô bone IESV, totum eſſe tuum, tibi dominator virtutis & æterne laus, honor & gloria. Noluiſti eos, qui te nolunt, & qui à via veritatis in deſideria declinant.

Inde aduerſus diram barbariem, profanoſq; idololatras, gladium prædicationis acuens, & aptans, cum quibus primùm, cũ quibus poſt dimi-

dimicare oporteret, animo deliberare cœpit; vtrum LVITICENSES, quos Chriſtianorum præda miſerorumq; hominum damna paſcunt; an PRVZZORVM fines adiret, quorum DEVS venter eſt, & auaritia iuncta cum morte eſt.

Tandem alternāti potior ſententia ſucceſſit animo, vt quia hæc regio proxima, & nota fuerat DVCI prædicto, PRVZIÆ DEOS & idola iret debellaturus.

Dux vero cognita voluntate eius, dat ei nauē & ipſam pace pro itineris ter deno milite armat. Ipſe vero primo adiit vrbem * GIDANIE, quam DVCIS latiſſima regna dirimentem maris confinia tangunt. Ibi diuina miſericordia aduentum eius proſperante, baptizabantur hominum multæ cateruæ; ibi MISSARVM SOLEMNIA celebrās PATRI immolat CHRISTVM; cui non poſt multos illos dies ſeipſum pro hoſtia fuerat oblaturus.

Auctor familiaris ap. Sur. vocat Gneſnam. Otto III. ex Italia Gneſnā peregrinatus eſt ad ſepulchrum S. Adalberti, cuius corpus æquali auri pondere redemptum fuerat, vide Dubrauium *lib. 6. init. Baron. an. 997 num 2.*

Quidquid vero ſuperfuit DEO, quod ipſe & noui baptizati cōmunicarunt, colligere iubet, & mundiſſimo panno inuolutum ſibi ſeruauit pro viatico deportandum. NB.

Poſtera autem die ſalutatis omnibus imponitur carinæ & pelago, & tollitur ab eorum oculis nunquam poſtea videndus. Hinc nauticum iter velociſſimo curſu peragens poſt paucos dies marinum littus egreditur, & reuerſa eſt nauis cum armato cuſtode. Ipſe autem pro præſtitis beneficiis gratiam vectoribus & vectorum domino agens, remanſit ibi cum geminis fratribus, quorum alter presbyter BENEDICTVS, alter dilectus & à puero ſibi comes frater GAVDENTIVS erat. 39.

Tunc magna fiducia CHRISTVM prædicantes intrant paruam Inſulam, quæ curuo amne circumuecta formam circuli adeuntibus monſtrat. Venientes vero loci poſſeſſores cum pugnis expulerunt eos, & quidam arrepto nauiculæ remo aſtitit Epiſcopo propius, & vt forte Pſalmos in libro decantauerat, ingentem ictum inter ſcapulas dedit. Excuſſus manibus volat in diuerſa codex; & ipſe extenſo capite & membris iacet humo proſtratus, ſed exterius afflicto corpore, quid pia mens intus ageret, riſus cordis per vocis organum mox patefecit. Gratias tibi, inquit, domine, quia & ſi amplius non erit, ſaltem vel vnum ictum pro crucifixo meo accipere merui. 40.

Digitized by Google

41\. Tranſiens vero in aliam partem fluminis ſtetit ibi ſabbato, veſpere autem facto dominus villæ diuinum heroa Adalbertum transduxit in villam. Congregat ſe vndique iners vulgus, & quid de illo foret acturus, furibunda voce & canino rictu exſpectant.

Tunc ſanctus Adalbertus, quis & vnde eſſet, vel ob quam cauſam illuc veniret, interrogatus, tali è contra miti voce reſpondit: Sum natiuitate Sclauus, nomine Adalbertus, profeſſione MONACHVS, ordine quondam EPISCOPVS, officio nunc veſter APOSTOLVS. Cauſa noſtri itineris eſt veſtra ſalus, vt relinquentes ſimulacra muta & ſurda, agnoſcatis creatorem veſtrum, qui ſolus & extra quem alter DEVS non eſt, & vt credentes in nomine eius habeatis, & in atriis immarceſcibilibus cœleſtium gaudiorum præmia percipere mereamini. Hæc ſanctus Adalbertus.

Illi autem, iam dudum indignantes, & cum clamore blaſphema verba aduerſus eum proclamantes, mortem ſibi minantur. Extemplo terram baculis percutiunt, fuſtes capiti eius apponunt, & infrendunt dire dentibus in eum.

Magnum ſit tibi, inquiunt, quod huc vſque impunè veniſti, & ſicut celer reditus ſpem vitæ, ita tibi paruæ moræ necis damna creabunt. Nobis & toti huic regno, cuius nos fauces ſumus, communis lex imperat, & vnus ordo viuendi; vos vero qui eſtis alterius & ignotæ legis, niſi hac nocte diſcedatis, in craſtinum decapitabimini.

Ipſa nocte nauiculæ imponebantur & retro ducti manſerunt quinque dies in vico quodam.

42\. Hæc dum in illa geruntur parte, ecce in monaſterio vbi ille talis nutritus fuerat, cuidam conuerſo IOANNI CANAPARIO talia Dominus per viſum oſtendit. E ſummo cœlo velut volantia deorſum veniunt vſque ad terram duo linteamina, alba ſicut nix, & munda abſque omni ſorde & macula. ambo ſua onera, ſingulos quidem viros de terra leuant; ambo feliciſſimo curſu nubes & aurea ſidera tranſnant. vnius nomen, extra ipſum, qui hæc vidit, admodum pauciſſimi ſciunt; alter vero erat vt adhuc hodie meminit, domnus Adalbertus, cui angelus miniſter iam cœleſtis menſæ conuiuia præparauit.

At Pater Nilus ignotum eſt, quid de eo viderit; ſed dulcibus ſcriptis eundem virum ita alloquitur: Scias dulciſſime fili, quia amicus noſter Adalbertus ambulat cum Spiritu ſancto, & beatiſſimo fine præſentem vitam erit terminaturus.

Item

Item fratri GAVDENTIO, quæ opere futura erant, nocturna quies textis ambagibus dixit. Expergefactus ergo ſi vellet audire ſomnum ſuum interrogat dilectum patrem. Reſpondente autem ipſo, Dic ſi quid habes, 43.

"Vide, inquit, in medio altaris calicem aureum, & hunc vino ſemiplenum, cuſtos vero eius nemo erat. Me itaque volente bibere merum, oppoſuit ſe mihi miniſter altaris, & audacibus meis cœptis velut quadam imperioſa auctoritate contradixit, qui nec mihi nec alicui hominum licentiam dare vellet pro eo, quod tibi in craſtinum pro myſtica refectione foret ſeruatum."

Hæc eo loquente fugit ſomnus ab oculis, & occupat trementia membra torpor ingens. DEVS, inquit, fili proſperet hunc viſum: fallaci ſomnio neminem credere oportet.

Iam exurgente purpureo die cœptũ iter agunt, & DAVIDICO carmine viam ſibi adbreuiant, & dulcis vitæ gaudium continuo appellant CHRISTVM. Inde nemora & feralia luſtra linquentes, ſole aſcendente ad meridiem, campeſtria loca adierunt. Ibi fratre GAVDENTIO MISSAM celebrante, ſanctus ille monachus communicauit. & poſt SACRAM COMMVNIONEM pro alleuiando labore itineris pauxillum obſonij accepit. & dicto verſu & ſequẽti Pſalmo ſurgit de gramineo ceſpite; & quantum iactus eſt lapidis vel miſſus ſagittæ progreſſus loco reſedit. 44.

Hic tum cepit eum ſomnus, & quia diutini itineris feſſus erat, pleno cornu perfudit eum ſoporifera quies. Ad vltimũ pauſantibus cunctis affuit paganicus furor & irruerunt ſuper eos impetu magno & iecerunt omnes in vincula.

Sanctus vero ADALBERTVS ſtans contra GAVDENTIVM & aliũ fratrem ligatũ, Fratres, inquit, nolite cõtriſtari, ſcitis q̃a hæc patimur pro nomine Domini, cuius virtus vltra omnes virtutes, pulchritudo ſupra omnes decores, potentia inenarrabilis, pietas ſingularis. Quid enim fortius, quid eo pulchrius? quàm dulce eſt pro dulciſſimo IESV fundere vitam! 45.

Proſilit ex furibundo agmine igneus SIGGO, & totis viribus ingens iaculum mouens, tranfixit eius penetralia cordis. Ipſe enim Sacerdos idolorum, & dux coniuratæ cohortis, velut ex debito prima vulnera facit. deinde cõcurrunt omnes, & vulnera miſcentes iram exſaturant.

Profluit purpureus ſanguis per foramina vtriusq; lateris, ille

Digitized by Google

oculis ac manibus ſtat orans in cœlum. Exiit rubeus amnis diuite vena, & extractæ haſtæ ſeptem ingentia vulnera pandunt.

Ille vinclis ſolutis extendit manus in modum CRVCIS, & ſuppliciter fuſis precibus pro ſua & perſecutorum ſalute ad dominum clamat.

Sic illa ſancta anima carcere ſuo euolat, ſic nobile corpus protenta CRVCE terram occupat, ſic quoque multo ſanguine vitam fundens, beatis ſedibus & ſemper chariſſimo tandem perfruitur Chriſto.

46. O ſanctum & beatiſſimũ virum, cuius in vultu angelicus ſplendor, in corde ſemper Chriſtus erat! O pium & omni honore digniſſimum, qui crucem, quam voluntate ſemper in animo, tunc etiam manibus & toto corpore complexus eſt!

Accurrunt vndique armis dira barbaries, & nondum expleto furore auferunt corpori nobile caput, & ſeparant exſanguia membra. Corpus vero loco dimittentes, caput palo fixerunt, & lęto clamore ſua ſcelera laudantes reuerſi ſunt vnuſquiſq; ad proprias ſedes.

47. Paſſus eſt autem ſanctus & glorioſiſſimus Martyr Chriſti Adalbertus nono Calendas Maij imperante rerum Domino Ottone tertio pio & clariſſimo Cæſare, feria ſexta, ſcilicet, vt qua die Dominus Ieſus Chriſtus pro homine, eadem die homo ille pro Deo ſuo pateretur, cuius eſt miſericordia in ſeculum, honor, laus & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

De martyrio S. Adalberti vide quæ Barō. fuſè anno 997. & Dubrauius lib. 6. hiſt. Boh.

FINIS.

Gun-

Guntheri

MONACHI

IN COENOBIO

PARISIENSI

Hiſtoria

CONSTANTINOPOLITANA

SVB

BALDVINO

CIRCA

Annum Domini 1203.

Nunc primum ex membranis manuſcriptis bibliotheca Academia Ingolſtadienſis edita.

Digitized by Google

Ad Lectorem.

IN m. ſ. codice alius titulus non erat, præter hunc: Incipit hiſtoria Conſtantinopolitana. *Porro ex verbis illis, quæ ſub finem ab alio quopiam adiecta ſunt, patet auctoris nomen. Qui cap. 24. non obſcurè innuit ſe monachum fuiſſe in cœnobio Pariſienſi, Diœceſis Baſileenſis, de quo cap. 2. plura. Item cap. 1. cùm ait:* Præſentis loci noſtri felicitatem perpetuam, *idipſum diſerte teſtatur. Fuit hoc Monaſterium Ciſtercienſis ordinis, in diœceſi Baſileenſi, vt patet ex cap. 2. & 4. Martinus ille Abbas Pariſienſis, qui expugnationi Conſtantinopolitanæ interfuit, & ex cuius ore Guntherus hanc hiſtoriam habet, vixit adhuc, cùm hæc Guntherus ſcripſerat, vt colligi poteſt ex cap. 5. & 1. Quanta autem fide ſit conſcripta vel ex his verbis capitis primi liquet:* Noſtræ narrationis pagina nil prorſus falſum vel ambiguum continebit, ſed veram ac certam rerum geſtarum ſeriem perſequetur, ſicut idē vir, de quo plura dicturi ſumus, humiliter ſatis ac verecundè, puram nobis ac ſimplicem enarrauit hiſtoriam. *Scribit hanc ipſam captæ Conſtantinopolis tragœdiam Nicetas Acominatus Choniates Magnus Logotheta in annalibus Conſtantinopolitanis, quos Græcolatinos iterato editos anno 1593. hæreticus quidam ineptis & hæreticis ſcholiis cōtaminauit. Ita nimirum illi nati ſunt bonos libros malè inquinatos dare. Cùm autem hic frequentiſsima ſit mentio Martini Abbatis, redit in memoriam ille Martinus Ordinis Prædicatorum, qui floruit ſub Ludouico anno 1320. eiusq; opuſcula enumerat Trithemius lib. de ſcript. Eccleſ. qui ſubdit hæc verba:* Sunt item alij, qui Ciſtercienſis ordinis

Digitized by Google

collegio eum exiſtiment aggregandum; quos aũt igno-
rantia rerum obſuſcauit, aut liuor. *Hæc Trithem. Sed forte Trithemius hic deceptus fuit, cùm legit apud alios mentionem Martini Abbatis Ordinis Ciſtercienſis. Certe hic noſter Martinus, Ciſtertienſis fuit, cuius (vtpote celeberrimi viri) ſi alij meminerunt, rectè Ciſtercienſem vocauerunt. Licet erraret, quiſquis hunc noſtrum Martinum Ciſtercienſem, qui ſub Philippo Imp. floruit, miſcere vellet cum illo Martino Prædicatorum, qui ſub Ludouico claruit. In cap. 24. Signatur annus Domini 1205. quo Argentinenſis Epiſcopus fuit Henricus. Fuit hic* Henricus Comes à Veringen, *inquit Bruſchius in Epiſcopo 59. Argentinenſium,* Sueuus; pius ac religioſus, pacis publicæ, & bonæ inter omnes homines tranquillitatis author & cuſtos, promotor & conſeruator ſtudioſiſſimus. Præfuit ſapienter & vtiliſſimè vno & viginti annis. Inſtaurauit iterum caſtrum Dagenſtein, pœne collapſum, Dagoberti Galliarũ regis olim ſedẽ ac domicilium ab eodem etiam extructum, & quaſi Dagoberti ſaxum, aut ſaxea moles dictum. Deceſſit anno incarnati verbi 1223. vndecima Martij. Sepelitur honorificè & magnificè in ſacello S. Andreæ, quod eſt in Baſilica Cathedrali. *Hæc Bruſchius.*

INCIPIT HISTORIA CONSTANTINOPOLITANA.

V Niuerſa diuinæ virtutis opera plurimum habent admirationis; eatenus, vt ſi qua mira non ſunt, nec diuina debeant iudicari. Specialiter tamen ea mirari conſueuimus, quæ magna & ardua per humiles perſonas, illorum ſcilicet hominum, qui & apud ſeipſos per humilitatem in imo ſunt, & apud alios tantis rebus minus putantur idonei, eadem virtus diuina dignatur oſtendere. Vnde & illud magis mirandum eſt
Exod. 3. quod per MOYSEM, hominem priuatum & humilem, qui oues ſoceri ſui IETHRO paſcere ſolebat, popul' filiorũ Iſrahel de tyrrannide PHA-
Exod. 14. RAONIS, & de fornace ferrea Ægyptiæ ſeruitutis eductus eſt, quàm ſi per aliquem fortiſſimum regem in manu valida, & millib' armatorum populis idẽ fuiſſet ereptus. Sic & illud maiori ſtupore ſuſcipimus, quod
Matth. 4. per homines brutos & pauperes piſcatores & idiotas fidem CHRISTI, nouam prorſus & incognitam, mundus accepit; quàm ſi vel AVGVSTI CÆSARIS auctoritate, vel PLATONIS ſciẽtia, vel DEMOSTHENIS aut CICERONIS eloquio eiuſdẽ fidei CHRISTIANÆ religio perſuaſa fuiſſet & tradita. Opera quippe DEI quanto minus in ſe humanæ facultatis admittunt, tanto maior in eis diuinæ potentiæ ſublimitas eluceſcit. Hinc eſt, quod quædam magna valde, & ardua, ſtilo tamen humili, & plano, & ſermone palpabili libuit explicare; quæ DOMINVS per virum quendam modeſtũ ſatis, & humilem, noſtris temporibus, operari dignatus eſt, ad laudem vtiq; & gloriam nominis ſui, & piam eiuſdem viri miſericordiã, & pręſentis loci noſtri felicitatẽ perpetuam. Imo certe ad honorem & gaudiũ totius THEVTONICÆ nationis; vel quod verius & maius eſt, ad ſolatium & tutelam vniuerſæ OCCIDENTALIS ECCLESIÆ, cuius noſtræ narrationis pagina nil falſum vel ambiguũ continebit; ſed veram ac certam rerum geſtarum ſeriem proſequetur; ſicut idem vir, de quo plurima dicturi ſumus, humiliter ſatis

ac ve-

ac verecundè, puram nobis ac ſimplicem enarrauit hiſtoriam. De cuius viri laude atque præconio digna ſcribere non audemus; ne ipſe, qui totum DEO attribuens, nihil ſibi quærit aſcribi, ſuis laudibus offendatur. Neque tamen omnino poterimus reticere, ne DEO, quo authore, hæc geſta ſunt, qui ſuos humiles exaltare conſueuit, euidentem faciamus iniuriam. Quapropter ita inter vtrumque calamum temperare curabimus, vt & DEI magnalia, quæ per eum geſta ſunt, non lateant, & ipſe in ſua humilitate inoffenſus permaneat. Quisquis ergo huic noſtræ paginulæ manum vel oculum lecturus admouerit, animi quoque diligentem ſolertiam rebus ipſis, de quibus hic agitur, ſubtiliter intuendis ſtudioſus adhibeat. Inueniet ſiquidem ibi res magnas, & celebres, & quæ, niſi diuino iuſſu, nullatenus vel accidere, vel fieri potuerunt. Vnde & lectorem volumus eſſe admonitum; vt ſi qua etiam à populo noſtro contra pietatem facta videbuntur, ea tamen voluntate diuina ſemper vtiq; iuſta facta eſſe non dubitet.

Eo igitur tempore quo famoſus Prædicator ille FRANCIGENA, 2.
FVLCO nomine LEO * autem PARISIENSIS ad ſubueniendum TERRÆ SANCTÆ, & ciuitati eximiæ HIERVSALEM, à barbaris diu poſſeſſæ, totas FRANCORVM gentes, totamq; FLANDRIAM, NORMANIAM, atque BRITANNIAM, ceteraſq; prouincias ſuis prædicationibus incitabat; fuit vir quidam in SVPERIORI GERMANIA, MARTINVS vocabulo, ABBAS cuiusdam cœnobij de ordine CISTERCIENSI, quod in EPISCOPIO BASILIENSI poſitum ipſumq; PARISIVS appellatur. Quæ vtiq; res iam in ipſo ſui exordio quiddam videtur habere miraculi, vt tam ille, qui iam verbũ CRVCIS publicè prædicabat, quàm & iſte, qui paulo poſt eiuſdem prædicator futurus erat; ambo, inquam, hi viri, ſicut pares eſſent officio, ita ambo PARISIENSES cõmuni vocabulo dicerentur. Sed ille quidem à nomine ciuitatis ſuæ, de qua carnaliter oriundus extiterat, hic autem à cœnobio, cui pater ſpiritualis, vt diximus, præſidebat. Vterq; etenim locus, id eſt, tam præfatum cœnobium, quod & paulo ante dictũ eſt, quàm & famoſa ciuitas illa FRANCORVM, PARISIVS nominatur. Quod nomen lingua quidẽ GALLICA ſuam habet etymologiã; THEVTONICE vero ex hoc videtur habere rationẽ, & cauſam. Primi cœnobitæ, qui de monaſterio LVZELENSI ad inhabitandum illum locum miſſi ſunt, nil aliud ibi, niſi locum deſertum, & frigidum, & puram glaciem repererunt. Nunc vero per gratiam DEI, qui pauperes ſuos exaltat & promouet, eccleſia celebris eſt, ditata

* M. S. aũt

poſſeſ-

poſſeſſionibus & prædiis, ædificiis decorata, & quod his omnibus præſtantius eſt, diuinis nocte ac die mancipata obſequiis. Abbas igitur ille, quem dicimus, maturus quidem erat animo; ſed facie iocundus, prudens conſilio, familiaritate affabilis, eloquio gratioſus, inter fratres ſuos manſuetus, & humilis, vt quilibet illorum, apud ſeculares autoritate præcipuus, apud vtroſq; dilectus, atq; tractabilis haberetur. Hic à SVMMO PONTIFICE INNOCENTIO, qui tunc SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ TERTIVS ſub hoc nomine præſidebat, mandatum accepit, vt & ipſe indubitanter SIGNVM CRVCIS acciperet, & hoc idem aliis in partibus illis publice prædicaret. Qui etiam mandato PONTIFICALI in vtroque obtemperans, confidenter & impigrè verbum prædicationis arripuit, mirantibus cunctis, pro eo, quòd complexionis homo tantique laboris impatiens ab omnibus putabatur. Habuit itaq; ſermonem ad clerum & populum in ciuitate ſua, quæ Græco vocabulo BASILEA, id eſt, REGALIS, dicta eſt, in celebri Eccleſia beatæ Virginis MARIÆ, vbi magna vtriuſq; ordinis nouis excitata rumoribus conuenerat multitudo. Audierant quippe iam dudum alias circumquaq; prouincias ad hanc CHRISTI militiam celebribus prædicationibus excitari. In partibus autem illis nullis adhuc eiuſdē rei fecerat mentionem. Vnde & eorum quàm plurimi, parati animo CHRISTI caſtris ſe tradere, huiuſmodi exhortationē totis deſideriis expectabant. Stabant igiť omnes auribus arrectis, fixis in ipſum obtutibus, qđ de hac re vel præciperet, vel moneret, quidue obtemperanti de diuina bonitate promitteret, cupidiſſimè præſtolantes.

3\. Verbum mihi ad vos, Domini mei & fratres mei, verbum mihi ad vos; non meum vtiq; ſed CHRISTI. CHRISTVS ipſe verborum autor eſt; Ego fragile inſtrumentum. CHRISTVS vos hodie per os meum ſuis alloquitur verbis, ſuas vobis deplorat iniurias. Expulſus eſt CHRISTVS de loco ſancto ſuo, de ſede ſua, deiectus eſt de illa ciuitate, quam ipſe ſibi proprio ſanguine dedicauit. Proh dolor, vbi dudum FILIVS DEI venturus in carne à ſanctis Prophetis promiſſus eſt, vbi iam natus, & paruulus in templo voluit præſentari, vbi præſens prædicauit & docuit, virtutes & ſigna frequenter exhibuit, cœnans cum diſcipulis ſuis ſanctiſſimi CORPORIS & SANGVINIS inſtituit SACRAMENTVM; Paſſus, & mortuus, ac ſepultus; Poſt triduum reſurrexit, cernentibus eiuſdem dicipulis in cœlum aſſumptus eſt, & decima die SPIRITVM SANCTVM in linguis igneis ſuper eos effudit. Ibi nunc prophanæ gentis dominatur

barba-

barbariei. O miſeria! ô gemitus! ô extrema calamitas! TERRA SANCTA, quam CHRISTVS ſuis calcauit veſtigiis, in qua infirmos curauit, cœcos illuminauit, leproſos mundauit, mortuos ſuſcitauit; terra, inquam, illa in manus impiorum data eſt. Subuerſæ ſunt Eccleſiæ, pollutum ſanctuarium, regni ſedes & dignitas tranſlata eſt ad gentes. Sacroſanctum illud & venerabile CRVCIS LIGNVM, quod CHRISTI ſanguine perfuſum eſt, ab his, quibus verbum CRVCIS ſtultitia eſt, ita ſuppreſſum occultatur, ita vt nemo CHRISTIANVS quid de illo actum ſit, vel vnde requiri debeat, ſcire poſſit. Gens noſtra, quæ fines illos habitare conſueuerat, tota fere vel hoſtili gladio, vel longa iam captiuitate conſumpta eſt. Pauci qui de clade illa euadere potuerunt, apud ACHONEM, vel in aliis tutioribus locis ſe receptant, ibique crebros à barbaris patiuntur incurſus. Hæc eſt illa CHRISTI neceſſitas, quæ ipſum vobis hodie per os meum ſupplicare compellit. Nunc itaque validi bellatores ſuccurrite CHRISTO: Date nomina veſtra militiæ CHRISTIANÆ, felicibus caſtris aggregari ſatagite. Vobis hodie cauſam Chriſti committo, Vobis ipſum, vt ita loquar, in manus trado, vt eum in hæreditatem ſuam, de qua crudeliter eiectus eſt, reſtituere ſtudeatis. Ac ne vos illud terreat, quòd hoc tempore gentilis rabies ſuper noſtros adeò inualuit: rerum præcedentium vos cupio reminiſci. Eo tempore, quo celebris iſta expeditio ſub nobili Duce GOTEFRIDO, cæteriſque FRANCORVM, ac THEVTONICORVM PRINCIPIBVS facta eſt, infidelis ille populus, ita vt nunc, CHRISTIANIS omnibus occiſis, vel captis; terram illam occupauerat, ſanctamque ciuitatem IERVSALEM, & TYRVM, ac SYDONEM, ipſamque ANTIOCHIAM, & alias vrbes *munitas imò totam terram vſque CONSTANTINOPOLIM ſecurè & abſque vllo metu annis quadraginta poſſederant. Quæ tamen omnia, volente DOMINO, per eundem exercitum breuiſſimo tempore, velut in tranſcurſu recepta ſunt. NICÆA, ICONIVM, ANTIOCHIA, TRIPOLIS, & aliæ ciuitates expugnatæ ſunt. Ipſa etiam ſedes regni IERVSALEM populo noſtro reſtituta. Nunc autem licet impia gens præcipuam illam ſedem & maximam terræ partem violenter obtineat, noſtra tamen eſt ACHON, noſtra eſt ANTIOCHIA, noſtræ ſunt & adhuc aliæ quædam vrbes munitæ & validæ, quarum præſidio, diuino fauore, & viribus noſtris, incliti bellatores, etiam præclara ſedes illa cum omnibus aliis ſub noſtram poterit redigi poteſtatem. Si autem quæritis, quid à DEO certi ſtipendii pro tanto labore ſperare debeatis; certiſſi-

**al. munitam,*

mè vobis polliceor, quia quiſquis SIGNVM CRVCIS acceperit, & puram fecerit CONFESSIONEM, ab omni prorſus mundabitur peccato, & quocunque loco, vel tempore, ſeu caſu præſentem reliquerit vitam; æternam accipiet. Taceo nunc, quòd terra illa, quam petetis, longe hac terra opulentior eſt atque fœcundior; & facile fieri poteſt, vt multi etiam ex vobis in rebus etiam temporalibus proſperiorem ibi fortunam inueniant, quàm hîc ſe expertos meminerunt. Nunc videte fratres, quanta ſit in hac peregrinatione ſecuritas; in qua & de regno cœlorum promiſſio certa eſt, & de temporali proſperitate ſpes amplior. ego ipſe ſpondeo ſocium itineris, & laboris;&, prout DEO placuerit, proſpera vobiſcum & aduerſa partiri deſidero. Nunc igitur, fratres, lætis mentibus triumphale SIGNVM CRVCIS accipite, vt & cauſam CRVCIFIXI fideliter exequentes, pro labore breui & modico,magna & æterna percipere valeatis ſtipendia.

Hæc loquente venerabili viro cunctis, qui aderant, vehementer atterritis;videres lacrimas, tàm per eius faciem,quàm per ora omnium largiſſimè defluentes. Audires gemitus, & ſingultus, atque ſuſpiria,& alia huiuſmodi ſigna,quæ internæ compunctionis faciebant indicium. Hunc itaque præfati ABBATIS ſermonem idcirco diligenter proſecuti ſumus: quia cùm ipſe poſtea frequenter & illos,& alios viriliter exhortatus ſit; de nulla eius exhortatione quidquam ſumus dicturi,vt ex hoc eius diligentia, quàm ſtrenuus etiam in aliis credendus ſit,liceat æſtimare.

4. Aſſentit denique vir DEI precibus illorum, & qui, vt iam diximus, à SVMMO PONTIFICE curam animarum acceperat, exterioris quoque prouidentiæ rogatus accepit officium. Tunc exhortans illos,& confortans in CHRISTO, cuius militiam profeſſi erant, certum tempus conſtituit,quo rebus ſuis diſpoſitis, parati omnes ad eundem locum ei occurrerent, ibique ſecum iter ſanctæ peregrinationis arriperent. Redeuntes autem ad propria,diligenter admonuit, vt tempore medio caſtè & innocuè ſe haberent, & ſeipſos CHRISTO,totius puritatis amatori, milites exhiberent idoneos. Ipſe verò cum honeſto comitatu præcipua & maximè populoſa totius regionis loca circuiens,crebras prædicando faciebat ſtationes, & plurimos ad eandem CHRISTI militiam conuertebat. Quibus etiam illud curabat iniungere, vt. qui poſſent, præfixo tempore ad locum prædictum aliis occurrerent, cum eis pariter profecturi. Qui verò propter temporis

poris anguſtiam à negotiis ſuis expediri non poſſent, quàm celerrimè fieri poſſit, alios ſequerentur. Tempore autem profectionis iam vicino, MARTINVS LITZ, auctoritate PONTIFICALIS mandati tutus eſſe cupiens, tamen ſanctæ profeſſioni ſuæ reuerentiam exhibere, fontem totius ordinis CISTERTIVM adiit, ibique ab ipſo loci eiuſdem Abbate, aliiſque præcipuis quibuſdam Abbatibus, peregrinationis licentia, & benedictione accepta, ad monaſterium ſuum reuerſus eſt. Vbi etiam fratrum ſuorum ſe orationibus commendans, & eos mutua caritate diuinæ pietati committens, BASILEAM petiit; vbi iam SIGNATORVM multitudo magna conuenerat: à quibus lætiſſime ſuſceptus eſt. Ibi quoque ſermone exhortationis habito, ſeipſum, & ſocios beatæ VIRGINI commendauit, humiliter rogans, vt ipſa Filio ſuo nouum conciliaret exercitum. Poſtea valedicens clero, & populo eiuſdem ciuitatis, à quibus plurimum diligebatur, læto vultu, & mente impauida ſanctæ profeſſionis laborem cum ſociis aggreſſus eſt. Qua ex re illud coniicere poſſumus, hominem DEI neſcio quid magni iam tunc in animo concepiſſe, & quæ Deus per ipſum facturus erat, certo iam mentis augurio præſagire.

Profectus itaque de ciuitate BASILEA Signatorum exercitus, relictis aliis ſtratam illam arripuit, quæ per anguſtos TRIDENTINÆ vallis anfractus VERONAM ducit, minori quidem labore, & maiori compendio. Erat autem tàm clara & celebris famæ præcurrens opinio, vt non ſolum hi, per quos eis tranſitus erat, verum etiam de villis & oppidis cateruatim occurrerent; & eos multo fauore, & gratia ſuſcipientes, victui neceſſaria iuſtis pretiis exhiberent. MARTINVM verò præcipuè mirabantur, quod homo religioſi habitus, & vitæ admodum ſpiritualis armatum ductaret exercitum; ſeque ipſum tanti laboris officio tàm ſtrenue coaptaret. Vnde & nomen eius inter ſe celeberrimè frequentantes, poſt illum TVRONENSEM, qui in ſanctorum confeſſorum catalogo ferè primus atque præcipuus eſt, quadam ſimilitudinis ratione, MARTINVM hunc alterum vocitabant. Et reuera ſi rem diligenter inſpicimus, quædam, ne multa dixerim, in vtroq; concurrunt ſimilia. Primum quidem, quod ſicut ille aliquando armatam ſequens militiam, ſicut de ipſo ſcriptum eſt, tàm ſanctè & innocuè ſe habebat, vt iam tunc non tàm miles, quàm monachus putaretur; ita & hic verus monach', imò Pater monachorũ, armatũ ducens exer-

ctum, inter belligeros homines ita vixit, vt quantum labor itineris vel iniuncti cura permittebat officii, de rigore ſuæ profeſſionis nil ſibi penitus relaxaret. Deinde ſicut ille tantæ fuit compaſſionis in pauperes, vt aſperrimo frigore chlamydem, quam vnicam habebat, cum nudo paupere partiretur, ſic & iſte de his, quæ vel ſecum detulit, vel poſtea, volente DEO, copioſè adeptus eſt, indigentibus ſociis largas diſtribuit portiones: adeò, vt in duobus diebus centum viginti marchas in *vtiles vſus liberaliter erogaret; & in tertia die ſeptuaginta marcas argenti. Tertium eſt, quod ſicut ille de monacho factus Epiſcopus, in ſua tamen paupertatis humilitate ſeipſum ſemper continuit; ſic & iſte, ſicut nobis certiſſimè compertum eſt, cùm poſſet vel Epiſcopatum, vel quas vellet alias eccleſiaſticas dignitates, imò & immenſam auri argentique pecuniam, nonnullis rogantibus, accepiſſe; amore tamen ordinis monaſterii ſui, cui DEVS per ipſum, & ipſe per DEI gratiam ſolenniter benefacere cogitabant, oblata reſpuit; & expleta peregrinatione ad fratres, pauper quidem ſpiritu, ſed cœleſtis theſauri operibus diues, & plenus reuerſus eſt. Sunt & alia fortè plura quæ poſſent in vtroque MARTINO, vnius ad alterum ſimilia reperiri; niſi fortè minus idoneo lectori vel ſanctiſſimum Confeſſorem nimis deprimere, vel honeſtum virum, quem dicimus, attollere videremur. Quapropter vtrumque debito fine honoris venerari nos condecet. Sed illum quidem, velut ſanctiſſimam animam, iam fruentem conſortio angelorum; hunc verò tanquam prudentem virum adhuc in carne agentem; qui & iam apud DEVM & homines magni meriti æſtimatur, & poſtmodum apud vtroſque amplioris gratiæ per DEI gratiam futurus ſit. Sed neque illud ſilendum credimus, quia in illius ſancti MARTINI ſacro natalitio iſto MARTINVS natus eſt in mundum. Et ideò MARTINVS appellatus eſt, &c.

*in vtiles.

6. Venientes itaque VERONAM milites peregrini cum Duce ſuo tàm à populo ciuitatis, quàm ab alia multitudine maxima SIGNATORVM, quæ illas de diuerſis mundi partibus ad eundem locum præuenerat, lętiſſimè ſuſcepti ſunt. Nam & ipſius vrbis EPISCOPVS MARTINVM in domũ deuotè ac reuerenter aſſumpſit, eiq; per octo ferè hebdomadas ſumptus & obſequiũ beneuolè miniſtrauit. Poſteà diſcedẽtes VENETIAM petierũt, ibi naues intrare decreuerãt, & inde vers' ALEXANDRIAM ciuitatẽ ÆGYPTIAM recto impetu nauigare, pro eo, quod tẽpore illo in par-

in partibus transmarinis inter noſtros & barbaros induciæ pacis erãt: quas noſtris, ſalua fide, quam interpoſuerant, ſoluere non liceret.

Erant autem in exercitu SIGNATORVM famoſi, & potentes viri quamplures, tam ſeculares, quàm Eccleſiaſtici. Inter quas BALDVINVS COMES FLANDRENSIS, & BONIFACIVS MARCHIO de, MONTE FERRATO, authoritate & viribus, atq; conſilio præcipui habebantur. Et ſiquidem omnes vno conſenſu in hoc conuenerant, vt petentes ALEXANDRIAM, & eam viriliter obſidentes, non tam belli fortunam quàm diuinæ virtutis experirentur potentiam. Quod vtiq; ſi feciſſet, ſperabile ſatis erat, tam ipſam magnificam ciuitatem, quàm & maximam totius ÆGYPTI partem facili compendio in eorum poteſtatem poſſe transferri; eo quòd totus ferè populus terræ vel conſumptus fame perierat, vel ſqualebat penuria propter ſterilitatem eiuſdem videlicet terræ, cui NILVS frugiferas aquas, quibus eam rigare ſolet, annis, vt aiunt, iam quinq; ſubtraxerat. Impediebatur autem illud PRINCIPVM noſtrorum laudabile ſatis conſilium fraude & nequitia VENETORVM, qui tanquam domini nauium, & PRINCIPES ADRIATICI maris, eis nauigium penitus abnegabant, niſi cum ipſis prius celebrem DALMATIÆ ciuitatem, iuris autem HVNGARICI *IAFIRAM expugnarent. *al. Iazirã* Aiebant enim, illam ſemper ſuis vtilitatibus fuiſſe contrariã; adeo, vt ſæpe ciues eiuſdem vrbis naues illorum mercibus onuſtas piraticis inuaſionibus ſpoliaſſent. Quæ vtiq; res noſtris principibus, tanquam Deum timentibus, crudelis ac nefaria videbatur; tum quia ciuitas illa CHRISTIANÆ gentis erat, tum quia ad Regem HVNGARIÆ pertinebat, qui & ipſe SIGNO CRVCIS accepto, vt moris eſt, ſub protectionem SVMMI PONTIFICIS ſe & ſua tradiderat. Illis ergo inſtanter vrgentibus, noſtris autem obnixè negantibus; ſub hac contentione atq; diſcordia, plurimum temporis elapſum eſt. Putabant enim rem omninô deteſtabilem, & CHRISTIANIS illicitam, MILITES CRVCIS CHRISTI in homines CHRISTIANOS cæde, rapina, & incendio degraſſari. qualia in expugnandis vrbibus frequenter ſolent accidere. Vnde & multi pauperes, qui ſecum pauca detulerant, eiſdem conſumptis, non habentes vltra viaticum, relicto exercitu, verſis veſtigiis ad propria regreſſi ſunt. Sed & quidam potentes & diuites viri non rerum penuria laborantes, quàm perpetrandi flagitii horrore perterriti, inuiti, ac penè nolentes, in reditum conuerſi ſunt. E quibus aliqui ROMAM petentes, vix à SVMMO PONTIFICE redeundi licentiam impetrare potuerunt; ea tamen conditione præfixa, vt ſaltem poſt ali-

quotannos votum ſuæ peregrinationis exſoluerent. Qui reditus peregrinorum non ſolum exercitum noſtrum illorum fraudauit abſentiâ, verum etiam multos, qui de GERMANIA, cæteriſq; regionibus ſubſequi feſtinabant, ab illo, quem conceperant, animi feruore cohibuit, vt in locis ſuis imoti conſiſterent.

Tempore autem illo miſſus eſt ad exercitum noſtrum CARDINALIS quidam, PETRVS videlicet CAPVANVS, quem SVMMVS PONTIFEX ad hoc direxerat, vt præfatam ſedaret controuerſiam, ageretque cum VENETIS, vt felici embole, id eſt, CHRISTI militiæ maturũ vers' ALEXANDRIAM præſtarent nauigiũ. Quod cũ ab eis nullatenus extorquere poſſet, niſi noſtri propoſitam ſibi conditionem impleſſent, viſum eſt eis veniale magis, & minus improbabile, minori malo maius bonum compenſare, quam VOTVM CRVCIS incompletum relinquere, & greſſu retrogrado ad ſuos cum peccato reportare infamiam. Sponderunt itaque facturos ſe, quod illi inſtanter exigebant, accepto nihilominus ab eis certiſſima ſponſione, quod ipſi quoq; armati noſtros vſq; ALEXANDRIAM & comitarentur, & veherent. Videns ergò MARTINVS noſter non ſolum negotio CRVCIS moras iñecti, ſed & toti exercitui noſtro fundendi ſanguinis CHRISTIANI neceſſitatem incumbere; neſciens quò ſe verteret, q̃ due ageret, totus in ſe exhorruit, & de pluribus, quorum ei quodlibet diſplicebat, illud elegit, q̃ in tali articulo potiſſimum videbatur. Aggreſſus itaq; præfatum CARDINALEM, omnium precum inſtantia ſuppliciter exorabat, vt eum à voto peregrinationis abſolutum, ad ſolidam clauſtralis vitæ quietem tranſire permitteret. Ille verò niſi prius expleta peregrinatione, omnem prorſus ei reditum denegabat, & inſuper maiorem imponens ſarcinam, auctoritate SVMMI PONTIFICIS, omnes ei commiſit THEOTONICOS, quos vel ipſe adduxerat, vel ibi repererat, vel qui poſtmodum ad eundem exercitum eſſent venturi. Iniunxit etiam tam ei, quàm quibuſdam aliis religioſis, qui aderant, vt per omnes caſus ſocios ſequerentur, & eos à ſanguine CHRISTIANO, quantũ poſſit fieri, cohiberent.

Traiecta igitur claſſe per mare ADRIATICVM, quod & ipſum DALMATICVM appellatur; alterum quidem ab ADRIA ciuitate, vel ſecundum fabulas, à filia * IONIS ADRIA; alterũ verò à DALMATICA, quam

*f. vitioſe; Nunc in Adringue. Sunt, qui ſcribant, vt apud Ianum Parrhaſium Euſtathius, Ion Italus Adriæ pater fuit, à quo Sinus Ionius, qui mox ab Adria filio dictus eſt Adriaticus.

Digitized by Google

quam aluit, appellationem accipiens, milites noſtri celeri curſu, ſed mente triſti, & tarda, regionis oppoſita littora tenuerunt, ac ne in re odioſa, & ſibi ipſis deteſtabili diuturnas agerent moras, præfatam vrbem magno terrore & fremitu obſederunt, eamq; per triduũ nõ tam hoſtiliter, quàm minaciter oppugnantes, ſine cæde & ſanguine ad deditionem compulerunt. Quæ ciuitas poſtquam ſuis victoribus tradita eſt, mox eam VENETI à fundamentis inexorabili odio ſubuerterunt. Quo in facto, quia noſtri SENTENTIAM EXCOMMVNICATIONIS inciderãt, pro eo, quòd reb. HVNGARIÆ REGIS manus inieciſſent, quas ille ſigno CRVCIS accepto, B. PETRI, SVMMIQVE PONTIFICIS protectioni commiſerat; viſum eſt noſtris ad eundem SVMMVM PONTIFICEM nuncios deſtinare, vt coactæ culpæ miſericorditer condeſcendens, eos ab illa ſẽtẽtia excommunicationis abſolueret. Cui legationi proſequendæ cum perſonæ vtiles & idoneæ quærerẽtur, electus eſt MARTINVS ABBAS, & cum eo SVESSIONENSIS EPISCOPVS, vir magnæ ſanctitatis, & dulcis facũdiæ, & terti⁹ MAGISTER IOHANN. PARISIENSIS, homo FRANCIGENA, nobiliter eruditus, & ſermone affabilis; quorum interueniente præſentia, cauſſa fauorabilis apud SVMMVM PONTIFICEM plenius fulciretur.

Qui tres viri cũ ROMAM veniſſent, admiſſi cauſã, quã attulerãt, fideliter exponẽtes, dñm PAPAM humillimè rogauerũt, vt coacto flagitio, quod milites noſtri ob CHRISTI honorẽ in CHRISTIANOS commiſerant, clemẽter ignoſceret, & cauſa diligenter inſpecta, illam EXCOMMVNICATIONIS relaxaret ſententiam. Ille vero tũ fauore, *quem neceſſitas excuſabat, tũ noſtri exercitus humili ſupplicatione, tũ etiam nunciorum gratia & auctoritate ꝓmotus, habita ſecum deliberatione petitæ indulgentiæ benignus aſſenſit, iuſſitq; ſcribi formã abſolutionis ad noſtrũ exercitũ perferendã. Erat .n. vir multæ diſcretionis, & gratiæ; iuuenis quidem ætate, ſed canus prudentia, maturus animo, morũ honeſtate compoſitus, clarus genere, forma cõſpicuus, amator æqui & boni, inimicus autem nequitiæ & malitiæ, adeò vt non tam ſorte, quàm merito INNOCENTIVS vocaretur. *m. ſ. quam.*

Factum eſt autem, dum adhuc nuncii noſtri in curia verſarentur, certus rumor inſonuit, veniſſe videlicet ALEXIVM iuuenem in caſtra, GRÆCVM genere, filiũ videlicet ISAAC REGIS CONSTANTINO. miſſũ à PHILIPPO REGE THEOTONICORVM, cũ nũciis & mãdatis, qbus obnixè rogabat exercitũ, vt pręfatũ iuuenẽ in regnũ ſuũ reſtituere niterẽtur. Cuius rei ordo talis eſt, ſi ordo congruè dici poteſt, rerum inordinatè

dinatè

dinatè & crudeliter geſtarum narratio. Regnante igitur apud Græcos ISAAC illo quem diximus, frater eius ALEXIVS, patruus minoris ALEXII, cuius & modò facimus mentionem, conſilio quorundam peſſimorum, maximè autem cuiuſdam cognati ſui, nobilis quidem viri, ſed perfidi, qui MVRTIPHLO, id eſt, FLOS CORDIS in gente illa vocabatur. Eundem fratrem ſuum ISAAC regno deiecit, & ipſe regnū arripiens, filium eius, & eundem nepotem ſuum, hunc ſcilicet, de quo nunc agitur, ALEXIVM ſub diligenti cuſtodia carceri mancipauit. Qui tamen inuenta opportunitate latenter effugiens occulta, & celeri fuga, THEVTONIAM petiit: veniensq; ad PHILIPPVM REGEM; qui ſororem ipſius habebat vxorē, ſuas illi, patriſque miſerias, & patrui crudelitatem fideliter conqueſtus eſt. Qui præfatum iuuenem ſatis honeſtè ſuſpiciens, eum apud ſe aliquanto tempore magno dilectionis affectu detinuit, eiq; ſumptus & obſequia copioſè ac liberaliter miniſtrauit. Audiens autem exercitum noſtrum IAZIRA expugnata circa fines GRÆCIÆ conuerſari, ſæpe dictum iuuenem cum nunciis, & epiſtolis ſuis direxit ad PRINCIPES, vtrum ſi fieri poſſet, in regnum patris ſui reducere molirentur. THEVTONICIS autem pro eo quod ſui iuris eſſe videbantur, hanc rem ſecurioſius & imperioſius iniungebat. MARCHIONEM cognatum ſuum, eius, quæ inter eos erat, commonebat propinquitatis. FLANDRENSES, atque FRANCIGENAS, & VENETOS, & aliarum regionum homines, omni precum molimine ſedulus exorabat; certiſſimè promittens, ſi ille auxilio ipſorum ſedem ſuam reciperet, peregrinis omnibus tam per THEOTONIAM, quàm per totam GRÆCIAM, tutam ac liberam in perpetuum patere viam. Accedebat etiam ad hoc, quod idem iuuenis certiſſimè pollicebatur, ſi uiribus eorum reſtitutus foret, eis in commune argenti trecenta marcharum millia ſe daturum. His omnibus cauſſis in vnum concurrentibus, maior pars noſtri exercitus in aſſenſum iuuenis iam cœperat declinare. Pauci verò, qui de CRVCIS prouentu magis erant ſolliciti, obnixè diſſuadebant: dicētes, id quod & veriſimile putabatur; præfatum iuuenem ſine ferro & ſanguine nullatenus poſſe reſtitui: videbatur enim eis ſtultum, & improbum, paucos homines peregrinos, nec habentes quo ſe reciperent, omiſſo SANCTÆ PEREGRINATIOIS propoſito, certo ſuo periculo, pro cōmodis alienis, tantæ vrbi, tam munitæ, tam populoſæ, bellum indicere, quod ſine multa cæde alterutrius partis, vel fortaſſis vtriuſq; terminari non poſſet. Sed de hac re, id eſt, de iuuenis illius reſtitutione, ad tem-

pus

Murtiflo.

f. ſuſcipiens

pus tacendum eſt. ſequentia ſuo tempore proſequemur. Poſtquã ergo, ſicut loqui cœperam, rumor iſte ROMÆ auditus eſt, dominus PAPA cum omni Clero ſuo, nunciiſq; noſtris, aliiſq; quam plurimis vehementer expauit; metuens ne maligni hoſtis inuidia hac occaſione vel totius exercitus noſtri machinaretur interitũ, vel ſaltẽ CRVCIS negotium impediret. Oderat autẽ SVMMVS PONTIFEX illã vrbẽ tam ipſe, quàm eius prædeceſſores à multo tempore. quoniam iam diu ROMANÆ ECCLESIÆ rebellis extiterat, & in quibuſdã fidei articulis, velut in PROCESSIONE SPIRITVS S: quẽ GRÆCI de filio procedere negant, & in modo ſacrificandi, quod illi in fermẽtato facere ſolent, à FIDE CATHOLICA diſſidebant. Vnde & quendam CARDINALEM, q quodam tempore à SVMMO PONTIFICE ad eos corripiendos & inſtruendos miſſus erat, verſis ſurſum veſtigiis, & capite deorſum in aere ſuſpenderũt, donec cõmunicato cum PETRO ſpiritum exhalaret. Oderat igitur eam, vt diximus, & optabat, ſi fieri poſſet, eam à gente CATHOLICA ſine ſanguine expugnari, niſi noſtri cladem exercitus formidaret. Hoc a per noſtros poſſe fieri non ſperabat, dicens, eandem vrbem plus in ſolis nauibus piſcatorum abundare, quàm illos in toto nauigio. Habebat enim mille ſexcentas piſcatorias naues, quarum quælibet per totum annum ad quatuordecim dies fiſco regio perſoluebat nummum aureum, qui * perperam vocari ſolet FERDONI, id eſt. quartæ parti Marcæ vnius æquiualens. Bellicas autẽ ſiue mercatorias habebant infinitæ multitudinis, & portum tutiſſimum. Erat autem de conſilio & ſententia eiuſdem SVMMI PONTIFICIS, qui de CRVCIS negotio maximè anxiebatur, vt noſtri recto curſu verſus ALEXANDRIAM nauigarent. Permittebat etiam eis, vt de maritimis locis ROMANIÆ, quam alluit id mare, cibos inẽptos, id eſt, abſq; pretio moderatè tollerent, q eis ad annum dimidium poſſent ſufficere. Quod ſuum conſilium, quia mutari metuebat, & CRVCIS profectũ terrenis occupationibus impediri, merito tam ipſe, quàm alii omnes nouis rumorib' turbabãtur.

m. ſ. ſepponaſ propter ea.

Inſtabat igitur ABBAS omni precum molimine, & has omnes, quas diximus cauſſas, aliaſque prætendens, redeundi licentiam flagitabat. Ille verò omninò ei reditũ denegabat, niſi prius TERRAM SANCTAM, quam petere vouerat, attigiſſet. Egreſſus itaq; de curia MARTINVS cum ſociis, accepta PONTIFICALI BENEDICTIONE, cum literis continentibus formam abſolutionis, quæ noſtro exercitui redderẽtur, BENEVENTVM petiit, reperitq; ibi PETRVM illum CAPVANVM, cuius ſupra meminimus, verſus ACHONEM, recto curſu transnauigare

Digitized by Google

cupientem. Cui MARTINVS adhærens pontificales epiſtolas per ſocios miſit ad caſtra: per quos etiã THEOTONICÆ cohorti, quam prius duxerat, verbis excuſatoriis valedixit, 2. Nonas April. Deinde apud SYPVNTEM nauẽ ingreſſi, poſt laborem diuturni tẽporis portũ ACHONIS tenuerũt, vbi etiam ab omnibus celeberrimè ſucepti ſunt, 7. Kal. Maii. Erat n. ibi THEVTONICÆ gentis magna frequẽtia, inter quos quidã nobiles & potẽtes viri, q MARTINVM in GERMANIA prius nouerãt atq; dilexerãt, eũ deuotiſſimè ſuſceperunt. CAPVANVS verò omnes ei THEVTONICOS, qui vel tunc aderãt, vel poſtmodũ superuenturi ſperabantur, SVMMI PONTIFICIS autoritate commiſit. Eadem æſtate circa dies illos, qui propter feruoris malitiam caniculares vocari ſolent, orta eſt ibi grauiſſima peſtis, & corporum humanorum corruptio in tantum, vt vna die plus quàm bis mille corpora mortuorum ſepulta memorentur. Erat autem tam ſubita & improuiſa lues, vt quiſquis cœpiſſet ægrotare, infra triduum mortem certiſſimus expectaret. Vnde & multi ſubita ægritudine deprehenſi, cum de rebus ſuis diſponere non valerent, vocato ABBATE, omnia ſua illi tradebãt, vel retinenda in proprium, vel diſtribuenda ſociis egentibus, retenta ſibi parte ſua pro libitu diſponentes. Quã rem ipſe MARTINVS ita fideliter exequebatur, vt in duobus diebus, quod & paulo antę dictum eſt, centum viginti marchas in tales vſus expenderet, & in tertia ſeptuaginta marchas. Quorundam etiam virorum fortium arma, quę illi ob rerum penuriam pignori ſuppoſuerunt, ipſe gratuito pretio ſatis liberaliter redimebat. Amplius autem per infirmos ſtrenua pietate diſcurrens, tam conſilio, quàm rerum impenſa beneuolè prouidebat, admonens eos de pura confeſſione, de certa ſpe æternitatis, ne mortem breuem & momentaneam formidarent; poſt illam continuò vitam interminabilem accepturi. Sanos etiam viriliter exhortabatur, ne terreret eos breuis illa, & citò tranſitura calamitas, ſed promptis animis ad vtrumlibet parati eſſent, vel hanc vitam ad honorem Dei diutius producere, vel ſocios ſequendo æternam breui compendio feliciter adipiſci.

10. Hac igitur peſte in ciuitate illa & finibus eius diu peruagante, maxima tam ciuium, quàm peregrinorum ibidem commorantium eiuſdem contagionis tabe conſumpta eſt. Nam & de ſedecim holum perſonis, quæ in ABBATIS hoſpitio verſabantur, vix ipſe quartus mortẽ effugit; cæteri omnes periculo ſuccubuerunt. Sed & ſi qui ſuperſtites erant, qui reſponſo mortis accepto languidi & exſangues eam

per

Digitized by Google

per ſingula momenta certiſſimè præſtolabantur. Acceſſit autem ad hoc & aliud incommodum: quoniam induciæ pacis, quæ inter noſtros & barbaros iuramento firmatæ fuerant, fraude illorum, & nequitia ſolutæ ſunt; captis & ſpoliatis duabus nauibus noſtræ gentis, & direptis omnibus, quæ in eis vehebantur. Quam tamen iniuriam noſtri fortiter ac celeriter vindicantes, ſex illorum naues magnas annona & mercibus ac aliis rebus onuſtas in mari deprehenſas, tam ipſas, quàm omnia, quæ in eis erant, ſibi prædam fecerunt. atq; ita diuina virtute & ſua, fraudem illorum viriliter vlti ſunt. Renouato itaq; bello cœpit hoſtilis rabies ſolito vehementior noſtris incumbere, tum propter numerum pauciorem, tum quia & hi, qui reſidui erant, tanquam morte vicina imbecilles & inualidi putabantur. Quapropter viſum eſt his, qui inter eos præcipui habebantur, nuncios ad caſtra peregrinorum dirigere, quos in GRÆCIA verſari acceperant, vt ciuitati ACHONITANÆ, & illi portiunculæ TERRÆ SANCTÆ, quam adhuc noſtri multo labore & periculo poſſidebant, maturo ſubuenirent auxilio, & ſcirent eam vix iam poſſe diutius defenſari. Hanc quoque legationem, rogantibus illis, ſuſcepit ABBAS MARTINVS cum alio quodam viro CONRADO ſcilicet, ADVOCATO DE SWARTZENBERG: Cuiidem ABBAS teſtimonium perhibet tantæ integritatis, vt quoties ſe vel ioco, vel ſerio, vel caſu mentitum eſſe recordaretur, tot venias in ſecreto petere conſueuiſſet. Ex quo & illud ſatis patet eum, qui in leuibus, & his, quæ alii ferè omnes pro nihilo ducunt, tam prouidus erat, in maioribus nullatenus fuiſſe negligentem. Tertia ergo die ante feſtum ſancti MARTINI præfati duo viri nauem ingreſſi ſunt, & in CIRCVMCISIONE DOMINI iuxta CONSTANTINOPOLIM littora tenuerunt. Vbi tunc exercitus noſter non ſatis lætus agebat, eo quod magnum diſcrimen incurriſſet negotiis implicitus alienis. Quod vtique DEVM ita ordinaſſe credendum eſt, vt ciuitas illa, quæ pro ſua magnitudine atque potentia, iam multo tempore ROMANÆ SEDI rebellis fuerat, virtute noſtrorum, & inſperata victoria vnitati Eccleſiaſticæ redderetur.

Venientes itaque ad nos nuncii tranſmarinæ CHRISTI militiæ reuerenter ab omnibus ac beneuolè ſuſcepti ſunt; maximè autem à TEVTONICIS illis, q̃bus ABBAS præeſſe conſueuerat. Expoſita autẽ cauſa ſui aduentus, compaſſionem vtiq; magnã experti ſunt; ſed nullam omninò ſpem conſilii ſeu auxilii à noſtris acceperunt: q̃ppe q̃ nec ſibi ipſis poſſe ſatis vtiliter videbantur. Erant enim in tanto extremæ aduer-

aduerſitatis articulo, vt nec circa ciuitatem ipſam ſatis eſſent ſecuri propter inæſtimabilem, hoſtilemque GRAECÆ plebis multitudinem nec ab ea abſque multo labore ac periculo diſcedere poſſent, propter innumeras illorum naues, quibus, ſi fugerent, eos perſequi, & expugnare ſatis hoſtiliter cogitabant. Vnde factum eſt id, quod rarò ſolet accidere, vt noſtri eidem ciuitati, de qua fugere non audebant, obſidionem ponere cogitabant. ad cuius rei euidentem notitiam, operæ pretium eſt, illud explicandum reſumere, quod in ſuperioribus nos ad tempus ſuppreſſiſſe meminimus. Quam rem ſi quiſquis diligenter aduerterit, occulta Dei iudicia, & latentes rerum accidentium cauſſas poterit prouocare.

XI. Ordo autem rerum illarum, quæ noſtros in hanc perduxerát neceſſitatis anguſtiam, hoc modo colligi poteſt: Cum regius ille iuuenis ALEXIVS, quod & ſupra dictum eſt, cum nunciis & epiſtolis PHILIPPI REGIS in caſtra veniſſet; & ipſe quoque precibus ſuis & ꝓmiſſis ingentibus, Principes exercitus noſtri plurimum permouiſſet, cœperunt paulatim omnes, vt diximus, in eius fauorem, & cauſſæ ipſius præſidium declinare, quod vtiq; diuerſis ex cauſſis agebatur, tũ ob gratiam Regis PHILIPPI, qui noſtris pro ipſo attentius ſupplicabat, tum quia pium eis videbatur, ſi fieri poſſet, legitimum regni hæredem, crudeliter deiectum, in ſedem ſuam reducere: tum etiam propter eiuſdem iuuenis preces, atq; promiſſa, qui ſi reſtitutus foret, magnum peregrinis omnibus, & tunc, & poſtea præſtare poſſet auxilium. Aderat autem & illud, quod eandem ciuitatem S. ROMANÆ ECCLESIÆ nouerant eſſe rebellem & odioſam, nec putabant eius oppreſſionem à noſtris SVMMO PONTIFICI, vel etiam DEO plurimum diſplicere. Sed & VENETI, quorum nauigio vtebantur, ad hoc præcipuè impellebant, partim in ſpe promiſſæ pecuniæ, cuius illa gens maxime cupida eſt, partim verò pro eo, quod eadem ciuitas multitudine nauium freta in toto illo mari principale ſibi dominium arrogabat.

Harum omnium rerum, & fortè aliarum concurſu illud actum eſt, vt omnes in fauorem iuuenis vnanimiter conſentirent, & ei ſuum pollicerentur auxilium. Fuit autem & alia, vt credimus, cauſſa, longè his omnibus antiquior atque potentior, diuinæ ſcilicet bonitatis conſilium, quod gentem illam elatam ex rerũ opulentia ab illo faſtu ſuo deprimi, & ad pacem & concordiam ſanctę vniuerſalis Eccleſiæ reuocare, hoc ordine diſponebat. Cõgruũ q̃ppe

videbatur,

videbatur, vt gens illa, quæ aliter corrigi nõ valebat, paucorum cæde, & rerum temporalium, quibus intumuerat, amiſſione puniretur, vt & populus peregrinus ſuperborum ſpoliis diteſceret, & terra tota in noſtram tranſiret poteſtatem, & occidentalis Eccleſia ſacroſanctis reliquiis, quibus illi ſe indignos reddiderant, illuminata perpetuo lætaretur. Accidit autem & illud, quod vtique magnum eſt, quod ſæpe dicta ciuitas, quæ ſemper infida peregrinis extiterat, deinceps, volente DEO, mutatis ciuibus, fida & vnanimis permanebit, & nobis ad expugnandos barbaros, & TERRAM SANCTAM obtinendam ac poſſidendam quanto vicinius, tanto præſtantius miniſtrabit auxilium. Quæ omnia vtique caſſarentur, ſi gens illa per homines acerius fidei, veluti GENTILES, aut HÆRETICOS expugnata foret; imò quod & grauiſſimum eſſet, in eorum tranſiret errorem. Has igitur cauſas apud DEVM arbitror præceſſiſſe, nobis quidem occultas, ei verò, qui omnia præuidet, manifeſtas: quibus res iſtæ grandes atque mirificæ, quas ſumus dicturi, certo limite, ſed occulto, ad ſuum perducerentur euentum.

Ex hac igitur tàm occulta & inſcrutabili diuinæ mentis conceptione, quæ omnia formaliter comprehendit, quam nec arenæ numerus, nec guttarum in mari, nec frondium in ſiluis fallere poteſt, omnia, quæ in tempore fieri, vel contingere ſolent, certo tramite, & immutabili curſu proficiſcuntur. Vnde & eam GRÆCORVM PHILOSOPHI archetypum, id eſt, principalem figuram vocare ſolent: IOHANNES in EVANGELIO ſuo VITAM nominat. Quod factum eſt, inquiens, in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum. Sicut enim in mente hominis, qui mortalis eſt, res illæ quodammodo viuunt, quas cogitat in præſenti, ſiue illæ præſentes ſunt, ſiue adhuc futuræ ſperantur, ita quidem, imò multo verius in mente diuina, quam Græci Noyn vocant, quæ tota vitalis, vel potius ipſa vita eſt, quæ nihil vel ignorare vel obliuiſci poteſt; viuebant omnia etiam antequam fierent, quæ vel poſtea creata ſunt, vel adhuc vſque ad finem ſeculi creabuntur. Quæ diuinæ mentis conceptio cum rerum omnium & minimarum ideas, id eſt, formas contineat, multo magis hanc rem, quam dicere proponimus, tantam, tàm nouam, tàm mirificam, ſicut futura erat, ita ab æterno complexa eſt. Itaque ex illa ineffragabili Dei diſpoſitione illud proceſſiſſe credendum eſt, quod exercitus noſter, qui mox capta IAZIRA ver-

12.
Ioan. 1.
νοῦν

Digitized by Google

ſus ALEXANDRIAM tendere feſtinabat, mutato propoſito huic tantæ ciuitati bellum indixit, & directo nauigio fines eius hoſtiliter ingreſſus eſt, poſitis caſtris haud longè ab ipſis mœnibus vrbis ad bellum paratus conſedit. Cui cum magna multitudine armatorum occurrit ille fraternæ ſedis inuaſor & poſſeſſor ALEXIVS, qui breui conflictu virtutem militum vix expertus, diffidens cauſæ ſuæ, & ignauiæ ſociorum, quos nec ſibi propter perpetrata flagitia ſatis fidos arbitrabatur, mox in fugam turpiter conuerſus eſt.

Ciues itaque magnificæ vrbis territi fuga REGIS ſui: quem etiam plerique nec prius propter ſcelera perpetrata ſatis dilexerant, ſimulque per nuncios à iuniori ALEXIO promiſſis, ac precibus frequentius attentati, noſtris quoque contra ſpem ſuam comminantibus excidium vrbis, niſi illum legitimum hæredem regni in regem ſuſciperent, patentibus portis illum cum toto exercitu infra mœnia pacificè admiſerunt. Qui etiam iuuenis regalibus ornatus indumentis, in ſede regni, vt decuit, abſque mora collocatus, dimidiam promiſſæ pecuniæ partem Principibus noſtris beneuolè ac liberaliter numerari iuſſit; ſperans ſe id quod reliquum erat, breuiſſimo tempore redditurum. Manſerunt itaque noſtri in ipſa ciuitate per aliquot dies, & tàm noui regis, quàm ciuium ipſorum obſequio moderatè vtentes id maximè cauebant, ne cui onoroſi hoſpites viderentur. Sed quoniam ciuitas ipſa licet magna & ſpecioſa duobus populis tàm diuerſis lingua & moribus, nec ſatis mutua dilectione conſentientibus, tanteque hominum & equorum multitudini ſufficere non valebat; placuit eis, vt relicta vrbe, in locum planum atque diffuſum ſeſe reciperent, ibique poſitis caſtris, promiſſa REGIS commodius expectarent. Quibus vrbem egreſſis cœpit oriri occulta quædam ciuium aduerſus REGEM ſeditio, pleriſque murmurantibus, quod ipſe homines peregrinos, & à moribus ſuis alienos tanto foueret affectu, & iam ferè totius opes GRÆCIÆ ſine cauſa ad eos tranſtuliſſet, & adhuc tantundem, vel forte plura, ſpoliato regno ſuo, eis largiri proponeret. Quam rem cum omnes ferè quererentur, auſi ſunt etiam ipſum regem patenter arguere; publicè prohibentes, ne regnum ſuum pro commodis ſpoliaret alienis, ne ſuorum inopiam prædam faceret aliorum; ſed eos, tanquam rerum alienarum cupidiſſimos inuaſores pariter cum ipſis perſequeretur & perderet. Quæ illo-

ſuorum ſeditio nouum REGEM vehementer exterruit, tum propter ciuium eorum perfidiam, qui eum coacti ſuſceperant, tum propter illam, quam in noſtros habebat dilectionem; tum propter iuramentum de reddenda pecunia, quod ipſe bona fide præſtiterat. Videres eum grauiter anxiari, quaſi medium inter ſuorum nequitiam, & amorem noſtrorum, & gratiam PHILIPPI REGIS, quod ſi noſtros vel falleret, vel læderet, grauiter metuebat offendere. Cùm ergò ad tantum facinus non facilè poſſet impelli, MVRCIFLO ille, cuius ſuperius fecimus mentionem, cuius conſilio pater eius cœcatus, & ipſe in carcerem retruſus fuerat, eum propria manu ſuffocauit, dicens: Minus eſſe malum, ſi ſolus ipſe præſenti vitæ foret exemptus, quàm ſi totius GRÆCIÆ opes ad ignotos quoſdam homines eius ſtultitia transferrentur. Quo ſublato de medio ipſe tanquam homo regij generis, & ipſe quoque ſanguine propinquus, diadema ſibi impoſuit, & regiam ſedem tàm audacter, quàm impudenter occupans, cœpit de regni negocijs, & noſtrorum perditione crudeliter cogitare. Cuius nos in hoc facto impietatem attentius abhorrentes ita cogimur exclamare.

Crudelis igitur parricida, poſtquam iuuene ſuffocato, regnum inuaſit, & tenuit, iuſſit ad tempus rumorem huius ſceleris reticeri ac ſupprimi, ne ſtatim ad caſtra perueniens noſtrorum auribus intonaret; antequàm ipſe conceptæ fraudis experiretur molimina: miſitque continuò nuncios ſub nomine iunioris ALEXII, qui PRINCIPES exercitus noſtri de caſtris ad ipſum euocarent; quaſi promiſſam pecuniam, & inſuper ampliora munera regiæ liberalitatis accepturos. Quod cùm ad ipſos perlatum eſſet, ipſi tanquam homines CHRISTIANÆ ſimplicitatis, nullam ibi fraudem ſuſpicantes, Vrbem ingredi feſtinabant; quippe qui nil minus metuebant, quàm nouum REGEM, quem ipſi creauerant, tàm breui temporis articulo de medio eſſe ſublatum. Erat autem ibi vir quidam prudentiſſimus, Dux videlicet VENETORVM, cœcus quidem in facie, ſed perſpicaciſſimus in mente, qui corporis cœcitatem, animi vigore, atque prudentia optimè compenſabat. Hunc alii ſemper in rebus ambiguis omni diligentia conſulebant, & ad nutũ eius publica negotia ſolebant diſponere. A quo cũ alii more ſolito q̃ſiſſent, quid ei de hac re videretur; diſſuaſit, ne ſe amore pecuniæ, GRÆCORVM dolis exponerent, dicens, ſe idipſum timere, q̃ eue- 14.

euenerat, id eſt, ne iuuenis ALEXIVS, vel à ſuis peremptus eſſet, vel tanquam GRÆCVS genere, ab eis corruptus noſtram cum illis machinaretur perniciem. Dum ergò Principes ſuper hac re diutius conſultaſſent, nuncii verò perurgerent inſtantius, erupit rumor ille de medio ciuitatis, & vniuerſum exercitum graui terrore concuſſit. Videbant ſe in terra hoſtili deprehenſos, in medio peſſimæ nationis, & illum raptum è vita, quem ipſi eis in manu potenti, & magno terrore regem induxerant, qui vtique ſi viueret, poſſet & illorum vecordiam reprimere, & noſtros plurimum conſolari, eoſque ſecuros ac locupletes de regno ſuo ad explendum iter ſuæ peregrinationis emittere. Quibus omnibus ſe nunc fruſtratos penitus agnoſcebant; adeò, vt nihil aliud, quàm mortem à rege nouo, & ciuibus certiſſimè expectarent. Quid enim agere, aut quid ſpei habere poterant homines peregrini in tali articulo deprehenſi, nec habentes vllum ſecuritatis receptaculum, quo vel ad horam poſſent ab incurſu hoſtium reſpirare? Indicerent eis bellum, vt eos publicè in ſuam perſecutionem excitarent, quos ſciebant & antea latenter ſibi eſſe inimicos? At verò illorum infinitus erat numerus, & qui cottidianis creſceret ſupplementis, & in terra propria, vbi eis omnia copioſè ſuppeterent; noſtri autem pauci, & inopes in medio inimicorum, à quibus nil aliud ſperare poterant, niſi quantum, vt ita loquar, ſuis poſſent ab eis gladiis exſecare. Sed & illud eos plurimùm contriſtabat, quod promiſſa pecunia magna ex parte fruſtrati erant, cuius ſpe ipſi iter ſuum diſtulerant, & viaticum peregrinationis ſuæ negotiis inſumpſerant alienis. Elegerunt tamen illud, quod in tali caſu optimum putabatur conſilium, diſſimulato metu, ſine quo vtique eſſe non poterant, minaciter obſeſſis hoſtibus imminere, & in vindictam ſuffocati REGIS, quem ipſi inſtituerant, totam vrbem cum ciuibus ſuis, & illo execrabili parricida, hanc quidem ad excidium, illos verò ad certam mortis pœnam repoſcere. Quibus ita inſultando tantum eis terrorem incuſſerant, vt illi de mœnibus ſuis egredi vix auderent. Maxime autem propter baliſtas noſtrorum, quorum vſus quanto eſt rarior apud illos, tanto etiam terribilior, & periculoſior æſtimatur. Interim autem noſtri confirmatis animis ad vtrumque parati erant, vel ad recedendum, ſi ſe honeſta & vtilis præberet occaſio; vel ad cedendos hoſtes, & ſubeundam ab eis, & cum

eis

eis mortem, ſi illi de lateribus ſuis ad conflictum auderent erumpere. Nam de victoria tantæ multitudinis obtinenda, ſiue de expugnatione vrbis nulla eis ſpes poterat arridere; pro eo, quod illa munitiſſima erat; illorum autem numerus inæſtimabilis cottidiè ſuccreſcebat. Sed quanto ſtudio noſter exercitus optabat confligere, & mori cum hoſtibus, tanto illi refugiebant victoriam de noſtris ſuis mortibus comparare; videntes iam illos in terra hoſtili laborare penuria, ſe autem in loco ſuo bonis omnibus abundare.

Conſederat itaque exercitus noſter ante regiam vrbem, vt 15.
dictum eſt: ſed abſque vlla ſpe eiuſdem expugnandæ. quoniam ipſa non ſolum innumera ciuium multitudine, ſed & bonis omnibus abundabat; & tanto munita ſtudio, vt paucorum manu poſſet ab innumeris hoſtibus defenſari. Eſt enim ciuitas triangula, vt aiunt, qui eam viderunt, habens in quolibet latere magnum milliare, vel amplius, ex ea parte qua terram attingit, vaſto aggere, & muro firmiſſimo tripliciter clauſa. Turres habens per circuitum ſui excelſas & fortes, adeò ſibi inuicem propinquas, vt puer ſeptennis de vna turri ad alteram pomum valeat iaculari. Structuram autem ædificiorum in corpore ciuitatis, in Eccleſiis videlicet, & turribus, & domibus magnatorum vix vllus vel deſcribere poteſt, vel credere deſcribenti; niſi qui ea oculata fide cognouerit. Ex ea verò parte, qua ipſam vrbem alluit HELLESPONTIACVM mare, quod ſeparat ASIAM ab EVROPA, quibuſdam in locis adeò anguſtum, vt de vna in alteram tranſmittat aſpectum. Ex ea, inquam, parte quoniam agger eſſe non potuit, propter frequentiam portus, quem habet tutiſſimum ac celeberrimum, muri ſunt alti admirandæ; ſpiſſitudinis, & turres denſæ, eductæ ad tantam celſitudinem, vt quiuis in culmen ipſarum aſpectum dirigere perhorreſcat. Hanc autem tantam firmitudinem & decorem, quem nunc habet, à prima origine non accepit. Nam olim quidem ita erat, ſicut vnaquæque aliarum, & GRÆCO nomine BISANTION vocabatur. Vnde & apud Modernos nummi aurei, qui in illa formari conſueuerant, à nomine ipſius vrbis BISANTII appellantur. Poſtea verò cuiuſdam regiæ viſionis occaſione, de qua aliqua dicturi ſumus, in eum, quem nunc habet ſplendorem atque magnificentiam promota eſt. Quæ viſio

licet breuis humiliſque appareat; magnæ tamen cuiuſdam rei fuiſſe prænunciam, effectus ſubſequens declarauit. Sic enim viſione quandoque magnarum rerum longè minores deſignantur: quem-
Gen. 37. admodum in ſomno IOSEPH per ſolem & lunam & ſtellas vndecim, pater eius & mater & fratres vndecim deſignati, ita nonnunquam per infimos magnæ & celebres deſignati reperiuntur, velut
Dan. 7. in viſione DANIELIS, vbi per quaſdam beſtias regna potentiſſima legimus præmonſtrata. Quapropter falluntur hi, qui putant eorum, quæ ſe dormientes videre putant, nullam eſſe diſtantiam, ſed omnia vana eſſe, & nullum prorſus in ſe continere myſterium.

16. Viſio igitur illa, quam dicimus, huic tantæ pulchritudinis, & gloriæ ciuitatis illius occaſionem præſtitiſſe, huiuſmodi fuiſſe & narratur & legitur. Poſt illam celebrem donationem, qua CONSTANTINVS GRÆCORVM ac ROMANORVM IMPERATOR, reddita ſibi ſanitate, & fugata lepra, cœleſti miraculo, CHRISTVM eiuſdem ſalutis auctorem, & beatos Apoſtolos PETRVM & PAVLVM, qui nuncii fuerant, nec non & SYLVESTRVM PAPAM, qui miniſter extiterat, imò totam CHRISTI Eccleſiam regaliter honorauit. Idē CONSTANTINVS regiæ ſedis dignitatem, quā ROMÆ habuerat, beato PETRO derelinquens, GRÆCIAM petiit, & hanc vrbem, quæ tunc BISANTIVM dicebatur, prę ceteris omnibus habitandam elegit, vbi dum nocte quadam regali ſtrato ſuffultus
* fort. aniculam. quieſceret ac dormiret, videbatur ſibi videre * auiculam quandam longæuam valdè & mortuam. quam & beatus SYLVESTER PAPA, qui & præſens adeſſe videbatur, dicebat ab eo certiſſimè ſuſcitandam. Quam cùm idem Imperator facta oratione in iuuenculam quandam pulcherrimam ſuſcitaſſet, & illa caſto amore ſuis aſpectibus placuiſſet, induit eam regia chlamyde, & cum diadema ſuum capiti eius impreſſiſſet, mater eius HELENA ei dicere videbatur: HANC FILI HABEBIS VXOREM VSQVE IN FINEM SECVLI IN HAC PVLCHRITVDINE PERMANSVRAM. Quam viſionem cùm ipſe pluribus retuliſſet, & alius ſic, alius verò ſic eam interpretaretur; propoſuit ipſe REX à ieiunio non ceſſare, donec CHRISTVS ei per famulum ſuum SYLVESTRVM interpretationem ſuæ viſionis exponeret. Cùm ergò ſeptem diebus
* ſ. anus. ieiunaſſet, ipſa nocte ſeptima apparuit ei beatus SYLVESTER in viſione, dixitque ad eum * Auis illa, quam vidiſti, ciuitas iſta eſt, quæ

iam

iam quaſi neglectu & ſenio defuncta, per te in tantùm decorem renouanda eſt, vt regina dicatur inter omnes GRÆCIÆ ciuitates. Qua viſione REX non tàm territus, quàm gauiſus, conuocatis de tota regione opificibus, tàm lignorum, quàm lapidum, iuſſit eam & ampliari loco, & muris, ac turribus emuniri, eccleſiis, cæteriſque ædificiis exornari; donec in eam, quam nunc habet pulchritudinis elegantiam iuueneſcens, ROMÆ ſimilis, vt aiunt, redderetur. Vnde & ipſa vrbs quandoque altera ROMA dicta eſt, & terra ei adiacens, hodieque ROMANIA vocatur. At ne vlla ſupereſſent veſtigia vetuſtatis, reprobato priore vocabulo, quod poſſet homines illius primæuæ humilitatis commonere, præcepit eam CONSTANTINOPOLIM appellari, à ſuo videlicet nomine, & Græco, polis, quod ciuitas interpretatur. Hanc itaque, vt dictum eſt, à parte terræ noſtri obſederunt; magis vtique odio rerum ſuarum, quod aliud propter cauſas præmiſſas facere non audebant, quàm vlla ſpe obtinendæ victoriæ, pro eo quod ipſa inexpugnabilis videbatur. cum ex ea parte nil aut parum proficerent, placuit eis ex altera parte qua mari clauditur non tàm fortunam, quàm diuinæ virtutis potentiam, ſine qua illud nullatenus fieri poſſe nouerant, ſuo magno periculo experiri. Inſilientes itaque naues ſuas velut quodam indignationis impetu ad terrorem inimicorum traiecto mari quod ibidem anguſtũ eſt, in littore oppoſito ciuitati cuncti viriliter conſederunt, ibiq; mutato propoſito cœperunt de explendo negotio per mortem aut victoriam ſollertius conſultare.

Sed & de nauibus illis quarum infinita erat multitudo frequenter aliquæ leuiores ac celeriores ad laceſſendos eos & virtutem illorum experiendam ſubitò erumpebant, quibus illi occurrentes iaculis & ſagittis, & maxime terrore baliſtarum eos facilè abigebant. Conſulentes itaque Ducem illum Venetorum, cuius paulò antè meminimus, hominem videlicet cœcum vultu, ſed animo perſpicaciſſimum, id habuerunt conſilii, vt per ſingulas naues ſuas, iuxta malum ipſius nauis alias quoque arbores longas valdè & fortes hinc inde erigerent, & eas carinæ fortiter tàm cum ipſo malo quàm ſibi inuicem tàm vaſto collaquearent connexu, vt eis tanquam ligneæ turres quaſi propugnacula præſidium exhiberent. Quibus etiam arboribus aliquanto ſpatio ab inuicem diſtantibus, veluti quoſdam ſcalarum gradus inſigerent, per quos animoſi iuuenes ad tuendas naues, hoſteſq; deſuper impugnandos quaterni, aut ſeni velociter aſcendere 15.

Digitized by Google

poſſent & deſcendere. Quod & factum eſt.& turres illæ,ſiue ſcalas vocare malueris in tantum culmen altitudinis eductæ ſunt, vt magna ſui parte omnes turres & fabricas Græcorum excederent. Quas etiam cum totis nauibus tali vndique artificio muniuerunt, vt nec tela nec lapides, nec ignem, vel communem, nec illum qui GRÆCVS dicitur, formidarent. Extructis ergò nauibus & ad vrbem applicitis placuit eis prius in expugnatione portus & nauium Dei gratiam experiri, vt ab illa parte ſecuri eos qui in muro & turribus erant, tanto ſecurius, quanto facilius expugnarent. Erat autem clauſus ille portus tutiſſimo quodam receſſu, & catenis ferreis immenſæ magnitudinis, quæ ab vna fronte portus ad alteram extenſæ naues omnes, velut ſub vna clauſula coercebant. Quæ poſtquam à noſtris multo labore raptæ ſunt, fugientes GRÆCI maxime terrore baliſtarum, quas ferre non poterant, captiuas naues ſuis victoribus reliquerunt,quas illi cupide rapientes in ſuos vſus velut quædam belli ſpolia gratiſſima tranſtulerunt. Deinde turrigeris nauibus,quantum fieri potuit,ad murum admotis, & fortibus quibuſq; per ſcalas aſcendentibus,præconis voce clamatum eſt, eum qui primus hoſtiles muros inſiliret,centum marcas in præmium accepturum. Videres omnes vehementer appetere, quod vni tantum ſeruabatur, non tàm amore promiſſæ pecuniæ,quàm ob DEI honorem,& cauſæ communis vtilitatem, & incepti laboris compendium. Qui poſtquam ſcalarum ſummum tenuerunt aliis ita feſtinanter ſequentibus, ac ſi eos in medios hoſtes propellere, & ipſi eos ſubſequi properarẽt. Tunc verò cerneres eos ex alto ſubiectis hoſtibus haſtis iaculis & ſagittis odioſum imbrem implucre, illos autem turbatos ac trepidos, nec habentes quod contra facerent, grauiſſimè coartari. Baliſtarum tamen horror & impetus eò quod gens illa naturaliter timida eſt, eos maximè reddebat exanimes. Poſtquam verò vnus inuentus eſt, qui primus muros inſiluit,& illum alii celerrimè ſequerentur, continuò ciues exſangues & trepidi videntes iam hoſtem ſibi immixtum, diſcurrentes per murum vbicunque poſſunt,ſeſe in fugam præcipitant, quaſi muris amiſſis tuti poſſent in ſua ciuitate conſiſtere,qui eorum præſidio nequiuerant defenſari. At noſtri nihilominus per murum diſcurrendo turres illorum alacriter occupabant. Iamque ex eis quindecim vel plures inuaſerant, tum hoſtes velut reſumpto ſpiritu, tum pudore,tum periculo impulſi cœperunt in quandam reſpirare audaciam, & ſeipſos mutuo exhortantes clamore ſimul, & omni genere telorũ eos
vehe-

Digitized by Google

vehementiſſime perurgebant.. Quod videns quidam comes THETVNICVS iuſſit vrbem in quadam parte ſuccendi, vt GRÆCI duplici laborantes incommodo, belli ſcilicet atq; incendii facilius vincerentur. Quod & factum eſt, & hoc illi conſilio victi penitus in fugam cōuerſi ſunt. qui autem è noſtris iam infra muros recepti erant, portas, quas multo lignorum lapidumue obiectu diligenter GRÆCI obſtruxerant, remoto omni obice vel exciderūt vel fregerunt, & his, q adhuc in nauibus erant optatū patefecerunt ingreſſū. Actū eſt hoc circa RAMOS PALMARVM; DEO, ni fallimur, ita diſponēte, vt eodē die CHRISTI exercitus hāc triumphaliter perfidā vrbem irrūperet, qua CHRISTVS veniens ad triumphū PASSIONIS ſanctam ingreſſus eſt ciuitatem.

Patentibus itaq; portis, hi qui in nauibus erant lætis clamoribus irruentes territis hoſtibus haſtis, gladiis, baliſtis, & ſagittis, & omni genere telorum mortem ſpecietenus intentantes: ſed nullam prorſus fūdendi ſanguinis habentes voluntatē, tanquā oues diſperſas eos per omnes plateas ciuitatis abigebant, in tanta multitudine fugientes, vt ipſa platearū ſpatioſa capacitas vix poſſet eis ad fugam ſufficere: inſtabant enim eis tanto terrore & impetu, vt nec eos reſpirare, nec reſpicere paterentur. Cumq; tantam haberent cædis copiam, quantam ipſi nunquam ſperare potuerant, pauciſſimi tamen ab eis perempti ſunt: ipſis vltro parcētibus. quippe qui à viris religioſis ſecum in caſtris agentibus, MARTINO videlicet, & aliis; frequēter erant admoniti, quātum fieri poſſet, manus ſuas à ſanguine continerēt. Ceciderunt tamē illa die ciuium quaſi duo millia, non vtiq; à noſtris, ſed à quibuſdam FRANCIS, ITALIS, VENETIS, THEOTONICIS, & aliarum nationū hominibus, qui prius cum eis in ipſa vrbe habitare conſueuerant. ſed tēpore obſidionis expulſi, pro eo, quod de proditione ſuſpecti ciuibus habebantur, noſtris adhæſerant. Cuius iniuriæ memores illi grauiſſimam in GRÆCOS plagam vltionis crudeliter exercebant. De noſtris autem nullus omnino ibi cecidiſſe reperitur, excepto milite quodam nobili admodum & famoſo, qui dum hoſtes vehementius perurgerēt incautus ipſe pariter cum equo, cui inſidebat, in foueam quandā repentè abſorptus ſociis oībus in lætis rebus dolorē magnū inuexit. Victis igitur oībus, & pfugatis hoſtib. & de tota vrbe ſatis miſerabiliter excluſis, foribus etiā diligēter obſtructis: tū demū victoribus ad pdam currere permiſſum eſt; nec antea; quaſi ſub periculo capitis erat prohibitum: ne quis ante plenam victoriam de præda cogitare præſumeret. Inuenerunt itaq; paſſim & copioſè tantam auri, argentique pe- 18.

cuniam, tantum ſplendorem gemmarum, ac veſtium, tantam pretioſarum mercium exuberantiam, tantam rerum victualium vbertatē, domos adeo egregias,& bonis omnibus plenas, vt omnes repentè de aduenis & pauperibus ciues ditiſſimi redderentur. Vaſtauerat autem incendium interim ſupradictum ferè tertiam partem ciuitatis, cum omnibus tam ciuibus, quàm peregrinis grauiori occupatis periculo nulli erant,qui flammas licitè peruagantes poſſent extinguere.Mulieres verò, & paruuli,ac decrepiti ſenes, qui fugere non valentes, in vrbe remanſerunt,in occurſu noſtrorum digitum digito in formā crucis implicantes,ſatis flebiliter: ajos Phaſileos marchio:decantabant, quod latinè SANCTVS REX MARCHIO interpretatur, quod ideo faciebant, quia MARCHIONEM, quem maximè GRÆCI nouerant,& idcircò inter noſtros maximum reputabant, captæ vrbis Regem haud dubiè cogitabant,quod tamen DEVS aliter diſponebat.

ἅγιος βασιλευς μάρχιο,

19. Cum ergo victores vrbem victam,quam iure belli ſuam fecerāt, alacriter ſpoliarent, cœpit MARTINVS ABBAS de ſua etiam præda cogitare, ac ne aliis omnibus ditatis ipſe vacuus remaneret,propoſuit & ipſe ſacratas manus ſuas ad rapinam extendere.Sed quam prædam rerum ſæcularium eiſdem manibus attrectare putabat indignum, illud agere cœpit, vt de RELIQVIIS SANCTORVM, quarum ibi magnā ſciebat eſſe copiam aliquam ſibi corraderet portionem. Aſſumpto igitur ſecum altero è duobus Cappellanis, neſcio quid grande præſagiens, quandam petit Eccleſiam, quæ in magna veneratione habebatur, ex eo quod mater famoſiſſimi IMPERATORIS EMMANVELIS ibi nobilem habebat ſepulturam.quod cum GRÆCIS magnum videretur, noſtri pro nihilo reputabant. Ibi de tota circumpoſita regione plurimum pecuniæ repoſitum ſeruabatur, necnon & RELIQVIÆ pretioſæ, quas de vicinis Eccleſiis atque cœnobiis ad eum locum ſpes vana ſecuritatis fecerat congregari, quod etiam noſtris ante vrbis expugnationem ab his, quos GRÆCI expulerant, fuerat intimatum. Quam Eccleſiam cum multi peregrinorum ſimul irrumperent, & alii circa res alias, aurum ſcilicet & argentum, & pretioſa quæque diripienda cupide occuparentur, MARTINVS indignum ducens ſacrilegium, niſi in re ſacra committere,locum petit ſecretiorem, vbi ea, quæ maximè affectabat, reperiri poſſe ipſa loci religio promittere videbatur. Inuenit ibi ſenem quendam venuſta facie, barbaq; prolixa, & cana, ſacerdotē vtique, ſed noſtris ſacerdotibus ipſo corporis habitu valdè diſſimilem. Vnde & ABBAS laicum ratus, placido quidem animo, ſed vo-

ce qui-

ce quidem terribili vehementer increpitans, Age, inquit, perfide ſenex, oſtende mihi, quas potiores ſeruas reliquias, vel ſcias te ſtatim mortis ſupplicio puniendum. Ille verò clamore potius, quàm verbis territus, quippe qui clamorem audiens, verba intelligere non valebat, ſciens nec illum GRÆCI ſermonis habere commercium. ROMANA lingua, quam ex parte nouerat, cœpit hominem mitigare, & iram eius, quæ nulla erat, blandiciis emollire. Ad hæc verò ABBAS in pauca eiusdem linguæ verba vix potuit eluctari, vt eidem ſeni, quid ab eo exigeret, aperiret. Tunc ille vultum eius, habitumque conſiderans & illud tolerabilius iudicans, ſi homo religioſus ſacras RELIQVIAS cum timore ac reuerentia contrectaret, quam ſi ſeculares viri fortaſſis cruentis manibus funeſtarent, ferratam ei archam aperuit, oſtendens ei theſaurum deſiderabilem, quem ſuper omnes gazas GRÆCIÆ MARTINVS ABBAS ſibi gratum & deſiderabilem iudicabat. Quem videns Abbas, feſtinanter & cupidè vtraſque manus immerſit, & vei ſtrenuè ſuccinctus erat, ſacro ſacrilegio ſinus ſuos implens, tam ipſe, quàm Cappellanus ea, quæ ſibi potiſſima videbantur, ſagaciter occultauit, & protinus egreſſus eſt. Quæ autem ſint, & quantæ venerationis illæ, quas ſibi prædo ſanctus mancipauit, reliquiæ, poſtea competentius exponetur. Cum ergò, vt ita loquar, ad naues ita ſuffarcinatus properaret, videntes eum, qui nouerant & amabant, de nauibus & ipſi properantes ad prædam, an ipſe aliqua rapuiſſet, aut quibus rebus ipſe ita onuſtus incederet, læto animo requirebant. Ille veró læto, vt ſemper erat vultu, & verbis iocundis, Bene nobiſcum actum eſt, aiebat. Quibus, DEO GRATIAS, reſpondentibus, ipſe feſtinanter tranſiens, & omnem retardationis cauſſam moleſtè ferens, ad nauem reuerſus eſt, ibique in cubiculo ſuo, quod habebat honeſtum, & mundũ, votiua illa ſuæ militiæ ſpolia collocauit, donec ille tumultuoſus in vrbe ſtrepitus reſideret. Vbi etiam poſtea triduo manſit in multæ deuotionis obſequio, nullo ſibi huius rei conſcio, præter alterum è duobus Cappellanis, & illum ſenem, qui ei res eaſdem ſacras tradiderat, qui etiam videns eum hominem beneuolum, ac liberalem, iam ei ſatis familiariter adhærebat. Cuius etiam miniſterio interim ei apud quandam eiuſdem vrbis Eccleſiam honeſtum ſatis & commodum ſuæ profeſſioni conueniens præparauit hoſpitium. Poſtquam ergo præfatus ille ſtrepitus conquieuit, Abbas cum illo, quẽ diximus Cappellano, ſuum ſibi ſecretum aſſumens, paratam ſibi petiit manſionẽ, vbi tota æſtate conſoratus,

tus ſacras illas RELIQVIAS indeſinenter amplectens, occulto quidem, ſed magno venerabatur affectu, & quod minus erat in exteriori, obſequio deuotionis ſupplebat. Manebat autem in loco eo licentius, quod inducias pacis, quas pagani violauerant, renouatas acceperat. tum quia per illud mare non erat ſatis tuta nauigatio propter magnã & nouam rerum mutationem, tum etiam detentus amore ſociorum ſimulq; expectans debitum ſtatum ciuitatis & regni, vt his, qui eum miſerant, rerum iſtarum formam poſſet exprimere. Atque ita, vt diximus, ciuitas illa regalis, & inter omnes Græcorum vrbes famoſiſſima, breuiſſimo temporis articulo capta & ſpoliata, & à ſuis victoribus poſſeſſa eſt. Viderint igitur alii, qualiter hoc factum metiantur. ego in omnibus his, quæ vel ab hiſtoriographis, vel etiam à Poëtis referuntur, nil me tale, vel tam magnificum legiſſe confiteor. Nec arbitror abſq; certo diuini fauoris miraculo fieri potuiſſe, vt ciuitas illa munitiſſima, cui tota ſeruiebat GRÆCIA, in manus paucorum tam repente, tam publicè, tam facilè traderetur. Plus enim hic, vt ita dixerim, vno momento paucos fortes feciſſe intellige, quàm Poëtæ veteres apud TROIAM infinita hominum millia profeciſſe decennio mentiantur, inueniantur.

20. Capta igitur vrbe ac ſpoliata, & ipſis ædificiis nouis ciuibus diſtributis, ne abſq; principe quaſi Acephali remanerent, cœpit de Rege ſtatuendo inter eos quæſtio agitari. Erant autem duo viri opinatiſſimi & celebres in exercitu noſtro MARCHIO videlic. de MONTE FERRATO BONIFACIVS, & FLANDRENS. COMES BALDVINVS; è quibus alterutrũ in Regem eligi, & res ipſa videbatur exigere, & vniuerſus exercitus acclamabat. & quoniam vterq; multorum fauoribus atq; ſuffragiis nitebatur, nec facile alter alteri præferri poterat, pro eo, ꝙ ambo ſatis idonei viri putabantur; viſum eſt omnibus transferre curam & arbitrium electionis in duodecim viros, qui maximè inter omnes integritatis & potioris conſilii apud alios habebantur. Qui poſtquam habita multa deliberatione FLANDRENSEM Comitẽ nominarunt. Collocat' eſt in ſede regni, & capiti eius diadema impreſſum. Prouinciæ autem eiuſdem regni in tres partes diuiſæ ſunt, vnam, quæ ad fiſcum Regis ſpeciabilem pertineret; altera, quam VENETI poſſiderent, & tertiam, quæ data eſt MARCHIONI, THESSALONICA videlicet & fines eius ampliſſimi, qui etiam MARTINVM noſtrum, ſicut nobis certiſſimè compertum eſt, ſecum deducere, & Epiſcopum creare proponerent. Ille ſibi votorum ſuorum conſcius cum gratiarum actione

recu-

Digitized by Google

recuſauit, malens ad fratres ſuos, ſi DEVS annueret, priuatus & humilis remeare. Deinde minores poſſeſſiones veluti caſtella, villæ, & municipia, & quæ huiusmodi ſunt alia, in illas perſonas, quæ ad hoc magis idoneæ putabantur, diſtributæ ſunt. leges autem, & iura, & cæteræ inſtitutiones, quæ ab antiquo tam in vrbe, quàm in prouincia laudabiles habebant, ita vt prius fuerant, conſiſtere permiſſæ ſunt. quæ verò reprobabiles videbantur; vel correctæ in melius, vel penitus immutatæ. Quæ dum ita in ciuitate agerentur, interim peſtifer ille MORTIFLO grauiſſimi ſceleris perpetrator, & breuiſſimi temporis imperator, qui ſuorum ſibi malorum conſcius, etiam pœnam timens, ante expugnationem ex vrbe profugerat; neſciens quo ſe uerteret, aut quid ſpei in aliquo vel homine, vel loco habere poſſet, ad ALEXIVM ſeniorem ſe contulit: cui principes noſtri in diuiſione regni quamuis homini nefario, tamen quia regij ſanguinis erat, quandam terræ portiunculam habendam conceſſerant. Qui videns hominem ſceleratum ad ſe venientem, quamuis nec ipſe multum diſſimilis, vix à ſuis prohibitus, quo minus eum extremo mortis puniret ſupplicio; cœcari iuſſit, & expulit; recolens eum tantæ cladis au-ctorem, qui ſibi fratrem cœcare, & nepotem carcerare, & vtrumque regno ſpoliare perſuaſiſſet, & poſtremo ad augmentum ſceleris eundem nepotem ſuum manu propria ſuffocaſſet. Ille verò turpiter expulſus, & qui dudum mente cæcatus fuerat, nunc etiam corporeo lumine priuatus, pauper & miſer, & omnibus odioſus cum in illis partibus fugibundus miſeram ageret vitam, audientes noſtri miſerunt qui raperent eum & eorum aſpectibus exhiberent. Quod cum factum eſſet, cœperunt tam noſtri omnes, quam GRÆCI, qui in vrbe relicti erant, miſero probris, & iurgiis, & contumeliis inſultare; parricidam, & patriæ ſubuerſorem, & dignum ſupplicio conclamare. Cumque de morte ipſius certa omnium eſſet ſententia, de genere tamen mortis multa erat inter eos diſceptatio. quibusdam cenſentibus, eum laqueo ſuffocari, quemadmodum ipſe Dominum ſuum peremerat; aliis verò viuum flammis immitti; vel ſaxo alligato pelago immergi; vel terræ infodi, vel detracta pelle totius corporis viſcera denudari; vel truncari omnibus membris; vel ſi quid aliud atrocioris pœnæ in hominem ſceleratum poſſet ab aliquo reperiri. Quid putas miſero tunc animi fuiſſe, cum audiret eos de morte ſua tam ſubtiliter diſputantes, niſi quod dolor luminis amiſſi mortis vicinæ formidinem leniebat. Placuit tandem principi-

 bus,

Digitized by Google

bus, pro eo, quod licet homo nefarius, alti tamen ſanguinis erat, eum ſuper altiſſimam pyramidem duci, & inde longo aſſeri alligatum præcipitem iaculando dari, vt qui de alto regni ſtatu ſubita deiectione corruerat, nihilominus ob alto cadens mortem miſerrimam quidem, ſed non turpiſſimam, inueniret. Quod vbi factum eſt toto corpore conquaſſatus, cum dolore & miſeria infelicem ſpiritum exhalauit.

21. De pyramide autem illa, de qua iſte proiectus eſt, quam & plerique columnam vocant, aliquid notabile dici poteſt. Extructa eſt itaque de maximis lapidibus, ferro inuicem arctiſſime conſertis, incipiens ex magna ſpiſſitudine, & paulatim ſe acuens in immenſam celſitudinis quantitatem: in cuius tamen ſummitate ſolitarium quoddam latibulum habuiſſe commemorant, qui terrenam ſibi habitationem negans, ne dum cœleſtem attingens, quaſi inter vtrumque medius eremum ſibi fecerat in medio celeberrimæ ciuitatis, cui etiam, vt dicunt, diuerſæ rerum imagines ab antiquo inſculptæ ſunt, quæ SIBYLLÆ vaticinia & maxime ſuperiorem regno variis dicuntur figuris exprimere. Inter quas erant & nauium figuræ & quaſi ſcalę de nauibus erectæ, per quas viri armati aſcendentes ciuitatem nihilominus ibi ſculptam expugnare & capere videbantur. Hanc ſculpturam GRÆCI vſque ad hoc tempus contempſerant, nil minus poſſibile reputantes, quam vt tantæ vrbi ſuæ tale quid vnquam poſſet accidere. At vbi viderunt ſcalas in nauibus noſtris erectas, tunc demum illi⁹ ſculpturæ iam recordati, ſerioſius cœperunt illud & quod diu ſpreuerant, formidare. Vnde & quidem lapidibus, malleis ferreis eaſdem imagines contundentes, plurimi eas deformauerant; arbitrantes ſe hoc modo infauſtum in noſtros auſpicium retorquere. Quæ ſpes omnino vtique caſſa fuit & præfatam ſculpturam veri ſignificatiuam extitiſſe, certus rei exitus declarauit. His omnibus ita geſtis & bona parte medij temporis elapſa, MARTINVS videns exercitum noſtrum circa regni negotia ſtudiis ingentibus occupari, vt infra multa tempora ſuſceptæ peregrinationis iter exequi non valeret, ac per hoc principalem CRVCIS cauſam variis caſibus impediri, totam ſuæ mentis intentionem in hoc contulerat, vt rediens ad fratres ſuos clauſtrali ſe redderet diſciplinæ, quam in tanto rerum ſtrepitu, ita vt vellet non poterat obſeruare. Cumque de loco in quo tunc erat vſque VENETIAM facili poſſet tranſuauigare com-

re compendio, maluit cum his, quæ DEVS ei præſtiterat, ad eos prius redire, qui miſerant, vt eis de ſtatu illius regni, & de omnibus, quæ præſens audierat, & viderat, nuncius fidelis exiſteret; & tunc demum valedicens omnibus, de TERRA SANCTA, quam ex voto petierat, ſui quoq; reditus curſum feliciter inchoaret.

Ingreſſus itaque nauem circa NATIVITATEM SANCTÆ MARIÆ, quaſi nolens & volens; ſecurus & timidus, non ſine metu & ſollicitudine multa, prima die Octobris apud ACHONEM applicuit, vbi ſociis ſuis, maxime autem à THEOTONICIS, qui eum ſpecialiter diligebant, lætiſſime ſuſceptus, de ſtatu regni & de his omnibus, quorum ipſe præſens teſtis affuerat, vel ab aliis indubitanter audierat, fideliter enarrauit. Secretum autem illud ſuum nulli voluit aperire, niſi cuidam honeſtiſſimo & forti viro nomine BERNHERO, qui cum eſſet natione THETONICVS, patria vero ELSAZIENSIS, ſanguine generoſus, & quod perſpicuum eſt, virtute conſpicuus, grande ſibi nomen in terra illa comparauerat: adeò vt ipſius REGIS conſilia maxima ex parte in ipſum reclinarentur. Hic ABBATI noſtro ſemper familiaris extiterat, qui eum & in terra ſua nouerat atque dilexerat, & ibi maiori dilectione amplexus præ ceteris fere omnibus excolebat. Huic ergo, cum abbas illa DEI munera, quæ ſecum attulerat oſtendiſſet, ille ſtatim lęto timore correptus expauit, & cœpit gratiam illam, quam DEVS ſeruo ſuo contulerat, vehementius admirari. cum autem audiuiſſet eiuſdem Abbatis de reditu ſuo propoſitum, obnixè ſtuduit dehortari dicens, vix vnquam fieri poſſe, vt tantæ res tam pretioſæ inter tot terræ, & maris pericula, inter tot piratas & latrones, inter tot caſus, qui frequenter occurrere ſolent, indireptæ ad terram THEOTONICAM peruenirent. Monebat igitur eum, vt ipſe rebus eisdẽ terram ſanctam deuote & humiliter honoraret; in qua etiam cum eis permanſurus, vel epiſcopatum, vel quas vellet alias eccleſiaſticas dignitates à rege, ceterisq; principibus non recuſaret accipere. Qui ſi ſecretiorem & monaſticæ profeſſioni magis congruã vellet agere vitam, hoc quoq; ipſe apud regem, cui familiariſſimus erat, pro libitu abbatis pleniſſime prouideret. Eſt enim in partibus illis territorium, quod tam moderno vſu, quàm apud veteres ſcripturas mons CARMELI nominatur, locus omnibus bonis vberrimus, fertilis frugum, veſtitus optime vinetis, oleis 22.

& aliis arborum generibus eleganter conſitus, paſcuis etiam copioſis exuberans. In hoc monte tria ſunt monachorum cœnobia diſtincta ab inuicem & latas poſſeſſiones habentia, quibus cœnobiis vel ſingulis vterent, vel in vnum redactis ipſe abbas & dominus præſideret. At verò ſi magis vellet ſui ordinis fratribus, quam aliis præeſſe, cœnobitæ illi ad alia loca ſatis commodè transferrentur. Abbas verò aſſumptis ſui ordinis hominibus quibus vellet & quanto vellet numero, totum præfati montis territorium tam ipſe quàm eius ſucceſſores perpetua ditione liberrime poſſiderent. Poſtremo ſi nil horum acceptarent, acciperet à rege & principibus tantam auri argentique pecuniam, quantam ipſe nunquam vel poſteri præſumerent vel ſperarēt, quam & commodius ſecum deferre & ſecretius occultare & eandem eccleſiam ſuam ditare facili poſſet impendio. Quæ omnia cum Abbas renueret dicens, ſe nil aliud velle, niſi ſacras res illas, quas DEVS dederat, ſuo fideliter exhibere cœnobio, præfatus WERNHERVS tanquam homo fideliſſimus, ſecretum tenuit, & tam ipſe, quàm alij quam plures ad nauem quæ in portu parata erat, cum debito honore proſecuti ſunt. Quam poſtquam MARTINVS ingreſſus eſt, mutua charitate dicto vale & accepto, feria tertia ante PALMAS illi ad ſua redierunt, MARTINVS expanſis velis optatæ nauigationis curſum aggreſſus eſt.

Libet inſuper hoc loco huic noſtræ narrationi quædam inſerere, quæ ſola, ſi alia deeſſent, ſatis poſſent aſtruere ea, quæ per abbatem MARTINVM vel iam geſta diximus, vel adhuc dicenda reſtant, de fonte diuinæ diſpenſationis ordinem accepiſſe. Tertia ſiquidem nocte antequam ipſe MARTINVS ſui reditus iter arriperet, quidam clericus admodum ei familiaris, EGIDIVS nomine, natus de BOEMIA, cuius nullum verbum niſi latine prolatum Abbas ipſe intelligere poterat, qui & ipſe cum abbate in eadem naui redire proponebat; non dormiens quidem, ſed vigilans, certiſſimè, ſicut ipſe penitus æffirmabat, vidit angelos duos in eodem loco, vbi ſacræ ſeruabantur reliquiæ, vbi etiam tam ipſe, quam Abbas cubiculum habere conſueuerant. Abbas quidem ob ſacrarum rerum diligentem cuſtodiam; ille vero, quid ibidem ſeruaretur penitus ignorabat. Qui angeli circa ſcrinium in quo ſacra DEI munera claudebantur miræ deuotionis officium ſatagere videbantur, & DEVM qui hæc famulo ſuo contuliſſet, omni reuerentia collaudare. facto autem illo diuinæ

Originem

vene-

Digitized by Google

venerationis officio, alter alterum exhortantes, Deum obnixe precabantur, vt eundem virum cui tanta bona præſtantur, cum omnibus, qui ei familiariter adhærebant, ſua defenſione protegeret. Quā vtiq; certiſſimam viſionem cum ipſe facto mane abbati recitaret ſubito inter ipſa verba ex multa cordis conpunctione erupit in lacrimas. Neſcio, inquiens, quis ſis, aut vnde veneris, aut quid in illo ſcrinio tuo cuſtodias; ſed illud veriſſime ſcio, quia manus domini tecum eſt. Quapropter in hac maris transfretatione à tuæ ſanctitatis non recedam conſortio, certiſſime credens me in illa naui, qua tu vehendus es, periclitari non poſſe. Cuius ſanctæ viſionis abbas perculſus miraculo præſertim propter hominis fidem, quem ſanctum & veracem eſſe nouerat, retulit & ipſe aliam viſionem, quæ ipſi dormienti eadem ipſa nocte occurrerat. Videbatur ei ſiquidem ab eo loco, vbi tunc erat ACHONE videlicet vſq; ad villam proximam clauſtro ſuo nomine SIGOLTSHEIM, nil aliud eſſe quam mare. Sed adeo ſecurū & tenue, vt in eo nec etiam nauicula quantumlibet parua naufragium formidaret. præterea ab eodem loco vſque ad villam præfatam facta videbantur eſſe deſuper in directum velut quædam tectorum vmbracula, vt nec ventus, nec pluuia, nec aliud maris aëriſuè incomodum abbati nauigaturo nocere nullatenus præualeret. Quam abbatis viſionem nos modo ſic poſſumus interpretari, quod ab illo loco vſque ad cœnobium ſuum, licet inter multa terræ mariſq; pericula, diuina tamen protectione in reditu ſuo tutum iter habiturus eſſet, & præfatæ villæ populus viri ſcilicet ac mulieres primi ex omnibus apud clauſtrum PARISIENSE ſacris eſſent occurſuri Reliquiis. ſicut poſtmodum expreſſa rei veritas hoc ipſum approbauit.

Non eſt facile caſus omnes atq; pericula memorare, quibus & abbas ipſe, & hi qui cum ipſo in eadem naui ferebantur, frequentius expauerunt. Sed ipſe tanto amplius, quanto plus amabat ea, quæ perdere metuebat. Sed in tanto timore, & periculo dominus ei maiorem fere, quam ipſe ſperare poterat, gratiam ſuæ protectionis exhibuit. Occurrebant ei frequenter naues piraticæ, quæ vel alijs ſpoliatis, vel alios ſpoliare cupientes, hac viſa, ſubita manſuetudine miteſcebant, & eam omni reuerentia pacifice ſalutantes, illæſam abire non tam ſinebant, quam ſinere cogebantur. Virtus enim Dei erat, quæ & illos poterat coërcere & iſtam ſecuro curſu ad portum perducere. Poſt multos itaq; labores & pericula non pauca nauis illa Martini vel potius DEI & ſanctorum eius Reliquiarum ad portum VENETIÆ perdu- 23.

Digitized by Google

cta eſt in Vigilia PENTECOSTES. vbi cum applicuiſſet abbas, & de ſtatu terræ ſatis diſſimulanter inquireret, comperit non minus periculi & timoris in terra ſupereſſe, quã in mari præceſſerat. Totã quippe ITALIAM, per quã ei tranſitus erat, in feruore ac ſtrepitu bellorum poſitam aſſerebant. Ipſe vero ſciens, quia idẽ Deus potens eſt in terra & in mari, & qui eũ in mari ſaluauerat, ſaluare poterat & in terra, paratis eqs, ſibi & ſuis ſarcinis deferẽdis confidenter quidem, ſed tamen non abſq; metu & ſolicitudine verſus alpes iter arripuit. Cum autẽ ei frequenter armatorum cohortes occurrerent, quæ ad nil aliud niſi ad prædandũ, & rapiendũ venerant, ſubito quodã terrore compulſi, oblatam ſibi pdã inæſtimabilẽ tanquam ea indigni timide abhorrebant, & cedentes de via ſumario qui ſcrinia cũ ſacris ferebat reliquiis per mediũ ſui tranſitũ præſtabant innocuum. tranſiens itaq; Martinus noſter totam Italiã, & poſt illam alpes aſperrimas, poſt quas etiã loca multa periculoſa & plena latronibus, vrbem BASILEAM, de qua primum ſuæ peregrinationis iter inchoauerat, lætiſſime ingreſſus eſt, ac primo omnium beatæ VIRGINIS Eccleſiã petens, cui & peregre proficiſcens deuote ſe cõmendarat, quantas potuit ei gratiarũ retulit actiones, quod eum apud dilectũ filium ſuũ eiuſdẽ filij ſui RELIQVIIS honoraſſet, & de tot ac tantis periculis exceptũ lætum, & incolumem reduxiſſet. Vnde & altari ipſius, ꝙ in ipſa Eccleſia celeberrimũ habet, palla nobili decorauit. Epiſcopo quoq; eiuſdẽ vrbis domino LVTHOLDO & alijs quibusdã perſonis, & Eccleſiis eiuſdẽ loci donaria ſua ſatis liberaliter erogauit. Manſit autẽ in loco paucis diebus donec ei fratres ſui, qui iã reditũ eius acceperant, reuerenter, vt dignũ erat, occurrerent. cũ quibus ipſe, aſſumptis quoq; aliis de ciuitate quam plurib⁹, ꝗ eum gratiſſime proſequebãtur, ad PARISIENSE monaſterium egregie quidẽ, ſed cum multa deuotionis humilitate ſe contulit. vbi etiam toto fratrum conuentu tam ei, quàm ſacris quas afferebat, RELIQVIIS ad portam humiliter recurrente, in natiuitate SANCTI IOANNIS BAPTISTÆ ante horam Tertiarum triumphales illas ſacræ prædæ manubias gaudentibus cunctis, & DEVM corde & voce laudantibus in ipſam inuexit Eccleſiam, & in ipſo altari maiori, qua potuit reuerentia, collocauit.

24. Benedictus itaq; ſit DEVS qui facit mirabilia magna ſolus, qui p ineffabilem virtutem, & miſericordiã ſuam PARISIENSEM reſpexit & illuſtrauit Eccleſiã, per q̃dam ſuæ gratiæ donatiua, quæ per venerabilẽ virũ iam ſępe dictũ MARTINVM abbatem ad nos transmittere dignatus eſt. Quorum præſentia & præſens exultat Eccleſia & ipſorum

patro-

Digitized by Google

patrociniis quęlibet anima fidelis apud Deũ adiuuatur, & proficit: de quibus vt legentibus certior fides aſtruatur, quædam ex ipſis propriis duximus titulis exprimenda.

Primum igitur & generaliſſimum imo in omni veneratione dignißimum VESTIGIVM SANGVINIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, qui pro redemptione totius generis humani effuſus eſt. 1.

Secundum vero LIGNVM eſt DOMINICÆ CRVCIS, in quo filius patri pro nobis imolatus veteris Adæ nouus Adam debitum exſoluit. 2.

Tertiũ eſt nõ modica portio S. IOANNIS PRÆCVRSORIS DOMINI. 3.

Quartum vero brachium S. IACOBI Apoſtoli, cuius memoria per vniuerſam venerabilis habetur Eccleſiam. 4. Sunt etiam aliorum ſanctorum reliquiæ quorum nomina ſubſequuntur.

CHRISTOPHORI Martyris.
GEORGII Martyris.
THEODORI Martyris.
Item pes S. COSMÆ Martyris.
Item de capite CYPPRIANI Martyris.
Item PANTHALEONIS Martyris.
Item dens S. LAVRENTII.
Item DEMETRII Martyris.
Item STEPHANI protomartyris.
Item VINCENTII, ADIVTI, MAVRITII & ſaciorum eius.
CRISANTII & DARIÆ Martyrum.
Item GERVASII & PROTHASII Martyrum.
PRIMI Martyris.
SERGII & BACCHI Martyrum.
PROTI Martyris.
IOANNIS & PAVLI Martyrum.

Item de loco NATIVITATIS domini, de loco CALVARIÆ, de SEPVLCHRO domini, de LAPIDE REVOLVTO, de loco dominicę ASCENSIONIS, de lapide vbi IOANNES ſtetit, quando dominum baptizauit, de loco vbi Chriſtus LAZARVM ſuſcitauit, de lapide ſup quẽ Chriſtus in Templum eſt pręſentatus, de lapide ſuper quo Iacob obdormiuit, de lapide vbi Chriſtus ieiunauit, de lapide vbi Chriſtus orauit, de tabula ſuper qua Chriſtus cœnauit, de loco vbi captus eſt, de loco vbi mater domini migrauit, de ſepulchro eius, de ſepulchro S. Petri Apoſtoli, de reliquiis ſanctorum Apoſtolorum Andreæ & Philippi, de loco vbi dominus Moyſi legem dedit, de ſanctis Pa-

triar-

Digitized by Google

triarchis Abraam, Iſaac & Iacob. Item S. NICOLAI Epiſcopi. Item ADELEHI Epiſcopi. Item AGRICII Epiſcopi. Itẽ IOANNIS CHRYSOSTOMI. Item IOANNIS ELEEMOSYNARII. de LACTE MATRIS DOMINI. Item MARGARETÆ, PERPETVÆ, AGATHÆ, AGNETIS, LVCIÆ, COECILIÆ, ADELGVNDIS ET EVFEMIÆ, virginum. Factum & actum eſt hoc anno Domini Milleſimo ducenteſimo quinto dominicæ Incarnationis. Regnante PHILIPPO Romano. præſidente ſacroſanctæ Rom: Eccleſiæ INNOCENTIO ſummo Pontifice. ſub Epiſcopis LVTHALDO BASILIENSI & HEINRICO ARGENTINENSI.

25. Nemo igitur fidelis aliud vel credere debet vel etiam opinari, quam hoc actum eſſe diuinæ gratiæ reſpectu, vt tot & tantæ tã celebres Reliquiæ per hominem ſeipſum in tãta humilitate conſeruantem inter tot rerum impedimenta ad noſtram peruenirent eccleſiam. In quarum aduentu tota, vt credimus, THEOTONIA atque apud ſeipſam lætior, & apud homines famoſior, & apud Deũ cœpit haberi felicior, nullus ergo, vt alia multa ita hoc fortuito æſtimet eueniſſe. Quod vtiq; nil aliud eſſet, niſi magnis DEI operibus debitum ſplendorem calumniando detrahere. ſi enim illius maximę ciuitatis, de qua hæc omnia translata ſunt, tam incredibilem, & ſubitam expugnationem & ordinem cauſarum præcedentium & tranſitum Martini Abbatis terra & mari periculoſum & tamen protegente DEO de locis omnibus inoffenſum diligenter attendimus; hæc omnia profecto non eſſe caſus fortuitos, ſed muneris diuini luce clari⁹ apparebit. Quapropter oportet omnes, qui vel iſta vident, vel audiunt, opus DEI, quo authore facta ſunt, in omnibus venerari, & credere, & ab ipſo ſuæ fidei ac deuotionis præmium præſtolari.

26. De his autem ipſis cœleſtis gratiæ donis, quæ dominus iam ſæpiſſimę dominico famulo ſuo abbati MARTINO & per ipſum Eccleſiæ PARISIENSI contulerat, eadem Eccleſia ad honorem DEI, & totius Romani imperij Domino PHILIPPO Sereniſſimo Imperatori laudabilem valde contulit portionem. Tabulam videlicet quandam inæſtimabilis fere pretij, auro, & gemmis pretioſis operoſiſſime exornatam, & plurima ſanctarum reliquiarum genera longe auro, & gemmis pretioſiora ibi diligenter recondita continentem. Quam tabulã Græcorũ Imperator in ſolemnibus feſtis velut quoddam certum pignus imperij geſtare conſueuerat de collo ſuo catena aurea dependentem. Cui tabulæ præter aurum vel alias gemmas

quam-

Digitized by Google

quamplurimas, Iaſpis vnus miræ magnitudinis infixus eſt, paſſionem domini ſibi inſculptam & B. VIRGINIS & IOANNIS EVANGELISTÆ imagines hinc inde aſſiſtentes. Eſt autem ſapphirus ibi quidam admirandæ quãtitatis, cui diuina maieſtas, quæ nulla prorſus imagine proprie repræſentari valet, artificioſe tamen ita fieri potuit inſculpta eſt. Quod vtiq; munus inuictiſſimus Rex PHILIPPVS iuuenis quidem ætate, ſed in DEI timore, & omnium morum honeſtate maturus tanta mentis beniuolentia, & gratiarum actione ſuſcepit, vt ipſam etiam PARISIENSEM Eccleſiam cum omnibus poſſeſſionibus ſuis in ſuam ſuſciperet protectionem, & alias omnes reliquias, quas Martinus attulerat ei perpetuo poſſidendas imperiali priuilegio confirmaret.

Scripſit autem hanc Hiſtoriam Magiſter Guntherus, quidam tunc monachus, prius autem ſcholaſticus, vir admodum liberaliter eruditus. Qui etiam rebus ipſis, quas ſcribebat vehementer applaudens id habebat intentionis ac fidei, vt ab illo, qui hæc per fideles ſuos operari dignatus fuerat, etiam ipſe diuinorum relator operum vitam acciperet ſempiternam.

FINIS.

Digitized by Google

De

ADALHAIDE

CONIVGE

Ottonis I. Imperatoris,

MATRE

Ottonis II. Imperatoris,

AVIA

Ottonis III. Imperatoris

LIBRI DVO

Auctore

FAMILIARI EIVS,

VT VIDETVR,

ODILONE CLVNIACENSI.

Nunc primum editi ex membranis m-ſ. Monaſteryj S. Magni ad pedem pontis Ratiſponenſis.

Digitized by Google

Ad Lectorem.

QVis auctor fuerit, neſcio. Nam nomen ſuum non expreſſit, niſi quis velit nomen latere in illis literis initio appoſitis: *GVOT, L. ADLHIC.* Vbi nota poſt tres primas literas, *GVO*, dubiam eſſe literam; videtur tamen, *T.* Tu ſi quid ex his literis potes, erue: ſunt autem hæ literæ inſcriptæ imagini depictæ in fronte libri, vbi Adalheida, vt puto, ſedens in throno, ſiniſtra pomum Imperatorium geſtans, cuiuſdam fœminæ, vt videtur ſtantis, capiti imponit neſcio quod tegumen ſeu calyptam.

Auctor in prologo teſtatur ſe æquæuum. Et in cap. 3. lib. 1. ait ſe ab Adalheide ditatum muneribus, & honoribus affectum. Item cap. 14. lib. 1. innuit ſe familiarem fuiſſe, dum ait, Nobis aſtantibus.

Molanus in addition. ad Martyrolog. Vſuardi, 16. Decembr. hæc: Depoſitio ſanctæ Adelheidis Imperatricis. Vbi & hanc addit Annotationem: De Adalheide. Lupoldus Bebenburgenſis in libro de veterum Principum Germanorum fide & religione, cap. 13. Si quis Adelheidis in diuino cultu vigilantiam, ac aliarum virtutum eius merita, nec non quod Eccleſias conſtruxerit, vel reparauerit, ſcire voluerit, de his ex ipſius vita, quam venerabilis Odilo Abbas Cluniacenſis plene deſcripſit, quæ in quibuſdam Germaniæ ac Burgundiæ Eccleſiis reperitur, plenius poterit informari. Eſt m. s. Marcenis. Hæc apud Molanum.

De Odilone Trithemius de ſcript. Eccleſ. Odilo Abbas Cluniacenſis quartus Ordinis S. Benedicti, vir ſanctus & eruditus, quinquaginta & ſex annis Monaſterio præſidens, verbo & exemplo multo-

multorum animas direxit ad Chriſtum, cuius vitam virtutibus & miraculis plenam Petrus Damiani Epiſcopus & Cardinalis Hoſtienſis luculento ſermone deſcripſit. Compoſuit ad ædificationẽ fratrum ſuorum ſermones elegantes. lib. I. Moritur ſub Henrico Imp. II. Anno Domini 1048. Indictione I. ætatis ſuæ anno 87. prima die menſis Ianuarij. Hæc Trithemius, qui lib. 3. de viris illuſtr. Ord. S. Benedicti cap. 235. hæc habet: Odilo Abbas quintus Cluniacenſis, poſt S. Maiolum rexit idem cœnobium 56. annis, vir miro religionis feruore ſpectabilis, & multis virtutibus ſignisq; præclarus. Cuius vitam Petrus Damiani deſcripſit, petente Hugone Cluniacenſi Abbate. Moritur tandem plenus dierum & bonorum operum, anno videlicet Dominicæ Incarnationis 1048. ætatis ſuæ 87. prima die menſis Ianuarij. Hæc Trithemius, qui in eodem lib. 3. cap. 235. de Odone hæc: Odo Monachus & diſcipulus præfati ſancti Bernonis, Abbas Cluniacenſis cœnobij ab eo primus conſtitutus, tãta ſanctitate & religione clarus enituit; vt etiam in vita miraculis coruſcârit. Ordinem S. Benedicti pene collapſum, mirifice reſtaurauit, ac de nouo multa conſtruxit cœnobia. Claruit Anno Domini 920. Eius feſtum 13. Kal. Decembr. agitur. Hæc Trithem.

INCIPIT PROLOGVS IN VITAM SANCTÆ ADALHEIDIS IMPERATRICIS.

IN huius igitur ætatis noſtræ temporibus, cuncta diſponens, totius honoris & honeſtatis largitor Dominus, primo OTTONE in ſceptris feliciter agente Romanæ Reipublicæ, in fœmineo ſexu præſtitit venerabile decus.

Multorum etenim bonorum tunc accidentium, atque virtutum poſt DEVM auctrix, diuæ, celebriſque memoriæ, ADALHEIDA, extitit imperatrix.

Quam cùm memoriæ ſuccedentium ſcriptis commendare ſatagimus, timeo ne digne reprehendamur, ideo, quia tantæ nobilitatis atque virtutis materiem, minus idonei paupere ſtylo explicare conamur.

Quiſquis nos reprehenderit, vtpote reprehenſione dignos, ſiue propter incultum ſermonem, ſeu propter rē nouiter inceptam, & propter naturalis eloquij ſimplicitatem, ſciat procul dubio, ſciat, quia non inuitauit nos ad hoc humanæ laudis appetitus, ſed veræ & ſinceriſſimę charitatis affectus.

Si abhorrere vis, vt quippe merito debes, lector, noſtri ingenioli ruſticitatem; attende ipſius, quam commendare cœpimus, mentis & corporis nobilitatem.

Si enim expectare vis virum tanta eloquentia vel ſapientia præditum, qui huius fœminæ poſſit conuenienter deſcribere vitam; neceſſe eſt aut CICERO Rhetor reuocetur ab inferis, aut HIERONYMVS presbyter transmittatur ex ſuperis.

Si enim ille ſanct' & incōparabilis in diuina & humana ſacer HIERONYMVS fuiſſet iſtius Auguſtæ temporibus, ſi PAVLVM & EVSTOCHIVM, MARCELLAM quoq; & MELANIVM, FABIOLAM quoq; & BLESILLAM, LÆTAM & DEMETRIADEM, SEPTIES PERCVSSAM cōmendare curauit libris & epiſtolis; cōmēdaret vtiq; iſtā haud voluminib' paucis.

Fort. & ſepties p. De muliere Vercellenſi ſepties icta S. Hieron. Epiſt. 49. ad Innocentium.

Si

Digitized by Google

Si enim deeſt talis, vt HIERONYMVS, aut aliquis alius, liberalibus diſciplinis adeo eruditus, qui poſſit digne tantæ fœminæ mores & vitam deſcribere, adgrediamur nos indocti DEO iuuante pro poſſe.

EXPLICIT PROLOGVS.

Incipit vita.

I.

HÆc regio ac religioſo ſtemmate orta, cùm adhuc iuuencula eſſet, & ſextum decimum ætatis ſuæ egeret annum, DEO donante adepta Regale matrimonium, iuncta ſcilicet REGI *a* LOTHARIO, HVGONIS ditiſſimi regis ITALICI filio, ex cuius contubernio *b* filiam habuit, ex qua LOTHARIVS Rex Francorum LVDOWIGVM Regem genuit, qui ſine liberis *c* mortuus, regio more COMPENDIO dinoſcitur fuiſſe ſepultus.

a De Lothario & Hugone parente Frodoardus, & Luitprandus lib. 5. c. 13. Baron. tom. 10. an. 945. &c.

b *Puto hanc fuiſſe Emmam; licet Baron. an. 986. putet Emmam filiam Adelaidis ex Ottone I.*

c *Anno 987. obiit (inquit Odorannus) Ludouicus Rex iuuenis, qui nihil fecit.*

Supra dicto vero LOTHARIO, *d* ante annum circiter tertium, poſtquam dominam ADALHEIDAM duxerat, defuncto, remanſit ipſa viduata viro, deſtituta maritali conſilio.

d Frodoardus ait veneno ſublatũ an. 950. Leo Oſtienſis lib. 1. c. 64. Poſt annos, inquit, ferme quatuor in phreneſim ſubitam incidens, diem clauſit extremum. &c.

Affuit ei perſecutio mordax, quæ ſolet purgare electos velut aurum fornax. Non ergo accidit ei tale quid propriis exigentibus meritis, ſed, vt credimus, potius ex accidentibus diuinæ prouidentiæ donis.

Affuit ei, vt vere fatear, nutu diuino, exterius corporalis afflictio, ne intus cremaret eam, vtpote iuuenculam, incentiua carnis libido. Voluit enim eam Dominus tot verberibus atteri, ne ſecundum ſententiam Apoſtoli PAVLI, *viuens eſſet vidua in deliciis mortua.* Voluit enim eam paterno affectu tot pati pericula, ne eſſet indigna illa filiatione diuina, de qua loquitur ſcriptura: Caſtigat Dominus omnem filium quem recipit. *1. Tim. 5.* *Hebr. 12.*

Sæpe etenim inde DEO gratias referebat, & cum familiaribus conferebat, quanta & qualia tunc temporis paſſa fuerat, & quam miſericorditer eam Dominus de manibus inimicorum ſuorum liberauerat. Iudicabat enim oportunius ſibi fuiſſe, vt ad tempus temporalibus fuiſſet occupata anxietatibus, quàm viuens in deliciis perpetuæ mortis eſſet ſubdita legibus.

Poſt.

Digitized by Google

II.

POſtquam enim mortuus eſſet *e* LOTHARIVS vir eius, honorem ITALICI regni adeptus eſt quidam vir nomine BERENGARIVS, qui habebat vxorem nomine *f* WILLAM; à quibus innocens capta diuerſis anguſtiata cruciatibus, capillis cæſariei diſtractis frequenter pugnis exagitata & calcibus, vna tantum comite famula. Ad vltimum tetris incluſa carceribus liberata diuinitus poſtmodum, ordinante Deo, imperialibus eſt ſublimata culminibus.

e Berengarius Lotharium veneno ſuſtulit, & regnum Italiæ inuaſit, & Adelaidem in vincula coniecit.

f Quam vna cum Berengario Otto I. in Baioariam exulatum miſit anno 964. Baron. nu. 39. & anno 951. num. 1.

In ipſa nocte qua educebatur de carcere, incidit in cuiuſdam harundineti paludem, vbi per dies & noctes ſine cibo & potu manſit perſeuerans, auxilium à DEO ſibi ſubuenire depoſcens.

Tali cum eſſet detenta periculo, venit quidam ſubito piſcator cum limbo, deferens in nauicula piſcem, qui vocatur STVRIO. Quas cum vidiſſet, interrogauit, quæ eſſent, aut quid agerent ibi. Dederunt ſibi reſponſum, ſecundum inſtantem neceſſitatem ſatis congruum, Videsne quod hic humano conſilio deſtitutæ, & quod durius eſt ſolitudine, periclitamur & fame? Si potes aliquid victus nobis impende; ſin autem, ſolatium nobis præbe. Qui miſericordia motus ſuper eas, ſicut ipſe, à quo mittebatur, fuerat quondam ſuper pauperes in deſerto fame periclitantes Chriſtus, dixit eis, Nihil nobis adeſt ad victus neceſſaria, niſi tantum piſcis & aqua.

Habebat ignem ſecum, ſicut ſolent illi, qui piſcationis exercent negotium. Accenſus eſt ignis, præparatus eſt piſcis, ſumpſit cibum Regina, ſeruiuit piſcator & famula.

Dum hæc ita agerentur, ſuperuenit quidam CLERICVS, qui eius fuerat captiuitatis & fugæ ſocius, nuncians adeſſe exercitum militum armatorum; qui eam cum gaudio accipientes deduxerunt ſecum in quoddam inexpugnabile *g* caſtrum.

g Vide Baron. an. 950. Adelais ad Attonem, inquit Leo Oſt. l. 1. c. 64. Propinquum ſuum ſeſe in Canuſinam munitiſſimam arcem contulit, vbi manſit quouſq. Otto rex veniens, Berengarium de Italia fugauit.

III.

POſtea enim conſultu ITALICORVM principum, præueniente Dei gratia, de ſolio regni ad arcem peruenit imperij.

Hæc

Digitized by Google

Hæc enim AVGVSTARVM omnium *h* AVGVSTISSIMA nominari & venerari eſt digna. Nemo ante illam ita auxit Rempublicam. Ceruicoſam GERMANIAM, ac fœcundam ITALIAM, has cum ſuis principibus, ROMANIS ſubdidit arcibus. OTTONEM regem nobilem ROMÆ præfecit Cæſarem, ex quo genuit filium imperio digniſſimum.

h Duxit illam Otto anno 951. Patet hinc figmentũ quod de Adalheide refert Damianus quod rectè refutat Baron. an. 973.

De nobilitate carnis ſatis dicta ſufficiant. Nobilitatẽ verò mentis quo modo vel qualiter exercuit, nemo mortalium dicere ſufficit. Sed vt pro modulo compendioſe loquar,

Speque, fide certa, gemina charitate referta,
Iuſta ſatis, fortis, prudens, nimiumq; modeſta
Extitit, & vixit felix, dum ſecula rexit,
Auxilio Domini moderantis climata coſmi.

Prolata tamen Salomonis ſapientius famina, huic ſanctiſſimæ conueniunt fœminæ. *Manus ſuas*, inquit, *aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem. Non timebit domui ſuæ à frigoribus niuis. omnes enim domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus. Stragulatam veſtem fecit ſibi, byſſus & purpura indumentum eius. Nobilis in portis vir eius, quando ſederit cum ſenatoribus terræ. Fortitudo & decor indumentum eius & ridebit in die nouiſſimo. Os ſuum aperuit ſapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius. Conſiderat ſemitas domus ſuæ, & panem otioſa non comedit. Surrexerunt filij eius, & beatiſſimam prædicauerunt: vir eius & laudauit eam. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.* *Prou. 31.*

Hæc enim, quæ de ea dicimus, non modo auditu, ſed & viſu, & experimento cognouimus. Multa ab ea ſalutis verba audiuimus, plurima dona ſuſcepimus. Sæpe enim indigentes nummo, fecit eſſe diuites auro; carentes enim aliquando cottidianis ſumptibus, fecit eſſe claros honoribus.

NB. Autorem ab Adelhaide affectum honoribus, & ditatum muneribus.

Hæc enim ad decorem mundi, primi & maximi OTTONIS, toto orbe famoſiſſima coniunx, & ad profectum multorum IMPERATORVM genitrix illa meruit benedictione potiri, quam meruiſſe legimus TOBIAM in eiuſdem patris volumine, perfrui videlicet, vt videret filios filiorum vſq; in tertiam generationem. *Tob. 9.*

IV.

POſtquam enim AVGVSTISSIMVS *a* OTTO vniuerſæ carnis ingreſſus eſt viam, AVGVSTA cum filio ROMANI IMPERII, feliciter diu gubernauit Monarchiam. Sed poſtquam diuino nutu, ipſius AVGVSTÆ meri-

a Obiit anno 973. de quo VVitichind. lib. 3. in fine.

Digitized by Google

meritis & induſtria ſolidatum fuerat Romani principatus imperium, non defuerunt viri iniqui, qui inter eos niſi ſunt diſſeminare diſcordiam. Quorum deceptus adulatione receſſit corde CÆSAR à matre.

Si commendaremus literis, quanta & qualia paſſa ſit tunc temporis, derogare videremur ſpeciem tanti generis. Non enim debemus perſtringere ſtylo, quod cito ſedauit humilis ſatisfactio.

Filium diligens, auctores diſcordiæ ferre non valens, ſecundum Rom. 12. NB. APOSTOLI præceptum; dans ad modicum iræ locum, paternum decreuit expetere regnum; vbi à fratre ſcil. Rege CHVONRADO & nobiliſſima MATHILDE ei⁹ coniuge benigne & honorabiliter eſt ſuſcepta.

Triſtabatur de abſentia eius GERMANIA, lætabatur in aduentu eius tota BVRGVNDIA, exultabat LVGDVNVM quondā Philoſophię mater & nutrix, nec nō & VIENNA nobilis ſedes regia.

Poſtmodum verò Cæſar OTTO, ductus pœnitentia, direxit regi auunculo legationem, & ſanctæ recordationis patri MAIOLO ſub celerrima feſtinatione; obnixius deprecans, vt gratiam matris, quam propriis exigentibus culpis, perdiderat, eorum interuentionibus promereri poſſet; orans iterum, & obſecrans, vt quantocius poſſent, vna cum AVGVSTA matre PAPIAM ei ſtuderent occurrere.

Tantorum enim virorum vſa conſilio, apud PAPIAM tempore conſtituto occurit mater filio. Quo cum mutuo ſe cernerent, flendo & lachrymando, toto corpore ſolo poſtrati, humiliter ſe ſalutare cœperunt.

Affuit in filio humilis pœnitudo; erat in matre liberalis remiſſio; permanſit in vtriſq; de cætero perpetuæ pacis connexio.

V.

NOn poſt multum vero temporis vnico *b* orbata eſt filio, cui ſucceſſit tertius ex *c* GRÆCA genitus OTTO. Igitur recidiuis diu afflicta verberibus, non poſſumus enarrare per ſingula, quot qualiaque poſt mortem filij ſibi ſucceſſerunt incommoda.

b Obiit anno 983.

c Theophania ſiue Anna, quam Otto I. filio petierat per Luitprandum in legatione ad Nicephorum Imp. quam edidimus, Vide Baron. tom. 10. an. 968. & 969.

Licet illa IMPERATRIX GRÆCA, *d* ſibi & aliis fuiſſet ſatis vtilis & optima, ſocrui tamen AVGVSTÆ fuit ex parte contraria.

d Quippe pia. vide Baron an. 983. nu. 19. & an. 984 num. 6.

Ad poſtremum vero cuiuſdam GRÆCI aliorumq; adulantium conſilio fruens, minabatur ei quaſi manu deſignando dicens, Si annum integrum ſuperuixero, non dominabitur ADALHEIDA in toto mundo; quin poſſit circumdari palmo vno.

Quam

Quam ſententiam inconſultè prolatam diuina cenſura fecit eſſe veracem. Ante quatuor hebdomadas GRÆCA IMPERATRIX ab luce diſceſſit; AVGVSTA ADALHEIDA ſuperſtes felixq; remanſit. Perſeuerabat autem diſcrimina mundi lugens & deflens, curam tamen ROMANI IMPERII neceſſario gerens. *Mortua anno. 989*

OTTO vero tertius vnici ſui filius à primatibus regni feliciſſime & honeſtiſſime educatus, nihil erga illam egit, niſi quod illum & illam decuit. Idcirco meritis Auiæ & induſtria Primatum ROMANI imperij adeptus eſt principatum. *Imp. creatur an. 996.*

VI.

AB ipſa enim ætate primæua iam dicta IMPERATRIX multa ab extraneis, ſiue à domeſticis fuerat perpeſſa, vt poſſit dicere cum Propheta: *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea.* & cætera. *Pſal. 128.*

Dicebat enim ſæpe illud Apoſtolicum: *Exiſtimo enim quod non ſint condignæ paſſiones huius temporis ad ſuperuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Et alio loco; *Si compatimur, & conregnabimus.* Et iterum: *Si fuerimus ſocij paſſionum, erimus & conſolationis.* *Rom. 8. 2. Tim. 2. 2. Cor. 1.*

Multis bonum pro malo reddidit, & ſecundum APOSTOLI præceptum peccantibus in ſe ante ſolis occaſum dimiſit. Nihil ex obiectis iniuriis ſibi reſeruabat, ſed totum Domino committebat, ſciens eſſe à Domino dictum per Prophetam: *Mihi vindictam & ego retribuam.* *Epheſ. 4. Deut. 32. Heb. 10.*

Parcite quæſo, quibus pepercit. & dicamus pro tempore quibus in aduerſitatibus, quibusue ſtudiis in proſperitatibus ſeruire contendit.

Quot enim inprimis cum CÆSARE, inde cum filio, & filij filio OTTONVM videlicet & AVGVSTORVM & CÆSARVM, DEO annuente poſſederat regna, tot ex propriis ſumptibus ad honorem Regis Regum condidit monaſteria.

In patris vero RVODOLPHI videlicet & nobiliſſimi regis & Domini CHVONRADI fratris, regni loco, videlicet PATERNIACO, vbi matrem reginam, vocabulo BERTHAM, DEO in omni humilitate deuotam, ſepulturæ tradidit, in honorem DEI GENITRICIS monaſterium condidit, & ſanctiſſimo patri MAIOLO, ſuisq; ſucceſſoribus, ſua munificentia & fratris ſui CHVONRADI regis præcepto ordinandum perpetuo commiſit.

Poſtmodum in ITALIA iuxta TYCINENSEM vrbē MONASTERIVM à fundamētis incepit, & ad honorē SALVATORIS mundi honorifice

imperiali auctoritate & ſua largiſſima donatione perfecit; ac iam dicto MAIOLO ordinandum regulariter tradidit.

In SAXONIA vero poſt diſceſſum iam dicti Reipublicæ Principis, cooperante vnica & ſapientiſſima & prudentiſſima filia, ſanctimonialium cœnobiis plurima contulit dona.

VII.

ANte duodecimum circiter annum obitus ſui, in loco qui dicitur SALSA, vrbem decreuit fieri ſub libertate ROMANA, quem affectum poſtea ad perfectum perduxit effectum.

In ipſo etiam loco MONASTERIVM à fundamentis miro opere condidit, & ad honorem DEI & APOSTOLORVM Principis, tertio Imperante OTTONE videlicet nepote ſuo, in præſentiarum ſecum aſtante quarto decimo Kalendas Decembris auguſtiſſimè & deuotiſſimè a * WIDERALDO ARGENTINÆ ciuitatis EPISCOPO conſecrare iuſſit.

** De quo Bruſchius in Argent. Ep. VVilderolfus, aliquibus Vilderoldus dictus ſubrogatur Epiſcopo Baldo. præfuit annis 17. Etſi ſint, qui duobus tantum præfuiſſe ſcribant. Errant autem iſti. nam præfuit iſte Epiſcopus verè cum Otto II. anno 980. in Italiam proficiſceretur, qui tum iſti Epiſcopo cōmendauit Alſatiam gubernandam. Poſtea anno 985. conſecrauit monaſterium Seltzienſe ad Rhenum. Deuoratus eſt à muribus, arcano, ſed tamen iuſto Dei iudicio anno 997. 12. Iulij. Sepelitur in Eberſheimmunſter, cœnobio plurimum à ſe adamato, ac liberaliſſime dotato.*

Et vt maiori auctoritate per ſuccedentium temporum curricula, eſſet ille ſacer locus ſubnixus, cum præfato CÆSARE eſt etiam Epiſcoporum conuentus à ſępe dicta & ſæpe dicenda ADALHEIDA AVGVSTA ipſius CÆSARIS auia conuocatus.

In ipſo etiam MONASTERIO clauſtrum monachis ſatis aptum præparauit, & ſecundum regulam ſancti BENEDICTI ordinare decreuit.

Abbatem ibi præfecit nomine EZZEMANNVM, boni teſtimonij virum, humana ſcientia & diuina ſapientia doctum, quem in diuinis literis habere voluit aſſiduè præceptorem.

Ipſum verò locum adeo ditauit & nobilitauit prædiis, ædificiis, auro, & gemmis, veſtibus pretioſiſſimis, aliiſq; variis ornatum ſupellectilibus, vt nihil deſſet illo in loco DEO famulantibus.

Quatuor quos ſuperuixerat annos Creatori ſuo ſua ſeque dando, pauperes Chriſti, & ſeruos ſibi acquiſiuit amicos, vt cum temporalia deficerent, in æterna tabernacula eam ſuſciperent.

Cum

VIII.

CVm igitur ſummis Reipublicæ faſcibus implicata teneretur, variis miſerorum & inopum anxietatibus ſubſidia præbere non dedignabatur.

Cumque mirificis, vt imperiali dignitati congruebat, valeret corpus decorare indumentis, & precioſiſſimis caput redimire gemis, talibus nolebat ſe grauari implicamentis; ſed aut pauperibus largienda decernebat, aut DOMINICÆ CRVCIS VEXILLA & CHRISTI EVANGELIA exinde adornari præparabat; ſedula exiſtens imitatrix ſui Redemptoris, qui cum eſſet omnium altiſſimus, humanitatis abiecta non eſt dedignatus.

Innumeris præterea tam CANONICORVM, quam etiam MONACHORVM & SANCTIMONIALIVM COENOBIIS circumquaque per diuerſas orbis partes conſtitutis; plurima largiebatur beneficia, quaten' Deo famulantiū agmina ei' munifica dapſilitate recreata, liberius ſibi, Reipublicæ diuinitus conferenda implorarent ſuffragia.

In cunctis enim quæ geſſit, Iuſtitiæ formam tenuit; comunē liberalitatem ſeruauit; credens procul dubio eum Iudicem futurū, quē & occulta non fallant, & indecora offendant, & honeſta delectent.

Quapropter Iuſtitia videbatur excelſa, liberalitate gratiſſima, beneficentię opera locans ſuper CHRISTVM, quē beatus APOSTOLVS ponit fundamētum, intelligens prudenter fidem eſſe fundamentum omnium virtutum.

Vſa eſt ergo perfecta liberalitate, vt ſilentio, quantum valeret, opus ſuum tegere, & neceſſitatibus ſingulorum cuperet ſubuenire; quatenus eam non labia ſua, ſed Chriſti pauperum laudarent ora, vt & iam in ea impletum videretur, quod beati IOB voce profertur: *Benedictio perituri in me veniebat.* Diligenti illud conſideratione perpendere ſtudebat iuxta ipſius vatis aſſertionem, vt ab eius tecto nunquam vacuo ſinu pauper exiret; vt talibus intenta commerciis adquirere valeret in terra viuentium hæreditatem ſupernæ ſortis. *Iob. 29.*

IX.

IAm iamque vltimo ætatis ſuæ anno, cùm non lateret eam, vt credo, exituram de ſeculo, pacis, vt ſemper, amica, charitatisq; cauſa paternum adiit ſolum, fidelibus nepotis ſui RVODOLPHI Regis inter ſe litigantibus, quibus potuit, pacis fœdera contulit; quibus non potuit, more ſolito ſibi, Deo totum commiſit.

De cætero quam ſtudioſe, quàm deuotiſſime loca SANCTORVM

Digitized by Google

curauit viſitare, non eſt noſtrę facultatis euoluere. In ipſo namq; tempore MONASTERIVM Paterniacum adiit, quod ab ipſa ad honorem DEI GENITRICIS pro remedio animæ ſuæ matris ibi requieſcentis, tam ex ſuis, quàm maternis rebus condidit. Et quod tunc temporis in temporali neceſſitate fratribus ibi Deo famulantibus defuit, vt ſemper erat ſolita, manu largiſſima ſubminiſtrauit.

X.

ACcidit tunc aliquid nouum, quod huic operi iudicauimus inſerendum. Fatigata ex itinere non potuit manu propria ſolito more eleemoſynam dare pauperibus; & vocauit vnum de fratribus, qui vice ſua nummos daret pauperibus. Ex eius iuſſu ventum eſt ad pauperes. Excedit numerus pauperum numerum denariorum. Timuit miniſter minus habere, quã indigentibus poſſet ſufficere. Quid multa? affuit AVGVSTÆ meritis virtus illius, qui

Panibus ex quinis ſaciauit millia plebis.

Multiplicatis denariis receſſerunt pauperes cum munere læti.

XI.

EGreſſa inde locum AVGAVNENSIVM petiit, vbi rupes feliciſſima tyrum millia retinet corpora.

Quanta cum deuotione, cum reuerentia magni martyris MAVRICII, ſociorumque eius expoſtulauit ſuffragia! Quot eius ibi fuerunt ſuſpiria, quot luctus, quot lachrymarum flumina! nunquam fuerunt, vt reor, vlla peccamina, quæ tunc non mererentur æterna remedia.

Si enim reſpiceres Auguſtæ faciem, excedere crederes humanam effigiem; quam, ſi aliud aliquid labiis promeret, nihil aliud crederes, quàm propheticum illud euolueret: *Effundo in conſpectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronuncio.* Pſal. 141.

Quæ fuit eius maxima tribulatio pro cunctis à lege Dei declinantibus charitatiua compaſſio, vt poſſet dicere cum Propheta: *Defectio tenuit me pro peccatoribus.* Et cum PAVLO: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* & cætera: Pſal. 11. 2. Cor. 11.

Ita deplorabat aliorum peccata, qualiter multi non poſſunt propria deplorare diſcrimina. Lætabatur in grauitate & profectibus præteritorum; triſtabatur cottidie in defectibus præſentium, maximeque futurorum. Cùm enim de futuris dico prophetiæ ſpiritum procul dubio eam habuiſſe denuncio. Id eſſet enim in ſermone defectus, niſi eſſem publico documento expertus. NB.

Cum

XII.

CVm enim eſſet ab illo ſacro loco egreſſura, & ſecum ſtaret in angulo ECCLESIÆ, orationis gratia, quidam nuncius venit ad eam de ITALIA FRANCONEM WANGIONENSEM EPISCOPVM nunciauit ROMÆ fuiſſe defunctum. Et quia vir boni teſtimonij erat domina AVGVSTA valde illum diligebat, ſicut & omnes bonos diligere ſolita erat. Et ſtatim, vt eius obitum audiuit, ex familiaribus, qui aderant, vnum vocauit, & vt pro eo domino preces effunderet humiliter rogauit: & quaſi in exceſſu mentis ita exorſa eſt dicens: Quid faciam DOMINE, vel quid dicam de illo ſeniore noſtro & nepote meo? Peribunt, vt credo, in ITALIA multi cum eo, peribit poſt ipſos, vt timeo, heu misera, Auguſtæ indolis OTTO: remanebo omni humano deſtituta ſolatio. Abſit ô domine Rex ſeculorum, vt videam ſuperſtes tam lugubre diſpendium.

Tunc videres AVGVSTAM toto corpore ſolo poſtratã; non minus videres eam toto mẽtis adniſu cœlo intentam, & quaſi iam Martyris MAVRITII veſtigia inueniſſe, ac lymphatico ore perlingere. Poſt paululum vero ab oratione ſurrexit; munera martyribus, eleemoſynã dedit pauperibus.

XIII.

DE hinc GENEVENSIVM adiit vrbem, deſiderans videre victorioſiſſimi VICTORIS MARTYRIS AVLAM.

Inde LAVSONIAM venit, ibiq; memoriã Dei GENITRICIS deuotiſſime adorauit. Quibus in locis à REGE & ab EPISCOPIS, ſuis videlicet nepotibus honorabiliter ſuccepta, deuenit in vicum qui vocatur VRBA.

In ipſo enim vico aliquandiu demorata, egenis ſuperuenientibus & miſeris, quotquot potuit neceſſaria; cum Rege & Principibus patriæ pacis, & honeſtatis conferens negotia; inde etiam ſacris locis diuerſa & varia direxit donaria.

Quæ enim Eccleſia, quæ Monachorum cœnobia, ſibi affinitate vel vicinitate coniuncta, quæ non mererentur habere eius dona vel xenia?

Et vt parua de multis dicam; ipſo tempore, quo inſtabat ſibi dies ſupremus, beatiſſium Patrem BENEDICTVM, licet exiguis, tamen propriis viſitauit muneribus. Nec non & beatæ recordationis, Patrem MAIOLVM, cœleſti gloria iam coronatum, quem dum in hac vita, ſubſiſteret, præ cunctis mortalibus illo ordine diligebat.

Caſſinati monaſterio imperauit ab Ottone priuilegia anno 964. Vide Baro.

Non

Digitized by Google

Non enim oblita CLVNIACVM adeo ſibi familiare cœnobium. Ad reſtaurandum igitur beatiſſimi Cōfeſſoris Chriſti MARTINI monaſterium, quod non multo antę fuerat igne combuſtum, deſtinauit tranſmittere non modicum argentum; & ad honorem altaris partem vnici filij ſui OTTONIS AVGVSTI CHLAMYDIS.

Vt enim ad memoriam reducamus eius dulciſſima verba, ad eū cuius officio mittebantur, ait inter cætera: Obſecro chariſſime, obſecro, vt ita alloquaris ſanctiſſimum Confeſſorem meo obſequio: Accipe ſacerdos Dei parua munuſcula, quæ tibi delegauit ADALHEIDA, ſeruorum Dei ancilla, ex ſe peccatrix dono Dei imperatrix. Accipe vnici mei OTTONIS AVGVSTI CHLAMYDIS partem, & ora pro eo ad ipſum, quem veſte diuiſa veſtiſti in paupere Chriſtum.

XIV.

NB. auctor Adelhaidi familiaris.

IN illo die, in quo de ſupra dicto loco erat exitura, vna eademque hora nobis peccatoribus aſtantibus, & exemplum perfectæ humilitatis reliquit, & prophetiæ ſpiritum non arroganter, ſed humiliter ſe habere oſtendit.

Erat quidam ibi in præſentia ipſius monachus, qui licet eſſet indignus, ABBAS vocari, ab ea tamen putabatur alicuius momenti. Quem cum inſpiceret, & ipſe eam eſſe intuitus, cœpit vterque flere vberius. Dicam eam tunc plus feciſſe, quàm ſi dicam multos ſanaſſe infirmos. Veſtem enim ſatis incultam, qua erat indutus, humiliter apprehendit, & ſanctiſſimis oculis & ſereniſſimę ſuæ faciei oſculando impreſſit, eique familiariter & cum ſilentio dixit: Memento mei fili in contemplatiuis, & ſcias me non amplius te viſuram corporalibus oculis. Cum enim humanis rebus exceſſero, orationibus fratrum animam meam committo. Inde per iter, quo venerat, peruenit ad locum, vbi Deo ordinante decreuerat ſibi parari ſepulchrum.

XV.

IN ipſo igitur vltimo ſui temporalis curſus itinere, erigebat ſe in quantum valuit, ſuper ſe, vt diuinę contemplationi ſpreto ſecularium turbine, liberè poſſet inſiſtere. Familiarius rei negotium erat ſibi etiam importunum. Tranſegerat iam ſtrenue LIÆ & MARTHÆ ſatis laudabilem actum, optabat appetere RACHELIS & MARIÆ deſiderabile otium. Itaque lectionibus intenta, aſſidua orationibus, reſpuebat terrena, inhians tota mente cœleſtibus. Et ſi aliquis eam de ſecularibus negotiis interpellaret, non ad hoc reſponſum dabat, ſed Apoſtolicū illud lugēs in corde voluebat: Miſera ego homo, quis me libe-

liberabit de corpore mortis huius? & ſecura de ſpe diuinæ retributionis aiebat: Gratia DEI per IESVM Chriſtũ. Deinde cœleſti edocta magiſterio deuenit ad locum vbi vltimum ſpiritum erat redditura Deo.

XVI.

INſtabat enim dies in qua deuotio annua agebatur pro filij ſui OTTONIS AVGVSTI memoria. Confluxerant ad eam ex adiacentibus locis, vt ſemper faciebant, pauperum plebes.

Erat ei conſuetudo talis, vt in amicorum & familiarium ſuorum anniuerſariis ſpirituale donatiuum ſuis ſpiritalibus erogaret militibus, eleemoſynam dico Chriſti pauperibus. Erat autem indigentium multitudo ordinatim conſtituta in loco, ad quos ipſa venit, & exemplo ABRAHÆ Patriarchæ Deum inter illos eſſe non dubitans, humiliter adorauit; & oblita infirmitatis ſuæ, ſuper vires ſuas tentauit aggredi; ſingulis manu propria tribuit, & quos miſerabiliores vidit, veſtimenta vel alia munuſcula dedit.

Finito iſto ſpiritali negotio, à quodam venerabili ARCHIEPISCOPO MISSAS petit celebrari pro filio.

In ipſa enim nocte à febre corripitur, & per aliquod dies ingraueſcente mole infirmitatis ad extremum vſq; deducitur. Ad huc autem pro poſſe erat intenta in oratione, & oculis deſiderantibus Chriſtum, nihil aliud dignabatur aſpicere.

Reſumptis aliquantulum viribus corporis, muniri ſe rogauit attentius myſteriis Eccleſiaſticis. Tum SACRI OLEI vnctione peruncta, SACRAMENTVM DOMINICI CORPORIS humiliter & deuotiſſime adorando percepit, in quem ſemper ſperauit & credidit.

Talibus fulta præſidiis, talique paſta conuiuio, dixit ſenioribus qui aſtabant, & Clero, vt Pſalmos pœnitentiales cantarent & nomina ſanctorum more Eccleſiaſtico recitarent. *Litaniæ.*

Quo facto cum pſallentibus pſallebat, cum orantibus orabat, vſque ad illum locum, vbi Deum ſibi adeſſe precabatur propitium. *Propitius eſto, Parce nobis Domine.* Erat enim ſciens cum ſorore MOYSI tenere tympanum & chorum, cum DAVID chordas & organum. Sed aſſumptis cymbalis bene ſonantibus ſequentibus agnum tota iam verſabatur in iubilum.

XVII.

Anno igitur inſtante ab Incarnatione domini milleſimo deſiderans videre diem vnum neſcientem occaſum in atriis domini ſuper millia dicebat ſæpe cum Apoſtolo: Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. *Philip. 1.*

Digitized by Google

Præſtolans etiam in præſentiarum cũ ſpiritali lætitia eiuſdem domini noſtri IESV CHRISTI NATIVITATIS feſtum, cum ſextum decimum diem ſolueret December felix, & ipſa feliciter depoſito carnis onere euolauit ad purum puriſſimi ætheris fulgorem.

Erat enim ei cum domeſticis grauis iocunditas, cum extraneis honeſtiſſima grauitas, in pauperibus vero infatigabilis pietas, in honorandis Eccleſiis Dei affluentiſſima largitas, ergà bonos perſeuerans benignitas, contra impios liberalis ſeueritas, in appetendis timor, in proſperitatibus vera humilitas, in aduerſitatib⁹ patiens longanimitas, in victu cottidiano ſobrietas, in veſtitu etiam mediocritas, in lectionibus & orationibus, & in vigiliis & ieiuniis aſſiduitas, in dandis eleemoſynis vna eademq; voluntas.

Nulla eam de nobilitate carnis præpediebat elatio, nulla de poteſtate ſibi à Deo conceſſa ad ſe trahere poterat humanę laudis cupido, nulla de virtutibus ſibi à Deo conceſſis præſumptio, nulla de exceſſibus ꝓpriis maleſuada ei dominabatur deſperatio, nulla de honoribus, deliciis, & diuitiis mundi in eam principatur ambitio; ſed comitabatur eam in omnibus omnium virtutum mater diſcretio. Eratque ei in fide ſecura firmitas, in ſpe firma ſecuritas.

Sed, vt vere fatear, quæ & quanta & qualis fuerit eius vita, clareſcentibus ad ſepulchrum eius miraculorum prodigiis, virtus patefecit diuina.

Prologus in librum ſecundum.

QVia ſuperiori ſtylo euidenter patet, quanta ſedulitate beatam MARTHAM hæc Dei ancilla imitaretur, oportet etiam aliqua ſupernæ ſpeculationis indicia proferre, quibus ſororem eius MARIAM perfectius aſſecutam poſſimus coniicere.

Inſuper facili intelligentia capere valemus, qualiter ipſa corpus ſuum iuxta Apoſtoli præceptum caſtum & pudicum ſeruando templum Dei promeruerit pleniter effici. Nam cũ per omne vitę tempus regalibus diuitiis & dignis ſuo generi facultatibus abundaret, carnem à primæuo viduitatis tempore cilicio edomans, atque mundanæ gloriæ culmen mentis deſpectu conculcans, Chriſto ſoli videlicet & Iuſticiæ per cœleſtis contemplationis deſiderium in tantum aſtare cognoſcitur, vt cum ſuaui voce pſalmiſtæ concordaret, qui bonum ſuum non regni deliciis frui, ſed Deo inhærere concluſit.

Explicit Prologus.

Incipit

Digitized by Google

Incipit liber de miraculis.

QVadam vero die cum ad refectionem corporis cum honorabili frequentia tam Clericorum quam Laicorum conſederet, iamq; puriſſimæ epulæ neceſſitati omnium ſatisfacerent, vti mos eſt ſanctarum mentium, pro declinando fauore alia foris oſtendere, & alia intus agere, ipſa ſimulata intentione edentis, cultrum manu diutius tenuit; ſicq; non ad ſuam voluptatem, ſed ad aliorum voluntatem conuiuium protraxit. Tunc ſubito faciei colore, cum mentis habitu permutato, ferrum de manu ſuper menſam decidit; atque in hoc non inſolentiæ notā accidiſſe, ſed mira quædam per diuinam reuelationem ſenſiſſe cum ſuſpirio innotuit. Omni vero turba, quid hoc ꝓtenderet admirante, nec quærere præſumente, illa ad Euangelicæ perfectionis decorem celauit multitudini ſecreti dignitatem, ſolumq; AVGVSTENSEM EPISCOPVM nomine a DVDONEM ſibi pro vitæ meritis familiarem iugique obſequio inhærentem, tali dignata eſt præfatione, *Nunc pater venerabilis multa opus eſt vobis conſolatione, quia paries veſtræ occidentalis matrinæ Eccleſiæ lapſus eſt diuina diſpoſitione. Tanta vero iactura non magis veſtræ prudentiæ ſollicitudinem ad reſtaurationem ſui ingerit, quàm pro veſtra vexatione ſiue communi damno Eccleſiæ veſtræ menti mæroris nebulam intulit. Sed ſimul conſolari vos in diuinitatis tranquillitate iubeo & perſuadeo, qua ſine mutabilitatis viciſſitudine ſolus inacceſſibile lumen inhabitans omnia quodammodo moueri pro noſtro reatu permittit; ſed plura ad integritatis ſtatum ineffabili ſua clementia reducet.*

Præſul vero tam præſagio quam rerum damno perturbatus tempus præfatę ruinæ diligenter notauit, nunciumque pro experienda ratione reique veritate AVGVSTAM feſtinanter direxit, cuius relatione caſum contigiſſe & horam conueniſſe iuxta Dei famulæ præfationem cognouit.

Alio quoque tempore huic præſagio ſimile prodigium ab ipſa patuit, quod tanto magis admiratione extitit dignum, quanto & loco & tempore rei euentu fuerat diuerſum.

Filius namque illius ROMANÆ REIPVBLICÆ PRINCEPS electus, dum illam GRÆCAM in thalami conſortium ſuſcepiſſet, eius prauo ingenio deteriori conſilio deceptus regnū GRÆCORVM conatus eſt adipiſci. Igitur exercitu ex omni copia collecto fines ITALIÆ exceſſit, atq; ita Regi GRÆCORVM patrandi belli occaſionem dedit, ſibi vero ſuiſq; famæ ac vitæ contulit amiſſionem.

a. fort. leg. Luidonē, alii Luitholdum, Luitolfum verò appellat Bulla Canonizationis S. Vdalrici edit. nobiliſsimi M. Velſeri. Sub huius antiſtitis inquit Bruſchius in 24. Ep. Aug. gubernatione cecidit Auguſtæ anno incarnati filii Dei 994. ſumma D. Virg. Baſilica. eā auxiliis Adelheidis &c. magnifice iterū reſtaurās fortiorē ac illuſtriorem reddidit.

Digitized by Google

Interim pia mater eius die noctéq; diuinis cultibus inſiſtens felicis ANNÆ viduæ deuotionem procul dubio impleuit, & iuxta Canonicam regulam omni diligentia exhibuit viduitatis obſequia.

Quadam vero die orationis ſtudio pro vnici filij ſalute totiuſq; regni ſtatu obnixius intenta, dum ſe viuam hoſtiã, more ſolito ſtans ante CRVCIFIXVM DEO mactaret; rapta in extaſi humanis viſibus æſtimabatur præmortua. Ad ſe autem poſt horam reuerſa, quid viderit memori mente tenebat, fatumque præfatæ pugnæ in ſpiritali ſibi viſu præmonſtratum, non rem dicendo, ſed bonorum cædem condolendo innotuit.

Ex his quidem ſignis patenter poteſt colligi, quali puritate animi fulgeret, imò quanta libertate ſpiritus Chriſto ſeruiret occultius, cui cum Prophetis futura dominus reuelauit, cum Patriarchis fidem roborauit, cum Apoſtolis Euangelij perfectionem edocuit, cum Martyribus tribulationum tolerantiam tribuit, cum ſacerdotibus Eccleſiæ curam indidit, cum virginibus ſacris ſanctiſſimæ mentis ſinceritatem auxit, familiarem ſui præſentiam cum Monachis oſtendit, & cum Apoſtolicis diſcipulabus, dico viduis, à PETRO & PAVLO electis, & religionis officio deputatis in terris deuotione præditauit, in æterna gloria ſublimauit.

Curationum vero in tantam gratiam per beneuolentiæ meruit opera, vt ſicut egenorum inopiam eleemoſynarum largitate ſubleuauit, ita etiam infirmorum & debilium ſoſpitatem potenti munere reſtauraret.

Sed mirum in modum humanam cognitionem vitandæ inſolentiæ cauſa fugiens, tantique muneris largitori ſecreto mentis placere geſtiens, aut omni modo furtiua celeritate ſignorum efficaciam rapuit, aut ſi qua ſuorum ſcientiam præterire non potuit, ne vſquã leui ſermocinatione dilatarent, illam nimirum ſententiam gentium Doctoris vigili ſub corde reuoluens: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Et quod ipſe dominus dextræ opus à ſiniſtra celari præcepit, ſimplici prudentia in omni conuerſatione adimpleuit. Tamen vrbs ſuper montem poſita haud potuit eſſe in omnibus occultata. Vnius namque ſigni flagrantia ad noſtram peruenit notitiam, cuius patrandi potentiam plurimarum virtutum docemur exiſtere cauſam.

Quodam vero tempore cum cœleſti meditatione occupata in conclaui ſederet, omniſq; arbiter, excepto claudo abeſſet, villicus nomi-

nomine HVOZEMANNVS fide & taciturnitate illi acceptus pulchrorum malorum attulit munus. Quod ſereniſſimo vultu, vt hilaritatis amica erat, accipiens, vnum ex multis excepit, cæteros ſeruatori huiusmodi rerum præſentari præcepit. Sed caſu accidente pomum à manu longius prolapſum eſt; quod ſtatim claudus reportare iuſſus, obſequium renuebat, quia ſcabella, quibus ingreſſum ſimulabat, domina retinebat. Illo verò reluctante, rationemque debilitatis rationabiliter pro inobedientia reddēte; tandem ſanctorum domeſtica ante venerabiles RELIQVIAS in conſpectu ſuo iugiter poſitas adorare ſolebat, caput reuerenter inclinauit, ſuosq; dominos ſecum velle, vt claudus ambularet, affirmauit.

Mox citius dicto ſurrexit claudus ab imo,
Parens obſequio, fit ſanus corpore toto,
Et iuſſus tanti retinere ſilentia ſigni,
Gaudia prodebat nec gratia tanta latebat.

Igitur eo tempore, quo beata migrauit à ſæculo HERIMANNVS dux SVÆVIÆ, qui fratris illius CHVONRADI filiam in coniugium acceperat, hæreditario iure res ancillæ DEI ad monaſterium pertinentes occupare volebat. Sed ipſa illi & cunctis in circuitu degentibus manifeſtis indiciis comprobat, quod nullum hæredem præter Apoſtolos & eis ſeruientes monachos relinquebat.

Erat tunc temporis forte apud eundem ducem, quidam recenter viſu priuatus, qui olim arte FLEBOTOMANDI edoctus, & ea cauſa beatę reginę gratia largius eſt vſus. Quia verò illius beneficentię nimietatem ſanctitatisque claritatem experimento didicerat, orandi ſtudio ad ſepulchrum eius veniens in adiutorium ſuum precibus & fletibus eam inuitauerat. Cumque per omnem ſeptimanam ſacri corporis locum obſecrationis inſtantia frequentaret, vna vice feſſus, & triſtis ſuper pauimentum reſidens, præ tædio languentis animæ perfuſus eſt ſomni humore.

Tum illi ſancta ADALHEIDIS per ſomnium admodum reuerendo vultu vltra humanam ſpeciem decora manifeſta apparuit. Quare Dominus eius HERIMANNVS priuatas res APOSTOLORVM ſuæ iniuſtæ ditioni vſurparet, terribili voce quæſiuit. Illo autem ignorantiam confitēte, vel poti⁹ Tyrannidem DVCIS adnectente, Vide, inquit, vt ſi noſtris meritis ſanitatem oculorum recipias, noſtræ etiam legationis fidus interpres PRINCIPEM adeas, planoque ſermone huiusmodi prauitatē omnino deponere cum ſigno edoceas. Sin aliter, me meosq;

Digitized by Google

dominos biſſenos Apostolos, totius ſcilicet iudices orbis, proprium ius perſequi ſciat, vltionisque ineuitabili ictu ſeſe cum ſuis flagellandum prædiſcat.

Cum his dictis ſtatim homo euigilans viſionis & allocutionis memoria lætificatus; pedes recedẽtis vsq; ad ſepulchrũ eſt proſecutus, vbi toto corpore proſtratus tam diu orationi deditus iacuit, quousque chorus monachorũ missæ officia celebrauit. Vt vero primum cantor Introitum inchoauit, cœcus lumen recepit, atque gaudia ſua cantantibus commiſcuit.

Confeſtim miraculo per ſonitum campanarum intimato, ab omni populo concurritur, Dei famula veneratur, lucisq; repertor immo facturæ reformator ab omni ſexu & conditione conlaudatur. Poſt hęc luminis adeptor teſtimonij legationisq; iniunctæ non immemor, Dominum ſuum gratulanti curſu reuiſit, quid in ſomno præmonitus foret explicuit, ſuiq; inluminationem teſtabatur diuini examinis eſſe argumentum; ſi ipſe aut aliquis potentum, ſiue quælibet perſona vlterius in Eccleſiaſtica beneficia glorioſæ in Domino fœminæ præſumeret damnum inferre. Ita dux timore perculſus quidquid iniuſto incepto contra Dei voluntatem in Dei famulæ rebus deſipuit, emendare curauit, addiditq; prædicto monaſterio prædium ad conficiendum ſal vtile ſitum, videlicet ad oppidum Marsile.

Dignum vero relatione nobis videtur quomodo Henricvs Rex, Georgii Martyris ſingularis cultor, huius ſanctiſſimæ etiam viduæ ſupplex fieret adorator. Nam cum ad præfatum locũ adepto imperio veniſſet, forte cõtigit vt ibi poſito lecto pauſaret, vbi ſanctiſſima anima carnis ergaſtulo ſoluta eſt. Itaq; imperator tãtæ infirmitatis mole perculſus eſt, vt lecto ſurgere non valens ſuorũ diuerſa ingenia conquireret, quid de tanti tamq; ſubiti doloris caſu ſentirent. Omnes quidem vna voce dicebant, illius ſacri loci reuerentiã talis incõmodi cauſam. Hæc ipſe ſecũ diu volutans, & ſi quo alio modo venerandam Avgvstam offenderet, retractans; & pœnitentia ductus ad ſepulchri ſacellũ ſe portari iuſſit. Et quia illius merita ſine Apostolici decreto Cleriq; conſenſu celebrari non licuit, prædicto in loco beatæ Mariæ oratorium ſe conſtructurum promiſit, atq; Abbatem illius cœnobij, ſicut ipſa conſtituit, ab imperatoria ſeruitute abſoluit.

NB. Sub idem tempus venit ad eundem locum quidam eques temerarius, qui dum pauperis cuiusdam bene receptus hoſpitio eſſet, paruam eius ſuppellectilem diaboli inſtinctu male tractare aggreſſus eſt,

Inter

Inter alias quidem iniurias, quas hoſpiti ſuo ingeſſit, aues domeſticas occidit, alienaq; ſubſtantia fecit ſibi parari cibaria. Magiſter vero dom' in preces fletusq; cum vxore profuſus rogauit inprimis hominem parcere ſibi per Abbatem Dominum ſuum, poſtremo per ſanctæ ADALHEIDIS reuerentiam implorauit deponere tantam proteruiam.

Ille procacitatis incepto perdurans, immo maiora mala accumulans, Ego, inquit, viuus in hac nocte tui tuorumq; dominor; ADALHEIDA vero mortua impotens eſt tibi præſtare tutamina. Nec mora pro tanta calumnia ſupernè flagellatus, dum male partum cibum feſtinaret ſumere, cœpit etiam manus & cætera membra mandere. Statim pro ſui impotentia & furoris noxa ligatus per eiusdem noctis ſpatium mentis & corporis durum pertulit vinculum.

Sed cum prima luce manibus trahentium ad ſepulchrum Chriſti famulæ inuite adductus ſanitatem ſenſuum in fratrum pręſentia recepit. quia illa piiſſima offenſionem, quam vindicabat potenter, poſtmodum pœnituro indulſit liberaliter.

Quædam ſanctimonialis fœmina vocabulo ERVOWELA, cum à prima ætate claudicaret vtroq; pede, in proximo anno memorabilis tranſitus AVGVSTÆ ſera lætificata eſt ſalute. Et quia huius virtutis opinio populares aures attigerat prima, totius plebis conuentus effectus eſt admodum lætus, anusq; illius manibus CRVCEM & CEREVM imponens per diuerſas diſcurrendo Eccleſias laudes celebrauit Deificas. *al. Ervvexa.*

Nec hoc taciturnitate prætereundum eſſe videtur, quod ob illius dilatanda merita cuidam ignoto homini contigiſſe dinoſcitur. Qui dum per ſyluam iter haberet, quæ ruſtico vocabulo nuncupatur BIWALT, forte ab equo iuxta paſcente vsq; ad oppidum SALSENSE comitatus eſt. Quam ob rem apud quendam potentem nomine HETMONEM furti accuſatus eſt, qui eodem tempore cum prædicto imperatore HEINRICO illuc venerat.

Ille de incertis certam ſententiam proferens, iuſſit hominē miſeris modis flagellari, ſpoliari, excœcari. Mox aduena cœcat', leuans ad cœlum mentem & manus, Si ego, ait, furti doliq; innocens immerito tanta mala perpeſſus ſum, tu ſancta ADALHEIDA redde mihi tuis precibus & meritis viſum.

Poſt hæc cuiusdam viri nomine BENNONIS domo & cura receptus, poſt paucos dies lenito dolore ad precioſi theſauri thecam acceſſit, teſtificansq; ſui innocentiam, oculorum ſanitatem recepit. Idem tamen medietate oculorum pupillæ diuiſa, veræ cœcitatis poſtmodum oſtendit veſtigia.

Inter

Digitized by Google

Inter cætera vero donaria, quæ ſancto PETRO contulit hæc ſanctorum domeſtica, exiſtebat quædam familia pagi NORTHGOWE nuncupati accola. Quam dum quidam proterua præſumptione ſibi ſuisq; poſteris mancipare tentaret, nulloq; pacto repugnantem edomare ſufficeret, vnum iſtiusmodi generis PENZONEM dictum incautius excœcauit apprehenſum. Quem poſt aliquantos dies quiddam videre reſciſcens, denuo captiuans tandem altius omnem eruit viſum.

Nec mora cœcus cruento miſerandoque vultu turpatus, adhuc crudo vulnere monachos adiit, Dominæ ſuæ venerabile ſepulchrum petiit, rituq; ruſticę ſimplicitatis exprobrare cœpit illi cauſam tantę calamitatis. Ergo non ante à fletu & planctu eam incuſando ceſſauit, quàm integritatem pupillarum cum luciſſimo oculorum officio, quod non inuſitatum, ſed potuis rarum à ſanctis ſcimus, recepit.

Venit etiam de territorio METTENSI aliqua fœmina, cui diuino nutu cœcitatis increuit calumnia. Hæc cum per diuerſa loca adipiſcendæ ſalutis appetitu diſcurreret, iſtius ſanctæ quærere ſubſidia, per ſomnia admonita eſt ab ipſa. Dum autem ſolam oculorum appeteret ſalutem, gratiam adepta eſt duplicem. Nam eodem tempore contigit CHVONRADVM ROMANI IMPERII glorioſum principem cum thori regniq; conſorte GISILA aduenisſe. Cumq; venerabilis regina mulierem illuminatam in præſentiarum cerneret, DEVM bonorum Auctorem dignis laudibus magnificans, ſibiq; conſanguineę AVGVSTÆ ſanctitati congratulans, perſonam à beatitudine eius lumine viſitatam in ſuæ liberalitatis ſuſcepit curam.

Fuit etiam in partibus GALLIÆ potens Comitiſſa muti filij mater triſtis effecta. Pro hac ergo cauſa dum plura circuiret deuotè monaſteria, tanta virtutum opinione audita, ſacrum locum deſiderabiliter petiit trium dierum ſpatio inibi orationibus operam dedit. Poſt hæc à dono curationis prolixitate temporis deſperata cùm ad propria redire diſponeret, ſemetipſam cum puero ante altare proſtrauit, quod ad caput viuifici corporis conſecratum eſt. Mater vero lachrimabili prece intenta ſe ſolam indignam & expertem fatetur, ſpe lætam veniſſe, ſed triſtem redire narrat. Puer autem interim ſubita ſoporis quiete ſolutus eſt. Qui transacta hora ſponte ſua euigilans lætus ſurrexit, matrem veſte apprehendit, ſi hoc ſepulchrum ſanctæ ADALHEIDÆ eſſe prima voce quæſiuit, quæ ſibi in ſomno apparens linguæ vinculum reſoluerit.

Eo modo matrona præ deſperatione diſceſſura reliquum diei duxit illic in lætitia, & pro ſoſpitate filii deuota & grata fratribus in ſanctis ſuis Deum collaudantibus obtulit munuſcula.

Quidam homo de BVRGVNDIA progenitus, ab vtero matris ita extitit claudus & curuus, vt plantæ pedum ad nates, manus verò ad genua conglutinatæ viderentur. Qui dum ab hoc infirmitatis incommodo per ſancti SVLPICII meritum liberaretur, idem alia calumnia diuino nutu vexari permiſſus eſt, vt dum huius piiſſimæ atque ſanctiſſimæ fœminæ precibus curaretur, virtus præclariſſimi confeſſoris æquaretur.

Contigit ergo huiuſmodi hominem apud præfati loci Abbatem GERBERTVM piæ memoriæ virum cum reliquorum egenorum turba degere, matutiniſq; laudibus in feſtiuitate B. PETRI APOSTOLI vano auditu intereſſe.

Namq; malorum & bonorum immemor, etiam temporis & loci venerandi contemptor cœpit cum viris & fœminis miſcere verba turpitudinis, ſicq; cum ſtultorum conuenticulis fecit impedimenta diuinæ laudis.

Tum ſubito mira celeritate vtraq; brachia ſtrictim in terga reſilierunt, ambæq; manus eius tanta vi in ſe reflexæ ſunt, vt diſruptis digitorum nodulis, aſtantes maderent aſpergine ſanguinis. Nec tamen minori intus percuſſus eſt ſupplicio, vtpote arreptus dæmone peſſimo, ſicq; duplici pœna deuinctus, miſerabili ſpectaculo totius populi nouit fletum & planctus.

Sed dum chorus Monachorum Dei laudes per MISSAM celebraret, omniſq; plebs mœſtis modis S. ADALHEIDÆ merita precibus prouocaret, tandem nodis brachiorum ſolutis adeptus eſt integritatem mentis & corporis.

Ipſe tamen poſt aliquantos dies mutus effectus, ad ſepulchrum eiuſdem beatiſſ. matris, linguæ recepit vſus.

Temporibus vero III HENRICI Imperatoris vnius ſigni mirificus claruit euentus, per quem in ſanctorum numero ſpiritalem potentiam illam veriſſima argumentatione agnouimus.

Quidam vir nomine BVRCHARDVS in miniſterio LVITPOLDI MOGONCIENSIS ARCHIEPISCOPI fideliter degens parentelæ ſuæ ſeruili conditione cedit dominio venerabilis AVGVSTÆ. Cuius vberiſſima benignitate donatum maioribus ſuis prædium hæreditario iure abſque ambigua lite poſſidebat, ideoque ſumma deuotione do-

 natri-

Digitized by Google

natricem dominam omnimodis venerari ſolebat. Accidit autem, vt Dux ALAMANNORVM OTTO de SWINVORTH, licet Iuſtitiæ aliarũ virtutum quamplurima exempla ſectaretur, tamen inſaciatæ cupiditatis facibus accenſus, prædictum prædiolum ſuæ latiſſimæ poſſeſſioni fortè contiguum more ACHAB, vel potius IEZABELIS propriæ ditioni iniuſtè vendicare eſt aggreſſus. Ergo homo talem iacturam agrorum violenter, non legaliter perpeſſus, dum humanum præſidium contra tantæ potentiæ culmen deſperaret, recolens animo liberalis doni priuilegium, ad donantis dominæ fideliter acceſſit patrocinium cartulam quoq; in præfatam poſſeſſionem conſcriptam, miſerabili cultu afferens, ſacratæ tumbæ impoſuit; commodo ſonitu campanarum, quereloſaq; acclamatione dominam ſuam ſibi dormientem excitare ſe ruſtico more aſſeruit, fratrumq; congregationem ſuum caſum miſereri, & ſolatium piæ patronæ incitauit.

Igitur fraternæ conſolationis promiſſis delibutus, anchora ſpei in tantæ aduerſitatis fluctuationibus domum rediit roboratus. Poſt hæc vero prædicto Duci grauiſſimæ infirmitatis plaga percuſſo beata ADALHEIDA tam ſeuero, quàm honeſto vultu, nocturno ſilentio apparens, horribiles minas infernalis incendii potenter indixit, niſi famulo ſuo iniuſtè ablatum citius reſtitueret prædium.

Princeps vero tam ſenſatus, quàm venerabilis perſonæ inuectiua comminatione tremefactus, iniuriam patientem, calumniamque intolerabilem ſuſtinentem feſtina legatione adduxit, eiq; amiſſæ poſſeſſionis ius, expoſita prius miranda viſione, & admodum tremenda minitatione ſubitæ mortis, & perennis ſupplicii, prompto animo redonauit. Extemplo homo tanta damna expertus, & talia commoda conſecutus, Domino Deo, & S. ADALHEIDÆ condignas grates referens, ad eius Monaſterium gratulabundus feſtinauit, complura donatiua Eccleſiaſticis ornamentis vel neceſſitatibus fratrum accommoda contulit, & relata cauſſa vel modo reſtitutæ rei, nunquam ceſſauit à laude S. ADALHEIDÆ & omnipotentis Dei.

Explicit vita ſanctæ Adalheidæ Imperatricis Auguſtæ.

Hymnus ad veſperam.

Anni voluto tempore, feſtiua lux Adalheidæ, nobis beata claruit, qua ſeculum iam reſpuit.

Apoſtolici dogmatis, inſtructa didaſcaliis, ſic vtitur regalibus, vt vſa non ſit faſcibus.

Fudit

Digitized by Google

Fudit opes largiſſimas, donis replens Eccleſias, regni facultas maxima, diſperſa panit agmina.

Martham ſequi decreuerat, opus manu compleuerat, amat Mariam pectore, ſecura Chriſtum cernere.

Summo tonanti gloria æterna ſit per ſecula, qui nos ſacris ſolenniis iungat polorum gaudiis, Amen.

Oratio ad Missam.

Deus qui nobis beatę Adalheidæ diem concedis venerari ſolẽnem, fac nos eius ſuffragantibus meritis tuis ſemper obedire mandatis. per Dominum.

Secreta.

Deus cuius filius vnigenitus pro peccatis noſtris ſacrificium immaculatum in ara crucis ſeipſum obtulit, da nobis cottidianis interceſſionibus B. Adalheidæ tales exiſtere, vt tibi hoſtia viua, ſancta & immaculata effici valeamus. Per eundem.

Ad Completorium.

Diuina libantes myſteria, quæ pro S. Adalheidæ tuæ obtulimus maieſtati, præſta quæſumus omnipotens Deus, vt per ea veniam mereamur peccatorum, & cœleſtis gratiæ donis reficiamur. Per Dominum.

Alia.

Omnigena benedictione quæſumus Domine, benedic nos, & protege, vt qui carnem & ſanguinem filii tui indigni ſumpſimus, precibus & meritis B. Adalheidæ S. Spiritu inceſſanter repleamur. Per Dominum noſtrum Ieſum.

Alia.

Concede quæſumus omnipotens Deus, vt qui pondere aggrauamur facinorum, B. Adalheidæ ſentiamus ſuffragium. Per Dominum.

FINIS.

Digitized by Google

Admonitio

SANCTI

FAVSTI.

Nunc primum ex m.ſ. S. Galli edita.

Ad Lectorem.

IN *membranis m.ſ. S. Galli, in quibus S. Gregorii M. dialogi ſunt, ſub finem eſt admonitio S. Fauſti hoc titulo*: Incipit Admonitio ſancti Flauſti. *Vbi ſine dubio legendum eſt,* Fauſti. *Nam m.ſ. codex vitioſiſsimus eſt, & ferè vbiq; ita nomina propria deprauat. Et licet ſecundo, in fine nempe vltima pagella, iterum Flauſtum appellet; tamen non dubito aſſerere, perſpecto more ſcribendi illius exſcriptoris, mendum eſſe, & legendum Fauſtum. An autem ſit Fauſti Rhegienſis, an alterius, hic nihil affirmo. Sed tamen nolui committere, vt non publicarem.*

INCI-

INCIPIT ADMONITIO ſancti Fauſti.

MODO, Fratres kariſſimi, cùm diuina lectio legeretur, audiuimus beatum Apoſtolum terribiliter nos & ſalubriter admonentem. Sic enim ait: Omnes manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. *2. Cor. 5. 10* Quare etiam Dominus in Euangelio, denunciat, dicens: Filius hominis venturus eſt in gloria ſua, cum angelis ſuis, & tunc reddet vnicuique ſecundum opera ſua. *Mat. 16. 27* Diligenter, quæſo, attendite, Fratres kariſſimi, & mecum pariter expaueſcite; quia non dicit, quod reddet vnicuique ſecundum miſericordiam ſuam, ſed, ſecundum opera ſua. Hîc enim eſt miſericors; ibi iuſtus, Nam quod ſtatim non in peccatores* vin .... patientia eſt, non negligentia. Non ille potentia perdit; ſed nos ad pœnitentiam reſeruauit. Vnde minus timendum eſt, ne quanto diutius expectat, vt ceſſemus, tanto grauius damnet, ſi emẽdare noluerimus. Cùm hæc ita ſint, ſcire & intelligere debemus, Fratres, nihil nobis eſſe ſalubrius, quàm vt damnatis omnium præſentium rerum voluptatibus, id, potius cogitemus, quando erimus de hoc ſeculo tranſituri, vel quando tabernaculum noſtri corporis, vltimo die ſuperueniente, depoſituri, & iterum illud Reſurrectionis tempore recepturi, vt cum eodem recipiamus, prout geſſimus, ſiue bonum, ſiue malum. Et ideò rogo vos, fratres, vt cogitemus, quales erimus in die iudicii puriſſimis angelorum conſpectibus offerendi, & æterno iudici rationem de libris cõſcientiæ reddituri. Remotis enim omnibus probationibus, certum eſt in diem illum ipſum ante ſe hominem conſtituendum, & ipſam ſibi animam in cordis ſpeculo demonſtrandam. & teſtes contra eam nõ aliunde deforis, ſed intus de ipſa proferentur. adiicienda erunt non aliqua peregrina, ſed nimium nota teſtimonia, id eſt, opera ſua. ordinabuntur ante infelicem animam peccata vel crimina ſua, vt eam confundat probatio, & cõfundat agnitio, ſecundum illud quod ſcriptum eſt: Arguam te, & ſtatuam illam ante faciem tuam. Quicunque ſe modò *Pſal. 49. 21*

** ſ. vindicta deſcendit. vel. vindicat, vel aliquid ſimile.*

dò, dum licet, emendare neglexerit, ante illum cœleſtem populum primum excepturus eſt de confuſione ſupplicium, & anima, quæ modo per pœnitentiam, compendioſam tranſactionem, peccatorum putredines curare diſſimulat, ante illud tribunal metuendum, ſine vllo remedio in perpetuo vulnerata remanebit. O ſi iam nunc faciem peccatoris animæ liceret oculis cordis aut corporis intueri, & conſcientiæ noſtræ vultum in oculorum præſentiam permitteremus adducere. Quod ſi liceret, nec dici poteſt, quanto ſtudio, quantoque metu vrgeremus fœdata componere, maculata tergere, vulnerata curare. Ideò quia non poſſumus oculis corporis inſpiciamus, in quantum poſſumus, oculis cordis, & vnuſquiſque conſcientias noſtras ante conſpectum interioris hominis conſtituamus. ipſi noſmetipſos caſtigemus, ipſi nos curationem de quotidiana conuerſatione faciamus. Alloquatur ſe in ſecretis vnaquæque anima, & dicat; Videamus ſi hanc diem ſine peccato, ſine inuidia, ſine obtrectatione, ſine murmuratione tranſegi. Videamus ſi hodie, quod ad perfectum animæ pertinet, operatus ſum. puto quod hodie mentitus ſum, per iram, vel concupiſcentiam victus ſum; nec alicui benefeci; nec per timorem æternæ mortis ingemui. Quis mihi reddat hanc diem, quam inanibus rebus perdidi, quam cogitationibus noxiis peſſimiſque conſumpſi? Ac ſi, Fratres, de omnibus negligentiis noſtris conpungamur in cubilibus, id eſt, in cordibus noſtris, ipſi nos condemnemus, ipſi nos accuſemus Iudici noſtro quotidie, & dum in hac carne ſumus contra ipſam carnem quotidie dicamus, vincamus voluntates & intentiones noſtras, dum nobis tempus illud expectatiſſimum ac beatiſſimum felice mutatione æternæ vitæ ſuccedit. Quando illud, quod Dominus dixit: Et erunt ſimiles angelis. Et iterum: Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol, in regno Patris eorum. Putas qualis tunc erit ſplendor animarum, quando ſolis claritatem habebit lux corporum? Tunc enim cùm ad iſtam beatitudinem venerimus, nulla erit triſtitia, nullus timor, nulla infirmitas, nulla mors. nullus nobis obſtat ad ſeruiendum Deo noſtro; nulla iam nobis ſtat infirmitas; nulla contradicet miſeræ carnis aduerſitas, nulla vel vlterius remanebit pugnandi neceſſitas. Veniet, inquam, tempus, quando nullus deſideretur cibus, omniſque refectio, nulla ſentiatur ieiunii laſſitudo, nulla timeatur vel de carne inquietudo, vel de hoſte tentatio; ſed aduerſario in inferni profunda detruſo perfruemur hac primum felicitate, vt incipiamus nec velle vltra peccare, nec poſſe; ceſſante omni iniquitate,

Luc. 20, 38.
Mat. 13, 43.

tate, omni miſeria, omni mœrore; totum innocentia, totum felicitas poſſidebit. Nullam inferior miſeriam, nullam felicior timebit inuidiam. quia exinanita & penitus extincta tranſiuit. In pectoribus hominum caritas angelorum, quibus admixti homines iam * cœleſti recepta carne, ſine carnis infirmitate fulgebunt. Et ideo nullum vlterius patientur de ſempiterna Domini ſui virtute faſtidium, nullum ſub perenni laudum ſuarum exultatione defectum. Habemus plenam beatitudinem inter illa immenſa beneficia Dei noſtri, vt nunquam in referenda gratiarum actione ceſſemus; cohæredes effecti eius, qui dicet: Venite benedicti, percipite regnum, quod vobis paratum eſt, ab origine mundi. Donante ipſo, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

** m. ſ. cœleſtis.*

Mat. 25. 34

FINIS.

IN-

Digitized by Google

Digitized by Google

FAVSTI
RHEGIENSIS EPISCOPI
EPISTOLÆ

Ad

Anonymum. contra Arianos. & de creaturis. Epiſtola 16.
Felicem. 1.
Græcum. 2.
Lucidum Epiſtola 3. cum reſponſoria Lucidi cõtra Fauſtum. Ep. 4.
Paulinum. 17.
Ruricium. 5. 6. 7. 8. 9.

Item

Ad

RVRICIVM EPISCOPVM
LEMOVICENVM

Epiſtolæ

Cæſarii. Epiſtola 18.
Eufraſii. 15.
Græci. 10.
Sedati. Epiſtola 13. 14. 19.
Taurentii. 12.
Victurini. 11.

Nunc primum ex membranis m. ſ. celeberrimi Monaſterii S. Galli editæ.

Digitized by Google

Ad Lectorem.

QVi ſcire volet, quis Fauſtus, quis Ruricius, qui item alii, ad quos ſcriptæ hæ Epiſtolæ, vel qui ad alios ſcripſerunt, ille videat Sidonium Apollinarem, & Venantium Fortunatum, quem integrum, notiſque accuratè illuſtratum dedit Chriſtophorus Brovverus Societatis IESV. Videat item Illuſtriſſimum Baronium. Nos hîc de ſingulis adtexere non volumus. Tantum de Fauſto Rhegienſi, qui in m. ſ. appellatur Sanctus, hæc notanda videntur, quæ Baronius de hoc ipſo habet in appendice tomi 10. ad tomum 6 anno 490 §. Porrò Fauſtus ipſe cum - *ibi* miramur ab aliquibus impudenter ſanè inſcribi Sanctum. *his hæc adde. Iſta quidem priori editione ex adductis diuerſorum ſcriptis affirmaſſe, non indecens quidem fuit. At verò ex poſtea cognitis & adductis, rurſus ad iudicium ipſum reuocandum, haud exiſtimamus indignum; cùm tamen de eius ſcriptis immota maneant ſententiæ Patrum. Quod enim vſque ad hæc tempora noſtra eundem Fauſtum continuit inter Sanctos Martyrologium Gallicanum, à quo ipſum* Molanus *primum expunxit. quod etiam, vt accepimus, Eccleſia Regienſis in Gallia, vbi ipſe ſedit Antiſtes, ſemper eum, vt Sanctum coluerit, celebrans eiuſdem Natalem 17. Ianuarii: ibique in eius memoriam antiquitus erecta baſilica eius nominis titulo inſignita hactenus eius cultu à fidelibus frequentetur: Quodque tot ſæculis Chriſtiano orbe ſpectante, Eccleſia Romana tacente, nemine penitus (quod ſciatur) contradicente, iſta eidem Fauſto exhibita intelligantur: opinari non prohibemur, de eodem Fauſto accidere potuiſſe (quod de multis viris*

viris ſanctis aſſeritur) quod delinquens errauerit, tùm quæſtio illa fuerit auctoritate ſedis Apoſtolicæ definita, & eius opinio aliorum Patrum ſententia condemnata, ipſe ſuum errorem fuerit ſcriptis contrariis deteſtatus. quæ potuerint, vt alia quamplurima periiſſe; vel ipſum ante ſuorum ſcriptorum factam ab Eccleſia damnationem, diem obiiſſe (incertus eſt enim eius obitus annus) habentem in animo in his ſequi, quod ſequendum doceret Eccleſia. Ita quidem ipſum compoſitum animo fuiſſe, aliiſq; innotuiſſe, inde facile poteſt intelligi quod ſemper (vt indicant Acta Conciliorum Arelatenſis & Lugdunenſis ſuperius recitata) communicationem habuit cum ſanctiſſimis Orthodoxis Galliarum Epiſcopis. Maneant igitur Fauſto integra iura ſua, nec ex noſtris ſcriptis ſentiat præiudicium: neque priuato iudicio nouitati liceat conuellere antiquitatem. Hæc Baronius. Extant quædam Fauſti in Tom. 3. & 4. biblioth. PP.

Margarin.

FAVSTI

RHEGIENSIS GALLIARVM

Epiſcopi

EPISTOLÆ

Epiſtola 1. Domino piiſſimo & ſpecialibus officiis excolēdo, vt confido, in æternum Fratri, & per omnia Domno Felici Fauſtus.

MAgnum pietatis & fidei teſtimonium &c.

VARIÆ LECTIONES.

Hanc Epiſtolam ideò non excudimus, quia extat tomo 3. Bibliothecæ Patrum Margar. edit. 2. fol. 407. *Nobis autem propoſitum eſt edere, quæ nuſquam vnquam edita. Sed ne quid omittamus, placuit varias lectiones notare.*

Tom. 3. bibl. PP. fol. 408. verſu 2. veſtræ conſultationis] *m. ſ. veſtræ conſolationis. Nam ipſa ſollicitudo interrogandi, iam forma viuendi.*

Ibid. verſu 4. Leonii] *m. ſ. Leonti. Leontius omninò eſt ille notiſſimus, de quo toties hîc mentio.*

Crucis ſigno. hoc enim vtraq; æra exprimunt] *m. ſ. crucis ſigno. hoc enim vtraque era exprimit.*

Epiſtola 2. Domino Sancto & in Chriſto deuinctiſſimo Fratri Græco Diacono Fauſtus.

HOnoratus officio tuo, honoratus iudicio &c.

VARIÆ LECTIONES.

Tom. 3. bibl. PP. extat hæc contra Neſtorii errorem Epiſtola Fauſti ad Grecum, quem m. ſ. codex alicubi Græcum & Græcum appellat. In margine bibl. PP tom. 3. fol. 409. Gregorius vocatur.

Tom.

Tom.3.bibl.PP. fol.410.ſeniores tuos & dicent tibi] *Hic m.ſ. au-ctior ita legit: Seniores tuos, & dicent tibi. Sed abſque dubio qui vel qualem-cunq; requirit ducem, declinare optat errorem. Deinde, &c.*

Fol. 411.v.43.fidei ſolius noſtri] *m.ſ. fidei ſolius Dei noſtri.*

ib.v.48. nihil enim Deus ſenſit] *m.ſ. nihil enim Deus ſenſit patientis ſenſu, ſed ſenſit conpatientis effectu. Vbi tamen legendum eſt: conpatientis affectu. Sicut & infra in Epiſtola Fauſti 16. hæc ſententia iterum citatur, quam Fauſtus defendit & explicat.*

EPISTOLA FAVSTI AD LV-cidum Presbyterum.

Domino deuinctiſſimo, & mihi ſpeciali affectu venerando ac ſuſpiciendo Fratri Lucido Presbytero Fauſtus.

GRandis caritas eſt parum cauti fratris errorem &c. *Epiſt.3.*

VAR. LECT.

Quia extat hæc Epiſtola, ideo eam non edimus, ſed varias lectiones notamus.

Tomo 4.bibl.PP. fol. 876. in titulo. ſuſcipiendo f.] *m.ſ. ſuſpiciendo f.*

ibid.v. vltimo. id eſt de baptizato, vel de illius ætatis pagano, qui credere potuit, & noluit] *Hæc verba in m.ſ. non ſunt.*

fol. 878. v.28. aut cognoſcas aut reſpuas] *Etiam m.ſ. codex his ipſis verbis finit Epiſtolam. Subſcriptiones tamen Epiſcoporum in m.ſ. non ſunt, quæ in vulgata editione Bibl.PP. ita habent.*

Et ſubſcripſerunt Epiſcopi, qui ordine ſubſequuntur, qui in ea quoq; Synodo adfuerunt.

Auxanius in Chriſti nomine Epiſcopus relegi & ß.
Fauſtus exemplar Epiſtola meæ relegi & ß.
Paulus Epiſcopus in Chriſti nomine relegi & ß.
Eutropius in nomine Chriſti Epiſcopus rel. & ſubſ.
Pragmatius in Chriſti ſigno Epiſc. relegi & ß.
Patiens in Chriſto Epiſ. rel. & ß.

Digitized by Google

Eufronius relegi, & admiratus ſum plenitudinem ſanctam.
Megetius Epiſcopus relegi & ſubſcripſi.
Claudius in nomine Chriſti Epiſcopus relegi & ſ.
Leucadius in nomine Chriſti Epiſcopus relegi & ſ.
Iulianus in nomine Chriſti Epiſcopus rel. & ſubſ.
Lucidus Presbyter relegi & ſ.

Hæ, inquam, ſubſcriptiones non ſunt in m. ſ. codice. Sed ſequuntur quædam aliena, primò fragmentum quoddam breue auctoris incerti: deinde fragmentum ex prooemio ſancti Hieronymi commentarii in Epiſt. ad Ephes. Tertio fragmentum Epiſtolæ, quæ à viro, an à fœmina ſit conſcripta, neſciat: ita variat ſexū dictio quod. Index Epiſtolarum initio attribuit S. Hieronymo. ſed falsò. Quarto ponitur Epiſtola titulo S. Hieronymi ad Marcellam viduam, cuius hoc initium eſt: Quamlibet ſciam ſacerdotali familiæ, non niſi electas verborum victimas offerendas, &c. Finis vero eſt iſte: Quod de tam excelſis loqui præſumpſimus, inputabit. Sed hæc Epiſtola, certum eſt, quod ſit ſuppoſititia, & nomini ſancti Hieronymi falſo adſcripta. Sequuntur poſtea Epiſtolæ Fauſti, Ruricii, Deſiderii, aliorumque, prout hic fideliter damus. In fine autem poſt Epiſtolam 21. quæ eſt Felicis ad Deſiderium (& eſt vltima inter eas, quæ ad Deſiderium ſcriptæ ſunt) ſequuntur hæc verba: Item alia manu Fauſtus Exempl. Epiſtolæ meæ relegi, & ſubſcripſi. *Hæc, inquam, verba ſunt, quibus Fauſtus ſubſcripſit Epiſtolæ illi ſuæ erroneæ, quam etiam variis Epiſcopis miſit, vt ſubſcriberent. Cui Lucidus quod ſubſcripſerit pænitet, erroremque publicata Epiſtola damnauit. quæ Lucidi Epiſtola in m ſ. huic iam citatæ Fauſti ſubſcriptioni ſubiuncta eſt.*

Extat quidem tom. 4. bibl. PP. fol. 878. nos tamen integram damus, quia longe auctior eſt in m. ſ.

Digitized by Google

EXEMPLAR EPISTVLÆ LVcidi Presbyteri.

Epiſt. 4.

Domnis beatiſſimis, & in Chriſto reuerentiſſimis Patribus a Eufronio, Leontio, Fonteio, Viuentio, Mamerto, Pattenti, Veriano, Auxanio, Fauſto, Paulo, Megethio, Græco, Eutropio, Leontio, Claudio, Marcello, Croco, Baſelio, Claudio, Vrſicino, Vrſicino, Prætextato, Pragmatio, Theoplaſto, Leocadio, Viuentio, Iuliano, Amicali, Ioanni, Opilioni, & Lycinio Epiſcopus Lucidus Presbyter.

CORreptio veſtra, ſalus publica, & ſententia veſtra, medicina eſt. Vnde & ego ſummum remedium duco, vt præteritos errores accuſando excuſem, & ſalutifera profeſſione me *b* diluam.

a Margarin. Leontio, Eufronio, F. V. Mamerco, P. Viriano, Auxiano, Fauſto, Megeſio, Paulo, Græco, Eutropio, Baſilio, Leontio, Claudio, Leucadio. Pragmatio, Marcello, Prætextato, Iuliano. Amicali, Ioanni, Opilioni, Licinio, Viuentio, Theopiaſto, Epiſcopis Lucidus. b *Marg. Confeſſione me deluam.*

Proinde iuxta prædicandi recentia ſtatuta Concilii damno vobiſcum ſenſum illum, qui dicit, laborem humanæ obedientiæ diuinæ gratiæ non eſſe iungendum. 1.

Qui dicit poſt primi hominis lapſum ex toto arbitrium voluntatis extinctum. 2.

Qui dicit, quod Chriſtus Dominus Saluator noſter mortem nõ pro omnium ſalute ſuſceperit. 3.

Qui dicit, quod præſentia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quod *c* Dei pereant voluntate, qui pereunt. 4.

c Mar. cum Dei p.

Qui dicit, quod poſt acceptum legitimè baptiſmum, in Adam moriatur, quicunq; deliquerit. 5.

Qui dicit alios deputatos ad mortẽ, alios ad vitã prædeſtinatos. 6.

Qui dicit ab Adam vſq; ad Chriſtum nullos ex gẽtibus per primam Dei gratiam, id eſt, per legem naturæ in aduentum Chriſti fuiſſe ſaluatos, eo quod liberum *d* arbitrium ex omnibus in primo parente perdiderint. 7.

d Mar. arbitrium in primo

Qui dicit Patriarchas ac Prophetas, vel ſummos quoque Sanctorum etiam ante redemptionis tempora *e* in paradiſi habitatione deguiſſe. 8.

e Mar. intra paradiſum

f Qui dicit ignes & inferna non eſſe. 9.

Hæc omnia quaſi impia, & ſacrilegiis repleta condemno.

Ita autem aſſero gratiam Dei, vt adniſum hominis & conatum, gratiæ ſemper adiungam.

f alio typo excuſa, abſũt in Marg. edit.

Et

Digitized by Google

Et libertatem voluntatis humanæ non extinctam, ſed attenua-
2. tam, & infirmatam eſſe pronuntiem. & periclitari eum, qui ſaluus eſt,
& eum, qui periit, potuiſſe ſaluari.
3. Chriſtum etiam Deum ac Saluatorem noſtrum, quantum per-
tinet ad diuitias bonitatis ſuæ, pretium mortis pro omnibus obtu-
liſſe.
4. Et quia nullum perire velit, qui eſt Saluator omnium *homi-*
Rom.10.12. *num*, maximè fidelium, diues in omnibus, qui inuocant il-
5. lum.

g Et quia in tantis rebus conſcientiæ ſatisfaciendum, memini me an-
g Hæc abſunt in ed. Margarin. *te dixiſſe, quod Chriſtus pro his tantum, quos credituros præſciuit, aduenij-*
ſet, ſententias Dominicas ſequens, quibus ait ſic, Filius hominis non venit
miniſtrari, ſed miniſtrare, & animam ſuam redemptionem dare pro multis.
6. *Mat.20.28* *Et illud: Hic eſt calix ſanguinis mei noui teſtamenti, qui pro multis effunditur*
Mat.26.28 *in remiſſione peccatorum. Vel illud Apoſtoli: Sicut ſemel ſtatutum eſt ho-*
Mar.14.24 *minibus mori, ita & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda*
Heb.9.28. *peccata. Nunc vero ſacrorum teſtimoniorum authoritate, quæ abundè per*
ſpatia diuinarum inueniuntur, ex ſeniorum doctrina ratione patefacta, li-
bens fateor, Chriſtum etiam pro perditis adueniſſe. Quia eodem nolente perie-
runt. Neq; enim fas eſt circa eos ſolum, qui videntur eſſe ſaluati, immenſæ
diuitias bonitatis, ac beneficia diuina concludi. Nam ſi Chriſtū his tantum
remedia attuliſſe dicimus, qui redempti ſunt; videbimur abſoluere non re-
demptos. quos pro redemptione contemta, conſtat eſſe puniendos.

Aſſero etiam * pro ratione & ordine ſæculorum alios lege natu-
7. ræ, quam Deus in omnium cordibus ſcripſit, in ſpe aduentus Chri-
ſti fuiſſe ſaluatos.

** m. h. p ratione & ordinē. Marg. per rationem & ordinem ſ. alios lege gratiæ, alios lege Moyſi, alios lege naturæ.*

8. Nullos tamen ex initio mundi ab originali nexu, niſi interceſ-
ſione ſacri ſanguinis abſolutos.
9. Profiteor etiam æternos ignes, & infernales flammas, factis ca-
pitalibus præparatas. quia perſeuerantes *in finem*, humanas culpas, me-
rito ſequitur diuina ſententia: quam iuſte incurrunt, qui hæc non to-
** Mar. cre-diderint.* to corde * crediderunt.

Orate pro me domini Sancti, & Apoſtolici Patres,

** Mar. ſcri pſi.* Lucidus Presbyter hanc Epiſtolam manu propria ſubſcripſi: &
** Mar. dā-nanda.* quæ in ea adſtruuntur, adſero, & quæ ſunt * damnata, damno.

Dami

Domino piiſſimo, & in Chriſto ſummo mihi honore ſingulariter excolendo Ruricio filio Fauſtus.

LIcet per quamcunque perſonam iocundum mihi ſit cum indiuiduo pectore ipſius charitatis vocibus conloqui, & ſedula vos officiorum ambitione complecti; ſed nunc quanto opportunius, tanto auidius pignus animi veſtri, miniſterio domeſtici portitoris aſſumpſi; in cuius merito minus aſſignauit relatio, quàm probauit agnitio. Et ꝓpterea ad fructum veſtrum creuiſſe gratulatus ſum, quod in eo vita melior conditionẽ primæ natiuitatis aboleuit, atque in eo næuum generis manumiſſio religionis abſterſit, & in adoptionem Chriſti perſonam mancipii fide emancipauit & tranſcripſit. Quomodo autẽ apud eius, vel apud reliquorum fratrum lacteam ſinceritatem agere deberemus latiſſimam Apoſtoli diſpenſationem, expedito digeſſiſtis alloquio, & cum eorum doctiſſima pagina minus doctus aſſerit. Nos tamen in eorum defecatis moribus admirati ſumus per donum manſuetudinis & humilitatis, plenitudinem lectionis. Vincit enim largitas gratiæ inſtituta doctrinæ. Nã etſi ſub exiguo tempore intra eorũ lucida pectora, & perſpicua penetralia introduxit ſe morum candida puritas, & præclara ſimplicitas, per quam diuinæ imaginis ſpeculũ in interioris hominis nitore perfulget; diuinæ, inquam, imaginis. ita enim de Domino legimus; Purus, ſimplex, ſubtilis. Sed multo aliud indicat diuina illa ſimplicitas. Siquidem in nobis duplex ineſt, in ſpiritu, & carne ſubſtantia. Nos quod habemus, accepimus. nobis diuerſa virtutum chariſmata adiuncta ſunt, non iñata. Sine dubio adponitur, ꝙ auferri poteſt. vt boni ſimus, de auctoris ſumus bonitate mutati. Ex illo quidem viuimus; ſed vita, ſicut ille eſt, non ſumus. Iuſti eſſe poſſumus; juſtitia eſſe non poſſumus. Ille ideo ſimplex; quia nihil ei ex accedenti largitate conlatum eſt. qui ex ſe ſubſiſtit, aliunde nihil ſumpſit. Deus & viuens pariter & vita; bonus & bonitas; miſericos & miſericordia; in virtutum ſuarum gloria, hoc eſt ipſe, quod poſſidet. verbotenus homo deauratus eſt. Deus aurum eſt. quod in homine gratia eſt, in Deo natura eſt. Et propterea, quia nihil ei extrinſecus acceſſit, nihil ei detrahi poteſt. Detrimentum non recipit, quia neſcit augmentum. Ipſe & ſibi auctor & filio, quia vna origo eſt & fontis, & fluminis. Ex his, quæ abſque initio habent, communio eſt, transfuſio non eſt.

Epiſt. 5. *Philem. 1.* *Act. 17. 28.*

Digitized by Google

Heb.1.3. Sap.7.26. Et quia de filio legimus: ſplendor eſt claritatis Dei: Sicut nunquam Deus ſine ſplendore, ita Pater nunquam fuit ſine Filii maieſtate. Et ſicut vtriuſque æquæua ſunt nomina (niſi enim iſte naſceretur, Pater ille non diceretur) ita eos ſine ſeparatione concitat vnius paternitatis antiquitas: ex illo eſt, ſed poſterior illo non eſt: ſicut facies de capite naſcitur, nec tamē capite ſuo iunior inuenitur: ac ſic Deus noſter nec permixtus in perſonis propriis, nec diuiſus; vna virtus nec poteſtate diuiſa, nec tempore. Sicut in ſubſiſtentia triplex eſt, quia ſibi quiſq; ſubſiſtit, ita in ſubſtantia ſimplex, quia vnus ſeipſum præcedere neſciens, nec poſteriorem recipit, nec priorem. Inde & nos de hac accepimus ſimplicitate, ſi in nobis nihil ſit diſſonū, nihil varium, nihil diuerſum, ſi ſemper idem eſſe probabilibus ſtudiis & fundatis in Chriſto ſenſibus enitamur, vt inmutabiles in bono, nouis tantum in diem profectibus inmutemur.

De eo autem, quod quidam prouocationis amore conſuluit, ſalutifera & perfecta meditatio eſt. curas animi, partito per plures terrenæ regimine rei, ſubleuare, & poſt hæc triplici deliberatiōe tractare, quid melius ſit locare, vel adminiſtrare, vel diſtrahere ꝓpriā portionē.

1. Primum reuera bonum eſſet, vt Chriſti famulus, Chriſti pauperis vias ex toto pauper ſtuderet incedere, ſi perfectā magni alicuius monaſterii ſcholā, vel certè inſulā Angelicæ cōgregationis militiā liceret expetere. Nam in medio ſæculi inſtitutionem Eremiticam profiteri, quanta magnanimitas, tanta eſt difficultas.

2. *Suis verò vicis ſuæ pondus imponere, ſecundum pro animæ releuatione compendium. Sed peruidendum, ſi aliquis filiorum tam arduo ſufficiens eſſe poſſit obſequio.*Ne forte paterna eius *ſonis auctoritas in patrem .... Optimum eſt in ſecundo gradu ſub noxio beneficiis adminiſtratore conſiſtere, ſi vel voluntas ſuppetat, vel facultas neceſſitatem annuæ penſionis impleuerit.

f.ſenis. *ipſius viribus. *f.ſenis.

3. Tertium eſt per fidelium famulorum electa ſolacia, impoſitæ procurationis officiis, ſub propria ac minore ſolicitudine quantitatē reſeruatæ gubernare ſubſtantiæ, & cum per viam regiam tota medio·critate dirigere. Quod cū ſuadeo, videor vel noſtram vtilitatem, vel pauperū cogitare. In quo ordine non parum eſt lucri, ſi reſeruato vſu, proprietas diſtrahatur. Itaq; breuiter indicantes, quid primum, quid ſecundum, quidue ſit tertium, electionem iudicio, vel poſſibilitati reſeruauimus conſulentis. quid magis competat quod promptius poſſit impleri, ille inſinuare dignetur, pro cuius timore & amore conſolatio ipſa

Digitized by Google

ipſa tractatur. Dominus Deus noſter beneficia in nobis ſua felici ac placita longæuitate multiplicet, Domine piiſſime, & in Chriſto ſummo mihi honore ſingulariter excolende fili.

Domino deuinctiſſimo & tota pietatis virtute ſingulariter excolende fratri Ruricio Fauſtus. 6.

PRopitia diuinitate in ſecreto religionis congruo, & tranquilliſſimo in ſilentio conſtituti, in quo Dominus ad rubiginem lõga ſecuritate contractã, ſalutiferæ lima caſtigationis admonuit. In hac, inquam, qui & magna, ſi agnoſcamus, vacatione donati, dum nouos ciues commercio charitatis adquirimus, dum de acquiſitorum ſalute gaudemus, inter hæc poſiti bona, præſenti inſultamus exilio, & patrẽ nos non amiſiſſe, ſed commutaſſe cognoſcimus. Nam dum fideles famuli Dei in neceſſitatibus noſtris bonitatem ſuæ deuotionis exercẽt, ſine ſede propria poſſeſſores, ſine poſſeſſione diuites ſumus. Imò eos, q de noſtra fructũ accipiũt conſolatione, ditamus; miro modo conſolatores noſtri de pauperculis negotiãtur, & de egenis lucra perpetua cõſequũtur. Ego autem hanc primam munificentiam, Domino largiẽte, percepi, quod piiſſimus meus Rvricivs poſt vitæ huius iactationes ad portũ religionis, proram ſalutis, excelſi manu gubernante, cõuertit, quod poſt vmbras ſeducentiũ vanitatum & inluſiones tranſuolãtium ſomniorũ, manſura & ſolida concupiuit, & deſpecto tandẽ ſæculo infelici, artem eius magnam rapuit; felicitatem & lucrum ſui de mundo pereunte adquiſiuit, arte fideli, atq; conlabentium rerũ fuga præteriens, qua opes contemptu ſuo contulit; quæ iam vſu ſuo conferre nihil poterant. Vnde quanta dudum alacritate ſecularibus ſtudiis militauimus, tãta nũc deuotione Domino ſeruiamus. Et quia me auſterius loqui ſecũ ꝓ peccatorum curatione, pietas veſtra cõſtringit, & illius ſententiæ nõ obſeruat inuidiam, quæ dicit: Iuſtus in principio ſui eſt accuſator. Inprimis ergo lapſus oris, cordiſq; vitemus. Sed quod Oris, diximus; ſi cordi ſtudueris adhibere cuſtodiã, ori nõ laborabis imponere diſciplinam. Sine difficultate oſtiũ circumſtantiæ opponere poterit labiis ſuis. Illud ſiquidẽ voce depromitur, ꝙ prius in officina conſcientiæ deformatur. Hoc exterior reddit, quod dictat interior. mens exercet imperium; lingua famulatum. & propterea cœleſtibus edocemur colloquiis: Ex abundantia cordis os loquitur. Quod de ſermone naſci videtur, prius cogitatione concipitur. Vt oris ſonus indigna non proferat, animus iuſta præcipiat.

Prou. 18. 17. *Pſ. 140. 3.* *Mat. 12. 34*

Digitized by Google

Et quia duo ſunt ieiuniorum genera, vnum incontinentiæ appetitum à malè blandis deliciarum ſuauitatibus coercere; vt exterior & terrenus homo vomere crucis edomitus comoda infirmitate macreſcat. Alterum abſtinentiæ genus eſt multo ſublimius, multo pretioſius, cui nulla contradicere poſſit infirmitas, motus animi regere, & inrationabiles perturbationes vel conluctantiũ inter ſe cogitationũ tumultus, interioris iudicio refrænare, & contra impugnationes occultas, vel cõtra domeſticos inimicos rixã quãdã iraſcẽtes, fidei auctoritate conterere, & per beneuolẽtiã, manſuetudinẽ, patientiã, trãquillitatem, Dei imaginem in facie interioris excolere: cuius decus non in corporis perſonam, ſed in animi formam ſolertia factoris impreſſit.

Virum ſpiritualia & diuina cogitantem triſtitia non frangat, *lætitia* non reſoluat, ſtabilitum in timore Dei pectus magnanimitas æqualitatis oſtendat: vt & nobis coaptari poſſit libelli illius inſigne
1. Reg. 1. principium, vbi ille magnificus HELCANA, qui poſſeſſio DEI interpretatur, vir vnus myſtico nuncupatur eloquio. Erat, inquit, vir vnus, hoc eſt, ſemper idem. quia nihil in eo apparebat dubium, nihil duplex, nihil varium, nihil diuerſum; ſed eum in ſtatu virtutum inconcuſſo ordine permanentem, accedentia in contrarium non commouebant; mutabilia tempora non mutabant; nec eum, vt magnis virtutibus moris eſt, in alternas partes leuia ventorum flabra verſabant. Ita & ſollicitus Dei famulus vaſta mole fidei fundatus, in hoc tantum, Chriſto in ſe operante, mutatur, vt nouis ſemper gratiis induatur. In agro pectoris plantentur vtilia; noxia ſuccidantur. Et quia militibus ſuis præcepit ſermo diuinus: Cùm, inquit, ad bellum pro-
Deu. 21. 12. ceſſeris, & inter reliquas prædas petieris virginem, abſcindes vngues, & crines eius; & ita eam tibi coniugio copulabis. ita nos ad ſanctam, Chriſti timore præcincti, prudentiam ſæculi; quæ ſimplex, incorrupta, ſincera, à Deo facta eſt, captiuam ſpiritali ſapientiæ ſubiungamus, ac ſuperflua eius, amputatis vitiis, abſcindamus, & pectori caſta coniunctione ſociemus.

Ante omnia in quantum, adiuuante Deo, poſſumus, illas in nobis debellare curemus quinq; ſenſuum paſſiones. Quidquid enim pulchreſcit viſu, quidquid blanditur odoratu, quidquid lenocinatur adtactu, quidquid dulceſcit guſtu, quidquid corrũpit auditu, hęc omnia, ſi his abutamur, intentionem mentis de ſpiritalibus ad terrena deuoluent. Et ideo ſicut pater fidei quinq; illos Reges in trecentis decem
Gen. 14. 14. & octo, myſterio in - - - - - - - - - latente deuicit; Ita per adiutorium

Domini

Digitized by Google

Domini, & per CRVCEM ſuam has quinque principalium vitiorum expugnare ſtudeamus illecebras. Per CRVCIS enim SIGNVM, & per SACRVM IESV nomen, apud GRÆCOS HEBRA vtrius ſupputationis imprimitur. Quibus armis carnalia delectamenta ſuperantes merebuntur audire: Vincenti dabo coronam vitæ. Et: Qui vicerit non læditur à morte ſecunda. Vnde ipſe facile terrena deſpicis, vel fœnerantis more diſpenſas, dum illud cogitas tempus, quo exurentur peccatores ſicut fœnum, quo æſtuantes gehennæ furore perpetuo, cuius fumus aſcendit in ſæcula ſæculorum. Hi, qui neglexerunt oblata, tali morte punientur; vt eis mori in dolore non liceat: morituri vitæ, & morti ſine fine victuri. Dum illud, inquam, tempus ante oculos tuos prouida in futurum mente diſponis, de quo legimus: Introibo in domũ tuam cum holocauſtis. id eſt, quãdo bonorum operũ fructu ſubfarcinatus, & iuſtitiæ inſignibus redimitus ianuam vitæ cum triumpho euictæ carnis intrabis. De quo legimus: Adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus, id eſt, animæ Chriſto de gentibus adquiſitæ, munera non de ſuo offerent; cum gratiarum actione dicturæ: Ecce multiplicaui talentum quod dediſti. Recipe cum vſura domine fœnus tuum. Erit enim tum quoddam dandi & accipiendi commercium inter hominem & Deum. Homo afferet, quod laborauit; & Deus reſtituet, quod promiſit. Quo tempore cùm ſanctus alter pro altero remunerandus, corona duplici pro mutua ſalute decorandus, audire mereberis: Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.

Apoc. 2. *Apoc. 8. 9.* *Apoc. 19. 3.* *Pſal. 65. 13.* *Pſal. 44. 13.* *Matth. 25.*

Tunc vſum præſentium in æternorum proprietatem tranſiſſe miraberis, & pro datoribus tuis glorificandus, debitorem te ei fieri, iocunda rerum mutatione gaudebis.

Indiuiduum filium noſtrum LEONTIVM, omnemque domum piis illos cum maioribus pio ſoſpitamus officio. Dominus Deus noſter beneficia in vobis ſua, felici & placita ſibi longæuitate multiplicet, Domine deuinctiſſime, & ſola pietatis virtute ſingulariter excolende frater. *Leontius.*

Domino deuinctiſſimo, honore præcipuo, ſpecialiter excolendo, Ruricio, filio, Fauſtus. *Epiſt. 7.*

GRatias Domino, qui id generali diſpenſatione largitus eſt, vt inter eos quos locorum interualla diſcriminant, liber ac nullis concluſus abſentiæ legibus animus commearet; nihilque eſſet tàm impe-

Digitized by Google

netrabile, quod mentis aſpectibus non pateret; ſed per cordis intuitũ inde ſe inuicem cari, gratia intercurrente, conſpicerent; vbi caritas ipſa conſiſtit.

Habet ſiquidem & interior noſter oculos ſuos, quib' ſe cõſcientiæ teſtis introſpicit; quibus in ſe conuerſus aut erubeſcenda, aut gaudenda conſideret; quibus diem vltimũ peruidet; quibus vel confuſibilem, vel, Deo tribuente, laudabilem totius vitæ hiſtoriã, ante animæ ſuæ faciem prouida in futurũ cogitatione diſponit, & in præſentiam trepidę ſollicitudinis tempus reddendæ rationis adducit; & ea, quæ parauit Deus diligentibus ſe, in ſecreta pectoris ſui pagina, ſpe imaginante, depingit. Quos, vt puto, oculos & ipſe ad tremědi Iudicis thronum ſemper attollis, vt de te illud Propheticum meritò dici poſſit: ſapientis oculi in capite eius. * Inde eſt ab eo enim illic filius mater ... ditores tuos. Inde eſt, inquam, quòd præſentium rerum relinquenda ſubſidia, quaſi auidus fœnerator; per pretia captiuorum, in ſinu remuneratoris, ſeminantis more, commĕdas; de vſu proprietatem facis, & in perennes theſauros peritura conuertis. Inde eſt quod cum fideliſſima SARA tua ſub vno CHRISTI iugo ad communem tendens coronam, terrenorũ deſpector, & cœleſtium competitor, ſæculi peregrin', & Paradiſi candidatus; mundo huic, qui iam non habet, vnde decipiat vel ſeducat, miles Chriſti ſecretus inludis. cũ regni interminabilis ſocia ieiuniis, & orationibus, & quadam fidei manu ianuã vitæ, pia coniuratione, pulſatis, vt duplicem palmam de mutua ſalute capiatis.

Eſa. 64. 4.
1. Cor. 2. 9.
Eccle. 2. 14.
** Locus vitioſus.*
Sara;

Sed inter hæc parum eſt, quidquid agitur, vt cauſæ inſanabiles hîc ſanentur, vt inextinguibilis ignis hîc extinguatur, vt ineluctabiles neceſſitates hîc ſuperentur, vt hîc peccatorũ ſagittæ de animæ viſceribus euellantur, vt hîc vulnera ipſis altè medullis impreſſa curentur, vt hîc maculæ inuiſibiles diluantur, vt hîc æterna gaudia fidelium ſtudiorum labore comparentur. Illic quidem vita præmium iſtius erit; ſed oportet, vt illius iſta ſit pretium.

Prælatis itaq; obſequiis, quæſo, vt cùm ſe facultas opportunè præbuerit, gaudere nos de veſtra ſoſpitate ac proprietate faciatis. Pro filiis & diaconibus meis vberes refero gratias. Domnam filiam meam religionis ſpeculum, & pietatis exemplum, debito cultu veneratus ſaluto. Dominus Deus noſter magnificandam mihi bonitatem veſtram, & præſentibus repleat bonis, & dignam reddat æternis, Domine deuinctiſſime & honore præcipuo ſpecialiter excolende fili.

Domi-

Digitized by Google

8.

Domino Beatiſſimo, & ſummo mihi honore ante omnes ſingulariter excolendo Fratri Ruricio Epiſcopo Fauſtus.

TAnta mihi de animi veſtri benignitate fiducia eſt, vt ex eius fonte puriſſimo nõ iam ſolus haurire cõtentus ſim, ſed alios quoq; qui eius vſu mecum reficiantur, inuitẽ. Præſertim cùm ꝓrogata huius largitas in lucrũ tranſeat largientis, eiuſq; bono ita muneretur accipiens, vt nõ minoretur imperti ẽs; & in morẽ fœnoris ſui creſcat expẽſis, Domine beatiſſime, & ſummo mihi honore ante omnes ſingulariter excolende.

His itaq; caritatis inexſolubilem penſionem, quo ſoluentis magis cenſus dilatus, exhibeo, & materiam boni operis ingerere pro laborãtũ commendatione præſumo. Quia etſi inſinuationẽ meam ad fructũ veſtrũ pertinere confido. & ideò miſericordiã, quam miſeris Eccleſiaſtica præbere conſueuit humanitas, harum portitori, qui in LVGDVNENSI pertulit captiuitatem, negare non potui. Vtinam tàm poſſit prompta eſſe fidelium largitas, quàm huius nimis manifeſta neceſſitas eſt. Et quia in ſe aliquatenus abſolutus, in vxore vel filiorum tenetur ſeruitute captiuus, prælatis officiis, quæſo, vt morem benignitatis veſtræ, etiam in huius conſolatione teneatis; & apud ante poſitos, quò popoſcerint, litteris proſequaris.

Conſeruus, & præcipuè admirator veſter, frater meus, Presbyter MEMORIVS mecum reuerentiſſimè ſolpitant. Dominus Deus noſter *Memorius* memorem mei piam beatitudinem veſtram Eccleſiæ ſuæ profectibus felici longæuitate conſeruet, domine beatiſſime, & ſummo mihi honore ante omnes ſingulariter excolende frater.

9.

Domino Beatiſſimo, debita pietate ſuſpiciendo, atq; Apoſtolica ſede digniſſimo, Fratri, Ruricio, Epiſcopo, Fauſtus.

GRatius ad vos, dum vobis de patria ſcribimus, qui nobis patriam in peregrinatione feciſtis, q indefeſſa liberalitate patriæ deſideria temperaſtis; vim quandam diuinæ Iuſtitiæ ſuccedentibus ſibi beneficiis inferentes; vt quod intulerat ad caſtigationem, conuerteret ad honorem, conferret ad conſolationem, mutaret ad requiem mentis; noſtra prætermitteret, vt veſtra cumularet; debita obliuiſcens, & lucra veſtra multiplicans; apud vtraſque partes magnitudinem ſuæ bonitatis exercens, nos veſtro locupletaret obſequio, vos noſtro dita-

ditaret exilio. Vnde factũ eſt, vt iam in præſenti benedictionẽ, futurorum impatiens, diſpenſaret, & fideliſſimum famulum ſuum ſuper candelabrum domus ſuæ, cooperante miſericordia, iuſtitia, ſinceritate, continentia, benignitate, id eſt, domeſticis ſuffragatorib⁹, ſublimaret. Ecce quali precio RVRICIVS meus ſummum ſacerdotium comparauit. Vnde emit, ipſum eſt, quod emit; & teſtibus propriis adclamantibus, in ſe honoris cauſas, refugia honoris exhibuit. Tantum itaq; munus ſcit in CHRISTI nomine cuſtodire, qui ſciuit adquirere.

Harum autem portitorem ſanctum Presbyterum FLORENTIVM mihi iam diu cognitum, & exemplis magiſtri, & morum florib⁹ adornatũ; qui pro germanæ ſuę abſolutione peregrinatur, inſinuo, qui mihi oportunum gratus mediator ingeſſit. Omnem domũ * noſtrãm, ſeniores cum iunioribus paterno ſoſpitamus affectu. Conſerui mei, debitores, & admiratores veſtri, mecum reuerentiſſimè ſoſpitant. Dominus noſter magnificandam mihi beatitudinem veſtram Eccleſiæ ſuæ profectibus, noſtriſq; gaudiis perfecta longæuitate cõſeruet, Domine beatiſſime, debita pietate ſuſpiciende, atque Apoſtolica ſede digniſſime frater.

* *fort. veſtram.*

10. *Domino religionis honore ſublimi, ac fidei meritis magnificando filio Ruricio Græcus.*

GRatias DOMINO, quod fidei veſtræ meritum ſicut proficit deuotione, ita creſcit & opere. Laborantium neceſſitates ſollicitudine ꝑuenis, benignitate foues, humanitate ſuſtentas. His enim rebus, iuxta Apoſtolum, ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes, ſpe gaudentes, diuinas vobis æternæ retributiones acquiritis. Sed in ſublimitate veſtra iſta non noua ſunt; quia animus veſter ſicut plenus eſt Dei timore, ita plenus eſt caritate; Caritate, inquam, quæ ſolo vſu proficit, & largiendo ſuccreſcit; & penſum ſciens, & detrimenta non ſentiens. Dum enim dependitur, non expenditur; ſed magis, dum prorogatur, augetur; eiuſq; gratia ita muneratur, percipiens, & nõ minoratur impertiens, q̃ ad ſimilitudinem diuinitatis dat ꝙ habet, habetq; quod dederit.

Rom. 12.11.

11. *Domino beatiſſimo, ac Reuerentiſſimo, atque à me debito cultu ſingulariter obſeruando in Chriſto patrono Ruricio Epiſcopo Victurinus.*

CVm beatitudinem veſtram videre, & breuiſſimo tempore, & vna tantum vice meruerim, ita tamen ad primum veſtrę cognitionis, con-

contemplationiſq; congreſſum ſenſus meos fonte puriſſimo benigno pectoris intraſtis, vt, quælibet alloquiorũ veſtrorum munera pretioſa non capiam, præſentiã tamen veſtram intra mentis ꝓfunda poſſideã: vt etſi cauſas deſiderii refouendi extrinſecus non accipiam, intra me eas tamen, dum gratiæ veſtræ reminiſcor, inueniam. Neq; enim fas eſt, vt bonum illud ex accedentibus tantũ requirat adiutoriis incrementum, ꝙ medullis conſtat infuſum. Quo fit, vt caritas, quæ in viſceribus meis iugi reconlatione veſtri innouata dulceſcit, caritatis mihi veſtræ viciſſitudinẽ repromittat. Ac ſic affectus erga vos meus veſtri mihi animi fideiuſſor accedit, & quodãmodo cõſcientia interioris mei mutuo mihi veſtrę teſtis dilectionis adſiſtit. quantumcunq; mihi de vobis ꝓſumere debeam, mentẽ meam, quæ toto erga vos amoris ardore flagrat, interrogo. Vnde ſalutationem deferens, & interceſſionem depoſcens pro harũ portitore, inſufficientes gratias refero. Et quia infelicẽ ipſius laborem, quo pro abſolutione vxoris per diuerſarum regionũ eſt iactatus exilia, mors redemptæ protinus ſubſecuta caſſauit, & nunc rurſus pro filiæ redemptione anxietas paterna diſtenditur, veſtris eum litteris proſequi pro cumulanda mercedis veſtræ vbertate iubeatis.

Pius Dominus Reuerendam mihi Beatitudinem veſtrã ad profectum & ornatum Eccleſię ſuæ, & annis multiplicare dignetur & meritis, Domine beatiſſime, ac Reuerentiſſime, atque à me debito cultu ſingulariter obſeruande in Chriſto patrone.

*Domino Sancto ac Beatiſſimo, & omni mihi cultu atque honore venerando Patri, & in Chriſto Domino Patrono Ruricio Epiſcopo * Turentius.* 12

* al. Turdinus. Tureitius. Taurentinus.

Litteræ, ſanctitatis veſtrę me ſpiritali cibo paſtum incitauerunt ad ſpem futurorum, & verba Prophetica claritate radiantia, ad diſcutiendas errorum tenebras, puriſſima luce fulſerunt. Recognoſco plenum caritatis affectum, & ſinceritatem piæ caſtigationis. Amplector eloquentiam in verbis, in exemplis perfectionem, in cõſilio gratiã, in officio indulgentiam, in veritate conſtantiam, in admonitione veritatẽ, & ſcientiam. Probatis in dogmate vos antiquos Scripturarũ interpretes, & diuinorũ voluminũ tractatores, veneranda mihi nomina, CYPRIANVM, AVGVSTINVM, HILARIVM, AMBROSIVM, ſed & illuſtres alios facundiæ flore vernantes, alios & in relenandis occultiorib⁹ ſpiritales, alios mulcendis imperitorum ſenſibus blandientes, alios in

Digitized by Google

fidei aſſertione pugnantes. Præteritæ calumniamur ætati, quòd viros illos admiratione digniſſimos hæc ſæcula non tulerunt: pro certo doctrinam iunioris ambirent, qui ante docuerunt. Ego autem ætatem eam non de canentium putamine capillorum, nec, ſicut Beatitudo veſtra de ſæculari autore mutuata eſt, de colore barbæ albentis agnoſco. Cùm etiam ſi non eſſem in computo ſeneſcentis, annos decrepitos membrorum per morbi incrementa ſentirem. Sed omnium precum humilitate depoſco, vt pro correctione morum meorum, pro inſpirando mihi deſiderio pœnitendi, pro Domini noſtri propitiatione in ſanctis veſtris orationibus ſupplicetis, vt qui ad vitandum procliue illius viæ in pernicioſa vergentis, rectum, & cum labore gradiendum iter oſtenditis, & ingreſſum boni operis & piæ emendationis obtineatis effectum, non in feruore diſciplinæ, ſed in indulgentiæ medicina, & miſericordiæ lenitate. Hanc quoque vobis conferte mercedem. debetis enim fœnus Domino de theſauro, qui fidei veſtræ traditus, & vobis illo commendante ſuſceptus eſt.

Adquirite deſperantes, arguite negligentes, deditos ſomno ignauæ ſecuritatis excutite, deſides excitate. Decet ouem perditam in humeris ſuis bonum reportare paſtorem, & munitioribus caulis eas, quibus lupus inſidiatur, includere.

Sanctum AVGVSTINVM, ſicut iuſſeratis, inueni, quem cum filio communi RVSTICO PRESBYTERO eſſe credebam. Operæ pretium eſt, vt admiremini ſtudium meum, quòd quæ opuſcula continebat, huc- ** f. capitulatamen l.* uſque neſciui ſane.* capitulatim iam librum traditurus inſpexi. Chartaceus liber eſt, & ad ferendam iniuriam parum fortis. quia citius charta, ſicut noſtis, vetuſtate conſumitur. legite ſi lubet, atque tranſcribite. Et ſpero, vt poſtquam vobis bene cognitus fuerit, ad me, cui eſt incognitus, remittatur: quia corrigere negligentiam meam frequentata membranæ ipſius lectione diſpono. Ora pro me.

15. *Domino ſancto ac beatiſſimo, & Apoſtolicæ reuerentia ſuſcipiendo Papæ Ruricio Sedatus.*

SAtis credidi, & quàm habere iter vobis laborioſum eſſet, & vehementer optaui, vt ad neceſſitatem iſtam, quæ hîc nos exhibuit, veniretis vel per occaſionem; & benedictionem veſtram mererer, & deſiderium commune mutuo ſaciaretur aſpectu, & vere poſteaquam me præſentiæ veſtræ ſpes fruſtrata eſt, velut de votorũ culmine deiect*, & labor, qui incubuit, & abſentia domus, & omnia, quibus ægritudo dece-

Digitized by Google

deceptæ ſpei,& anxietas cumulatur,in animum meum pariter conuenerunt. Et ſcit Dominus,quod ſi vires ſuppeterent, aut parere deſideriis, ætatis infirmitas pateretur; aut ſi eſſent animalia, quibus tantum tali tempore poſſet itineris expediri, non prius ego à THOLOSA reuerterer,quàm beatitudinis veſtræ,& ſingularis illius caritatis benedictionem deſideratiſſimam promererer. Sed quia hæc quæ ſupra dicta ſunt, deſideriis obſiſtunt;rogo, & per Chriſtum vos adiuro, vt me vobis veſtra ſemper pietas repræſentet. Nec patiamini,vt pro officiorum tarditate caritatem imminuat, aut obfuſcet obliuio. ſed pro me, ſicut facere vos certus ſum, inceſſanter oretis; & quotiens oportunũ fuerit,ſeruum veſtrum per conloquia literarum viſitare dignemini.

Domino ſancto,ac beatiſſimo,& Apoſtolica reuerentia ſuſcipiendo Papa,& meo ſpeciali apud Dominum patrono Ruricio Sedatus. 14.

REfecit me filius noſter, ſalutem, ſalutationemq; tuam nuntians: per quem ego quas non merui litteras? Dedi ex hoc deſiderio meo ſatisfaciens,ſi vel officii ad vos pagina perueniret. Saluto itaque plurimum,& rogo per illam caritatem, quæ mihi affectum dignationemque tuam nuntiat,ne te pigeat,quotiens oportunum,ſeruum tuum litterarum munere viſitare. Quia teſtor Dominum, quod poſt præſentiam tuam nihil mihi dulcius eſt, quàm ſi conloquium deſiderantiſſimæ pietatis,vel litterarum dignationem meruero. Rogo etiã, & omni prece depoſco,vt pro me,ſicut facere vos certus ſum,ſine ceſſatione intercedere, & orare dignemini. Filios noſtros & venerans & deſiderans ſaluto.

Domino ſancto, meritis beatiſſimo, Papæ, honoris cultu ſuſpiciendo, atq; Apoſtolico Patri, Domino Ruricio Epiſcopo, Eufraſius. 15.

TÆdioſam pietatem veſtram eſſe tenui rumore cognoui. ſed harum baiulum deſtinaui, vt anxietatem meam de acerbitate nuntii celeriter releuetis. Quia ſcit diuina pietas, quod & triſtitiam & infirmitatem veſtram non compatientis, ſed perferentis dolore participo. Sic ita concedat diuina miſeratio, vt mihi per multos annos exterioris veſtri vigorem, & alacritatem integræ ſanitatis indulgeat. Quia vere tunc reparatum eſſe me ſentio,ſi de ſoſpitate veſtra celerius optata cognouero.

Digitized by Google

Annotatio in ſequentem Epiſtolam Fauſti, quæ eſt decima ſexta.

Gennadius de hac Epiſtola loquitur, dum ait: *Legi eius & aduerſum Arianos & Macedonianos paruum libellum, in quo coeſſentialē prædicat Trinitatē. Et aliū, aduerſus eos, qui dicunt eſſe in creaturis aliquid incorporeū. In quo diuinis teſtimoniis, & Patrum confirmat ſententiis, nihil credendū incorporeum præter Deum.* Hæc Gennadius, qui duos diſtinctos libellos facit ex hac vna Fauſti Epiſtola, cuius prima pars eſt contra Arianos; alia contra eos qui dicunt eſſe in creaturis aliquid incorporeum. Neq; mirum quod ſeiunxerit Gennadius. Nam & in bibliotheca Patrū Margar. 2. edit. tom. 4. fol. 759. illa pars huius Epiſtolæ de creaturis, quòd illis nihil incorporei inſit, auulſa eſt à prioribus, & ſeparatim edita, cū priora lucem, quod ego ſciam, nunquam viderint. Nos integram hanc Epiſtolā damus; hac tamen admonitione. Turpem & grauem errorem eſſe hunc Fauſti, eorumq; qui Fauſto fauerunt (vt videtur etiam Gennadius feciſſe) negantium, nullam creaturam eſſe incorpoream. Refutauit hunc errorem, imò hanc ipſam partem huius Epiſtolæ Claudianus Mamertus Viennæ Galliarum Epiſcopus tribus libris de ſtatu animæ, Patritio & *Sidonio* inſcriptis, qui libri extant tom. 4. biblioth. PP. 2. edit. fol. 763. Vide D. Thom. 1. q. 51. a. 1. q. 6. de potentia a. 6. & Baronium tom. 6. *Annal*, & in appendice tomi 10. ad tomum 6.

*Incipit Epiſtola * ſancti Fauſti.*

** ita ms. ſ. ſed vide appendicē tom. 10. Baronii ad tō. 6. Ann, tō. 4. bibl. PP. edit. 2. fol. 759. fragmentum huius Epiſtolæ extat, vt infra notabimus.*

QVæris à me Reuerentiſſime Sacerdotum, quomodo ARRIANIS reſpondendum ſit, qui blaſphemo ore conantur adſerere, Non poteſt, inquiunt, fieri, niſi vt iunior ſit genitus ab ingenito. Iuxta quæ totū ſilentiū quaſi iuſſus abſoluere; non tàm ꝓ rei inſtructione, quàm ꝓ fidei confeſſione præſumā. Id primitus obſeruans, ne res per ſe obſcuras ſtudio cōpoſiti ſermonis inuoluam; ſed quædā pauperis ſenſus indicia, quæ nō tàm ornatui, q̃ intellectui videantur ſeruire, depromā.

Reſpondeo ergò ſicut reſpondere diſcipuli Magiſtris interrogātibus ſolent. Itaque ad præceptum Beatitudinis veſtræ loquor, vt diſcutias imperitiam. Conteſtor, vt doceas. Nam apud eruditiſſimum ſi reticeam, vix poſſum ſcire, quid neſciam.

De ingenito loquuturi, ſcire debemus, aliud eſſe rerum ſubſtantias, aliud rerum nomina. ſicut verbi gratia, cùm aurum atque argentum dixeris, non ſtatim metallum ipſum, ſed metalli vocabula protuliſti. Etenim aurū aliud eſt in proprietate generis, aliud in appellatione ſermonis. Aliud eſt, cùm illud nominamus, aliud cùm tenemus.

Genitus & ingenitꝰ ſignificatio eſt Deitatis, nō ipſa deitas. Natura eſt appellatio non natura ingeniti & geniti nuncupatio. Ad hoc valet, vt quis ex quo ſubſiſtat, intellegas. & non Patrem ex Filio, ſed Filium ex Patre eſſe cognoſcas principium ex principio, & vnum eſt, & ini-

& initio caret. Quomodo ſi dicas: Deus ex Deo: non tamen duo Dii; ſed vnus dicitur. Genitus ergo, & ingenitus* ex vtraque procedens, perſonas indigitat, non naturas. Maieſtas enim, quæ Patri eſt indiſcreta cum Filio, & Spiritu S. diſtingui nominibus poteſt; ordinari gradibus non poteſt. *leg. & ingenitus, & ex vtroq; p.*

Hoc loco præſcius oportet intentionem mentis admoueas.

Dicis forſitan, Quia ex illo eſt, poſterior illo eſt. Age ad hæc intellectum noſtrum aliquibus comparationibus nutriamus. Videamus ſi aliqua res ex alia exiſtat, quæ tamen illa, ex qua exiſtit, non ſit ætate poſterior; verbi gratia, hoc ipſum filii nomen ex patris deriuari nomine creditur, nec tamẽ poſterius inuenitur; quia niſi iſte naſceretur, pater ille non diceretur. Ecce nomen, quod abſolutè coæuum illi eſt, à quo eſt, & cum filius ex Patre ſit, patri nomen filius facit; adquirit genitori vocabulum pietatis perſona naſcentis; cum hoc ex illo ſit, nec hoc poſterius, nec aliud probatur antiquius. Et cùm Brachii nomine Filius ex operum virtutibus nuncupetur; ecce brachium procedit ex corpore, & tamen brachii ætas corpus nõ pcedit. Verbũ ex voce profertur, & tamen cum ex ore naſcitur, voce eſſe poſterius non probatur. Ignis & calor indiuiſa ſocietas; ſed cum calor indubitãter ex igne eſſe intelligatur, tamen ignis nequaquam calore ſuo prior eſſe dinoſcitur. Ecce rem, quæ exiſtere videtur ex illa, & tamen ei, de qua exiſtit, ſine vlla temporis interceſſione coniuncta eſt.

Cum autem ad Deum venimus, hoc eſt, genitus, quod Iuſtus & Iuſtitia, ſapiens & ſapientia, miſericors, & miſericordia, abſolutè ex Deo iuſto atque ſapiente ſecundum Apoſtolum oriri intelligimus iuſtitiam atq; ſapientiam. Et ſicut nunquam iuſtus ſine iuſtitia, nunquã ſapiens ſine ſapientia fuit; ita Filius ex Patre, ſed nunquam potuit eſſe ſine filio.

Abſq; dubio ARRIANI Saluatorem noſtrum negare non audẽt. Sed dum minorem dicũt, Deũ adſerere non poſſunt. Deus enim naturaliter plenitudinis dignitate ſubſiſtit. & eorũ impietas vnũ ſe Deũ colere prima confeſſione teſtatur. Sed qui iuniorem per eum, qui putatur ſenior duos facit, & ſoliditatem vnitatis interſecat. Nã ipſũ nomen minoris alterũ, qui illo ſit maior oſtendit. Quis illo antiquior, qui de ſeipſo pronuntiat, Ego ſum Alpa & O, primus & nouiſſimus? *Eſa. 44. Apoc. 1.* Qui cum Iudęis, qui eſſet, interrogatus, ita reſpondit; Principium, ꝙ & loquor vobis. *Ioan. 8. 25.* Qui veridica per Prophetam voce confirmat: Ante me non fuit Deus, & poſt me non erit. *Eſa. 43. 10.* Si Pater hoc dicit, inferiorẽ poſt

Digitized by Google

ſe non cœpiſſe confirmat, ſi filius ante ſe penitus non fuiſſet pronun-
Baruch. 3, 36. tiat. De hoc Propheticus ſermo euidēter inſinuat: Hic eſt Deus noſter,
& non reputabitur alius ad eū. Et poſt hæc: inter homines viſus eſt, &
Baruch. 3, 38. cum hoībus conuerſatus eſt. Secundū hæc ergo inter genitum, & ingenitū nec ordo eſt; q̄a vnus eſt: nec tēpus intereſt; q̄a primus eſt: nec poſtponēdus eſt; q̄a ſolus eſt: nec minor dicendus eſt; quia plenus eſt. Ergo dicitur perfectus, ſimpliciſq; naturæ, inæſtimabilis & impaſſibilis; etſi eum ſecundum carnem paſſum eſſe pro nobis veraciter & ſalubriter confitemur.

Poſt hæc ſequenti loco quæris à me, quomodo iuxta ſubſtantiam Dei in * epiſtula quadā ſcriptum ſit: Nihil ſenſit patiente ſenſu, ſed ſenſit compatiente affectu.

Hoc dictū extat ſupr. in epiſt. 2. Fauſti ad Græcū Diaconū. quæ epiſt. excuſa typis eſt, tom. 3. bibl. PP. edit. 2. fol. 411.

Primo hoc, quod nec Philoſophos latuit ſcire promptiſſimum. In homine diuerſæ affectiones, id eſt, iuſtitia, miſericordia, ſanctitas, beneuolentia, pietas, res accedentes ſunt, & ideo affectus vocantur. Deus verò his non poſſibiliter afficitur: quia ei ineſſe iugiter & naturaliter dinoſcuntur. Ergo quod in homine affectus ex gratia, in Deo virtus eſt ex natura. Nam quod dictum eſt: Nihil ſenſit patientis ſenſu, ſed ſenſit conpatientis affectu: Cur quiſquā illo ſenſu dicere non
Pſ. 6. 2. præſumat, quod etiā Propheticū cōmemorat: Domine ne in ira tua
Pſ. 37, 11 arguas me, neq; in furore tuo corripas me. Et: Iurauit Dominus, nec
Pſ. 109 4 pœnitebit eum. Et iterum: Iratus eſt Dominus populo ſuo, & abomi-
Pſ. 105. 40. natus eſt hæreditatem ſuam. Et item diuerſo affectu Iacob dilexiſſe, &
Malac. 1. 3. Rom. 9. 13. Eſau odio habuiſſe deſcribitur. Contriſtari in peccatis noſtris, & læta-
Gen. 6. 7. ri dicitur in operibus ſuis, & affectibus ſubiacens de ſe ipſe dicit: Pœnitet me feciſſe hominem. Et de ſumma cœli ſede pronuntiat: Saule,
Act. 9. 4. Saule, quid me perſequeris? Nam & compatientis oſtendere affectum
Mat. 25, 35 videtur cum dicit: Eſuriui, & dediſtis mihi manducare; ſitiui, & dediſtis mihi bibere: & reliqua huiuſmodi quæ memoriæ abundanter occurrunt.

Quomodo ergo, ſi q̄ſquā ſacerdos multiplici linguarum ſcientia præditus, & in medio diuerſarum gentiū conſtitutus, Hebræum Hebræo, Græcū Græco, Romanū Romano inſtructurus adloqo ſecundū ſingulorum intellectū verba cōfirmet, & iuxta vnius cuiuſque ſenſum oris ſui coaptet adloquium, & diſſonis vnius cordis expectatas pectoris voces in varios diſpenſet auditus, Ita & Devs cum homine locuturus, adſumere dignatur hominis linguam, formam etiam ſuſcepturus humanam, per intellectuum noſtrorū ſonos ordinatio-

num

Digitized by Google

Bum noſtrarum teſtatur affectus. Nam dum quinq; humanorum ſe-
ſuum officia deſcribens,ita dicit: oculi Domini ſuper iuſtos, & aures *Pſ.33.16.*
eius ad preces eorum. Et iterum:Os Domini locutum eſt.Item:Et od- *Eſa.1.20.*
oratus eſt odorem ſuauitatis.Et:Manus mea fecit hæc omnia. Cœ- *Gen.8.21.*
lum mihi thronus eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. Cor- *Eſa.66.1.*
dibus noſtris efficientias inſinuat rerũ ſub ſignificatione membrorũ.
Vnde pro ineffabili eius circa humanum genus dignatione,ſeruos, a-
micos,ac filios nominare & compellare non deſpicit,vt homo cum e-
odem viciſſim humano ore,& more conloquutus.

Cæterum Dei ira,iuſtitia eſt; Dei furor,ſeueritatis vigor eſt; Dei
iraſſe,definiſſe eſt; Dei pœnituiſſe, ſententia,tamẽ *ſæpè muta; Et *f.ſæpe mutata*
cùm ſe,perſequente aliquo,lædi dicit,crimen lædentis oſtendit. Inter-
cluditur nobis omnimodis orationis miniſterium,omniſq; ratio, qua
dicitur, vel intelligitur,vel prædicatur; ſi hæc humani ſermonis com-
mercia ſubtrahuntur. Cur ergo dici inter iſta non poſſit, SED SENSIT
CONPATIENTIS AFFECTV?

Si ergo diſcutienti Magiſtro ſimplex & aperta reſponſio ſatiſ-
fecit, tranſeamus ad tertiam quæſtionem, qua *a* vt reſpondeam *b* præ-
cipis: Quæ in rebus humanis corporea, quæue incorporea ſentienda
ſint.

a Ab hoc verbo quæ ſequũtur, in modum ſeparati libelli ſeu Epiſtolæ, extant tom.4.bibl.PP. 2.edit.fol.759. Turpis ſanè error hic Fauſti, de quo vide annotationem in hanc 12. Ep. b *in margine m.ſ.codicis adiuncta erant aliqua, quæ hunc ſenſum videntur reddere (neque enim aliò inſeri poſſunt, niſi huc, & quidem ſigno appoſito) vt reſpondeam, præcipu ventilationem huius quæſtionis minime; Quæ, &c.*

Ad hæc aliqua non pro ſenſus mei præſumptione promam , ſed
pro Sanctorum opinione ſeniorum.Præſertim cum hæc animum læ-
dere non poſſint, & ad fidem nutrire poſſint,& vſq; ad id,quod Patri *c Marg. atq; erigere exigi up.*
Filius æqualis appareat, contra ARRIANAS armare,atq; *c* regere vale-
ant prauitates. Ergo quando de tractatu altiori conlatio eſt, ad ſubti-
liorem intellectum ſenſus & animus præparandus eſt. Nonnulli e-
ruditiſſimi Patrum alia adſerunt eſſe inuiſibilia, alia verò incorpo-
rea. Quidquid creatum eſt *d* materia videri , & factori ſuo com- d *Marg. materiam videri.*
prehenſibilem, & corporeum eſſe definiunt. Nam & animarum , &
Angelorum naturam adſerunt eſſe corpoream , pro eo , quod initio
circumſcribãtur, & ſpatio. Nam ſicut in quodam S. HIERONYMI tra-
ctatu legimus globos,inquit, ſiderum *e* corporatos eſſe ſpiritus arbi- *e M. vitiosè: comparatos.*
trãtur. Et item : Si Angeli, inquit,cœleſtia corpora ad comparationẽ
Dei ĩmunda eſſe dicuntur,q̃d putas homo æſtimandus? ſed inter hæc
tu

tu animam negas eſſe corpoream, quia iuxta aliquorum opinionem nec localis ſit, nec *f* qualitate credi debere manifeſtum eſt. Legimus enim in quodam receptiſſimo Patrum tractatu: Ingredi, inquit, & implere omnia, ſoli eſt poſſibile Trinitati: quæ ſicut vniuerſæ intellectualis naturę efficitur penetratrix, vt non ſolum circumplecti eam atque ambire, ſed etiam inlabi ei, & velut incorporea corpori poſſit infundi. Licet enim pronunciemus nonnullas ſpirituales eſſe naturas, vt ſunt Angeli, Archangeli, cæteræque virtutes, ipſa quoque anima noſtra, vel certè aer iſte ſubtilis; tamen incorporeæ nullatenus æſtimandæ ſunt. Habent enim ſecundum ſe corpus, quo ſubſiſtunt, licet multo & incomparabiliter tenuius, quàm noſtra ſunt corpora, ſecundum Apoſtoli ſententiam, dicentis, & corpora cœleſtia, & corpora terreſtria. Quibus pro manifeſto colligitur, nihil eſſe incorporeum niſi ſolum Deum. Et idcirco ipſi *g* tantummodo per ſe penetrabiles omn. atq; intellectuales eſſe ſubſtantias. Quæ cum ita ſint, obiicit mihi, ideo animam non eſſe incorpoream, quia, vt dictum eſt, nec localis ſit, nec qualitate, aut quantitate ſubſiſtat. Quod *h* cuius ſit periculi, ita in hac ſtatus noſtri habita diſcuſſione pendebit, vt ſi nec localis ſit, nec qualitati ſubiaceat, eſſe eam haud dubiè incorpoream concedamus. Si verò demonſtraro eam quātitate determinari, locoue concludi, conſequenter eam etiam corpore contineri; nec ipſe iam dubites. *i* Quomodo non localis eſt, quæ inſerta membris, & inligata viſceribus, ſolis motibus *k* vaga conditione ſubſtantiæ tenetur incluſa? Quod ſi localem non eſſe animam, ideo aſſumendum putes, quod per diuerſa ſenſibus euagetur, & cogitationibus deferatur, primum intelligendum eſt, quòd aliud ſit animæ ſtatus, aliud hic qui de anima naſcitur cogitationis *l* affectus. quāobrem vt hoc potius *m* æſtimandum eſt, quod ſi quando ſibi aliquid imaginatur, magis cum ſuis intra ſemetipſam motibus occupatur. & ſi quid *n* illud eſt, quod aſpicere videtur, *o* magis ei in cordationis ſpeculo deſcribatur. Nam quando abſentem ſuum carum cogitat, nunquid iam velut ipſo conſpectu deſiderio ſatisfecit? Aut cum, verbi gratia, Petri aut Pauli ſpeciem intra mentis arcana depingit, nunquid ſtatum intimas paradiſi ſedes, vbi eos eſſe nouimus, penetrauit? Aut cum ſibi in corde diuitis illius flammas ex lectione propoſuit, nunquid iam ad eius tormentorum loca cuiuis inacceſſibilia inferni profunda deſcendit? Hæc omnia procul dubio aut ſecum intra pectoris arcana per varias ſimilitudines fingit; aut certè ſi extra animæ ſedem inſtabilis cogita-

f M. nec qualitate nec quātitate ſubſiſtat, quod de ſola Dei maieſtate credi debere. m. e.

1. Co. 15. 40.

g M. tātūmodo penetrabiles omnes intellectuales eſſe ſ.

h M. cuiuſmodi periculi ſit, ita credere, in ſubſequētibus demōſtrabitur, nunc vero in hoc tractatu noſtri ſtatu tēdebit, vt ſi nec l. ſ. n. q. ſubiaceat anima.

i M Quomodo localis eſt. *k M vacans.*

l M. effectu.

m M exiſtimandū.

n M. aliud.

o M, magis incordationis.

cogitatio lubrico motu agitata diſcurrit, hoc ipſum localiter agit. Et ſiue vrbem, ſiue quamcunq; regionem cogitet, ibi tantum ſenſu commorante defigitur quo animi intentione *p* raptatur. Imaginari ſibi aliqua poteſt; complecti omnia ſimul non poteſt. Cum ergo anima Alexandriam vel Hieroſolymã cogitauit, *q* ſiue illic tota ſui præſentia vt arbitraris, interfuit, referat nobis ſitus locorum, vultus hominum, motus actusq; populorum. Sed hoc ipſum, quod nunc inter nos commercia ſermonum mutua ſpiritus actione *r* ſcimus, loqui me vobiſcum, ſed apud conſcientiam meã ſentio; ad vos me acceſſiſſe non ſentio. Nam ſi verè anima cum ſuis ferri ſenſibus creditur, & his, quorum reminiſcitur ipſa per ſe ſuis cogitationibus præſentatur. Ecce per hæc præſentis temporis momenta vos cogito, & animo reminiſcente vos video, & quorum omnimodis quid geratis, & vtrum quieti, an lectioni, vel orationi vacetis, ignoro. Sed hoc ideo euenit, quia ad vos cordis affectu, non ipſa ſubſtantiæ meæ veritate peruenio. Neq; enim in ſuis motibus, quos nunc optimos, nunc peſſimos eſſe ſentimus, animę noſtrę natura conſiſtit. Nam ſi per cogitationes ſuas conſtare credenda eſt, cur eis interdum euaneſcentibus atq; pereuntibus ipſa in ſui vigore atq; alacritate perdurat? Quantæ ergo in nobis frequentiſſimæ cogitationes & curæ etiam ſalubriter moriuntur, & vitæ magis *ſ* libertati interioris operantur! Si ipſis anima conſtaret, abſq; dubio ipſis *t* pereuntibus ſupereſſe non poſſet. Vnde hoc magis ipſa conſcientiis noſtris ratio loquitur, quod vnaquæq; anima aut multiplicia cogitata rerum cauſis intra ſe *v* concepta parturiat, aut ſenſus ſuos velut quædam officia aut miniſteria diuerſis neceſſitatibus occupanda diſpergat, ipſa vero in conclaui corporis ſui ſemel de eo exitura requieſcat. Quamobrum localem eſſe ipſam, vt denuo ſufficiens proferam exemplum. Nonne anima Lazari manente vita, intra corpus fuit; ſecedente autem vita de habitaculo corporis exulauit, & rurſum in exanimũ refuſa corpus, illò vnde ſe abſentauerat, euocata remeauit? Tunc eam tanquam ex hoſpitij habitatione depulſam, & rurſum inter hoſpitium, vnde abſentauerat reſtitutam vides; & localem non eſſe contendis? ſed quid ego hæc de corruptibili homine loquar? Quum ille, cuius caro non vidit corruptionem, immaculatam quidem animam poſſederit, ſed localem, quam vtiq; intra ſe habuit, quando adfixus eſt in patibulo, extra ſe procul dubio emiſit, quando iacuit in ſepulchro, quomodo non eſt localis, quam caro continet, coniungit vita, mors ſeparat? Quod ſi, vt dicis, localem neceſſitatem animarum natura non *x* recepit;

p M. ſimul rapitur.

q M. ſi vere illic

r M. miſcemur

ſ M. libertatem operantur

t M. vitioſè: per æuum

v M. contemptu parturiat, aut quædam officia aut m. d. n. occupata d.

x M. reſpicit

 cepit;

Digitized by Google

cepit; non deſunt ergo & de regione paradiſi, illæ quæ carcere clauduntur inferni? dic quæſo, ſi locales non ſunt, quomodo peccatores à cœtibus conſorciisq; iuſtorum iuſtum illud chaos triſti interiectione diſcriminat, vt neq; hinc illuc poſſint accedere, neq; inde huc transmeare? Iam illud manifeſtiſſimum eſt, quod quantitate circumſcribantur, quæ ſpatiis continentur. Si agnouiſti animam localem, concede corpoream. Dic mihi anne ipſa glorioſi anima redemptoris noſtri reliquit mundum, quando conſcendit ad cœlum?

Ego autem ne angelos quidem locales eſſe dubitauerim, quos certum nunc in cœleſtibus contineri, nunc per aëris vacuũ ferri, nunc ad terrena dimitti; quos ſermo diuinus aſcendentes, & deſcendentes in Patriarchæ viſione deſcribit. vtiq; ſi locales non eſſent & vbiq; eſſent, adeſſe atq; diſcedere aſcenſu deſcenſuq; non poſſent. Ipſe beatiſſimus Gabriel, qui ſe ante Dominum aſtare teſtatur, cùm cælorum Dominum Mariæ infundendum viſceribus nuntiaret, cumq; ſub Dominicę oculis genitricis adſiſteret, ſine dubio cœlo *y* erat, maria non ſuperuolabat, vacua atq; diffuſa venti vaſti aëris non implebat, ſed illũ tantũ locum in quo erat, occupabat. *z* Quæ cũ ita ſint, quidquid locũ occupat, corpus eſt. neſcio quomodo locali lege non teneatur, qui de loco ad locum mittitur, & velut corpus motu acceſſuq; transfertur, mole deſcẽdit, mobilitate diſcurrit, vadit, redit, abſentat, deſcendit. Vel ille, credo, localis eſt, nec ſe ſolum localem eſſe prodidit, qui ſecum tertiam partem ſtellarum ex alto proturbatus abſtraxit. Dic mihi ſi corpus non habet, in illa deiectione quî decidit? quid illi negas corporalem naturam, cuius negare non audes ruinam? Et ſi, vt dicis, corpus non habet, non ardebit; vbi autem niſi in corpore ſentiet ignem illum qui paratus eſt diabolo & angelis eius? Iam illud dici ſuperfluum puto, illum in aëris iſtius conuerſatione quandam craſſitudinem de elementorum cõcretione traxiſſe. Dic mihi ſi corpus non habet vbi inhærere concretio, vbi hæc ipſa neſcio quæ colligere ſe potuit craſſitudo, ſi ſecum aliquid corporale de illa cœleſti arce non detulit? Alienum, vt video, corpus ad tormentum portabis. Corpus itaq; eſſe etiam ex ſua adſertione recognoſce. Corpus eſt ꝙ inficitur, ꝙ maculaẗ, ꝙ quacunq; ex accedẽti adiectione, *a* vertiẗ. Hic ergo dudũ primogenitus angelorũ, nunc primus factus eſt *b* tenebrarum & quaſi corporeus pulcher ante, nunc degener; dudum cœleſti ſplendore conſpicuus, nunc tetro infernalis peccati horrore fædatus. Corpus inquã eſt quod habet, actione depellitur, quantitate circumſcribiẗ, qualitate mutatur, dolore conficitur.

y M. deerat.

z M. quæ cum ita ſint, qui de loco ad locum mittitur &c.

a M. vitiatur.

b Ab hoc verbo quæ ſequuntur, non ſunt in excuſo codice Marg. vſq; ad illa verba in fine: Vnum ergo Deum.

quæ

quæ cum ita habeant, quin corporeum dicunt animum? Vide in quàm profundum ſe crimen immergant. Iam primum cum auctor vniuerſitatis Deus omnia in numero & pondere feciſſe referatur. Ergo anima à materia vniuerſæ creaturę excepta eſſe creditur: quæ non eſt corporea, nec localis eſt, ſi loco non continet. ergo vbiq; diffunditur; omnia intrare, implere, & vbiq; præſens eſſe dicitur, ac ſic creatori ſuo creatura ſociaretur, & fragilitas auctori ſuo non iam res Dei, ſed pars Dei, æſtimanda iungitur. Vide quo adſertores ſuos ducat alti per lapſos errores. Equidem nobis ea quæ ſupra nos ſunt, inuiſibilia ſunt; ſed omnia illa, ſicut comprehenſibilia, ita & corporea ſunt. qui ex nihilo fecit omnia, quę ſicut opere inſtituit, ita & materia corporauit, & rebus omnibus, inter quas & anima cenſetur, ſicut diſtribuit pondus numerum, ita & poſuit qualitates. Inter hæc ſi forte, vt dictũ eſt, adſerendũ aliquis putet, quod illa angelicæ ſubtilitate naturæ quædam contagio aëris huius admixtione collecta, flammis inueniatur obnoxia; ergo in aëre ſolo, prout ait, ſi aëreum eſt, quod ardebit non in illo, ſed extra illum pœna deſæuiret. ſed abſq; dubio non aliud eſt, quàm ſubſtantia corporis, vbi dominari poterit vis doloris. Vide quo tendat imprudens & inperita perſuaſio, qui incorporeum loquitur, & iam incomprehenſibilem confitetur: ac ſic condito adſcribit operi, quod ſoli competit conditori; ac rebus creatis communicat priuilegia maieſtatis, & indebitam creaturæ potentiam vsq; ad factoris extendit iniuriam. Si bene requiramus ad quos rerum exitus animum referas, hæc vel maxime diabolum crudelitas ex illa beatæ ſedis ſtatione deuoluit, & propter hoc angeli perdidit dignitatem dum ſe Dei præſumit habere naturam. c Vnus ergo Devs incorporeus, quia & incomprehenſibilis, & vbiq; diffuſus, ex nulli' enim facturæ corpore materiale ſumpſit exordium. Et ideo coæternus Filius Patri, quia ex nullo opere conditus nulliſque initiis circumſcribitur; ſuper omnia quæ figulo ſuo comprehenſibilia atque corporea intra mundum corpus operatus eſt incorporea maieſtate diffunditur. Ex ingenito genitus, id eſt, ex Patre, ſed ſemper cum patre, his quæ excitauit ex nihilo, indiſcreta ſancti ſpiritus ſocietate Dominatur. Amen.

c Hucuſq; m. ſ. codex habuit ea quæ in vulgato abſunt.

Epiſt. 17.

Domino inſigni, & ſummo mihi honore ſpecialiter excolendo Paulino Filio Fauſtus.

ADmiranda mihi ſemper, &c.

NOTA.

HÆc Epiſtola ideo hic non excuditur, quia iam extat tom. 3. biblioth. Pp. 2. edit. fol. 403. hoc titulo:

Rhegienſis Galliarũ Epiſcopi, Sancti Fauſtini ad Benedictum Paulinum. Male tamen Fauſtinus appellatur. Nam hæc Epiſtola Fauſti eſt.

Nos varias lectiones notamus hic:

Tom. 3. bibl. Pp. fol. 403. verſu 4. cogitans] *m. ſ. rogitat & timore.*

Ibid. v. 32. vtrum ſola proficiat ad ſalutem vnicæ] *m. ſ. vtrum ſola ſufficiat ad ſalutem fides ex vnitate ſcientia Trinitatis.*

Fol. 407. v. penult. Tunc autem baptiſmi gratiam habetis] *m. ſ. Tunc autem baptiſmi gratia ab æterna morte poßit hominem vindicare, ſi in aliquibus eius integritas & dignitas non periret.*

Fol. 408. v. antepen. infinitis contentionibus] *m. ſ. infinitis contritionibus imponamus, & intoleranda incendia nunc ſalubriter cogitando, ex ipſis ignibus æterna nobis refrigeria comparemus.*

Ab hoc verbo vſq; ad finem auctior eſt m. ſ. codex quam excuſus.

* *Certus autem ſum de fide veſtra quod falerati compoſito nitore ſermonis acceptiora vobis erunt ſalutifera ſinceræ teſtimonia veritatis. Filium meum* EMINENTIVM, *dulce decus noſtrum, paterno ſoſpitamus affectu. Dominus noſter admirandam mihi magnificentiam ſuam præſentibus repleat bonis & dignum reddat æternis.*

Epiſt. 18.

Domino ſancto meritiſſimo in Chriſti luminaria præferendo & plurimum in Chriſto deſiderando piiſſimo Domino Ruricio Epiſcopo Cæſarius Epiſcopus.

DVM nimium tribularetur animus meus, quare ad SYNODVM veſtram præſentiam non meruimus obtinere, ſanctus & Domnus meus VERVS Epiſcop' mihi dignatus eſt dicere, ꝙ per ſuũ diaconũ mihi * Agate veſtras litteras deſtinaſſet, quas ego neſcio quo caſu, aut qua negligentia me non retineo ſuſcepiſſe. Sed tamen ſancto & Domino meo fratri veſtro certiſſimè credo; & malo hoc portitoris negligentiæ imputare. Sed licet ſanctos & deſiderabiles veſtros apices miſeri-

* *fort. a caritate veſtra.*

miſeritis, tamen ſicut ipſi optimè noſtis, digniſſimum fuerat, vt perſonam dirigeretis, quæ ad vicem veſtram ſubſcriberet; Et quod ſancti fratres veſtri ſtatuerunt, in perſona veſtra firmaretur. Sed quia noui, quàm ſancto, ac frequenti, & pio deſiderio intereſſe volueritis omnibus fratribus veſtris, votum veſtrum, & ſanctam voluntatem expoſui. pro qua re nihil pietati veſtræ vel potuimus, vel debuimus imputare. Sed licet deſiderabilem veſtram præſentiam non habuerimus, orationum tamen veſtrarum ſuffragia nos meruiſſe perſentimus. & ideo his dictis ſaluto plurimum affectu & honore, quo dignum eſt; & rogo, vt me ſanctis & inluſtribus precibus ſimul ac meritis Domino commendetis. ſimulq; indico pietati veſtræ, & quia filius veſter EVDOMIVS ſi potuerit hoc elaborare, deſiderat, vt ſuperueniente anno THOLOSÆ ſynodum, Chriſto propitio, habeamus, vbi etiam ſi potuerit, HISPANOS vult Epiſcopos conuenire. Et ideo * oro te, vt tam ſancto deſiderio ſuo Dominus tribuere dignetur effectum.

**fort. orate.*

Sanctum vero & dulciſſimum fratrem meum CAPILLVTVM presbyterum, amatorem & prædicatorem veſtrum, veſtræ ſanctimoniæ, quanta valeo inſinuatione cõmendo; & pro ipſo vobis ingentes & vberes gratias ago, quia quantum ipſe aſſeruit, tantum ſe circa illum impendit pia & ſincera beneuolentia veſtra, vt hoc nullus hominum poſſit exponere. Nunc ergo quia pro veſtro deſiderio æſtuans pietatem veſtram expetiit, dignum iudicaui, vt per ipſum humilitatis meæ literas deſtinarem. quo remeante, ſi Chriſtus annuerit, apices veſtros, quaſi cœleſte munus deſidero promereri. Ora pro me.

19.

Domino ſancto ac beatiſſimo & apoſtolica reuerentia ſuſcipiendo Domino & Papæ Ruricio Epiſcopo Sedatus Epiſcopus.

Epiſtola ad quam hic reſpondet Sedatus, extat infra in Ruricii lib. 2. Ep. 34.

EQuum quem per fratrem noſtrum presbyterum tranſmiſiſtis accepi; magnificis verborum veſtrorum phaleris honoratum; in Epiſtola pretioſum; mouentem ſe, cùm foditur calcaribus, aut vrgetur verberibus; & nihil penitus promouentem: forma deterrimum, colore viliſſimum, molliorem plumis, ſtatuis pigriorem, ſolida corpora paueſcentem, vmbras, ſolum, vt credo, de conſuetudine non timentem; fugitiuum, cùm dimittitur; immobilem, cùm cæditur; in planis ſtantem, in aſperis corruentem; qui teneri neſciat, ambulare non poſſit; quem prius, quàm viderem, dum Epiſtolas veſtras relego, illorum de gente eſſe credidi, quos DÆDALA

CIRCE

Suppoſita de matre nothos furata creauit.

Putabam illum calidum animis, acrem curſibus; ignem, cùm me exhiberetur, elatis naribus efflaturum, concuſſurum ſolido cornu cāpos; celeritate ventos & flumina præcurſurum. Talē enim mihi ſplēdidiſſimus Epiſtolę ſermo promiſerat. Credebam etiā, quod illū manducantem frenos, terentem morſibus ferrum, duo fortiores viri, ne euaderet, retinerent. Nec me fefellit. Nam trahebāt eum aliquot; impingebant alij, & plures cædebant. Quem vt ſic exhibitū vidi, optaui, vt talia, qualia erant, non qualia Epiſtola mea continet, ſemper caris veſtris munera mitteretis. Ego tamen quia mihi non reliquiſtis in transmiſſi muneris laude quod dicerem ne omnino..........

Quæ ſequūtur, ſunt ex Epiſtola Sidonii ad Hecdiciū lib. 2. Ep. 1.

Quique etiam pari contrarietate fata, quæ quia non parcerent, PARCAS vocitauere. Rediit ipſe CATILINA ſæculi noſtri nuper ATVRRIBVS; vt ſanguinem fortunasq; miſerorum, quæ ſibi ex parte propinauerat, ex aſſe miſceret.

Scitote in eo per dies ſpiritum diu diſſimulati furoris aperiri. Apertè inuidet, abiectè fingit, ſeruiliter ſuperbit, indicit vt dominus, exigit vt Tyrannus, addicit vt iudex, calumniatur vt barbarus, toto die à metu armatus, ab auaritia ieiunus, à cupiditate terribilis, à vanitate crudelis, non ceſſat ſimul furta vel facere, vel punire, palam, & ridentibus conuocatis, ructat inter ciues pugnas, inter barbaros litteras. Epiſtolas, ne primis quidem apicibus ſufficienter initiatus publicè à iactantia dictat, ab impudentia emendat; totum quod concupiſcit, quaſi comparat, nec dat pretia, contemnens, nec accipit inſtrumenta deſperans. In concilio iubet; in Conſilio tacet; in Eccleſia iocatur; in conuiuio prædicat; In cubiculo damnat, in quæſtione dormitat. Implet quotidie ſyluas fugientibus, villas hoſtibus, altaria reis, carceres clericis; exultans GOTHIS, inſultansq; ROMANIS, illudens Præfectis, colludensq; numerariis, leges THEODOSIANAS calcans, THEODORICIANAS proponens; veteres culpas, noua tributa perquirit. Proinde moras tuas citius explica. Et quidquid illud eſt quod te retentat, incide. Te exſpectat palpitantium ciuium extrema libertas. Quidquid ſperandum, quidquid deſperandum eſt, fieri te medio, te præſule placet. Si nullæ à republica vires, nulla præſidia; ſi nullæ (quantum rumor eſt) Anthemii principis opes, ſtatuit, te auctore, nobilitas ſeu patriam dimittere, ſeu capillos. Vale.

NOTÆ

Digitized by Google

NOTÆ IN EPISTOLAM XIX.

NE omnino quiq; etiam pari contrarietate] Codex m. ſ. hæc ſine vlla diſtinctione coniungit. Ego ſeiungo & lacunam noto. Nam ab hoc verbo, *quiq; etiam*, vſq; ad finē huius Epiſtolæ, omnia ad verbum ſunt Sidonii ad Hecdicium lib. 2. Ep. 1. quæ ſic incipit: *Duo nunc pariter mala ſuſtinēt Aruerni tui. Quænam? inquis. Præſentiam Seronati, & abſentiam tuam. Seronati inquam, de cuius vt primum etiam nomine loquar: Sic mihi videtur, quaſi præſcia futurorum luſiſſe fortuna, ſicuti ex aduerſo maiores noſtri prælia, quibus nihil eſt fœdius, bella dixerunt: quiq; etiam pari contrarietate, fata, quia non parcerent, Parcas vocitauere. Rediit* & cetera, quæ vſq; ad finem in m. ſ. ſunt. Quomodo autem hic error contigerit, vt pars Epiſtolæ Sedati ad Ruricium, & pars Epiſtolæ Sidonii ad Hecdicium ab exſcriptore hic perperam ſint coniuncta, non facile aſſequor, niſi ſcriba inciderit in codicem, in quo pagellę quædam exciderunt. Contigiſſe autem hic talem errorem patet ex Epiſtolarū indice in fronte libri, vbi poſt hanc Epiſtolam Sedati ad Ruricium notantur variæ Epiſtolæ Sidonii, quarum nulla in m. ſ. codice ſcripta eſt. Index enim hoc modo habet:

Epiſtula Sedati ad Ruricium.
Epiſtula Sidonii ad Conſtantium.
Alia Sidonii ad Fucerium.
Alia Sidonii ad Tetradium.
Alia Sidonii ad Aſperum.
Al. Sidonii ad Proculum.
Al. Sidonii ad Domnolum.
Al. Sidonii ad Nymphidium.
Al. Sidonii ad Simplicium.
Al. Sidonii ad Taumaſtum.
Al. Sidonii ad Ruricium
Al. Sidonii ad Papianillam.
Al. Sidonii ad Lupum Epiſcopum V.
Al. Sidonii ad Cenſorium.
Al. Sidonii ad Patientem.
Alia Sidonii ad Mamertum.

Digitized by Google

Alia Sidonii ad Agræcium Epiſcopum.
Alia Sidonii ad Sulpitium.
Alia Sidonii ad Ruricium.
Alia Sidonii ad Gothum.
Alia Sidonii ad Principium Epiſcopum.
Alia Sidonii ad Remegium Epiſcopum.
Alia Sidonii ad Fauſtum Epiſcopum.
Alia Sidonii ad Hereſium.
Habet in ſequenti Epiſtularum libros 2. domni Ruricij Epiſcopi.
Deinde Epiſtularum librum vnum domni Deſiderij Epiſcopi.
Item Epiſtulas diuerſorum ad eundem domnum Deſiderium.

Nulla Epiſtola Sidonii ex his in codice m. ſ. eſt. niſi quod fragmento Epiſtolæ Sedati ad Ruricium perperam ſine vlla diſtinctione coniunctum eſt aliud fragmentum Epiſtolæ Sidonii ad Hecdicium. Et ſtatim ſequuntur duo libri Epiſtolarum Ruricii. Hæc monere volui. Nam diu me torſerat hic locus.

ATVRRIBVS] ita expreſſis literis m. ſ. Recte ergo Sauaro in Epiſt. 1. lib. 2. Sidonii ita correxit, & notauit. Aturres ſunt Nouempopulaniæ, ab Aturro fluuio, Aturres, vt ab Aſtura, Aſtures. Floro l. 4. ſub finem. de Aturro, & Aturrico piſce, vide Sidon. lib. 8. Epiſt. 12. *ciuitas* Aturenſium Notit. Prouinc. in Nouempopulana Prouincia, quam Itinerarium Antonini Adturrem vocat, vbi de Gallia Narbonenſi. Et quod maxime facit ad hanc veterem lectionem, & Sidonii mentē, erat tunc temporis Gothicarum partium. Commonitorium Timothei: *Aniauus vir ſpectabilis ex præceptione D. N. Glorioſiſſimi hunc codicem de Theodoſiani legibus atq; ſententiis iuris vel diuerſis libris Aduris anno 22. eo regnante edidi, atq; ſubſcripſi.* Vulgo Aire.

Quæ ſibi ex parte propinauerat] Sidonij vulgatus codex: *quas ille ſibi ex parte propinauerat, hic ex aſſe miſceret.*

Ex qua phraſi licet coniecturam ducere, hoc fragmentum Epiſtolæ Sidonii eſſe, nō Sedati. nā Sidonius de eodem Seronato lib. 7. Ep. 7. *Seronatum barbaris prouincias propinantem.*

Indicit vt Dominus] Sidonius lib. 5. Ep. 13. de eodem Seronato: *nunc inauditis indictionum generibus exhaurit*

Non ceſſat ſimul furta] vulgata editio: *non ceſſat ſimul furta vel punire, vel facere palam, & ridentibus.*

Villas hoſtibus] *m. ſ. hoſpitibus.*

Altaria

Altaria ceis] *ita & m. ſ. licet in margine ſit poſita hæc vox, riſis.*

Concludensque numerariis] *m. ſ. vitioſè : conlaudansq; numariis. ita enim in medio hæc vox raſa, & poſtea neſcio à qua manu ſigno hoc in-ſita eſt. Vide quæ notat Sauaro hic de numerariis.*

Citius] *vulg. citus.*

Incide] *m. ſ. incidite.*

Anthemii] *ita lego cum Sauaro, nam m. ſ. hic mutilè : Ante.*

EX VENANTII FORTVNATI LIB. IV. CARM. V.

EPITAPHIVM RVRICIORVM EPISCOPORVM, CIVITATIS LEMOVICINÆ.

INuida mors rapido quamuis miniteris hiatu,
Non tamen in ſanctos iura tenere vales.
Nam poſtquã remeans domuit fera tartara Chriſtus,
Iuſtorum meritis ſub pede victa iaces.
Hic ſacra Pontificum toto radiantia mundo,
Membra, ſepulchra tegunt; ſpiritus aſtra colit.
Ruricij gemini flores, quibus Anniciorum,
Iuncta parentali culmine Roma fuit.
Accumulante gradus prænomine, ſanguine nexi,
Exultant pariter hinc auus, inde nepos.
Tempore quiſq; ſuo fundans pia templa patroni,
Iſte Auguſtini, condidit ille Petri.
Hic probus, ille pius; hic ſerius, ille ſerenus,
Certantes pariter quis ſibi maior erit.
Plurima pauperibus tribuentes diuite cenſu,
Miſerunt cælos, quas ſequerentur opes.
Quos ſpargente manu, redimentes crimina mundi,
Inter Apoſtolicos credimus eſſe choros.
Felices qui ſic de nobilitate fugaci
Mercati, in cælis iura ſenatus habent.

Digitized by Google

Ruricij

LEMOVICENI EPISCOPI

EPISTOLARVM

LIBRI

DVO

Nunc primum ex membranis m. ſ. celeberrimi Monaſterij S. Galli editi.

Digitized by Google

INDEX EORVM AD QVOS RVRICIVS EPISTOLAS SCRIPSIT.

A
Æonio lib.1.Ep.15.lib.2.Ep.15.
Ælio lib.2.Ep.8. forte idem cum Æonio.
Agricolæ lib. 2. Ep.31.
Albino lib. 2. Ep.45.
Ambroſio lib.2. Ep.43.
Anonymis lib.2. Ep.10.12.24.26.
Apollinari lib.2.Ep.25.40.
Aprunculo lib. 2. Epiſt.48.54.55.56.57.

B
Baſſulo Epiſcopo Ep.7. lib.1.

C
Cæſario lib 2.Ep.32.35.
Capilluto lib.2.Epiſt.20.30.
Celſo Ep.12.13.14.lib.1.
Cenſorio lib.2.Ep.50.
Ceauniæ lib.2.Ep.1.2.3.4.14.49.
Claro lib.2.Ep.63.
Conſtantio lib.2.Ep.23.24.42.
Cronopio lib.2. Ep.6.30.

E
Elaſio lib.2.Ep.7.
Eonio vide Æonio.
Eracliano lib.2.Ep.29.
Eudomio lib.2.Ep.38.
Euphraſio lib.2. Ep.21.28.

F
Fauſto Ep.1.2. lib.1.
Fœdamio lib.2. Ep.13.
Fredar. Ep.11.lib.1.

H
Heracliano vide Eracliano.
Heſperio Ep. 3.4.5. lib.1.
Hiſpano lib.2.Ep.44.

I
Ioanni lib.2. Ep.47.

L
Leontio lib.2.Ep.41.
Lupo Ep.10.lib.1.

M
Melantiæ lib.2.E.38.

N
Namacio lib.2.E.1.2.3.4.5.61.
Nepotiano Ep.6.lib.1.

O
Omacio lib.1.Ep.18. lib.2.Ep.27.

P
Papianillæ lib.2.Ep.36.
Parthemio lib.2.Ep.36.
Petur.lib.2. Ep.37.
Pomerio lib.1.Ep.7.lib.2.Ep.9.
Præſidio lib.2.Ep.11.52.

R
Ruſtico lib.2.Ep.19.53.

S
Sedato lib.2.Ep.17.18.33.34.
Seuero.lib.2.Ep.58.
Sidonio Ep.8 9.16.lib.1.
Stephano lib.2.E.51.
Sthorachio lib.2.Ep.59.

T
Taurentio lib.2.Ep.16.46.

V
Vero lib.2. Ep.22.
Victurino lib.2.Ep.39.
Vilico lib.2.Ep.13.
Vittameno lib.2.Ep.60.61.
Voluſiano lib.2.Ep.64.

INCI-

INCIPIT DOMINI RVRICII EPISCOPI EPISTOLARVM LIBER primus.

Domino ſuo peculiari in Chriſto, Domno patrono Fauſto Epiſcopo Ruricius.

OLim te Domine mi venerande, ac beatiſſime ſacerdos, fama celeberrima prædicante cognoui. Olim deſiderio pij amoris infuſo, illis te, quibus ſcribere dignaris, oculis cordis intueor; ſed nihilominus etiam corporeis videre feſtino; ſi quo modo poſſim, intercedentibus vobis, peccatorum meorum vincula diſrumpere, acceptiſq; columbæ illius pennis, à venantium laqueis euolare, & vobiſcum poſitus in Dominica lege requieſcere; vt ſitim, quam opuſcula veſtra legendo concepi, ipſo præſente, vnde illa manarunt, vberius hauriens reſtinguerem; vt caritatis igniculum, quem in tepidis animæ dormientis fauillis feruentibus ſuſcitaſtis prolatis de condenſa ſcripturarum pabulis, viuax flamma roboraret, quæ eloquio ſancti oris accenſa, more ſibi ſolito, in pectore peccatoris vim naturæ, potentis exereret, calefaciendo frigida, illuminando tenebroſa, & ſpinas criminũ conſumendo. Adhæſit, doctor eximie, anima mea poſt te. Me autem adiuuent orationes tuæ, vt poſſim, terrenis actibus ſpretis, cœleſtibus inhiare. quia corpus, quod corrumpitur adgrauat animam, vt inclnare aurem ſuam ad oracula diuina non poſſit, vt domum patris obliuio obediens, quæ vocantis imperio de terra ſua, & cognatione diſcedat, atq; illam, quæ ei demonſtratur, potius concupiſcat. Non enim adhuc valet puſillitas noſtra metum obnoxiæ conditionis expellere, & caritati perfectæ purgata corda reſerare, vt relinquentes præſentia, petamus æterna; eiectaq; ancilla, hæreditatem paternam liberi poſſimus adipiſci. Quamobrem ſpero, Domine mi, vt pro me indeſinenter oretis, & quoties dignati fueritis ariditatem terræ meæ eloquentiæ veſtræ imbre per-

Pſal. 54. 7.
Pſal. 90. 3.
Sap. 9. 15.
Pſ. 44. 11.
Gen. 12. 1.
Gen. 21. 10.
Gal. 4. 10.

fundere, non mihi, ſicut nunc feciſtis, & adhuc meæ infirmitatis ignari, delicatos & dulces cibos, ſed auſteriores, & ægritudini meę congruos ſuggeratis; quia non expediunt ſtulto delitiæ; poſtmodum proditoribus meis cenſorium præbeatis adſenſum, qui more humani ingenij, adfectu nimio præpediti, a veritate iudicij declinantes, incurrunt pro amore mendacium. Sane nec vereatur ſanctitas veſtra, ne vulneribus meis gratior ſit fouentis dextera, quàm ſecantis. quia eâ nec me poſſe curari, & tamen grauiter computruiſſe, Domino dante, iam ſentio. Et ideo eligo, vt me iuſtus miſericordiæ increpatione corripiat,
Pſal.140.5. quàm caput meum oleum peccatoris impinguet. Supplici itaq; prece
Mat.13,52. depoſco, vt de illo theſauro penetralium veſtrorum, vnde noua & vetera proferre conſueuiſtis, peritiſſimi vtpote medici, qui languentium innumeras & varias ægritudines quotidiè gratia Dei adiuuante ſanatis, languori quoque meo, quę conuenire cognoſcitis, medicamenta mittatis.

Domno ſuo peculiari in Chriſto Domino patrono Fauſto Epiſcopo Ruricius.

2. ITa me hactenus impia negligentia, & negligens impietas poſſederunt, vt quid, Domine mi, in me potiſſimum accuſem, neſciam; & quid in me primum excuſem, non inueniam. Si enim argumentatio-
Pſa.140.4. nem aliquam ad excuſandas excuſationes in peccatis exhibere tentauero, adiiciam peccato ſine iudicij recordatione peccatum; vt duplici atq; maiori delicto ipſe me premā: vt qui tarditatis reus ſum; eſſe incipiā falſitatis; & ab humana vsque iniuria crimen extendam ad æternam: nunc tantū expectans de ſegnitiæ noxa ſententiam; diuinæ vero pro mendacij vltione ſubiiciar. præſertim cùm vera confeſſio indulgétiā; & falſa excuſatio mereatur offenſam. Malo itaq; tam ſimplici confeſſione, quàm ſupplici veniā petere, quàm peccata geminare. Habes ergo pater optime, paſtor egregie, meam culpæ meę ſpontaneam confeſſionem. habes & in diſcipuli errore, quod corrigas; & in ouiculæ languore, quod ſanes. poteſtatisque & iudicij tui eſt, vtrum velis vlceris mei putredinem ferri rigore reſcindere, an medicamentorum lenitate curare. Ego tamen vtram elegeritis curationem amplectar intrepidus; nec paternæ ictum dexteræ declinabo; dummodo portionem promiſſæ hęreditatis adipiſcar. Neque attendam, quæ mihi pœna ſit in flagello, ſed quem habeam in teſtamento. Melius enim mihi eſt flere ſuper patre, quàm vt abdicer contemtus à patre. Quia

paren-

Digitized by Google

parentum pietas diſtringit, vt corrigat; non perſeuerat, vt puniat, nec tantum ei mœroris infert adrogantia ſuperbientis, quantum gaudium fert humilitas confitentis. Sic ille Euangelij indulgentiſſimus pater filium præceptæ ſubſtantiæ decoctorem læto ſuſcepit amplexu, promptior gaudere de reditu, quàm imputare de lapſu. Denique non exprobrantur facinora, non luxuria, non egeſtas; ſola conuerſi reuerſio omnia damna compenſat. quia maior fuit procul dubio patri facultas reditus, quàm rerum facultas. Itaq; abſceſſio reum fecerat; regreſſio fecit inſontem. Ea miſericordia ſufficit hæredi. quin etiam paternæ clementiæ venia ſola non ſufficit, quod vlnis fouet, quòd gratia permulcet; niſi & munera larga multiplicet. Dat anulum, ne rurſus à patre, perfidia duce, diſcedat. calceamenta dat pedibus, quò facilius ardui itineris aſpera & dura contemnat. dat & ipſam primam quam perdiderat ſtolam, vt quem à morte receperat, priſtina immortalitate donaret. Datur etiam ipſe iuniori vitulus reuerſo, qui ſeniori agnus datus fuerat de Ægypto profecturo. quia ipſe educit ex Ægypto pater. Tanti parentis imitare tantus fidem. Trade peccatoribus adiutorium, præſta conantibus remiſſionem, interceſſionem largire, confitentique filio non ſolum ipſe veniam tribue, ſed ipſe veniam deprecare; vt quem in peregrina patria appellas liberum, in propria poſſis videre liberatum. Et qui per ſe amiſit Dominicam liberalitatem, per te mereatur conſequi libertatem, nec à veſtro ſeparetur ſolatio, qui ſequeſtratur præmio. *Luc. 15.*

Domino Sanctiſſimo Filio ſemperq; magnifico Heſperio Ruricius.

SCribendi mihi ad vnanimitatem tuam aditum, quem obſtruxerat imperitia, patefecit affectus & illa dominatrix omnium pietas, per quam flectuntur rigida, ſaxea molliuntur, ſedantur tumida, leniuntur aſpera, tumeſcunt lenia, miteſcunt ſæua, ſæuiunt mitia, accenduntur placida, acuuntur bruta, dominantur barbara, immania placantur. Etiam in me opus ſuum peragens, os elingue reſerauit, producens me ex tutiſſimo ſilentij receſſu ad publicum formidandumq; iudicium & inuitatio veſtri noua ſubire compellit. Scilicet vt qui hactenus illam ſententiam ſecutus antiquam, qua dicitur: Sæpenumero præſtare tacere, quàm dicere; inſcientiam meam maluerim verecundiæ taciturni- 3.

turnitate legere, quàm impudenter incondito ſermone proferre, non tam conſuetudinis meæ immemor, quàm ruſticitatis oblitus, quaſi ex Arione in Orpheum repente mutatus, velim diſertiſſimis auribus tuis ore garrulo non tam officioſus, quàm iniurioſus exiſtere. Dum & ignota pertento, & inſueta præſumo. Sed dabitis, vt reor, veniam venienti ex neceſſitudine neceſſariæ neceſſitatis. Quia quod dilectio in mortalium mentibus naturali poteſtate ſibi vindicet, conſcium mutuę paſſionis pectus agnoſcit. Ergo ne excuſationi diuitius immorantes, ita paginam dilatemus, vt non ſolum tibi non exhibeat ſermo incomptior, verum etiam copia inordinata faſtidium, iam in vocem pietatis erumpimus, & deſideriorum verba ructamus; Commēdantes tibi pignus noſtrum, depoſitum tuum, cuius nos ſuſceptione cepiſti. Tibi enim ſpem poſteritatis meæ; tibi ſolatium vitæ præſentis, & leuamen, ſi diuinitas annuerit, futuræ; tibi vna omnia mea vota commiſi. Te * elicitorem & formatorem lapillorum nobilium, & rimatorem auri, te repertorem aquæ latentis elegi, qui ſciris abſtruſas lapidibus gemmas propriæ reddere generoſitati; quæ vtiq; in tanta rerum confuſione amitterent nobilitatem, ſi iudicem non haberent. aurum quoq; arenis vilibus mixtum, niſi artificis ſolertia lauetur aquis, ignibus eliquetur, nec ſplendorem poterit retinere nec meritum. ſeptas etiam aquarum manantium venas, & obductum terra fluenti alueum, niſi diligentius eruderauerit appetitoris induſtria, laticis vnda non fluet. Ita & tenerorum adhuc acies ſenſuum ignorantię nubilo, quaſi craſſitate ſcabroſæ rubiginis obſeſſa, niſi adſidua doctoris lima purgetur, nequit ſponte clareſcere. Tuum ergo nunc, tuum eſt, in his omnibus & opinioni tuæ, & noſtro pariter reſpondere iudicio, ne aut tu p̄ſumpſiſſe illicitè, aut nos inconſideratè elegiſſe videamur.

* *Ita expreſſè m.ſ. nouato vocabulo & non inelegante ſenſu, ab eliciendo, ſicut Iupiter ab Eliciendis fulminibus dicebatur Elicius. Ouid. 3. Faſt.* Eliciunt cœlo te Iupiter: vnde minores Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant. *Niſi malis legere:* licitatorem. *quod non placet. vel:* elucidatorem, *quod malim.*

Deuinctiſſimo Filio ſemperq́ magnifico Heſperio Ruricius.

4 RExcepi apices vnanimitatis tuæ tam gratia, quàm eloquentia; tam amore pariter, quam lepore; tam ſale, quàm melle reſperſas. in quibus nec dulcedini deeſſet aliquid, nec ſapori. Qui cum omni dictionis & rationis arte præmineant, ſolo tamen à ſe diſcrepare videntur iudicio. Dum enim paginulæ meæ, non laudi aptæ, ſed vituperationi ineptiâ ruſticitatis aptatæ, maiora meritis tribuere feſtinas, & ſequeris vel declamationis curſum, vel diligentis affectum; à norma

recti

Digitized by Google

recti iudicij declinaſti. Ad quam rem ego perfectionem non ignorantiæ vitio, ſed ſpontaneo arbitror deſcendiſſe conſilio, triplici ex cauſa, vt in tenui materia & acumen ingenij, & oris facundiã, & affluentiam ſermonis oſtenderes. Sicuti in ieiuno atq; otioſo ceſpite magis ſtrenuitas cultoris apparet, cùm aut rebellionem glebarum tenacium repetitæ ſæpius impreſſione vomeris domat, aut ariditatem nimiam ſtercoris aſperſione fœcundat, vt fructuum copiam, quam ſoli natura negat, induſtria producat. Ita & tu, egeſtatem epiſtolæ meæ eloquentiæ tuæ vbertate ditaſti, vt poſſit eſſe, ſi eam ſuppreſſeris, te loquente, laudabilis; ſi vero protuleris, incutiat & mihi de falſa laude, & tibi de iudicij errore verecundiam. Et idcirco quia imperitiam meam tui pudoris opus eſſe voluiſti, caue, ne præconio tuo nobis non reſpondentib⁹, tua periclitetur electio. Itaq; ſi quid mihi credis, ſi quid vtriq; conſulis, indignum memoria, obliuione digniſſimum volumen abſconde, ſi vis & me ad arbitrium tuum oratoris famam, & te probati iudicis obtinere perſonam.

Deuinctiſſimo Filio ſemperq; magnifico Heſperio Ruricius.

5.

SPoponderas, fili chariſſime, vt mihi aliquos de ramuſculo, quem ex amaritudine in domeſticum ſaporem vertendum transferendumq; ſuſceperas, floſculos deſtinares: quorum odore cognoſcerem, quam ſpem ſpei gerere deberem; vtrumnam ipſi flores germina, aut rurſus ipſa germina fructus ſui qualitate promitterẽt, iidemq; iterum fructus vtrum poſſint te excoquente miteſcere, & dulci eloquentiæ verbo audientium corda ſaciare. Quod quia neſcio quam ob cauſam facere diſtuliſti, oportunum vos admonendi tempus inueni, quo in harmonia mundi vniuerſa animantia bruta pariter, & elinguia, incedẽtia, volantia, atq; reptilia, ſuis quæq; modis, ſuis ſibilis, ſuisq; quæq; vocibus, etſi ſono diſſono, aut ore diuerſo, pari tamen affectu, quaſi vno concentu in laudem proprii auctoris erumpunt; & potentiam, quam promere nequeunt, ſentire ſe produnt. Hoc namq; tempore cuncti orbis ſpecies rediuiua reparatur. & quidquid in eo ſitu ſqualidum, frigore turbidum, glacie concretum, nuditate deforme, ariditate præmortuum hactenus fuit, ad inſtar reſurrectionis emergit; vt diſcat humana fragilitas de viſibilibus inuiſibilia, & de præſentibus futura cognoſcere, & ſpem venturæ melioris ætatis depoſita deſperatione percipiat. Nunc etiam tellus ſterili rigore concluſas, quaſi virili ſemine hoc verno tempore concepto, occultis maritata meatibus, venas

laxat ad partum. Et hinc quod deliciis ſuaue, quod eſui dulce, quod vſui vtile, quod victui neceſſarium, quod viſui iucundum, quod olfactui gratum, quod tactui blandum, omne producit. Siquidem hęc eſt illa temperies, quę mundi naſcentis materiã, quaſi adhuc in incunabulis teneram in gremio quodam clementiſſimæ altricis complexu nutriuit; ne ſubſtantiã nullo labore duratam aut ęſtiuus feruor exureret, aut hiemalis algor extingueret, aut ventorum flabra portarent. Habet itaq; ſuſceptus tuus conuenientiſſimum tempus, quo animi ſocordia tandem aliquando* depoſita, hebetudinem cordis exacuat. Et ſi inter homines declamare non poteſt, ſaltem inter pecudes clamare, aut inter volucres garrire feſtinet.

* *M. S. in margine: deteſtata,*

Domino ſancto & piiſſimo Patri Nepotiano Presbytero Ruricius.

6. CODices, quos ſanctitas veſtra transmiſit, accepi, eloquentia claros, ſcientia perfectos, doctrina probos, fidei puritate perſpicuos; qui ſacrorum teſtimoniorũ vbertate locupletes, auctoritate præſtantes, luce fulgentes facile & fidelium mentes inluminent, & infidelium errores detegant atque conuincant. quorum ego guſtu admodũ tenui pellectus potius, quàm refectus ad ſatietatẽ propter ſollicitudines ſæculi peruenire non potui. Sicut enim ſtomachus cùm febriũ ardore decoquitũ, dulces ſibi ante cibos nec oblatos orecipit, nec requirit ablatos; ita & animus mundanis anxietatibus curiſque confectus, ſpiritales dapes nec deſiderat abſentes, nec carpit appoſitas, nec ſentit infuſas. Quæ cũ ita ſe in me habeant, vos tamen & pij parentis probaſtis affectum, & ſolliciti magiſtri miniſteriũ, & ſeduli medici impleſtis officiũ, vt tali tædio laboranti medicamenta congrua mitteretis. Quibus & ꝓpter negligentiã meã ego non valeo conſequi ſoſpitatẽ. Vos tamen percipietis à iuſto repenſatore mercedẽ, qui etiam pro ingratis grates beneuolas referre conſueuit. Horum ego pręfatorum codicũ vnum, ſicut iuſſiſtis, retinui, aliũ remiſi, quem S. HILARII PICTAVÆ vrbis antiſtitis eſſe noueritis. quod quia præceperatis, indicare curaui. Hunc vero retentum permittitis transferre; diſpoſui, vt quod memorię commendare non poſſumus, ſaltem vel paginis mandare curemus.

Domino ſuo peculiariter in Chriſto patrono Baſſulo Epiſcopo Ruricius.

7. QVam me diligere ſancta pietas, & pia ſanctitas veſtra dignetur, mul-

multimodo probatis affectu, dum legenda transmittitis, & neglecta corrigitis, dilectionem diligendo prouocatis; & quod prædicatis verbis, docetis exemplis. Sed quoniam ſemen veſtrũ in terra ſterili & dumoſa non proficit, vtpote quæ ſentibus ſupereſcentibus ſuffocatur, ne ſicut infructuoſam illam ficulneam me iubeat Dominus vineæ, quam tanto tempore nequicquã expectat, abſcindi; vos ſeueriorem ſententiam orando differte, donec doctrinæ veſtræ * pinguedine tanquam terræ amaritudo infructuoſa dulceſcat. Sed quoniam plus ſunt apud me delicta, quàm verba; nec poſſum facta expiare ſermonibus; obſequiũ ſaltẽ epiſtolare dependo, & librum, quem præſtiteratis, me remiſiſſe ſignifico. alium, qui identidem veſtris vſibus nunc neceſſarius non eſt, ſpero per portitorem harum remitti. Iubeatis ſimul quod ſi propitio Deo ad ſolennitatem ſanctorum * gurdone abituri ſitis, recurrentibus ſcire faciatis.

*M. S. *pinguine.*

*

Domino ſuo peculiari in Chriſto Domino patrono Sidonio Epiſcopo Ruricius.

8.

PRædicantibus vobis, ſæpius audiſſe me recolo, nullatenus ab iniquitatibus nos poſſe purgari, niſi fuerimus crimina noſtra, conſcientia conpungente, confeſſi. Quis enim, non dicam conſequi, ſed vel quærere queat indulgentiam, niſi deplorationi confeſſionẽ erroris adiungat? Quia error indulgentiã, non indulgentia requirit errorem. Quod ego valde ſerum eſſe cognoſcens, facinus meum nuper admiſſum, pietati veſtræ indicare non diſtuli. Ne ꝙ modo prodente me ſpectat ad veniam, tacente poſtmodum pertineret ad culpam. Sed iam ipſum dolũ proferimus in medium. Furti me vobis reum ſtatuo, & depoſitum veſtrum me, ignorantibus vobis, illicite præſumpſiſſe pronuntio. Quod vt tamen committerem, occaſionem perpetrandi facinoris vos dediſtis, aut tentantes cupidum, aut indoctum erudire cupientes. Codicẽ namq; quẽ de fratre meo LEONTIO me recipere iuſſeratis, tranſtuliſſe me fateor. Quod ſi probatis, * ignoſcite; ſi imputatis, agnoſcite. quia cõfeſſioni querela ſociatur. Nam primũ vt eũ legerem, voluntas impulit. deinde ille, vt transferetur, extorſit. Nam cum de dapibus ipſius adhuc pauca libaſſem, taliter me guſtu illecebroſi ſaporis illexit, vt primi quodammodo parentis imitator, domino repẽte contempto, ad ſatietatem ſtuduerim peruenire; magisq; conſilium ſuadentis, quàm imperiũ dominantis audierim. Nam vt omnia pectoris mei arcana manifeſtem, videbar mihi libri ipſius verba adhortantis

Fort. agnoſcite; ſi imputatis, ignoſcite.

Digitized by Google

audite: Quid ceſſas ingrate, quid dubitas? Noſti erga te communis Domini voluntatem, quàm diuerſis occaſionibus te elimare contendat, quàm tibi etiam inuito ſpiritales cibos ſoleat bonus paſtor ingerere. Mihi crede, plus tibi, ſi diſtuleris, quàm transtuleris imputabit. quia ſtudioſis fauere, non inuidere conſueuit. His & talibus ſilentis adloquiis in vincula eius me voluntarius pariter & coactus ſponte conieci, ad exemplãdum eum feſtinꝰ acceſſi. Quē neſcio vtrum, ſicut eſt, tranſſcriptum, an paratum reddere debeam. in veſtro pendet arbitrio. Ego tamen libens mulctam, quam intuleritis, excipiam. quia remedium meum, veſtrum credo eſſe decretum; & ſententiam veſtram, medelam duco eſſe, non pœnam.

Domino peculiari in Chriſto domino, patrono Sidonio Ruricius.

9. ITa me recens prædicatio, & antiqua dilectio veſtræ pietatis illexit, vt audeam auribus veſtris ineptiis meis facere ſæpius iniuriam; dum veſtram, quantum ſterili ingeniolo conceditur, attingere cupio diſciplinam. Quam etſi adſequi grande eſt, atq; difficile, ſequi tamen pulchrum eſt atq; ſublime. Quoniam ſummarum rerum non adeptio tantum, ſed etiam imitatio ipſa iucunda eſt. Quia nunquam fere aliquis eius rei portione ad integrum caret, ad quam ſcandere ac peruenire contenderit. Deſidero itaq;, Domine mi, deſidero, inquam, tuis cibis refici, tuo fonte potari, tuis repleri dapibus, tuis epulis ſaginari: quas ſi quis, diſtribuentibus vobis, non ſummo ore libauerit, ſed totis animæ viſceribus appetens conuiuia ſorbuerit, atque intimo pectoris poſtmodum easdem ruminaturus abſconderit; incipiet aſſiduis ructationibus in laudem Domini omnipotentis erumpere; refertus corde, ore ieiunus, dum ſatur eſurit, & ſaturatus eſuriens; magis in regeneratione ſaturandus. Nec deeſſe poterit cibus, cuius paſtus in verbo eſt. Vt ego harũ deliciarũ particeps eſſe merear, veſtris patrociniis obtinete; mihique ſupra menſuram virium conniteuti auxiliatores accedite, ſimulque & ab ouili vobis credito non inueniar alienus. Orate, errantemque ouem à paſcuis ſæculi ad caulas Dominicas reportate. quia confido, quòd interceſſionibus veſtris fieri poſſit agnus, qui veſter meruerit eſſe diſcipulus.

Digitized by Google

Domino, pectori ſuo Lupo, Ruricius. 10.

ACcepi literas magnanimitatis tuæ, quibus excuſare dignaris, quod vt me rarius eloquentiæ tuæ rore reſpergas, baiuli faciat inopia; ſimulq; etiam indicas, te mirari, cur, cùm mihi eorum frequentia ſuppetat, verborum quoq; copia compta non deſit, vobis ſcribere ſæpius detrectem. Quod vos per ironiam, vt eſt leporis veſtri facundia, iactaſſe non ambigo. Cùm & vos abundetis tabellariis, & me ſciatis laborare egeſtate ſermonis, ac ſterilitate exilis ingenii, velut æſtiuis menſibus arentis venæ curſum ſudare, non fluere. Addidiſtis etiã ſicut ACHILLI PATROCLVM, aut HERCVLI THESEVM, vel THESEO PYRITHOVM; ita vos mihi debere ſociari. In his fabulis factisq; maiorum non prærogatiuam perſonarum, ſed comparationem debemus dilectionis accipere; vt amicorum recolentes nomina, ſequamur exempla; & eorum in nos vocabula transferentes, merita conferamus; atque ex ipſorum geſtis magnifica quæque & honeſta carpentes, vitæ noſtræ vtiliter coaptemus; & ſeruiamus nobis in caritate candida, non adulatione fucata. Studeamusq; quod in amicitiis illorum poëtarum falſitas finxit, in nobis animorum veritas peragat; vt dum imitari videmur antiqua, relinquamus imitanda; & ſeniorum facta laudantes, laudemur à poſteris. Hæc ergo, domine mi, flam̃a pectoris mei, perſuaſioni tuæ, quàm conſcientię meæ amplius credens, gerulo feſtinante, breuiter curſimq; dictaui: quæ peritia tua, & probitas tua, ſi amici verecundiæ conſulit, aut celare debebit, aut emendare curabit.

Domino ſublimi ſemperque magnifico Fratri Fredar. Ruricius. 11.

QVoniam amœnitati nemoris veſtri etiam deſerti noſtri ineptias voluiſtis adiungi, transmiſi, ſicut iniunxiſtis, abietum plantas, non ſpecie, ſed proceritate placituras; non fructibus, ſed ſui peregrinatione mirabiles; non vſu aptas, ſed amœnitate iucundas. quippe quæ cum coaluerint craſſitudine vmbrarum * ceuenarum frigus * oceanis in æſtatibus præbituræ. Et hoc inter illas præclariſſimas diuerſi generis arbores, tam decore, quàm vtilitate præſtantes, opulentas onere, diſtinctas flore, odore fragrantes. Illis enim induſtria veſtra contulit, quod ſoli natura non protulit. Nam vt rubo-

Voces corruptæ.

Digitized by Google

rem roſarum, liliorum candorem, lauri perpetuum virorem, & alia huiuſcemodi ſimilia viſibus prætermittã (quia ſæpe per abundantiam pretioſa vileſcunt, & facit copia quotidiana faſtidium) illic etiam graminum, germinum, frutetorum peregrinæ conlatæ ſunt ſuauitates, viſui, vſuiq; vernantes. Sed quid illic primum laudandum ſit, aut mirandum, vbi etiam temporis intemperies temperatur? Siquidem inibi torridæ feruor æſtatis tam vmbrarum, quàm vndarum rigore depellitur. hiemis vero in tantum non ſentitur aſperitas, vt intra eadem potius tepor aëris, & cantus auium, veris reddat effigiem. Sed quid ego immemor imperitiæ meæ, paupere ſermone, mi domine, ruris veſtri diuitias, delicias deſcribere, aut enarrare contendo; ad cuius laudem etiam ingenia maiora ſuccumberent? Date itaque impudentiæ meæ veniam, quam extorſiſtis, qui vt auribus veſtris verboſus exiſterem, dignatio veſtra me compellit. confidens, quod Epiſtula longior vobis, dominis meis, ſi diſpliceret affatu, placeret affectu. Cùm intellexeritis eam non pro eloquentię lepore, ſed pro veſtro amore copioſam; ſimulq; quia ſciebam ſublimitatem veſtram in amicis veſtris plus reprehendere taciturnitatis verecundiam, quàm loquacem familiaritatis audaciam.

12. *Domino pectoris ſui, Celſo Ruricius.*

TRepido in præconiũ veſtrum os elingue reſerare, cui ſcio iure etiam ingenia maiora ſuccumbere. Quid enim primum de affectionis, aut dignationis veſtræ laude commemorem? qui omnes mihi ruris, * moris, &, quod his omnibus maius eſt, caritatis delicias contuliſtis, aut certe ſi quid horum defuit, deputandum tempori, non vobis eſt inputandum. Nam totum apud vos quod carum, pectus; quod habuit clarum, mundus, inueni. nulla me penitus iocunditate fraudaſtis; quin etiam deſiderabile mihi hoſpitioli mei deſertum veſtra vicinitate feciſtis. Et idcirco me magis finitimum vobis eſſe congaudeo; quia non ex toto malus eſt, qui bonis iungitur. Sed ne exhibeat vobis ipſa ineptia ſui longior ſermo faſtidium; ſalue largiſſimum dico; & vitrarium, ſicut iuſſiſtis, me deſtinaſſe ſignifico: cuius opus nitore, non fragilitate oportet imitetur vt dilectio, quæ nobis à parentibus relicta, magiſtro tradita,

Vert. oris.

vitæ

Digitized by Google

vitæ communione, firmata eſt ſecundis, elimetur aduerſis, nulla penitus turbinum procella frangatur. Nam ſicut auri atque argenti pretioſa ſinceritas ſi æris, aut plumbi, vel cuiuslibet alterius materiæ vilioris fuerit admixtione corrupta, niſi ignium examinatione purgatur, nec ſplendorem naturalem poterit habere, nec ſonum. Nam nec viſui claritatem, nec tinnitum reddit auditui, magisque raucum reſonat, ſi feriatur, & ſtridulum. Hanc ergo ſententiam, non meam, ſed Domini, frater optime, contuentes pariter & ſequentes, ita vitam noſtram medio curſu, gubernatore ipſo Domino, temperemus, vt quum ſerenitas adrideat, proſperior flatus inuitet, mare placidum blandiatur; ſcientes tamen illam æquoris ſubiecti planitiem ad inſtar montium repente conſurgere; neque in altum nauem noſtram patiamur impelli; vbi eam aut tempeſtas ſoluat, aut vnda demergat.

13.

Domino pectoris ſui Celſo Ruricius.

RE cepi apices germanitatis tuæ, qui mihi non parum ſcrupuli retulerunt. Vereor enim, ne ſecus de litteris meis quàm à me miſſæ ſunt, cenſueritis. & idcirco quaſi temerariæ præſumptionis memores videamini, dum vt pro vobis orem, ac ſæpius commoneam, poſtulatis. Egone frater optime, caſtigare vos audeam, qui me nequeo caſtigare? Egone vos, qui me ſæculi adhuc in turbinibus tanquam in maris æſtibus cymba inſtabili fluctuantem, quaſi iam de ſublimiori ſpecula vel eminentiori colle reſpicitis? Egone vos, qui ad portum veniæ per pœnitentiæ indulgentiam, Domino gubernatore?* Non ego penitus, frater dilecte, ſic ſcripſi, vt mihi aliquid blandiens, vos improbo dente morderem, nec vt vos læderem; ſed mihi Epiſtulæ familiaritate vincirem Nam ſi bene conſideretis, votorum ſunt illa verba, non actuum; & optantis potius, quàm monentis. quia non quid ageremus, ſed qualiter vellem, vt viueremus, expoſui. Ceterum ſi actus vitæ meæ præteritæ præſentisq; diſcutias, pudebit te, intimo & ſecretiſſimo fratre teſte, ferre, quæ non puduit Deo teſte *, promittere. pro quibus facinoribus meis ſpero vos potius Domino ſupplicetis, vt quos in hoc ſæculo amicitiarum & propinquitatis

Deeſt verbum.

For. committere.

tatis voluit eſſe conſortes, in futuro bonorum iubeat eſſe participes.

14. *Domino pectoris ſui Celſo Ruricius.*

EQuum qualem iuſſeras, deſtinaui, manſuetudine placidum, membris validum, firmum robore, forma præſtantem, * factura compoſitum, animis temperatum, nec præproperum ſcilicet velocitate, nec pigrum: cui frenus & ſtimulus ſit, ſedentis arbitrium, cui ad euehendum onus, & velle ſuppetat & poſſe; ita vt nec cedat ſuperpoſito, nec deponat impoſitum. His itaque, ſicut oportuit intimatis, ſalutatione prælata, pollicitatione diſpenſa, promiſſa depoſcimus, vt ad ſolemnitatem ſanctorum ad nos, Deo propitio, vna cum ſorore venire dignemini: honorem Patronis, fratribus affectum, gratiam populis præſtituri.

Fort. ſartura.

14. *Domino ſuo peculiari in Chriſto domino patrono Eonio Epiſcopo Ruricius.*

AGnito tranſitu ſancto, & venerabilis apud me recordationis domini mei deceſſoris veſtri, Leontii, animo & mente confuſus diu multumq; triſtatus ſum, quod & impedientibus peccatis meis, tanto antiſtiti occurrere non merueram, & tali eſſem parente priuatus. Cuius etſi exterioris hominis non fruebar aſpectu, interioris tamen gratia delectabar, & mentis acie iugiter adhærebam; per quem & in quo mihi præſens quodammodo & cernebatur obtutu, & audiebatur affectu, & palpabatur adtactu, & tenebatur amplexu. Siquidem cari nullo ſe melius loco, quàm in corde, caritatis ipſius ſede conſpiciunt. Vnde & amplius deſiderabam oculis videre carnalibus, quem ita ſpiritalibus intuebar. Sed dolori meo conſolationem ea quæ prius tribuerant, ſolatium ipſius merita dederunt. Quia confido, quòd quem paterna pietate dilexit, & ſedula interceſſione cuſtodiat. Sed hæc ſanctitati veſtræ quaſi vobiſcum colloquens, atque à vobis mœroris ipſius leuamen requirens, dictante dilectione, retulerim. Nunc vero, vt dicere inſtitueram, acceſſione ipſius domini mei, & apoſtolatus veſtri ordinatione comperta, ad officium veſtrum mittere cogitabam. Sed muneribus veſtris humilitatis meæ præueniſtis obſequium. quæ mihi maiorem ſcribendi fiduciam contulerunt. quia præſumo, quod quem liberalitate feceritis dignum

Digitized by Google

gnum, ab animis veſtris non habeatis alienum. & ideo ſicut dictis intellexi, quoniam tanti habere dignanimi, ſoſpitationem beatitudinis veſtræ per litteras vberem dico; ſimulq; peculiari prece depoſco, eo mecum agere tanto habeatis affectu, vt dominum LEONTIVM præmiſiſſe, & commutaſſe potius, quàm perdidiſſe cognoſcam.

Domino venerabili, admirabili, & ſanctis omnibus æquiparando, Fratri, Sidonio, Videnti, Ruricius. 16.

OLim te, frater chariſſime, fama celeberrima prædicante, cognoui, & in ſede caritatis illis, quibus ipſe melius terrena deſpicis, & cœleſtia diuinaq; conſideras oculis mentis aſpexi: vnde ipſius nomen adſcripſi, cuius munere donatũ eſſe te vidi. Et ideo dum te in ſpeculo cordis diligenter, & pulchritudinem interioris hominis tui vehementer admiror, ad deſiderandum animi mei viſcera concitaſti, quæ in tantum affectum tuum meraciſſima dilectione commota ſunt; vt quem ſpiritalibus oculis contemplor, etiam carnalibus cernere concupiſcam. Quamobrem, ſalue in Chriſto Domino plurimum, dicens ſpecialius, quæſo, vt vnà cum domno meo EPISCOPO; quem ad nos venturum pro ſua dignatione confido, vobis, ad humilitatem noſtram viſitandam, faciatis iniuriam, vt poſſimus in vnum poſiti fructum de noſtra inuicem carpere præſentia; dum ſciſcitantis intentio, fit reſpondentis eruditio; & mutuus quodammodo profectus diſcentis efficitur, & docentis. Pax, pax, pax.

Domno animæ ſuæ, & totis in Chriſto Domino dilectionis viſceribus excolendo Pomerio Abbati Ruricius Epiſcopus. 17.

SCriptum eſt, ſicut ipſi melius noſtis, Mihi Vindictam, ego retribuam, dicit Dominus. Iam vos mihi ſiquid imputatis, ignoſcite: quia ſciatis Dominum vindicaſſe. Tam auiis nos eſſe itineribus noueritis, in tam abditas ſolitudines inductos, vt eas retexere animus horreat, mens refugiat, ſermo non queat. Incurrimus namque ſemitam obſtructam ramis, ſpatio conſtrictam, ſpinis hirtam, ſtirpibus clauſam, obſitam ſentibus, ſitu aſperam, ſaxorum aggeribus impeditam, radicũ connexione conſtratam, cœno voraginoſam, vt in tam variis, tamq; multiplicibus malis non eſſet ſimplex forma

Deut. 32. 35. Rom. 12. 19.

Digitized by Google

periculi; dum caballorum pedes radicum virtus detinet, & ſoli putredo non ſuſtinet. montibus vero ita in ſublime porrectam, & vallibus in profunda demerſam, vt nos per vndoſum mare, excitantibus ventorum ſæuientium flabris, erepto ab oculis noſtris nebulis ac nubibus die, iter agere crederemus. Quia etiamſi mundo radius ſolis illuxit, ad nos præ denſitate nemoris ſplendor ipſius, & calor peruenire non valuit. dum nos ita per iter infelicium felicium proceritas premit, & ſic inundatio roris adſpergit, vt contracti frigore, vel coacti apricitatem ignis plurimi diebus cynocaumatis quærimus, Sed cùm ad locum, ad quem tendebat intentio, peruenissemus, vallati aquis atque madefacti, ſiti occepimus deperire. Quia cum eſſet, vt diximus, rigor in aëre, erat tamen tepor in fonte, odor in flumine, ardor in campo, æſtus in caſtro, & vt breui ſermone vniuerſa concludam, per talem viam nos iter egiſſe cognoſcite, per quam nec ad paradiſum, nõ dicam ad exiliũ ire quiſquam deſideret. Quapropter quia hæc omnia Dominus noſter & me incurrere, & vos iuſſit euadere; peccata mea à veſtris meritis etiam viſibili itinere diſcernens; & vos qui arcta & laborioſa ſpiritaliter pergitis via, iſtas non incideretis anguſtias, & nos qui lata & ſpatioſa, retrorſum ſemper reſpicientes incedimus, huius incurrimus iniurias. Orate Dominum, cui omnia poſſibilia confitemur, vt etſi per diuerſum iter, ad vnam nos tamen vrbem faciat conuenire; in quam nos miſericordia poteſt inferre, vos merita.

18. *Dulciſſimo & vnanimo filio Omacio Ruricius Epiſcopus.*

VT per VENERIVM dulcedini tuæ non ſcriberem, non negligentiæ, nec imputationis alicuius, ſed occupationis fuiſſe cognoſce. vnde has per AMELIVM dedi, quibus ſalue plurimum dico. & vt propoſiti tui ſemper reminiſcaris, cõmoneo. Nec animum tuum iam Deo dicatũ aut à cepto itinere blandior viſus auocet aut modulatior corrumpat auditus, aut dulcior guſtus inficiat, aut mollior ſollicitet tactus, aut ſuauior odoratus illiciat, & per feneſtras corporis mors intromittatur ad animam. Sed neq; ſtiuam tenens, contra domini ſententiam retro reſpicias, vt directum lineæ ſulcus amittat: quin potius ita in eum, cui te, ipſo inſpirante, vouiſti, omnibus ſenſibus inhies, & corde defixus adhæreas, vt cum te vel vna præfatorum vitiorum illex forma pulſauerit, fide firma, & diuina meditatione munitum pectus
Luc. 9. 16.

adire

adire non poſſit. Et quamlibet in turbis poſitus eſſe videaris, intrans in cubiculum cordis tui, clauſo oſtio tuo, Dominum orare non deſinas; vt qui videt in occulto, dicat tibi, ſicut ſanctoMoyſi vociferanti ad ſe non voce, ſed corde dicebat: Quid clamas ad me? Et ſpero vt in talibus orationibus etiam mei meminiſſe digneris, & citius te ad nos, etiam ſi inter nos reducit affectus, deſiderium dulciſſimæ & ſaluberrimæ quietis adducat. *Matt. 6. 6.* *Exod. 14. 15.*

Explicit Domni Ruricij Epiſtolarum liber primus.

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

Epiſt. 1.

Domnis ſublimiſſimis in Chriſto Domino deuinctiſſimis fratribus Namacio & Ceraunia Ruricius.

1.

ANtiqui ſapientes amicos duos vnam animam habere dixerunt. quod valde verum eſſe ego prædico, proboq;. Nam poſtquam à veſtra germanitate diſceſſi, diuiſum eſſe me ſentio, partemq; meam vobiſcum reſidiſſe cognoſco. Nec abſentibus vobis integer eſſe mihi videor. Et cùm me in me non inueniam; apud vos me, ad vos reuerſus, inquiro, atq; ibidem, quantum me iubes reliquiſſe, tantum veſtri mecum abſtuliſſe conſpicio. Et ita priusquam fiat, annuente Domino, pignorum noſtrorum votiua coniunctio animorum inter nos facta iam diuiſio, quæ * diuino amplectenda magis eſt diligentibus, quàm vitanda; per quam fit in cordibus eorum caritatis integræ ſincera transfuſio; cuius ego vinculis conligatum à vobis eſſe me gaudeo, & talibus catenis vinctus exulto, obſtringiq; me earum nexibus magis cupio, quàm reſolui. Quibus & vos conſtrictos eſſe confido. Redeuntibus itaq; veſtris ſalue largiſſimum dico, & ex omnibus gratias agens derelinquo, quæ ad præconium noſtrum pertinent. Idcirco me ſiluiſſe ſignifico, quia in propriis laudibus, ſicut dicitur, eſt odioſa iactantia. veſtra enim laus mea facta eſt; & ideo, vt dixi, de magnanimitate veſtra tacere melius duxi. quia quidquid de vobis dixero, mihi videor contuliſſe. *F. Diuiſio.*

Digitized by Google

2. **Dominis ſublimiſsimis, & in Chriſto Domino deuinctiſsimis fratribus Namacio & Ceraunia Ruricius.**

INter reliquas grates, quæ à me vobis iure referendæ ſunt, præſentia ac viſione patroni communis domni POSTVMINI ingentes gratias ago, quod hoſpitiolum veſtrum feciſtis ipſius orationibus inluſtrari. Quia dum vobis exhibet fidem, nobis tribuit benedictionem. & licet fuerit vigilantiſſimus inſpector, importuniſſimus exactor, diſtrictiſſimus executor; leuia tamen hæc omnia gratia veſtra & ſanctitatis ſuæ ponderatione penſauimus. quia ſicut 1. Cor. 13. 7. ſcriptũ eſt: Caritas omnia ſuſtinet, caritas nunquã excidit. præſertim cùm hoc, quod viſus exigere, nobis eum credimus Dei beneficio cõtuliſſe. Itaq; eo * propria ciuitate remeante, non q̃a neceſſariæ eſſent, ſed quia voluit, dedi, quibus indiuiduæ germanitati veſtræ ſalue largiſſimum deſiderans dico. Iter meum, veſtrũq; conſpectum mente p̃uenio, atq; omnia, ſicut iuſſiſtis, & dignũ ac debitum fuit, inſpecta, tradita, firmata ſignifico. Nec vereor quod debeat animos veſtros vel aliquantiſper offendere, quod vnũ vocabulum de libello dotis videt eſſe ſubtractum; cùm hoc quod deeſt numero, non ſolum compenſatum, ſed etiam auctum agnoſcitis in merito.

** f. propria di ciuitate. Sed vocula, di, eſt deleta. An: propria de ciuitate, an: propriam in ciuitatẽ, legendum?*

3. **Dominis ſublimibus & in Chriſto Domino deuinctiſsimis fratribus Namacio & Ceraunia Ruricius.**

QVàm grauiter ſim de luctu veſtro nuntij atrocitate perculſus, facilius vos pro mutuo poteſtis amore coniicere, quàm ego poſſim litteris intimare. Quia animus nimio mœrore cõfectus, quod horret recolere, renuit expedire. Doleo, fratres deuinctiſſimi, tam acerbo caſui veſtro & toto corde compatior. Nam etſi ad præſens à vobis ſeparatus ſum corpore, tamen ſemper mente coniungor. & dũ à vobis animo non recedo, planctibus veſtris intereſſe me credo. Quia ſecundum diuinam ſententiam quod patitur vnũ membrũ, omnia membra compatiuntur in corpore. Nos enim non ſolum fide cõcorporamur in Chriſto, ſed etiam filiorum coniunctione connectimur. Vnde etiam ſi curarum tanta intemperies permiſiſſet, ad ſolandos vos, pro Epiſtulis ipſe veniſſem. Sed quid facimus, fratres optimi, quod diuinæ reſiſtere iuſſioni, ſicut virtute non poſſumus, ita nec volu-

voluntate debemus, & omni aduigilantia præcauere, ne dum dulcia nobis pignora nimio dolore deflemus, blaſphemi, aut quodammodo iniurioſi videamur in Domino; & grauius animam noſtram auctor ipſius meritis inuenta occaſione confodiat, quàm carorum amiſſione percuſſit. Ideo in omni amaritudine vel dolore ad illum nobis refugiendum eſt, & ad illum omnes caſus noſtri toto corde referẽdi, qui ſanat vulneratos, qui releuat mœſtos, qui conſolatur afflictos. & illa ſententia ſancti Iob omnino dicenda eſt: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita & factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. *Iob 1. 21.* Hæc ergo Domini pectoris mei, ſcribere vobis idcirco præſumpſi, vt dolorem communem, quem ſciebam, quòd verbis meis mitigare non poteram, vel diuinis eloquiis vtcunq; moderarer. Et verè non minimum poteſtis capere de Chriſti voluntate ſolatium, quod quatenus ipſum immaturus manebat interitus, talem eum eſt dignatus aſſumere, qualium regnum dixit eſſe cœlorum; *Mat. 19. 14.* vt & patronum haberetis ex filio, & minus doleretis amiſſum, quem à Domino videbatis aſſumptum.

Dominis ſublimibus & in Chriſto Domino deuinctiſſimis fratribus Namacio & Ceraunia Ruricius.

4\. SÆpius, cariſſimi fratres, propter communis luctus acerbiſſimum caſum vobis ſcribere, aut ad vos venire diſpoſui, ſed ſemper me & ab itineris procinctu infirmitas corporis, & ab epiſtulari officio nimius dolor cordis retraxit. Nam ſi quando ad ſcribendum animum conatus ſum intendere, ſtatim ſenſus horruit, mens refugit; & ita mihi pro ſermonibus ſemper fletus occurrit; vt prius paginam lacrimarum imbre perfunderem, quàm ſtylo pingerem, ſicut dixit ille paternam indicans de filij amiſſione pietatem.

Bis conatus erat caſus effingere in auro;
Bis patriæ cecidêre manus.

Vel quod potius à me dicitur: Quoniam negabat conſolari anima mea. *Pſal. 76. 3.* Haud iniuria. Perdidi enim filiam, quam & me ſuſcepiſſe, & vos genuiſſe gratulabar, perdidi vitæ ſolatium, poſteritatis ſpem, decus familiæ, cordis gaudium, lumen oculorum. nec ſimplici ſum orbitate percuſſus. nam cum filia & fratres amiſi, quorum me ſolabar affectu, quorum me coniunctione iactabam. Diſruptum eſt, fratres cariſſimi, vinculum germanitatis noſtræ, ablatum nobis eſt pignus

Digitized by Google

mutuæ caritatis. Heu mihi, fratres optimi, dum depoſitum veſtrum cuius me traditione ceperatis, amitto, vnà vos perdidi. & ideo in vnius neceſſitudinis gradu, complurium mihi neceſſitudinum ſolatia ſublata ſuſpiro. Solam tamen patriam, quæ mihi per ipſam acquiſita fuerat, non amittam, qui hanc mihi potiſſimum terram, quam illa corpore ſuo occupauit, patriã iudicabo. Sed quo immemor officij, memor gratię, dolore impellente, progredior? & tempore aliquatenus vulnus obductum, rediuiua recordatione, tanquam noua ſectione reſcindo? & qui conſolari vos potius per diuina promiſſa cupiebam, conſolationẽ ipſe nõ capio. Cauſas tamen vobis recidiui huius doloris exponam. vtcunq; enim animus mœrore confectus recipere conſolationem Apoſtolica exhortatione iam cœperat quę ait: Nolo vos, fratres, ignorare de dormientibus, ne contriſtamini, ſicut cęteri, qui ſpem non habent. Sed vbi infelix noſter communis aduenit, & eum ſine ea, qua prius ſplendebat, gemma conſpexi, per quam mihi & acceptior eſſe ſolebat, & gratior, & quaſi ornamento proprio ſpoliatus, mihi & indecorus apparuit. Nouit ille, fratres cariſſimi, qui cordium occulta rimatur, quòd ita mihi dolor repente geminatus eſt, & ita mihi per ſingulos dies de tanta indole illius, & iſtius deſolatione affectus duplicatus & luctus, vt nec hunc aſpicere; nec illius meminiſſe ſine lacrimis queam; & Propheticum illiud ſæpius dicam: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrimarum? Sed ille populi ſui peccata deflebat; ego vero propria, quæ & me & vos pondere ſuo & numeroſitate preſſerunt; Ego vt illius mortem, & meam vitam, illam defunctam, & me ſuperſtitem plangam. Longe aliud tibi, venerabilis ſoror, quaſi de noſtris meritis præſumebas, cùm tantum tibi, nimia caritate decepta, de noſtris orationibus, me refellente, promitteres, vt domum tuam noſtra interceſſione ſaluandam, & filiam per me, vt ita dicam, fore crederes immortalem. Sed cito apparuerunt merita mea, quæ me inremediabili vulnere ſauciarent, & te ſecus, quàm oportuerat, de peccatore credentem, tanti pignoris orbitate percuterent. Vel nunc certe in Chriſto Domino venerabilis ſoror, & te falſa crediddiſſe, & me vera dixiſſe cognoſces. Sed nimium diu immemores præceptorum cœleſtium humano dolori præbemus adſenſum. Ad diuina nobis præcepta redeundum eſt; ne ita plangamus corpore mortuam, vt ipſi corde moriamur. Diſcedentes ergo paululum de præſentibus, rurſum futura cogitemus; vt quos infirmant præſentia, futura corrobo rent. Nos debemus, fratres cariſſimi, illam

1. Theſſ. 4. 13.

Ierem. 9. 1.

ferre

ferre conditionem humanæ fragilitatis, quam & Prophetæ, & Apoſtoli, & ſancti iuſtique omnes, vel quod maius eſt omnium, Dominus noſter ſuſcipere dignatus eſt. Deplorare (ſed magis Deo gratias agere & gaudere) non conuenit, quod filiam, qualem quidem voluimus, quam Diuis, q dederat, promiſit, habuim⁹; & quidē mutauimus, non perdidimus; ſed ad Chriſtum, ipſo iubente, præmiſimus. habere enim filios, generalis eſt beneficij; bonos vero habere, ſpecialis eſt pręmij. ſicut viuere commune eſt omnium; bene vero viuere & bene deſcendere de hac vita paucorum eſt; non tamen naturæ conditione, ſed culpæ, nec diuina præſcriptione, ſed propria voluntate. Et ideo non turbetur cor noſtrum, nec filiam pro amiſſione, ſed pro deſiderio defleamus: nec vt Dominicis promiſſis increduli, aut præcepti obliti eſſe videamur. Fleant liberos ſuos, q ſpem reſurrectionis habere non poſſunt; quam eis perfidia ſua adimit, non diuina ſententia. Fleant mortui mortuos ſuos, quod in perpetuum æſtimant interiſſe. Illi nullam mœroris ſui habeant requiem, qui non credunt eſſe requiem mortuorum. Nobis verò, quibus & ſpes & portio Chriſtus eſt, ſpes in terra morientium, portio in regione viuorum; quibus mors iſta non naturæ, ſed vitæ præſentis eſt finis; quia eam in melius credimus eſſe reparandam, iuxta Apoſtoli ſententiam: Cum corruptibile hoc induerit incorruptionem; Cum Propheta dicendum eſt: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino viſum eſt, ita factum, ſit nomen Domini benedictum. Quia tenenda eſt in tentatione pœnitentia, ne cogat aut ore aut corde delinquere. 1. Cor. 15. Iob. 1

Fletus itaq; veſtros fides prompta detergat; quia credimus caros noſtros vitam nō tam perdere, quàm mutare; relinquere ſæculum cernimus & luctibus plenum, & ad regionem beatitudinis feſtinare; Exire de peregrinatione laborioſa, & ad quietis patriam peruenire. Vnde & Propheta dicit. Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo. Credite mihi fratres cariſſimi, quia illa iam de ſua quiete ſecura, de noſtra eſt ſalute ſollicita; quæ ſi nobiſcum poſſet miſcere conloquia, hoc diceret: Nolite pij parentes, nolite me flere; nec ingrati tam benigno Domino planctibus nimiæ dilectionis exiſtere. Eſto habuerit tempore meæ arciſitionis hoc pietas; iam debet dolorem veſtrum fides cum tempore temperare. Quia etſi vobis mortua ſum, Deo viuo. Aut nunquid vos magis poteſtis amare, quàm Dominus, qui me fecit? qui me donauit vitā, emit, redemit, quia voluit; & quando voluit pro ſua pietate ſuſcepit. Aut quod magis doloris Pſal. 141. 8.

veſtri

Digitized by Google

veſtri poteſtis habere ſolatium, quàm quod Dominus noſter vnicum filium ſuum pro nobis eſt tradere dignatus ad mortem? Et cum filius Dei ſecundum carnem mori voluerit, homo tam acerbè debet conditionem humanæ ſortis excipere? Quamobrem, piiſſimi parentes veſtra potius peccata deflete, & de ſatisfactione veſtrorum criminum cogitate; vt ſi me in Chriſto diligitis (quia me verè diligere non poteſtis, niſi in Domino diligatis) in ſinum Patriarchæ venire mereamini, vbi Dominus pro iñocentiæ * meæ puritate, & pro ſua pietate conſtituit. quia miſericordia eius melior eſt ſuper vita. vt ibidẽ non falſis, ſed veris; non temporalibus, ſed æternis gaudiis pariter exultare poſſimus. Talibus oportet, vt vos, optimi fratres, & his ſimilibus præceptis ac * ſponſibus Dominicis conſolemur. Quia, ſicut apud Dominum futura iam facta ſunt, ita fidelis catholicus promiſſa cœleſtia, quæ tempore ſuo implenda confidit, debet etiam quodammodo habere præſentia, ſpe præcipere, poſſidere fide, operibus obtinere. Hæc enim ſunt, quæ nobis exhibent in mœroribus ſolatium, in contrariis fiduciam, in proſperis moderationem; ne aut extollamur ſecundis, aut cedamus aduerſis, aut triſtibus conſumamur. Hæc ergo, fratres chariſſimi, transmittenda vobis ad communem quandam conſolationem, non ſine magno animi dolore dictaui. nec me paulo latius protrahere ſermonem affluentia verborum compulit, ſed æſtus animorum; vt deſiderium, quod recordatio accenderat, commemoratio diutina crebra leniret; & in hoc etiam parem gratiam erga communem filiam conprobemus. & ſicut nos eius vita deuinxerat, ita eius memoria in eadem dilectione cuſtodiat,

Fort. ſua.
Pſal. 62. 4.
** Sponſionibus.*

Domno ſublimi & in Chriſto Domino deuinctiſſimo fratri Namacio Ruricius.

5. QVi occaſionem ſcribendi pro neceſſitudinis iure perquirimus oblatam, prætermittere non debemus; vt reddat nobis quandam præſentiæ portionem ſermo meditatus, qui emittitur, & non admittitur; tribuitur, & habetur; videtur diſcedere, nec recedit; à me dirigitur, à te ſuſcipitur; à me ſcribit, à te legitur; nec tamen diuiditur, cùm quaſi diuiſus integer vtriusq; corde teneatur. Quia verbi more diuini traditur, & non egreditur; confertur indigenti, & non aufertur auctori; accipientis lucrum, ſine diſpendio largientis; ditans inopem, nec attenuans poſſeſſorem.

Domno

Domno ſuo, & peculiari in Chriſto Domino, patrono, Cronopio, Epiſcopo Ruricius Epiſcopus.

IN ordinando grege Dominico, vel regendo, inter ſpeculatores atque præpoſitos non præſumptio debet eſſe, ſed ratio; & de cuſtodia ſolicitudo, non de peruaſione contentio: ne mercenariorum ſubeant notandum, dum paſtorum non tenent diſciplinam; & inueniantur, ſicut Apoſtolus dicit, Non Chriſti gloriam affectare, ſed propriam; dum malunt ab hominibus percipere laudem, quàm à Domino expectare mercedem; præſentis appetitores lucri, & præmij contemptores æterni. Vnde ſicut idem Apoſtolus docet ſi pacifica ad opus ſanctum cõgregatione concordes, ſi ſine ſimulatione diligentes, ſi cum ſollicitudine miniſtrantes, ſi vnius capitis membra ſumus corporis vnanimiter debemus eſſe rectores. Quia caulæ gregis Dominici poſſunt eſſe numeroſitate multæ, non fidei varietate diuerſæ. vt, ſicut ipſe Dominus prænuntiare dignatus eſt, non nobis per inuidiam diſſidentibus, & per diſſenſionem gregem Dominicum diuidentibus, multiplex per nos ſchiſma procedat, ſed magis per vnitatem doctrinæ ſimplices oues Dominicas congregantibus, fiat in nobis vnus grex, & vnus paſtor, qui ſicut eſt rex regum, & Dominus dominantium, ſacerdos ſacerdotum, & pontifex pontificum; ita intelligatur & paſtor eſſe paſtorum. Quamobrem ſtudio caritatis, non cupiditatis, * has ad ſanctitatem veſtram presbyterum meum pro diœceſi GEMILIACENSI, vnde iam pridem vobis ſcripſeram, deſtinaui; ne ſi tacuiſſem negligentiæ deputaretur non concordiæ. rationi * inrationabilis vides ceſſiſſe non pauci, vt ſi agnoſcitis vera eſſe, quæ dico, aut iuſta quæ repeto; nec me iniuriam diutius, nec vos inquietudinem diutius ſuſtinere patiamini.

6.

1. Theſ. 2. 6

Rom. 12.

1. Cor. 12.

Ioan. 10. 16.

Fort. cum his.

Locus corruptus.

Domno ſublimi ſemperq́; magnifico Fratri Elaſio Ruricius Epiſcopus.

ITa propitio Deo operum tuorum fama percrebuit, vt omnes in laboribus conſtituti commendari ſe germanitati veſtrę omni precum ambitione depoſcant. Quia fatigationem ſuam apud vos effectum habere non dubitant. Vnde etiam portitor harum nomine VLFILA, quem mihi * FRARETRIVS presbyter ſuis litteris commendauit, ad vos commendatitias poſtulauit, quas ei & ꝑ iuſſione diuina, & pro iuſtio-

7.

vel Fraſetrius.

Digitized by Google

iuſſione mutua libenter indulſi. Quibus indiuiduæ caritati veſtræ ſaluæ plurimum dico, & præfatum pro affectione germana, non pro pontificali autoritate commendare præſumpſi. Quia in peccatore amittit dignitas dignitatem; Cui honor indebitus oneri eſt potius, quàm honori. quod licet vobis placere pro noſtra deuinctione confidam, tamen ſiquid nobis veri vel vicarii amoris impenditis, ſpero condoleatis potius, quàm gaudeatis. quia indignum me, & penitus non merentem non attollit res tanta, ſed deprimit.

Domino ſancto & Apoſtolico & mihi præ ceteris in Chriſto Domino cultu affectuq; peculiarius excolendo patrono & Papæ Aenio Ruricius Epiſcopus.

8.

Fort. quotiescunq; aliqui.

QVotiensq; quicunque* ſanctos aut Apoſtolicos viros quos miſericordiæ opera, operũ merita, meritorũ vita commendat, atq; omnium virtutum fama diſſeminat, ærumnarum mole depreſſi coguntur expetere, dum literarum ſolatium quærunt labori ſuo, beneficium conferunt deſiderio noſtro. Et cum ſit illorum labor noſter dolor, ſit tamen per officij conlationem eorum neceſſitas, quadammodo caritas noſtra, qua dum ipſorum adquieſcimus petitioni, noſtræ ſatisfacimus voluntati. & ita fit vt egeſtas petentis, ſit largientis vtilitas. Fratri itaq; & conpreſbytero noſtro, POSSESSORI nomine, * quo pius eſt potius, quam facultate; quia quod habuit pro fratris redemptione profudit, factus eſt poſſeſſor paradiſi, dum proprietatis ſæculi deſinit eſſe poſſeſſor. Ad Apoſtolatum veſtrum commendatitias poſtulanti libenter indulſi. Cuius neceſſitatem ſi dignatur plenius ſanctitas veſtra cognoſcere, epiſtulam, quam ad humilitatem meam frater noſter EVMERIVS epiſcopus per ipſum direxit, tanti habeat recenſere; & illic agnoſcet qualiter ipſi debeat & pro conſuetudine conſulere, & pro caritate mutua condolere. Qui vt fratrem ab hoſtibus redderet liberum, ſe creditorum maluit eſſe captiuum. & vt ille crudeliſſima morte non priuaretur vita, ipſe extorris eſt factus è patria.

M S. vitiosè quod pcius eſt.

Sancti Apoſtoli Pauli ſententiam * conſtituentes qua Romanis ſcribens ait: Nolo vos ignorare fratres, quia ſæpe propoſui venire ad vos, ſed prohibitus ſum vſque adhuc; & nos dicere pudore inſtigante compellimur: Crebrius volumus ad ſinceriſſimam pietatem veſtram ſcripta dirigere, ſed prohibiti ſumus vſque nunc; prohibente nimirum

Prius erat in M. S. cõtuentes. Rom. 1. 13.

rum illo, qui bonæ voluntati conſueuit ſemper obſiſtere, inuidens ſcilicet profectui noſtro, & affectui veſtro; affectui noſtro, & profectui veſtro; * profectui noſtro & affectui veſtro. quia doctrina veſtra, eruditio noſtra eſt; & epiſtula noſtra, conlatio deſiderij veſtri eſt; & rurſus profectui veſtro & affectui noſtro. quia eruditio noſtra, merces veſtra eſt; & * tempora conlatio deſiderij veſtri, veſtri eſt ſermonis affectus. Ita enim paucis diebus, quos mihi vere & paucos & breuiſſimos veſter fecit affectus, dum contemplatione veſtra non ſolum ſatiari noſter nequit, verum etiam videndo magis exardeſcit intuitus; cum nos & deſideraremus præſentes, & ad hoc coram poſitos quæreremus, ſenſus noſtros fonte puriſſimo benigni pectoris irrigaſtis, vt quamlibet nulla deinde ſancti oris munera pretioſa perciperem, præſentiam tamen veſtram intra mentis meæ arcana poſſideam, & effigiem veſtram in ſpeculo mei cordis intuear, quam illic tua caritas perfecta depinxit, vt nullius ætatis obliuione poſſit deleri; quia iugi recordatione momentis ſingulis innouatur. Illic enim vobiſcum ex conſuetudine pietatis veſtræ ſecretius conloquor. Illic etiam de vitæ melioris inſtitutione pertracto. Illic vos labiis mentis exoſculor, & manibus cordis amplector. Quo fit, vt vera dilectio, quæ in viſceribus meis viua vultus veſtri figuratione nutritur & igniculo caritatatis accenditur, amoris veſtri viciſſitudinem mihi repromittat. & animus meus mihi animi veſtri fideiuſſor adſiſtat; dum quantum mihi de vobis præſumere debeam, conſcium mutuæ dilectionis pectus interrogo. Vnde ſcribendi mihi aditu orationibus veſtris tandem aliquando reſerato, hanc ſalutationem defero, & interceſſionem peccatorum requiro. Illud ſpeciali prece depoſcens, vt miſericordiam Dei noſtri aſſiduis petitionibus flagitetis omnibus delictis meis, atque omnibus, opitulantibus vobis conſuetudinaria clementia & copioſa bonitate, delictis, & ſi non ad idem præmium, ſaltem ad eundem nos portum quietis iubeat peruenire; vt quatenus hic propter ſpatia interiecta terrarum oculis corporis ſæpius nos videre non poſſumus, vel ibidem de mutua præſentia gaudeamus, vt quando vobis à iuſto Iudice retribuatur corona meritorum, mihi à piiſſimo redemptore, & aduocato perfectiſſimo * commiſſorum venia non negetur. ipſe ante iudicium peccatoris agere dignetur cauſam, ne in iudicio puniat culpam. quia nouit quippe omnipotens nec in bonitate clementiæ iudicij perdere veritatem, nec iudicij ſeueritate clementiæ amittere bonitatem. Et ideo per ineffabilem miſeri-

* Hæc redundant.

* Fort. ſemper.

M. S. omiſſorum. fort. omiſſorum.

Digitized by Google

cordiæ ac virtutis operationem vobis præſtare dignetur, vt quos hic veritate coniunxit, illic habitatione non ſeparet; promiſſionem veſtram recolens peculiarius rogo, vt fratrem POMERIVM, ſanctitas veſtra non ſolum non retineat, verum etiam ad nos venire compellat, partemque ſuam nobis in diuiduum vtriusque transmittat. Nec eum à vobis diſcedere, ſi ad me acceſſerit, iudicetis, quia & vos hic inueniet in me, & cum eo vos, reſidente corpore; vt confidimus, corde venietis. Sed & inde non paruum fructum habere poteritis, ſi ruſticitas noſtra doctrina ipſius aliquid in DEI timore profecerit.

M.S. nobis indiuiduū vtriusq.

9. *Domno animæ ſuæ & in Chriſto Domino viſceribus excolendo Pomerio Abbati Ruricius Epiſcopus.*

SApientes ſæculi amicos duos vnam animā habere dixerunt, quod ego etiam eccleſiaſtico teſtimonio verum eſſe confirmo, quod ait: Credentium autem erat anima & cor vnum. Vnum vtique caritate, non numero; & fidei ſimplicitate, nō ſingularitate perſonę. Hoc ergo prædico proboque. nam ex quo à veſtra vnanimitate diſceſſi, diuiſum eſſe me ſentio, partemque meam vobiſcum reſediſſe cognoſco. Nec abſentibus vobis, integrum eſſe me credo; & cum me in me non inueniam, apud vos me ad vos regreſſus inquiro; atq; ibidem quantum me vobis reliquiſſe, tantum veſtri mecum abſtuliſſe conſpicio. & omnipotenti Deo gratias ſuper tam admirabili facto eius refero, quod ita generali tribuere diſpenſatione dignatus eſt, vt inter eos, quos locorum interualla diſcriminant, liber ac nullis concluſus abſentiæ legibus animus commearet; nihilque eſſet tam impenetrabile, quod mentis aſpectibus non pateret; ſed per cordis intuitū inde ſe inuicem cari, gratia intercurrente, conſpicerēt, vbi caritas ipſa conſiſtit. Et ideo ſalutem pleniſſimè erga me quantū propria mente cōiicio, pietati veſtræ deferens, omni precū ambitione depoſco; ſi nobis parem repenſatis affectum, ſi ſimili caritate nos diligitis, ſi aliquid in viſceribus veſtris, amor noſter operatur, ſi vsque ad medullas cordis veſtri dilectio noſtra peruenit, ſi ita vos pro me, quàm me pro vobis dulcedine poteſtatis edomuit, vt imperio ipſius nec poſſitis reſiſtere, nec velitis; ad deſiderantem fratrem deſiderans quantocius venire

Act. 4. 32.

Digitized by Google

venire feſtinabo, beneficio & promiſſum ſoluturus debitum, & mutuum mitigaturus affectum. Quia coram poſiti æqualem vobis gratiam de noſtra contemplatione & conlocutione præſtabimus, tantumq;, ſi, vt diligeris, diligis, à me retribuetur caritati tuæ, quantum tu meæ ipſe detuleris. Nec ſane inueniendo fatigationē poteris formidare. Quia vt ille dixit, vicit iter durum pietas. Et iuxta Apoſtolum noſtrum: Caritas omnia ſuſtinet. quæ nec quærit, quæ ſua ſunt, nec vnquam nouit excedere. Oportune etiam deſideranti viatori autumnalis temporis congruit cum caritate temperies, ſi eam tamen præteritæ æſtatis feruor accendat, non aduenientis hiemis algor extinguat. *1 Cor. 13, 7.*

Item Epiſtula domini Ruricij. 10.

RElectis litteris meis, fortaſſe miraberis, quòd venerationi tuæ, Fratri, ſcripſerim; cùm hoc nec ætati noſtræ conueniat, nec honori. quia ſicut me maior es natu, ita minor & gradu. Et ideo ſi ad tuam, Deo propitio, longæuitatem, aut ad noſtram reſpexiſſemus adminiſtrationem, aut, Patri, ſcribere debueramus, aut, Filio. Sed quia & S. Ioannes Apoſtolus in Epiſtula ſua vnis eiſdemque, & patribus, & iuuenibus ſcribit, & pueris, dicens: ſcribo vobis patres, quia cognouiſtis eum, qui ab initio eſt. Scribo vobis Iuuenes, quia viciſtis malignum. ſcribo vobis pueri, quia cognouiſtis Patrem. Qua diſcretione verborum non ætatem exterioris hominis, ſed qualitatem interioris adſignat. In quantum enim in Dei cognitione ac dilectione proficimus, patres ſine dubio nuncupamur. in quantum vero contra aduerſarium, qui tanquam leo circuit quærens, quem deuoret, viriliter dimicamus, Iuuenes eſſe cognoſcimur. in quantum vero ſocordiæ deſidiæque committimur, & ad incedendam mandatorum viam fidei infirmitate deficimus, atque ad contuenda ac peragenda præcepta diuina à ſæcularium actuum intentione quaſi è ſomno ſegniores adſurgimus, rectiſſimè puerorum leuitate cenſemur. Vnde & Apoſtolus Paulus ita commonet negligentem: ſurge qui dormis, & exurge à mortuis, & continges Chriſtum, ſiue illuminabit te Chriſtus. Nam & dominus in Euangelio, cùm ei à circumſtantibus diceretur, Ecce mater tua, & fratres tui quærunt te volentes videre te. Ita reſpondit: Quæ eſt mater mea, aut qui ſunt fratres mei? Et oſten-

1. Ioan. 2. *1. Pet. 5. 8.* *Ephes. 5. 14.* *Matth. 12. 47.*

Digitized by Google

dens Apoſtolos, ſequentes ſe, Nonne hi, qui faciunt voluntatem patris mei? Mater enim Chriſti dici poſſumus, quãdo Chriſtũ corde geſtamus. Nam & S. Maria, quæ & Virgo concepit, virgo peperit, virgo permanſit, Dominum noſtrum non complexu virili, ſed fide maritante concepit. Fratres vero ipſius efficimur, quando ita vitam noſtram omni virtutum genere diſponimus, fulcimus, ornamus, vt hæredes Dei eſſe poſſimus, & cohæredes Chriſti.

Rom. 8. 17. Cui enim dubium, quod ſi hæredes Dei Patris efficimur, rectiſſimè & fratres Chriſti dici, ipſo adoptante, poterimus? qui nos plaſmauit vt ſuos, redemit vt alienos; elegit vt ſeruos, adſciuit vt filios. plaſmat enim nos poteſtate, redimit paſſione; præſcientia adſciſcit in gratia. Nos tamen filij per adoptionem, ille ſolus filius per naturam; qui vt nos ad eandem, qua excideramus, beatitudinem reuocaret, cùm penitus non deſierit eſſe, quod erat, voluit tamen eſſe quod non erat, vt verbum caro fieret. Et dum creator in creaturæ humilitate deſcendit, ad creatoris ſublimitatẽ creatura cõſcẽdit. Quo fit, vt humanitati diuina communicent. & diuinitati humana participent, ſecundũ illud Apoſtoli: Qui cũ in forma Dei eſſet, nõ rapinã arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, &

Philip. 2. 6. habitu repertus vt homo. Humiliauit ſeipſum factus obediens vsque ad mortẽ, mortẽ autẽ crucis, propter quod Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & inferorum, & omnis lingua confiteatur, quoniam dominus Ieſus

2. Cor. 5. 16. Chriſtus in gloria eſt Dei patris. Vnde & ad Corinthios idem doctor ſcribens ait: Itaque nos neminem nouimus ſecundum carnem. Etſi cognouimus enim Chriſtum ſecundum carnem: ſed nunc iam non nouimus. quia ceſſante in eo infirmitate corporea, to-

Galat. 3. 28 tus creditur in virtute diuina. Et ideo iuxta eundem Apoſtolum, quoniam omnes in Chriſto vnum ſumus, fratres rectiſſime nuncupamur, quia nos & vnus vterus ſacri fontis effudit, & eadem vbera matris Eccleſiæ, ſpiritu viuificante, lactarunt ſimul. Idcirco, Frater, ſcripſi, quia & Deo propitio à ſæculi actibus ad æter-

Mat. 13. 44. nam beatitudinem te animam conuertiſſe cognoui, & imitatorem illius Euangelici negotiatoris effectum, qui venditis omnibus ſuis comparauit pretioſiſſimam margaritam. vel illius, qui reperto in a-

gro

Digitized by Google

pro theſauro, diſtractis, quæ habebat, vniuerſis, agrum ipſum laudabili cupiditate mercatus eſt; non alienæ poſſeſſionis importunus inhiator, ſed propriæ facultatis prouidus diſtributor, caritatem, vtpote ſincerrimam, retinens corde prefecto; non vt parcius venderet, ſed vt largius fœneraret. ſuper quo facto gaudeo, & Deo gratias ago, quod ſecundum diuitias bonitatis ſuæ atque virtutis, per inæſtimabilem miſericordiam ſuam propemodum, vt ita dixerim, contra ſententiam ſuam venire dignatur. Quia cùm ipſe dixerit, difficile eos, qui pecunias habent, regnum adipiſci poſſe cœlorum. Ecce te & his dignauit in ſæculo, & prouehere feſtinat in regno. ſed tamen idem dominus continuo rigorem prioris huiuſcemodi ſentētiæ, quā Apoſtoli vehementius formidabant, miſericordiæ ſuæ moderamine temperauit, dicens: Quod impoſſibile eſſet in ſe hominibus per naturam, poſſibile Deo in eis eſſe per gratiam: quod in te; cui operi vt totis vſque impendiis pronus incumbas, pro affectu mutuæ caritatis admoneo, vt ita fabricæ turris illius, quam Dominus in Euangelio conſtrui præcepit, ſtrenuus ædificator inſiſtas, vt aduerſarij tui habeant potius de eius perfectione quod doleāt, quàm de intermiſſione, quod rideant.

Mat. 13, 44. Mat. 19, 3. Mat. 14. 1.

Domino ſublimi ſemperq́ magnifico Fratri Præſidio Ruricius Epiſcopus.

PLerique dùm me apud indiuiduam mihi ſublimitatem veſtram non vitæ merito, ſed amicitiarum priuilegio multum poſſe confidunt, commendatitias à nobis, quibus vobis excuſentur, inquirunt; quas eis pro officij noſtri neceſſitate negare non poſſumus; non præſumptionis audacia, ſed miniſterij diſciplina. Dum & illis præſentis vitæ ſolatia, & vobis prouidere deſideramus æternæ; vt & illi per patientiam veſtram reſeruentur ad pœnitentiam; & vos per miſericordiam perueniatis ad veniam. ſicut dicit ſcriptura: Quia Iudicium ſine miſericordia erit illi, qui non fecerit miſericordiā. Quia qui dixit: Dimittite, & dimittetur vobis, procul dubio, quē viderit hic facere quod præcepit, in futuro reſtituet, quod promiſit. Nobis enim illius veritas præſto eſt; illi fides noſtra non deſit. Vnde mani-

Iacobi. 2. 13. Luc. 6, 38.

manifeſtiſſimè poteſtis aduertere abſolutionem miſerorum veſtrorum, eſſe indulgentiam peccatorum; & hoc veſtris conferendum precibus, quod vos præſtiteritis alienis; Iuxta ipſius in Euangelio
Matt. 7. 2. ſententiã: quo iudicio iudicaueritis iudicabitur de vobis. Ideoque pro VRSO & LVPICINO, qui ad me, quaſi vobis peculiariter, ſicut ſuperius dixi, caritatis iure deuinctum, pro criminum ſuorum interceſſione venerunt, precator accedo: vt primum
Vox mendoſa. Deo, deinde nobis hoc quod commiſerunt donare digneris & * infieri; nec nos de eorum damnatione confundas, qui ſe abſolutos eſſe cum ad humilitatem meam deducti ſunt crediderunt.

12. *Et alia.*

IN ſalo ſeculi iſtius aduerſis ac diuerſis tempeſtatibus fluctuantem teratem ad portum ſalutis tandem aliquando, Domino gubernante, applicuiſſe congaudeo. in cuius fida ac tranquilla ſtatione compoſitus, æſtus ipſius perfidi, & iniqui, & amari ridebis. Deinceps non timebis de quibus parum formidinis, ita multum gaudij habere iam poteris, quod eos vel retro derelictos reſpicis, vel in celſiori ſpecula conſtitutus diſpicis, & te euaſiſſe miraris. Supereſt, vt clauo manum inſerens, aſtra ſemper intentus aſpicias, & ita cœptæ nauigationi velum pandas, ne te aut in altum vehementior flatus excutiat, aut in vicina littoribus ſaxa collidat. Neque etiam
[illegible] 9: 26, *Gen. 19. 26.* iuxta ſententiam Domini Saluatoris iam ſtiuam tenens aratri retrorſum clamoribus Sodomę conlabentis percitus forte reſpiciens Loth imiſeris vxorem. Aut de Ægypto iam profectus, & fluctus rubri maris dextra læuaque pendentes tantum tibi ferentes auxilium, & perſequentibus te parantes exitium, Domino viam tuam & præparante & illuminante, trangreſſus, & eremi arduum iter arripiens,
Exod. 16. 3. ollæ carnium recorderis, aut cœpas, quæ in modum corporalium voluptatum ipſa ſui qualitate corrupta noſcuntur, & fœtida, nec vſu grata, nec odore ſuauia, nec ſtabilitate manſura; quidquid in hoc ſæculo mulcet auditu, molleſcit adtactu, lenocinatur aſpectu, blanditur vt capiat, famulatur vt teneat, illicit vt occidat. Nam quamcunque capere voluerit voluptatem; permanet quod puniat, præterit quod delectat; dulcedo fugitiua pertranſit, conſcientia damnatura vel damnanda ſubſiſtit. Inde etiam dicit Salomon: Lingua
Prou. 5. 3. meretricis mel ſtillat. In nouiſſimis autem diebus amariorem felle inuenies eam. quod tamen nihilominus & ipſe cùm prædixiſſet, incurrit.

currit. Et ideo vide quod malum ſit, frater cariſſime, quod dum deteſtatur, admittitur; dum refugitur, vix vitatur. Vnde & tu, ſicut dicit
ſcriptura, omni cuſtodia ſerua cor tuum, & diſcute conſcientiam *Pro. 4.23.*
tuam, ne vnde exiſſe videris aſpectu, hæreas affectu: Sed dicas potius
Domino cum Propheta: Adhæſit anima mea poſt te, me autem ſu- *Pſal. 61.9.*
ſcepit dextera tua. Vel illud etiam: Mihi autem adhærere Deo bo- *Pſal. 72.28.*
num eſt, ponere in Deo ſpem meam. Vt quanto labore, quantaq; inſtantia militaſti ſæculo, ſeruias Deo; dicente Apoſtolo, vel monente:
Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ. Sicut enim ex- *Rom. 6.19.*
hibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati: ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire Iuſtitię in ſanctificationē. Cum enim ſerui eſſetis peccati, liberi eratis Iuſtitiæ. quem ergo fructum habuiſtis tunc in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt. Nunc vero liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrū in ſanctificationem, finem vero vitam æternam. Patientia, frater cariſſime, non nomine eſt ſuſcipienda, ſed opere; non ore tantummodo agenda, ſed corde. Verum eſt, quod ſicut vtroq;, hoc eſt, interiore & exteriore homine delinquimus, ita & vtroq; pœnitere debemus; vt, ſicut dicit idem Apoſtolus; Corde creditur ad iuſtitiam, ore autē confeſſio fit in ſalutem. Ita gemitus cor noſtrum conſcientia compungente concipiat, vt eos os noſtrum per confeſſionem confuſionis effundat. Quinquageſimus vero Pſalmus qui pœnitudini dicatus pariter & remiſſioni, die noctuq; cum rugitu fletuq; cantetur, vt vere &
ſalubriter dici poſſit: Rugiebam à gemitu cordis mei. Et: Iniquita- *Pſal. 37. 9.*
tes meas ego agnoſco. &: Delictum meum contra me eſt ſemper. Vel *Pſal. 50.*
illud etiam: Quoniam iniquitatem meā ego pronuntio & cogitabo *Pſal. 37.19.*
pro peccato meo. Hic enim ante nos peccata noſtra eſſe debent, vt in
æternū contra nos eſſe non poſſint. quia ita legitur in Prophetis: Dic *Eſai. 43.26.*
tu prior iniquitates tuas, vt iuſtificeris. à quo priores dicturi ſum' iniquitates noſtras coram Domino vel prolaturi, niſi diabolo vtiq;, qui delictorum & incentor eſt & delator: Ipſe enim vt peccemus inſtigat, ipſe cum peccauerimus accuſat, vt ideo in Confeſſione criminum à nobis præueniatur in ſæculo, vt contra nos habeat quod proferat in futuro.

13. **Beatiſſimis & in Chriſto venerabilibus fratribus Fœdamio & Vilico Presbyteris Ruricius Epiſcopus.**

Fort. ſubdiaconem Contimtũ,

QVamlibet literas fraternitatis veſtræ per * ſubſidiaconem contimtum non perciperem, tamẽ has ego ac per ipſum ad vos affectu inſtigante direxi; vt & deſiderio ſatisfacerem, & ſcribendi aditum prius prior vtpote patefacerem, ne in poſterum locus relinqueretur excuſationi; & res voluntatis, diffidentiæ & verecũdiæ eſſe diceretur. Salutem itaq; in Chriſto Domino plurimam dico beatitudini veſtræ & ſpero, vt me, ſicut decet Eccleſiaſticos viros, non labiis, ſed corde diligatis; & de me caritate ſincera in alloquio priſtina dicere præſumatis. Quia ſi illa fuiſſet vera, permanſerat, & ſi fuiſſet mutata, mutata non fuerat. A cuius tamen fuerit parte mutata, & conſcientiæ noſtræ nouerint; & conſcientiarum cognitor ſine adſertore cognoſcit; quem ego teſtem adhibeo profeſſioni meæ. Nec de initio ſimulatis me eſſe culpabilem, ne in corde meo quidquid actum eſt dictum verè ſediſſe. quia ſcio nobis ab æterno & vero Iudice dictũ, quod niſi ex corde dimiſerimus fratribus, nobis dimitti non debeat. Habetis itaq; ſpõſionem meam, reddite mihi fidem veſtram. quia in Epiſtula mea procul dubio vinculum, quod elegeritis habetis; aut caritatis, quod ſalubriter conſtringat & cuſtodiat; aut perfidiæ, quod culpabiliter innectat & perdat. Nec mihi aliquid de iudice prioris temporis imputetis, quia definitionis meæ eſt, in comitiis ſeruare concordiã, & in iudiciis tenere cenſurã. Illud etiã peculiarius gaudeo, quod vos in integrã domini & fratris mei familiaritatẽ rediiſſe cognoui. Supereſt, vt quod illius in bono tribuit gratia, veſtra in domino cuſtodiat * inſequilla.

Vox mendoſa fort. inſequella.

14. **Dominæ venerabili & in Chriſto Domino magnificandæ filiæ Ceraunia Ruricius Epiſcopus.**

Fort. res fuit.

VT pictorem vobis antea non tranſmitterem hæc * refecit; quia aduentu noui iudicis te occupatã eſſe credidi, atq; ita deterritã, vt de his rebus cogitare non poſſis. ſed q̃a Deo propitio vos & litteris & relatione veſtrorum ex ſententia agere ac valere cognoui, ſalutatione prælata, pictorem, quamlibet hic eſſet occupatus, cum diſcipulo deſtinaui. quia malui meæ detrahere neceſſitati, vnde veſtræ ſatisfacerem petitioni. Sed quia & propoſitum veſtrum & noſtrum poſcit

Digitized by Google

poſcit officium, his venerationem veſtram paucis mônere præſumpſi, vt ex opere illius ad agendam pœnitentiam, & noua noui hominis veſtimenta ſumenda capias exemplum, quo facilius in te Adam vetuſtus intereat, & viuificator exurgat. quemadmodum ille parietes variis colorum fucis multimoda arte depingit, ita vos animam veſtram, quæ eſt templum Dei, diuerſis virtutum generibus excolatis, vt vere de ſpiritali domo veſtra ſpiritaliter cum Propheta dicere poſſitis: Domine dilexi decorem habitationis tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Quia ſecundum ipſius Domini noſtri ſententiam, Non in manu factis habitat Deus, nec in tabernaculis viri beneplacitum ei, ſed beneplacitum eſt ei ſuper timentes ſe & in eo, qui ſperat in miſericordia. Et ipſe iterum nos per Prophetam docere dignatur: Cœlum mihi thronus eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. quam mihi ſedem ædificabitis, aut quis erit locus requietionis meæ, nonne hæc omnia fecit manus mea? aut ſuper quem alium reſpiciam, niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem ſermones meos. Et ipſe in Euangelio Dominus clamat: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos, & reliqua quæ ſequuntur? Et ideo in Chriſto Domino cariſſima ſoror ac filia priſtinæ conuerſationis ambitione depoſita, humilitatem debes cordis induere, miſericordiam indigentibus fœnerare, caſtitatem non ſolum corporis, ſed animæ procurare. quod adiuuante domino vt adquirere valeas pariter & cuſtodire, ieiunandum eſt ſæpius, & ſemper orandum. quia Adam paradiſi & cuſtos delegatur & colonus, ſcilicet vt haberet operandi materiam libertas arbitrij, & quod orationum obtinuiſſet induſtria, parcitatis abſtinentia cuſtodiret. Sed quoniam neglexit ſibi ſeruare ieiunium, per concupiſcentiam vetitam amiſit & vitam & immortalitatẽ. ſub * Hierobabel muros Hieruſalem reuerſi ad captiuitatem reparabant, cum eis eſſet contra alienigenas pro eorundem murorum reſtauratione certamen, operabantur dextra, & ſiniſtra pugnabant: ſcilicet ſcutum fidei læua contra aduerſarios prætendentes & dextra bonorum operum tanquam lapidum compoſitorum mœnia conſtruentes, ſed & ipſi viri qui ædificabant cum Prophetis ſuis ſuper lumbos cincti operabantur. quod & Dominus in Euangelio obſeruare nos præcipit dicens: ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ veſtræ ardentes. præcinctus eſt lumbis, cuius caro caſtitati militat, & non libidini. & mens illius tanquam ardens lu-

Pſal. 25. 8. *Act. 7. 48.* *Act. 17. 24.* *Eſai. 66. 1.* *Mat. 11. 28.* *Gen. 2. 15.* *Zorobabel 2. Eſdr. 4. 17.* *Epheſ. 6. 16.* *Luc. 12. 35.*

Digitized by Google

1. Cor. 10. 6. cerna præfulget, quam præceptis ſuis Chriſtus accendit. quia hæc omnia ſecundum Apoſtolum in figura noſtri facta ſunt, ſcire nos conuenit, quod quamdiu ſæculi actibus fuimus occupati, tanquam Bbaylonijs & Regi eorum captiui à Iudæa producti in hoſtium regione ſeruiuimus, vnde per pœnitentiam ad patriam, hoc eſt, ad cœleſtem Hieruſalem matrem omnium fidelium reuertentes, debemus omni virtutum genere reparare collapſa, ſarcire diſciſſa, delere præterita, cauere præſentia, parare ventura; vt per benignitatem domini à priſtina peccatorum captiuitate diſtracti, non Babyloniorum Regi, ſed regi Cœlorum Chriſto in Hieruſalem, quæque congregationi Sanctorum ædificatur ciuitas, ſeruiamus. Et idcirco faciem noſtram debemus magis lacrimis rigare, quam la-

Pſal. 101. 10 uacris, vt dicere cum Propheta poſſimus: Quia cinerem ſicut panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam. Debemus corpus noſtrum indefeſſis vigiliis & continui edomaris ieiuniis, vt verum exercentes inter animam carnemq; iudicium, non caro dominetur ſpiritui, ſed ſpiritui caro victa deſeruiat. Cuius rei exemplum nobis Dominus dum per angelum ad Agar Saræ ancillam loquitur, dedit, quæ dominam ſuam deſerere maluerat, quam

Gen. 16. 9. audire, dicens ei: Reuertere, & eſto ſubdita dominæ tuæ. Vt his laboribus omnibus & bonis operibus dedita poſſis eſſe & conuerſatione perfecta, & confeſſione deuota, & in regno patris tui, illi*, de quo

Matt. 23. 9. Dominus in Euangelio dicit: Nolite vobis vocare patrem ſuper terram, vnus enim eſt pater veſter; ſecundum nomen tuum in illa beatorum turba vera ſplendere CERAVNIA, & vocabuli tui auctor

Matt. 5. 16. exiſtere: de quo ſplendore operum Dominus dicit: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & magnificét, non vos, ſed Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Cuius eſt & vt de-

Iacob. 1. 17. tur, & omne quod datur. Quia iuxta Apoſtolum: Omne datum bonum à ſurſum de Patre luminum deſcendit, à quo & voluntas tribuitur, & præſtatur effectus. Quia pœnitentia non nomine tantum obtinenda, ſed actu eſt exequenda. Pœnitentia non eſt nomen otioſum, quæ ex qualitate operis poſſidet laborioſa vocabulū. Non enim poteſt pœnitens dici, qui pœnitenda committit, ſed ille, qui præterita peccata vel maculas humilitate cordis, ſubiectione corporis, bonorum operum ſedulitate, aſſiduitate orationum, continuatione gemituum, pectoris contuſione, lacrimarum profu-

Detergit, Pſal. 78. ſione * detegit; vt poſſit dicere cum propheta: Ne memineris iniquita-

quitates noſtras antiquas. vtiq; non quotidianas. Et illud: Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum. Et: Lacrimis meis ſtratũ meum rigabo. Et iterum: Rugiebam à gemitu cordis mei, Et iterum: Quoniam iniquitates meas ego pronuntio & cogitabo pro peccato meo. Sint ideo hic crimina noſtra ante nos, & contra nos, vt in die iudicij eſſe non poſſint, & illud etiam hic poſiti cum fiducia dicere mereamur: Delictum meum ego cognoſco, & iniuſtitias meas non operui, Dixi pronuntiabo aduerſus me & iniuſtitias meas Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei. Certum eſt quod in quantum tibi de priori conuerſatione diſplicueris, in tantum Domino placebis, & in quantum tibi placueris, illi ſine dubio diſplicebis, qui dicit: Quoniam diſſipat oſſa hominum ſibi placentium. Et ideo tanquam ſeueriſſimi cenſores culpas noſtras in nos ipſi diſtrictius vindicem᷒, ipſi nobis per diuerſos corporis cruciatus tortores quodammodo exiſtamus & iudices; & in illo iuſtæ examinationis tempore non habeat in nos Regis ſententia, quod damnet, quos iam hic caſtigationis vitæ diſciplina correxit, quia iuſtus & miſericors iudex bis nõ iudicat in idipſum, hoc eſt, ei ſe exhibet mitem, quem inuenerit hic eſſe præ peccatorum ſatisfactione crudelem; illi benignum, quem in hac vita cognouerit ſibi fuiſſe diſtrictum; ſecundũ illud euangelicum: Qui perdiderit animam ꝓpter me, inueniet eam. Vel illud: Beati qui nunc lugetis, quia ridebitis. Breue eſt enim omne, quod in hoc mundo agitur, ſiue bonum, ſiue malum, ſicut experimentis Dominus aut promiſit aut voluit iam probari. Et idcirco ad ſuſtinendas pro Dei amore preſſuras conſtantes eſſe debemus. quia ſi ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia ſubſequitur. itaq; nunc ſeram᷒ in lacrimis, quod tunc metamus in gaudiis. Hæc pauca ad confortandam fidem veſtram pro exhortationis ſolatio dicta ſufficiunt, quæ licet ipſe non faciam, tamen vt & vos agatis exhortor. ſcio enim exhortationi poſitam eſſe mercedem. quia legimus: Flete cum flentibus. & ne forte tu in iudicio diceres: Quæſiui qui ſimul mecum contriſtaretur, & non fuit, & conſolantes me, & non inueni. Perfectiora vero atq; maiora in ſcripturis diuinis, vnde iſta decerpta ſunt, inſtrumẽta perquire, ſi vis aut cœpta perficere, aut ad pollicita peruenire. Dabit tibi taliter quærenti Dominus ſcientiam pariter & virtutem, vt & lecta intelligas, & intellecta cuſtodias. Nam pater orphanorum & arbiter viduarum cum te de ſe tantum ſperare compererit, & pupillis tuis tribuet paterna pietate præſidium, & te remuneratione iudicis perducet ad præmium.

Pſal. 6. 7. Pſal. 37. 9. Pſal. 37. 19. Pſa. 31. 5. Pſa. 140. 7. Mat. 10. 38. Luc. 6. 21. Pſal. 29. 6 Pſal. 125. 6. Rom. 12. 15. Pſa. 68. 21.

Digitized by Google

Domino ſancto & Apoſtolico ac mihi præ cæteris in Chriſto Domino cultu affectuq; peculiarius excolendo patrono & Papæ Aeonio Epiſcopo Ruricius Epiſcopus.

15. ANte paucum tempus litteras veſtræ ſanctitatis accepi, quibus etiam de inofficioſitate tanti habuiſtis affectuoſius commonere, dicentes: Nihil caritate præſtantius. Quod ego valde verum eſſe con-
1. Tim. 1, 5. firmo, & ſecundum Apoſtolum, illam caritatem dico eſſe perfectam & ſublimem, quæ de corde puro, & conſcientia bona, & fide non fi-
1. Cor. 13. 4. cta procedit, quæ iuxta eundē Apoſtolum patiens eſt, benigna eſt, quæ non inflatur, non æmulatur, non quærit quæ ſua ſunt, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati, omnia credit, omnia ſperat. & inde eſt quod nunquam cadet. Patiens eſt, quia contra tentationes ſæculi vel procellas in Deum defixa perſtat immobilis; benigna eſt, quia proximorum profectibus delectatur; non inflatur, quia non ſuperbit humili; non æmulatur, quia inuidere neſcit æquali; non quærit quæ ſua ſunt, dum iuxta Domini ſentētiam ſibi etiā minimos anteponit, & aliorum commoda ſuis mercatur incommodis; non gaudet ſuper iniquitate, quia lætari niſi fratrum proſperitate non nouit; congaudet autem veritati, quia amicū ſincera, non fucata dilectione veneratur, nec falſa adulatione ſubſannat, ſed vero honore concelebrat. Omnia credit, quia in diuinis mandatis promiſſiſq; confidit; & ideo omnia ſperat, quia pro minimis magna, pro caducis perpetua, pro temporalibus æterna ſibi retribuenda non ambigit. nunquam cadit, quia humilitas habere non poteſt caſum, cum habeat ſemper aſcenſum, & cum iugiter excelſa meditetur; habitare tamen in ſublimibus non præſumit, cum conuerſatio eius habeatur in cœlis, ipſa tamen videtur adhærere terrenis; excelſa opera mente deiecta habens, vnde glorietur in Domino, nec tamen extollatur in ſæculo. Hæc quia iuſſiſti ſcribere, non pro eruditione noſtra, ſed pro dignatione veſtra præſumpſi. Veſtrum vero eſt nos edocere verbis, & ad hanc eandem caritatem prouocare ſemper exemplis. quia dilectio, quæ ante cognitionem mutuo inter abſentes epiſtulario inchoata ſermone ſemper & fota eſt, debet augeri corporali viſione, non minui, & creſcere intuitu, quæ cœpit affatu.

Domi-

Domino ſublimi ſemperq́; magnifico fratri Turencio Ruricius Epiſcopus. 16.

Exigit ſolliciti cordis affectus, vt imperitioris promatur affatus, nec erubeſcit ruſticitatis opprobrium, dummodo impleat caritatis imperium. ſicut ſanctus Apoſtolus dicit: Perfecta caritas forat mittit timorem. Quia longè melius eſt proximum diligere ſincerè, quàm prædicare perfectè. Siquidem multo plures inueniuntur in mundo eloquentię lepore præditi, quam dilectionis vigore perfecti. Quia ſicut quod bonum eſt, rarum eſt, ita arduum, quod æternum. Procliuis namque iuxta Domini ſententiam; & trita via eſt, quæ præcipitat in gehennam; arctior vero & difficilior, quæ ſublimat ad gloriam. Quæ cauſa? niſi quia illa multi gradiuntur, hac pauci? & ideo imminente iam præſentis æui termino, & ſenij die vſquequaque vicino, ſicut nos etiam docet cæſaries detonſa, vel conuenit, ne in veteribus annis iuuenilia facta meditemur, atque in confecto corpore, & corde decrepito adoleſcentiæ regnet cupido, de qua iudicij tempore in illo tremendo æternæ diſpenſationis examine, quando ille omnium mortalium teſtis & iudex non ſolum merita ponderaturus & facta, verum etiam verba eſt diſcuſſurus & vota, iuxta pollicitationem ſuam, aquæ frigidæ præbitione daturus eſt præmium, aliis de otioſi verbi leuitate ſupplicium, reos nos etſi non de perpetrati facinoris voluptate, ſaltem de concupiſcentiæ voluntate conſtituat. Quia qui viderit mulierem ad concupiſcendum, iam mæchatus eſt eam in corde ſuo. quod & de rebus omnibus aliis ſimiliter obſeruare nos conuenit, vt ſingulis appetentiæ partibus imbecillis huius corporis amputatis talibus membris, ſic debiles, vt tamen integri potius introeamus in regnum, quaſi ſalui, & tamen perditi, in æternum proiiciamur incendium. His omnibus ſalubriter pertractatis & rite perſpectis, dum tribuuntur induciæ, declinemus à malo, & bonum inceſſanter operemur, obliuiſcamur præterita, contemnemus præſentia, futura cupiamus, obliuiſcamur in factis, recordemur in conſcientiis, vt omne peccatum nobis moriatur in vita, viuat in pœnitentia, nunc ſeminemus in fletu, quod poſtmodum metamus in gaudio. Quia tempus huius vitæ tempus eſt operis, dies verò retributionis tempus eſt meſſis, quando ſine dubio hoc vnicuique apparebit in germine, quod nunc ſpargit in ſemine. ſicut ait quidam ſanctorum: Reſpondebit mihi cras iuſtitia mea. Cras vtiq;

1. Ioan. 4. 18

Mat. 7. 14.

Mat. 10. 41

Mat. 12. 36.

Mat. 5. 28.

Gal. 6. 10.

Gen. 30. 33.

diem

diem reſurrectionis appellans. Hæc vos, fratres optimi, non Pontificali authöritate, ſed fraterna pietate fidenter ſcribere vnanimitati veſtræ, caritate dictante, præſumpſimus. qui vt vobis vel circa vos non dictatoris ingenium, ſed germani probarem' affectum. Salutem itaq; dicens, rogo, ſicut promittere dignati eſtis, librum nobis S. AVGVSTINI de CIVITATE DEI per portitorem harum ſine dilatione mittatis. Cuius dũ nos lectione ædificatis in terris, vobis eiusdẽ ciuitatis habitacula præparetis in cœlis, ad q̃ tamen aliter peruenire non poſſumus, niſi caritatis gradibus cõſcendamus. Quia ipſa eſt eminentior via, quæ vos & in hac poſitos ſociat DEO, & de poſita perducit ad DEVM. de
Pſal. 83. 8. qua etiam Propheta teſtatur, Ambulant de virtute in virtutem; videbitur DEVS deorum in Sion. Quamobrem hic collyrio bonorum operum oculos cordis acuamus, vt illic DEVM videre poſſimus. quia ſe-
Mat. 5. 8. cundum Euangelium, beati mundo corde, quoniam DEVM videbunt. Ac proinde oportet hic interioris hominis præparetur intuitus, vt illic non hebetentur obtutus.

Domino ſancto, ac beatiſſimo, & mihi peculiari cultu affectuq; ſpecialiter excolendo Papa Sedato Epiſcopo Ruricius Epiſcopus.

17. CVlpatis me ſæpius, & crebrius imputatis, quod indiuiduæ mihi in Chriſto Domino beatitudini veſtræ hucusq; non ſcripſerim. Vtinam ſic eſſet facultas faciendi, ſicut eſt voluntas ſcribendi, & caritas, quæ corde concipitur, ore promatur. Sed vbi deeſt effatus, ſilet affectus, & intra latebras pectoris contenta eſt ſui conſcientia, ſe non eſſe in dilectione culpabilem, etſi in officiorum redhibitione ſe non cernit æqualem. Quia confidit quod ſicut ipſa amorem fratris in ſe ſui coniectione perſentiat, ita & diligens frater eum ſimiliter poſſit ex ſua dilectione cognoſcere. Quia nulla re melius aliorum cordium ſecreta, quàm arcanorum noſtrorum cõtemplatione metimur. Tantum enim nos caritate diligimus. Parui itaque petitioni veſtræ, parui iuſſioni, vt qualibuscunq; ſermonibus contexta vobis ſcripta tranſmitterem. quæ vos, ſi nos ſimpliciter, vt confido, diligitis, aut confeſtim delebitis, ne quod vobis cordi eſt, aliis incipiat eſſe deſpectui. quia non æquali iudicio amor audit, & odium. Aut certe vobis tantum relegenda ſeruabitis, vt quoties in vobis videndi nos caritatis ignis exarſit, deſiderium veſtrum eorum colloquio temperetis. Quin etiam vt amoris noſtri circa vos ſinceritatem plenius noſceretis, iniuriã inferre præ-

præſumpſimus, quia certi ſumus, quod non tam diſerta cupiunt audire, quàm fortia; non tantum voluptuoſa, quã vera. Quapropter credimus, quòd pietati veſtrę nec longitudo paginæ noſtrę adferat ſatietatem, nec ruſticus ſermo faſtidium; ſcientes quod quanto nos amplius ruminaueritis, tanto eſuriatis ardentius.

SANCTO RVRICIVS CLIENS PATRONO

SEDATO, monitis parens paternis, 18.
Grates concinit, & refert ſalutem.
Quem blandis precibus rogat, timendo,
Ne fors diſpliceat leuis camœna,
Tanti iudicio minor magiſtri.
*Hoc tu luminibus libens * reuerſa,* * Al. recurre.
Hoc ſanctis manibus frequens reuolue,
Hoc tu dum relegis, mei memento,
Me ſemper recolat, canatq; lingua,
Et mens me teneat, ſopor retentet,
Me ſemper recinat tuum libellum.
Hos tu viſceribus piis reconde.
Hos tecto reſidens, viamq; carpens,
Hos inter calices, foro recumbens,
Et parcas epulas ciboſq; dulces,
Antro pectoris & medulla cordis
Inclusos recita, canente mente,
Sic nos & mutuos videre vultus,
Et viuis tribuat referre verbis,
Quæ nunc intima pectoris fatigant,
Largitor Deus omnium bonorum,
Chriſtus cum Patre ſempiterno regnans
Sancto ſpiritui dignantes hymnos.
Finiunt verſus.

Domino indiuiduo ſemperq; magnifico Filio Ruſtico Ruricius Epiſcopus.

INquietudinem mihi ab aliis, & vobis à me facit amicitia communis. quia qui me apud vos, non dico multum, ſed omnia poſſe. confidunt, ad eccleſiolam noſtram pro ſua ſecuritate confugiunt. 19.

Digitized by Google

quorum non poſſum non & condolere gemitibus, & precibus obedire, vt pro ipſorum quidem reatu, ſed & pro veſtro pariter profectu, poteſtati veſtræ attentius ſupplicem. Nec mireris, quod dixi illorum reatum ad veſtrum pertinere profectum. Siquidem illorum indulgentia, veſtra ſit venia. Sicut & inopum indigentia, largientium eſſe noſcitur copia. Hoc enim nobis retribuetur in iudicio, quod præſtiterimus in ſæculo. dicente ipſo Domino: Dimittite, dimittitur vobis, date & dabitur vobis. & iterum: ſi dimiſeritis hominibus, & pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. Vnde euidenter agnoſcimus Deum noſtrum ſententiam ſuam in noſtra poſuiſſe cenſura. qui precum noſtrarum miſericors & iuſtus auditor poteſtati ſuæ de noſtra lenitate præſcripſit; vt in eos quodammodo non haberet ius ſeueritatis, quos hic auidos non perſpexerit vltionis. Quia quod ipſe eſt, hoc & nos eſſe deſiderat. miſericors eſt; miſericordes quærit dicens: Eſtote perfecti ſicut & pater veſter perfectus eſt. Quotidie veniam peccantibus & ſupplicantibus tribuit; Ideo & indulgentiam à peccatoribus poſcit. vnde & oratione Dominica ipſius dicimus doctrina: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Quibus verbis duriſſimis nos vinculis illigamus, niſi quod pollicemur implemus. qui & per Prophetam ſic dicit: Homo homini tenet iram & à Domino quærit medelam. Quapropter pro BAXONE, qui ad * eccleſiam vſercæ confugit, interceſſor accedo; ſperans vt primum pro Dei timore, deinde pro noſtra interceſſione ipſi parcere digneris. Cuius abſolutione & in nobis tollere confuſionem, & vobis poteſtis comparare mercedem.

Luc. 6. 38. Mat. 6. 14. Mat. 5. 48. Mat. 6. 12. Eccli. 28. 3.

** Fort. Eccleſiæ viſcera vel vterum.*

Ruricius Epiſcopus Capilluto filio ſalutem.

20. INgrata mihi eſt frequentior ægritudo veſtra; quæ mihi etiam videtur eſſe commotio diuina, qua mauult Dominus noſter pro ſua pietate largiſſima peccatores caſtigare, quàm perdere; vt quos annorum ſuorum ætas longæua non * conuenit, vel conuincat infirmitas, vt deponant ſæculi byſſum, & ſumant eccleſiæ veſtimentum, quod eſt cilicium, contritionis indicium. Quia cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Ille enim vadit ad cœlum, qui ſe colliditad ſolum. quia qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur. Vnde & dicit pœnitens ille perfectus: adhæſit pauimento anima mea, Domine viuifica me ſecundum verbum tuum. Quid eſt, ſecundum verbum tuum, niſi ſecundum promiſſionem tuam? quod qui coram te pecca-

** Fort. conuincit, vel, correxit. Pſal. 50. Mat. 23, 12. Pſal. 118. 25.*

peccata ſua deflerit, compunctus in mundo, tu eum perducis in regno, vbi poſſit deinceps cantare ſecurus? Audiuit Dominus, & miſertus eſt mihi: Dominus factus eſt adiutor meus. Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi: conſcidiſti ſaccum meum, & præcinxiſti me lętitia. Vnde ſuadeo pietati veſtræ, vt quod cogitaſtis, celerius, Deo adiuuante, faciatis. quia mors non tardat, ipſo Domino dicente: Ne tarderis conuerti ad Deum, nec differas de die in diem. ſubito enim venit ira eius & in tempore vindictæ diſperdet te. Ideoq; dum tempus habemus, conuertamur ad Dominum, vt non cum hoc mundo damnemur. Quia ſine dubio illi miſericors Deus ſuum præſtat auxilium, quem circa præcepta ſua cernit attentum. *Pſal. 29. 12.* *Eccl. 5. 8.*

Ruricius Epiſcopus Eufraſio Epiſcopo.

GRatias ago ſinceriſſimæ in Chriſto Domino germanitati veſtræ, quòd perlato tædio ad vos noſtro, confeſtim nos litteris veſtris viſitare tanti habuiſtis. qui dum infirmitatis noſtræ ſollicitudinem geritis, ſanitatem veſtri pectoris approbatis. Quia ſicut ipſi melius noſtis, finis præcepti eſt caritas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Et qui viſitat infirmū in dilectione firmatur. Vnde peculiarius ſpero, vt quem requiritis affatibus, orationibus adiuuetis. Redeuntibus itaque gerulis litterarum reddo mutuum ſoſpitationis officium. & ſicut ad vos rumor peruenit, ſufficienter me ſecundum miſerationem diuinam, non ſecundum merita mea tribulatum eſſe ſignifico. Quia ipſe qui cibat lacrimis in minima menſura, caſtigationi, iuxta pietatem ſuam, pro imbecillitate noſtra, modum ſtatuit, ne infirmitas noſtra in manus ſuæ correptione defecerit. Ideoq; propitia miſeratione ſua iam commodiorem eſſe me nuntio; conſolationem vobis veſtri mæroris pagina deferente tranſmittens, vt qui eſtis laboribus noſtris pro caritate compatientes, ſitis lætitiæ in Dei nomine de recepta incolumitate participes, ipſius lectione diſpono. Ora pro me. 21. *1. Tim. 1. 5.* *Pſal. 79. 6.*

Domino deuinctiſſimo ſemperq; magnifico Vero Ruricius Epiſcopus.

RElectis litteris pietatis veſtræ, Deo gratias egi, quod vos prius reualuiſſe, quam infirmatos eſſe earum relatione cognoui. Quod vobis tam frequenter accidere, propitio potius Deo, quàm offenſo confido. Quia quem diligit Dominus, corripit. caſtigat autem 22. *Prou. 3. 11.* *Hebr. 12. 6.*

Digitized by Google

omnem filium, quem recipit. In diuina itaq; vos diſciplina ſuſceptos ſedula admonitio & mitis oſtendit. quia paterna clementia mauult per multimoda incommoda negligentem corrigere filium, quam punire peccantem; mauult nutantem ac dubium ad ſeruitium ſuum habenis piæ moderationis attrahere, errabundum & per ſæculi præcipitia lapſantem acriore verbere coërcere. Ipſe eſt enim indulgentiſſim' paterfamilias, qui animam ſuam ponit pro ouibus ſuis. Ipſe eſt bonus pater, qui ouem perditam ad caulas Dominicas mauult propriis humeris reportare ſollicitus, quàm ſtimulis vrgentibus reuocare diſtrictos, Ipſe eſt pater pius, qui male prodigo filio, & præceptæ ſubſtantiæ decoctori, ad ſe vel ſero redeunti non ſolum crimina anteriora non imputat, veram etiam præmia amiſſa multiplicat, dum vlnis fouet, oſculis permulcet, muneribus ditat, doctrina confirmat non tantum ad eius indignatus abſceſſum, quantum lętatus ad reditum. Ipſe enim horum omnium nominum in ſe effectus affectusq; ſuſcepit, vt ſicut dicit Apoſtolus, multifariè multisq; modis nos erudiret verbis, inſtrueret diſciplinis, prouocaret beneficiis, informaret exemplis, reconciliaret prece, redimeret paſſione, viuificaret morte, immortalitate donaret, iuſtificaret reſurrectione, aſcenſione portaret. & reconciliatos per ſanguinem ſuum, in eam, à qua excideramus, Patris gratiam reformaret. ipſe enim eſt apud patrem propitiatio noſtra ſine ceſſatione ſuggerens pietati ſuæ, Pater non ſolum pro his rogo, ſed pro his qui credituri ſunt in me per verbum illorum. Pater volo, vbi ego ſum, & ipſi ſint mecum. Pater ignoſce illis, neſciunt enim quid faciunt. Ipſe nobis quotidie per Apoſtolum ſuum clamat: Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo ſunt; qui enim diligit mundum, nõ eſt caritas Patris in eo. quia omne quod in mundo eſt concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ humanæ, quæ non eſt de Patre, ſed de mundo eſt. Et mundus tranſit, & concupiſcentia eius. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, ſicut & Deus manet in æternum. Ipſe in Euangelio blanditiis inuitat, muneribus prouocat, adhortatione ſollicitat, dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & reliqua. vt quaſi iugum ſalutaribus ſubdentes colla præceptis, ſalutari ſuo libertatis & miſericordiæ currui ſubiungamur, & ideo auderemus reuocantem ſequi, audire clamantem, blandientem modo non ſpernere; ne ſentiamus poſtmodum iudicantem. quo iudicio? Sicut ipſe in Euangelio præmonere & docere dignatus eſt: Cum in maieſtatis ſuæ

Luc. 15. — Luc. 15. — Heb. 1. 1. — Rom. 5. 10. — 1. Ioan. 2. 2. — Rom. 8. 34. — Ioan. 17. 20 — Ioan. 17. 24 — Luc. 23. 34. — 1. Ioa. 2. 16. — Mat. 11. 28. — Mat. 19. 28.

Digitized by Google

ſuæ ſede conſideret, quãdo non ſolum merita ponderaturus & facta, verum etiam verba eſt diſcuſſurus & vota. quem hic nunc viderit ſalutaria ſua præcepta negligere, & admonitiones ſuas ſaluberrimas ſuperba mente contemnere, non ſolum cum ſtultis à ianua regni cœleſtis excludet, verum etiam partem ipſius cum infidelibus deputabit; vt cum quibus habet in ſæculo ſocietatem, cum iiſdem in æternum habeat portionem. *Matt. 25.* *Luc. 12. 46.*

Filio Conſtancio Ruricius Epiſcopus. 23.

QVamlibet Baccho, ſymphoniis, & diuerſis muſicis, nec non etiam & puellarum choris te deditum eſſe cognouerim, Tamen quia bonum eſt ab his, dum perualde feruet adoleſcentia, aliquoties reſpirare, & magis Domino vacare, quàm Libero; parentibus quoque operam dare, quàm cantibus; moneo vt craſtino, quod erit quarta feria briuæ, temporius tamen, quod te facturum minime credo, mihi ieiunus occurras.

Eiuſdem alia. 24.

ALiud mihi, Deo teſte promiſeras, quod ipſum deberes colere, non * Ianuum; cuius criminis etiam me vis eſſe conſortem, vt ego ad hunc errorem colendum delicias ſubminiſtrem, & oleum incendio ſuperfundam. quod neutro noſtrum noueris expedire. Sed dices fortaſſe, Pollicitus es. Quo ore à me promiſſa perquiris, cùm tu ſacramenta violaueris? Vnde dabis veniam meæ promiſſioni, quamdiu te huic ſeruire cognouero * parſioni. Ne confirmare videamur factum, cuius reprehendimus pactum; & ſimus ſcandalo, * cuius eſſe debemus exemplo. *Videtur eſſe ſcripta ad eundem Conſtantium. Fort. Ianũ.* ** fort. portioni, vel, perſonæ.* ** f. quibus.*

Ruricius Apollinari ſuo ſalutem. 25.

QVia noſtri curam ſemper gerere pro mutua caritate dignamini, indico ſollicitæ pietati, & piæ ſollicitudini veſtræ, nos non paruum quidem, ſed, Deo propitio voluptuoſum à vobis reuerſum; ſumpſiſſe negotium, quod nobis plurimum prodeſſe poſſit, ſi aut intentionem intellectus, aut intellectum ſequeretur ingenium. ſine cauſa enim ſolis ortum cœcus exſpectat. Ille quidem videntibus ſemper exoritur; non cernentibus vero iubar ipſius, quaſi nubibus ſemper operitur, SOLLIVM enim noſtrum domnum patremq; com- *Sidonium intelligit*

 munem,

Digitized by Google

quem Solium alii vocant. munem, quem tranſcribendum ſublimitati veſtræ dediſſe me dixeram, legendum recepi. Cuius lectio ſicut mihi antiquum reſtaurat affectum, ita præ obſcuritate dictorum non accendit ingenium. quálibet ipſum poſt tam longi temporis ſpatium caritatis igniculum ſcintillis ſuis inter obliuionis fauillas vtcunq; relucentem, nonnunquam & ſuſpirioſis fletibus excitemus, & interdum dulcibus nobis fletibus inrigemus; quo tamen illo imbre perfuſus quanto magis inficitur, tanto magis incenditur. quia per lacrimarum copiam deſideriorum atq; affectuum creſcit flamma, non deficit. Hunc ergo, ſi Dominus piæ difinitioni veſtræ tribuet, vt fautor effectum, vobis præſentibus percenſere feſtino & effici diſcipulus de magiſtro. quia non me pudet etiam in hac ætate, nec piget diſcipuli arripere induſtriam, dummodo affecta ætate artis conſequar diſciplinam. Prius enim quilibet debet diſcere, quàm docere. Quia præproperè doctoris vſurpat ſupercilium, niſi diſcipuli ſuſceperit ante famulatum. Quid enim iuſtius, quàm vt ipſe ſis paterni interpres eloquij, qui vniuerſa quæ ille conſcripſit, non tam de codicis membrana, quàm de cordis potes pagina proferre. cuius vos eſſe filios non ſolum generoſitate proſapiæ, verum etiam & eloquentiæ flore, & omni virtutum genere comprobatis: Quæ bona vobis non tam doctrina contulit, quam natura. Quia riuus de fonte prorumpens licet fluendo proficiat, & plenitudinem currendo conquirat, auctori tamen vnde ſumit vocabulum, debet & meritum. quem ſi diuina clementia vſque ad hoc tempus ſupereſſe voluiſſet, ſicut iam tum de veſtra imitatione lætabatur, ita nunc de perfectione gauderet; cùm ſpem ad rem cerneret perueniſſe; nec ſibi inuideret æqualem, quem optauerat eſſe meliorem.

Item Eiuſdem Alia.

26. QVamlibet per diaconem IVSTVM non meruerim litteras benigni pectoris & facundioris accipere, quibus & erudiretur ingenium; & deſiderium paſceretur. Ego tamen qui malo affectuoſus ruſticus, quàm vrbanus impius iudicari, ſcribendi oportunitatem mihi perire non paſſus ſum; vtpote qui mihi nollem non dicam occaſionem ſcribendi, ſed nec videndi vos, vnius ſaltem horæ ſpatium deperire. Ideoq; ſalue plurimum dico; & rogo, vt ſine communi detrimento, & vtriuſq; compendio, nos ſemper, opportunitate porrecta, litteris veſtris inluſtrare dignemini. Quia quod nobis in affectu

Digitized by Google

fectu impenditis, non expenditis; quod tribuitis, non amittitis; & quod nobis in charta tranſmittitis, vobiſcum in corde retinetis.

Ruricius Omacio ſuo ſalutem.

27.

SIc à pietate veſtra diſceſſi, quòd à vobis penitus non receſſi. in eadem vos parte hominis interioris exhibui, in qua vobis remanſi. Scio quia ibidem remanſi, vnde me nec inſidiator antiquus potuit, neque recens * conſiliator excludere. Vnde etiam ſententia illius vos ſapientiſſimi Salomonis ad moneo: Fili ne derelinquas amicum antiquum, nouus enim non erit ſimilis illi. Vinum nouum, amicus nouus: veteraſcet, & cum ſuauitate bibes illud. Et ideo nos veteraſcamus in amicitiis, & de die in diem affectibus innouemur. quod ſi amicus relinquendus non eſt, quanto magis pater, qui erudiit, qui nutriuit, qui adiuuante Domino ad ſacerdotium vſq; perduxit: cui fortaſſe etiam Iuxta diuinam miſericordiam lucis iſtius debetur vſura. Sed hæc ego beatitudini tuæ ſcribo, non quaſi aliquid imputans, aut exprobrans, ſed vt filio cariſſimo, quem ſine vllo næuo cupio in hoc mundo impietatis incedere, & purum atq; immaculatum in illo die iudicij coram Deo, & angelis eius, ac congregatione carnis totius apparere. Saluto itaq; vnanimitatem tuam, & rogo, vt pro me orare digneris, ſimulq; cùm oportunum vobis fuerit, nos tanti habeatis viſitare. Vale.

* Cōciliator. Eccli. 9. 14.

Ruricius Eufraſio ſuo ſalutem.

28.

MIror ſanctitatem veſtram poſt tantorum & talium virorum iudicia potius, quàm reſcripta, inſcitiæ meæ quęſiſſe ſententiam. quod vos magis pro neceſſitudine, quàm neceſſitate feciſſe cōiicio; ne cuius tanti habetis præcipuum in animo tenere cultum, videremini in negotio prætermiſiſſe conſenſum. Vnde gratias ago indiuiduæ mihi in Chriſto germanitati veſtræ, quod ita de nobis præſumere & iudicare dignamini, vt nihil habeamus aut in caritatis ſimplicitate ſubdolum, aut in veritatis puritate fucatum. Reddo itaq; debitum vnanimitatis officium, & de cauſa, qua mihi ſcribere dignati eſtis, idem me quod & fratres noſtros ſentire ſignifico. Sed quid facto opus ſit, vel quid mihi potiſſimum fieri debere videatur, per Diaconem veſtrum verbo fideliter intimaui quia.... m. fuit litteris indicare. Ora pro me.

Ruri-

Digitized by Google

29. Ruricius Eracliano ſuo ſalutem.

QVi ſe reum de officio eſſe cognoſcit, prius ſupplicare debet, quàm audeat ſalutare. Quia ſicut inportune occurritur imputanti, ita oportunè remittitur confitenti. Et ideo nos noſtram in palam produximus noxam, vt facilius peruenire poſſimus ad veniam. quia non relinquitur locus imputationi, cùm aditus patuerit deploranti, ſecundum illam ſententiam: Dic tu prior iniquitates tuas, vt iuſtificeris. Non enim præualebit accuſantis inuidia, vbi humilitas præceſſerit ſupplicantis. Quamobrem nos ſi iam excuſando diluimus culpam, veniamus ad cauſam. ſalutem ergo tantum dicimus pietati veſtræ, quantam poteſt affectus intelligere, & non poteſt ſermo proferre; quantam ſentire poſſumus, & non valemus exponere; quantam poteſt interioris mens deſiderio calefacta concipere, & non poteſt lingua exterioris adſerere. Vnde gratias agentes ipſius caritatis auctori, qui eam in cordibus veſtris eſt dignatus inſerere, oremus vt præcipuum ſua largitatio munus in nobis cuſtodire ſemper, & iugiter dignetur augere. Quia iuxta Apoſtolum Paulum ipſa eſt eminentior via, quæ ducit ad vitam. Quod ſupereſt, ſpecialiter quæſo, vt communi patrono nobis quotidie ſupplicetis. Quia, ſicut legitis, multum valet oratio iuſti aſſidua. Et ſicut ipſe Dominus noſter in Euangelio dicit de illo, qui tres panes ab amico ſuo noctis tempore, importunè quidem, ſed ſalubriter, quod improbitati præſtitum fuerit inſiſtentis, quod negabatur amicitiis flagitantis. Reliqua per portitorem verbo mandaui, quæ longum fuit litteris indicare. Vnde ſicut principium Epiſtolæ continet, rogo, vt pro tarditate veniam dare dignemini. Vale.

(margin: ſ. largitio. — Iacobi 5.16. Luc. 11.5.)

30. Ruricius Epiſcopus Capilluto filio ſalutem.

GRatias ago pietati veſtræ, quod me conſulere de * ciuitatis ordinatione dignamini; cum vobis ſufficere, Deo propitio, ſatis abundeque poſſitis. Et ideo quia quod vobis & fratribus veſtris placet, nobis diſplicere non debet. Bene facitis, vt hominem, quem communis conſenſus elegit, ordinetis. Sed admonete illum vt veritati ſtudeat, non falſitati; paci, non perditioni; diſciplinæ, non diſcordiæ; vtilitati publicæ, non priuatæ cupiditati; Iuſtitiæ, non rapinæ.

(margin: * hæc vox, vt puto, corrupta eſt.)

pinæ. Tueatur bonos, emendet reos: miſeros non faciat, ſed defendat. corrigat ſontes, cuſtodiat innocentes; vt ita agens magis futuro poſſit placere iudicio, quam præſenti.

Domino illuſtri ſemperq; magnifico filio Agricolæ Ruricius Episcopus. 32.

RElectis litteris ſublimitatis veſtræ, gratias Deo egi, quod vos prius reualuiſſe ordinatione ipſius, quàm infirmatos eſſe cognoui, & nobis anxietatem tolleret, & vobis redderet ſoſpitatem. quam tamen infirmitatem vobis clementer illatam, propitio potius, quam irato ipſo Domino noſtro, pro ſolita eius pietate, coniicio. Sic enim legimus, quod corripiat Dominus, quem diligit; diligit autem omnem filium, quem recipit. Quod etiam in vobis quantum audio re probatur; vt ordinatis affectibus veſtris, ſuum vobis inſinuaret affectum, & habitu, animoq; mutato, iugum vobis ſuæ lenitatis imponeret, vt ſalutari currui ſuo colla ſubdentes, dum mandatorum ſuorum leue onus euehitis, peccatorum grauem ſarcinam deponatis. Hæc eſt enim mutatio dexteræ excelſi, dum de peccatoribus iuſtos, de extraneis domeſticos, amicos ſibi facere dignatur ex ſeruis. Supereſt, vt nunc conuerſionem, quam protuliſtis in veſte, probetis in corde; & hæc commutatio inter indumentum veſtrum habeatur, & animum; vt ſicut ille ſub candidis veſtibus habuit hucuſque nigredinem, ita nunc ſub pullis veſtibus operum luce candeſcat. Peccator enim qua die conuerſus ingemuerit, tunc ſaluus erit. Dummodo iuxta ſancti Pauli Apoſtoli ſententiam, Sicut exhibuimus hactenus corpora noſtra ſeruire ſæculo, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibeamus membra noſtra ſeruire Iuſtitiæ in ſanctificationem. Nec ſimus, quaſi timentes Deum, aliud ſermonibus prætendentes, aliud habentes in moribus; aliud oſtentantes in veſtibus, aliud actibus comprobantes, ne nos mordeat ſermo ille Dominicus, Sub veſtitu ouium, luporum rabiem contegentes. Quia oculus ille diuinus, ſicut ſcriptũ eſt, omni loco bonos ſpeculat̃ & malos. ſine dubio, quem ad ſe integro corde tranſire conſpexerit, ipſe in cor illius iugi habitatione deſcendet, vt eo habitatore non careat, cui ſe præparauit habitaculum. Gratias itaq; Domino noſtro ſuper tam inenarrabili eius bonitate in commune referamus, qui mauult ſeruos monere, quàm perdere; corrigere, quàm punire; & pro vſura breuis

Hebr. 12. 6.
Pſal. 76. 11.
Rom. 6. 19.

vitæ perpetua regna donare. Quod ſupereſt, ſaluto plurimum, & ancillam veſtram vobis peculiari inſinuatione commendo: quamlibet hoc ſalua veſtra pietate non egeat; vt quo eam ſuſcipere tanti habuiſtis affectu, ſemper foueatis, indultuque largitate diuina vtroſq; nos ſibi parauit obnoxios; vos auos faciens ſua fœcũditate, nos proauos. Domnam filiam meam deſiderio, & honore, quo dignum eſt, ſoſpito. Ob cuius, ſi facultas eſſet ambulandi, erat voluntas promptiſſima vos viſendi; vt quam interioribus oculis pro affinitatis ipſius coniunctione iugi recordatione conſpicimus, exterioribus cerneremus. Opto bene agas.

32. *Domino Sancto, & Apoſtolico, omniq; à me honore, & amore ſpecialius Fratri Cæſario Epiſcopo Ruricius.*

FRatres & Conpreſbyter noſter CAPILLVTVS dupliciter hac vice nobis gratus apparuit, dum & ipſe nobis iam diu deſideratus occurrit, & qnandam veſtri præſentiam nobis per veſtras litteras repræſentat. Quo redeunte has reddere procuraui, quibus debitum beatitudini veſtræ rependo caritatis officium. Quod vero ſcribitis, cur ad Synodum, ſicut conlocutio habuit noſtra, non venerim, fecit hoc infirmitas, non voluntas. Ipſi enim recolere poteſtis quam feſſum me *burdigalia videritis; & hoc hyeme, quãdo eſſe ſoleo fortior ſolito. Quia æſtiuis diebus etiam in hoſpitio meo, & locis frigidis, ipſam conſuetudinariam infirmitatem ſuſtentare vix valeo; ne dicam, quod illos cœtus regionis illius ferre quiuerim, ſi veniſſem. Vnde magis ſpero, vt pro me orare dignemini, & ad tempus aliud, quod intimatis, ſi Deus vitam ceſſerit, venire vultis, nobis per hominem veſtrum maturius indicetis. Quia litteras veſtras ad me modo tardiſſime veniſſe ſignifico. Quia etſi non pro dignitate, vel pro ætate, non debemus tardius, quàm alij commoneri, qui fortaſſe (vt minus prudens, dicam) merebamur ambiri. Quia ſi aliis nomen vrbium præſtat auctoritas, nobis autoritatem demere non debet vrbis humilitas. Siquidem multo melius, multoque eminentius eſt, ciuitatem de ſacerdote, quàm ſacerdotem, de ciuitate noſcere.

*f. Burdigali.

Domi-

Domino ſancto & Apoſtolico mihiq; in Chriſto domino ſpeciali cultu affectuq; ceteris præferendo patrono Sedato Epiſcopo Ruricius Epiſcopus. 33.

DVm ſcribendi vobis omnis pectoris mei animus vos ſitiens occaſionem frequenter inquirit, aliquando diuturna meditatione pertractans reperit idoneum portitorem, per quem & ſilentia longe diſrumperem, & ſibi ſpiritales delicias poſtulare, oris veſtri cupiens rore reſpergi. De qua, credo, ſiti ſanctus Pſalmiſta dicebat: Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. Illa nimirum Pſal.142.6. aqua ariditatem corporis ſui reſtinguere ſobria ebrietate deſiderans, de qua Dominus noſter in Euangelio clamare dignatur: ſi quis ſitit, veniat, & bibat. Flumina enim aquæ viuæ de ventre eius Ioan.7.38. fluunt. Hanc aquam Samaritanæ etiam idem Dominus offerebat, hoc eſt, Eccleſiæ ex gentibus congregandæ dicens: Aqua quam Ioan.4. ego dabo, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Hanc aquam ſi quis fidelis non guſtu tantum ſummo tenus ore libauerit, ſed totis animæ viſceribus appetens conuiua ſorbuerit, protinus in laudem Domini omnipotentis erumpit; & hoc incipiet ructare quod biberit; ſicut beatiſſimus Euangeliſta atq; diſcipulus, qui ſuper pectus Domini recumbere meruit, myſteria regni cœleſtis audiuit, & in illam vocem quam ante nullus audierat clamauit: In Ioan.1. principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat illud verbum, quod ſine tempore à Patre genitum, in tempore creatur ex matre, vt creator fieret; vt eſſe poſſit humanitatis quædam portio, diuinitatis totius plenitudo; & plenitudinem humanitatis portio ipſa humanitatis ſua paſſione redimeret; dum imago inuiſibilis Dei, forma ſit ſerui; vt poſſit impaſſibilis pati, incomprehenſibilis capi, immortalis mori, qui mortem occumbendo perimeret, vt vitam reſurgendo repararet. Sed quid ego oblitus mei, auidus tui, quaſi de huiuſcemodi rebus tecum conloquens, & inde in deſiderium tui vehementius perardeſcens, reſtinguere ſitim meam velut quodam dilectionis riuulo feſtinans, inſcrutabilia & inacceſſa pertentans, quid loquar, qui loquar, cui loquar non conſidero. Sed dabit, vt confido, veniam pietas, quam committit affectus. Quia caritas omnia ſuſtinet. Salue itaque plurimum dico indiuiduo mihi pectori veſtro, & rogo,

vt pro me inceſſanter orare dignemini, ſimulque etiam partẽ corporis mei, per quam vobis has trado, peculiari inſinuatione commendo, vt in illis, quàm me diligatis integre comprobetis. quos vobis eo arbitror fore cariores, quia meam vobis ſecum deferunt portionem. quibus quidquid dignati fueritis dilectionis impendere, nobis vos conferre cognoſcite. Quia ſi iuxta ſanctum Apoſtolum minus membrum maiori in dolore compatitur, & maius procul dubio in minoris proſperitate lætatur. & ita demum fit, vt omnibus vſquequàque membris in pace & quiete compoſitis, caput totius corporis rector vtpote & dominator exultet. in quo capite omnia membra iubentur aſpicere, dicente Propheta: ſapientis oculi in capite eius. quod alius Propheta euidenter exponit dicens: Oculi mei ſemper ad Dominum. quia ipſe euellit de laqueo pedes meos. Et iterum: Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlo. Erigamus itaque oculos cordis noſtri ad Chriſtum & in mundi iſtius nocte manus noſtras operibus fructuoſis extollamus ad Dominum, & ipſe caput noſtrum eſſe dignetur, & nos adhærere capiti noſtro, vt illa corporis ſui membra eſſe mereamur, vt de hoc ſæculo diſcedentes, tanquam exitu Iſraël de Ægypto dicere redemptori noſtro poſſimus: Adhæſit poſt te anima mea, me autem ſuſcepit dextera tua. Cùm ea diebus ac noctibus fuerit in corporis huius carcere meditata, vnde non confundatur ad vota. Ora pro me.

1. Cor. 12. 26.

Eccl. 2. 14.

Pſal. 24. 15.

Pſal. 122. 1.

Pſal. 113. 1.

Pſal. 62. 9.

34. *Domino ſancto, & Apoſtolico, mihiq; in Chriſto Domino ſpeciali cultu affectuq; ceteris præferendo patrono Sedato Epiſcopo Ruricius Epiſcopus.*

Archiatrũ. PEr * arciatrum PALLADIVM litteras fœcundi cordis, & facundi oris accepi, quæ nos ad viſionem mutuam voto pectoris inuitabant. Sed quid facimus, quòd deſideriis animorum noſtrorum diuerſa membrorum reſiſtit infirmitas? dum vos nimietate robuſti, nos tenuitate exeſi corporis impedimur: dum vos alieni, & quatuor pedes ferre nequeunt ponderoſos; me etiam proprij & duo ſuſtinere præ defectione vix poſſunt. Quo fit, vt implere communia vota nequeamus. Ego enim (teſtis eſt Dominus) quod ſi valuiſſem, ad Synodum condictam omni auiditate veniſſem. ſed mea diſpoſita itineris voluntate neceſſitas imbecillitatis inhibuit. quia aëres regionis illius præſertim hoc tempore ferre non poteram.

Aerem.

quod

Digitized by Google

quod & vos ita credere confido, & prauos ad aliud deriuare non dubito. His itaq; ſufficienter, vt potuimus, indicatis, ſalutatione animi deſiderãter impenſa, ſi dignum ducitis, transmiſi vobis * caballum, qualem vobis ſciebam eſſe neceſſarium, manſuetudine placidũ, membris validum, firmum robore, forma præſtantẽ, factura compoſitum, animis temperatum, ſcil. nec tarditate pigrum, nec velocitate præproperum, cui frenus ac ſtimulus ſit ſedentis arbitriũ, cui ad euehendum onus & velle ſuppetat pariter & poſſe: ita vt nec cedat ſuperpoſito nec deponat impoſitum. Supereſt vt reſcripto, quomodo vobis placeat, indicetis. Quamlibet ita de indiuiduo mihi corde præſumam, quod nobis etiam mala à me commiſſa, non dicam transmiſſa complaceant. Tanta eſt enim integri vis amoris vt in * amicum nil diſpliceat; cum magis malũ diſplicere debeat. Et hinc illud eſt, quod indicia hominum aut amore præpediantur, aut odio vt recta non proferantur. Vos vero, quos nec odium exaſperat, nec inflammat inuidia, & iocos noſtros libenter accipite, & de ſoſpitate veſtra vel actibus affluenter inſtruite, vt dum vos diutius legimus, copioſius imbuamur. Ora pro me.

Hinc patet illam Sedati decimam nonam Epiſtolam fol. 453 eſſe reſponſoriã ad hanc Ruricij.

f. amico.

Domino ſancto, & Apoſtolico, mihi in Chriſto Domino ſpecialiter excolendo fratri, Caſario, Epiſcopo, Ruricius Epiſcopus.

QVi occaſiones ſcribendi nobis inuicem pro mutua caritate inquirimus, oblatas prætermittere non debemus; vt conferat nobis quandam præſentiæ portionem ſermo * meditator; qui emittitur, nec amittitur; tribuitur, & habetur, videtur diſcedere, nec recedit; à me dirigĩ, à te ſuſcipĩ; à me ſcribitur, à te legitur, nec tamen diuiditur; cùm quaſi diuiſus, integer tamen vtriuſq; corde teneatur. quia verbi more diuini traditur, & non egreditur; confertur indigenti, & non aufertur auctori. accipientis lucrum ſine diſpendio largientis; ditans inopem, nec attenuans poſſeſſorem. Ideòq; veniente illo nepote meo dulciſſimo PARTHEMIO has per ipſum dare non diſtuli; vt & meam præſentiam vobis litteris exhiberem, & ipſum pariter commendarem: cui quidquid dignati fueritis dilectionis impendere, nobis vos præſentare noueritis. ſimulque etiam peculiarius rogo, vt pro me ipſiſque pignoribus noſtris inceſſanter oretis, nec impediant affectum amorum noſtrorum ſpatia interiecta regionum. quia qui in Domino, qui præſens eſt vbique, ſe diligunt, non credendi ſunt diſpa- 35.

f. mediator.

rati corpore eum pariter in eo mente iungantur. Ora pro me.

Ruricius Epiſcopus dulciſsimis nepotibus Parthemio & Papianillæ.

36. POſtquam pietas veſtra diſceſſit, dimidium eſſe me ſentio. quia maximam mei partem, hoc eſt, interiorem hominem, reſidente corpore, vobiſcum ambulaſſe cognoſco, ita tamen quod & vos in pectore meo, quod hic remanſit, manere conſpicio. ſaluto itaque dulcedinem veſtram, & vt verborum meorum memores ſitis admoneo, quia certum eſt vos iuxta Salomonis ſententiā poſſe in bonis Deo dirigente proficere, ſi ſeniorum conſilia & amori habeantur & vſui apto bene agatis.

Ruricius Epiſcopus Fratri * Pet. . . . .

37. QVia obedientia ſacrificiis antefertur, idcirco ruſticitatem meam malo prodere, quàm perdere caritatem. ſcientia enim inflat, caritas, vt ipſi melius noſtis, ædificat. Quamobrem quia iuſſiſtis, vt vos per ſingulas occaſiones & de meis actibus facerem certiores, & deſiderium veſtrum, quod mihi non meo merito, ſed generali, & inſita vobis dilectione dependitis, alloquio temperarem; me quidem Deo propitio fortiorem, ſed heu plenum & omne hoſpitiolum noſtrum diuerſis incommodis laborare ſignifico. Peculiarius rogo, attentius Domino ſupplicetis; vt qui nobis incolumitatem veſtris orationibus reddidiſtis, & his opem ac medelam diuinæ miſericordiæ interceſſionis veſtræ patrocinio conferatis. Ora pro me.

Hæc vox in M. S. ita expreſſa eſt, vt neſcias an legendum ſit, Petro, an Petur. an Petul.

1. Reg. 15. 22

1. Cor. 8. 1.

Dominis ſublimibus & magnificis filiis Eudomio & Melantia Ruricius Epiſcopus.

38. QVam grauis mihi orbitatis veſtræ ſit luctus, teſtis eſt pectoris mei conſcius DEVS; quod verbis ſubtilitatis veſtræ indicare non poſſum. Nam ita animum meum doloris veſtri paſſio ſanciauit, ac ſi vnum de propriis * affectibus perdidiſſem. quia me vobis proximum & quoddammodo conſanguineum bene mecū agendo feciſtis. Atq; ideo q̄ a labores & anguſtias noſtras frequenter in vobis pro veſtra dignatione ſuſcipitis, iuſtū eſt, & nos veſtris, cum acciderint, participare mœroribus. Si enim iuxta Apoſtoli ſententiā, vnius corporis membra ſibi inuicem compatiuntur & condolent, decet nos quoque * eorum

Forr. aſſinibus.

1. Cor. 12. 26

*

rum

rum incommoda ſępe percipimus. Dolemus itaq;. caſui veſtro & planctibus veſtris intereſſe nos credimus. Sed quid facimus domni filij? Equidem voluntati diuinæ reſiſtere nec poſſumus, nec debemus. & omni ſollicitudine præcauere, ne dum dulcia nobis pignora nimio dolore deflemus, blaſphemi quidam & iniurioſi inueniamur in Domino, & grauius animas noſtras auctor ipſius mortis, inuenta occaſione, cōfodiat, quàm carorum amiſſione percuſſit. ideoq; in omni amaritudine vel dolore ad Deum nobis eſt refugiendum, & ad illum omnes caſus noſtri toto corde referendi. Qui ſanat vulneratos, q releuat mæſtos, qui conſolatur afflictos. Et illa ſancti Iob ſententia omnino dicenda, eſt: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt; ſit nomen Domini benedictum. Et ille hoc quando dicebat decē filios cū omni facultate perdiderat: Nec tamen blaſphemare aut damno aut dolore cōpulſus eſt. Sicut dicit ſcriptura: In omnibus quę accidebant ei, nihil peccauit labiis Iob. Quod ego & pietati veſtræ ſcribere pro mutua caritate præſumpſi, vt dolorem animorum veſtrorum, quem litteris meis mitigare non poteram, vel diuinis eloquiis vtcunq; moderarer. Et verè, ſi mihi quaſi veſtro creditis cordi, non minimum poteſtis capere de Chriſti Domini voluntate ſolatium, quòd quatenus immaturus manebat interitus, talem eum dignatus eſt aſſumere, qualium regnum docet eſſe cœlorum; vt & patronum haberetis ex filio, & minus doleretis amiſſum, quem à Domino videbatis adſumptum. Opto bene agatis.

Iob. 1.21.
Iob. 1.22.
Mat. 19.14.

39. *Victorino.*

Domino ſancto, & Apoſtolico in Chriſto Domino cultu affectuq; ſpecialius excolendo patrono Victurino Epiſcopo Ruricius Epiſcopus.*

FRater & compreſbyter noſter CAPILLVTVS, licet apices veſtros nobis non detulerit in charta relegendos, tamen * totius exhibuit in corde conſcriptos: vnde eos nec fur auferre, nec violentus eripere, nec imber eluere, nec vetuſtas poſſit abolere dum mihi fidelis admodum veſtri pectoris conſors & deditiſſimus delator ſæpius inculcat, & dulcius, qualiter me & quàm adſidua dilectione de me ruminetis. Non quod in me ſit, vnde caritatis veſtræ paſcere poſſitis eſuriem, qui ſolidos, & nunquam perituros cibos & accipere ſoliti eſtis, & dare; ſed quando fortior eſca defuerit, tenuitatem noſtram pro lactis poculo ſorbeatis, vt deſiderium pij cordis & puri alimento innocentiæ temperetis. Nec mirum eſt, hoc tamen in veſtra virtute miracu-

f. Potius

Digitized by Google

miraculum, vt diligatis venerantes vos, qui odientes amare conſueuiſtis. Siquidem & ad augendam circa nos caritatem veſtram, duo lumina noſtra detinetis, AVRELIANVM dico atq; LEONTIVM: pro quorum ſpe & conſummatione, rogo, vt indeſinenter diuinæ miſericordiæ, ſicut vos confido facere, ſupplicetis, & cum illis iterum pro nobis ſemper oretis. quia fiducialiter credo, quod profectioni veſtræ, & illorum incipientiæ, pro ipſa adhuc teneritudine, à nutritore Domino nil negetur. Salutem itaq; vberem dico pietati veſtræ, quantum poteſt promere oris affectus, non quantum cordis poſcit affectus. & rogo, vt præfatos dulciſſimos ſtimulos pectoris mei noſtro nomine ſoſpitetis; nosq;, quotiescunq; ſe opportunitas porrexerit portitoris, benedictionis veſtræ imbribus irrigetis. Ora pro me.

M. S. & in eis Aurelianum.

*Ruricius Epiſcopus * Apollinari ſuo ſalutem.*

M. S. Apollonari.

40. AFfectus ſublimitatis veſtræ in viſceribus noſtris violentus exactor eſt, & amori veſtro me potius, quàm pudori meo ſeruire compellit; dum non conſiderat, quo ſermone, qua pagina; tantum veſtris imperiis obſequamur. cogitis enim nos auribus peritię veſtræ verbis ruſticis iniuriam frequenter inferre, dum apices noſtros ſæpius vultis accipere, pareo voluntati veſtræ, pareo iuſſioni. malo enim de meipſo tibi magis, quàm mihi credere. Quia pietatis, nō poteſtatis eſt, quod iubetis. Et ideo, quæ diſplicuerint emendabitis procul dubio potius, quàm prodetis. Siquidem nihil eſt imperioſius caritate. cui quisq; toto corde ſe dederit, libenter & vincula illius inpacta patietur, & onera illata portabit, dum præcipientis imperium non inuitus non excipit, ſed deuotus exercet. Præſtabit itaq; diuina miſericordia, vt tumultibus temporis huius, vel neceſſitatibus, aut dilatis in perpetuum, aut paruper oppreſſis, citius fructus * nos faciat de noſtra carpere præſentia, vt deſideria, quæ incitantur affectibus, aſpectibus mitigent. Finit.

Leg. vor. vel: nos faciat de veſtra.

Domino deuinctiſſimo, & mihi omni honore venerabili fratri Leontio Ruricius.

41. GRatias ago, quod & noſtri curam gerere, & nouitate holerum, quæ libenter habere nos noſtis, nos reficere tanti habuiſtis. quod & conſuetudini præſtatis pariter & amori. Ideoque redeunte puero veſtro, reddo reciprocum ſoſpitationis officium. & vt de ſuſcepto, Deo propitio, Officio indeſinēter cogitetis admoneo. Quia Deus non initium boni operis, ſed finem requirere comprobatur, dicens: Qui perſeuerauerit vsque in finem, hic ſaluus erit. Præſtabit, vt cre-

Mat. 10. 24.

Digitized by Google

vt credimus, miſericordia ipſius, vt qui pœnitendi vobis animum inſpirare dignatus eſt, ipſe vobis & in agendo virtutem, & in conſummatione plenam tribuat pro ſua miſeratione remiſſionem. qui ſolus poteſt & ſanare corrupta, & reparare collapſa, & delere commiſſa, & abdere præterita, conſeruare præſentia, & donare ventura. Finit.

Ruricius ad Domnum Conſtantium. 42.

DE deliciis tranſmiſſis gratias ago, & quantum indicaſtis, tantum me vtrarumque auium ſuſcepiſſe ſignifico, ſimulque etiam per pueros ipſos, qui nobis hæc detulerunt, tergus aprunum me pietati tuæ indico tranſmiſiſſe; vt dum nos volatilia, quæ tranſmiſiſti, deliciamur; tu bipede de quadrupede facto ſatieris. Cuius tamen malo carne, quàm vita capiaris. Quia qui ſemper de ſæcularibus cogitat, & iugiter terrena meditatur, huic animanti à ſcriptura diuina merito comparatur. Quia de omnibus animalibus ſolus homo ſublimis creatus eſt, & effectus, vt auctorem ſuum ſemper cœlo intentus aſpiciat, non mundalia opera ſolo inceſſabiliter defixus exerceat.

Ad Domnum Ambroſium Epiſcopum Ruricius Epiſcopus. 43.

APoſtolica præcepta nos commonent, vt à quibus diuina percipimus, eis terrena præbeamus. quod nos vel in hac duntaxat parte ſeruantes, pro cœleſtibus epulis, quas nobis & ſermone viuo, & patrum tractatibus miniſtratis, legumina marina tranſmiſimus. Per hæc nil nos habere proprium comprobantes. ſiquidem & à diuinis bonis ſumus, quæ vos tribuitis, peregrini, & nos peregrina tranſmittimus. Itaq; quia nos à marinis cœleſtibus exulare, & ſolis terrenis ſedibus incubare cognoſcimus, à vobis ſpecialius poſtulamus, vt hæc aliena à nobis libenter accipere, & veſtra nobis dignemini frequenter impendere. Illud ſit affectionis, hoc miniſterii; illud doctrinæ præſtatur, hoc gratiæ. 1. Cor. 9.

44. ## Ad domnum Hiſpanum Ruricii Epiſcopi.

AGo gratias, quod dum nobis dora nomine, re ſpolia tranſmittitis, pietatem veſtram erga me ſinceriſſimam cõprobatis, qua nos amplius, quàm deliciis delectamur. Siquidem inde eſuriem corporis compeſcemus; hinc cordis: inde veſtri tranſitorium *porrigimus paſtum: hinc vero animo manſurum præbemus affectũ. Proinde tam amori, quàm muneri veſtro gratias repenſantes, reciprocis pietaté veſtram plurimum ſoſpitamus. Et quia de noſtra dignaris eſſe ſalute ſollicitus, iuxta vota pietatis veſtræ me valere ſignifico, ſimulque depoſco, vbi ſanctum Paſcha facturi ſitis, me recurrentibus inſtruatis. Finit.

*f. peregrinum.

45. ## Ruricii Epiſcopi ad Presbyterum Albinum.

VBi ad me communis luctus nuntii rumore peruenit, quod tamẽ miratus ſum, quod non hoc prius ex germanitatis veſtræ relatione cognoui, ipſe ad vos regrẽdos cõtinuò veniſſem, niſi me dierũ horũ reuerentia retardaſſet. Has trãſmiſi, q̃bus ſpero, vt me excuſatũ habere dignemini, & filiã noſtrã, q̃ audio ſe vehementer affligere, ad vicẽ meã, tam ex ratione, quàm ex veſtra authoritate conſolemini, quod Dominus noſter de ſeruo ſuo, & quãdo voluit, & quod voluit, fecit. Et ideo contra voluntatẽ Domini venire videbitur; cui diſplicet diuina præceptio: vtiq; diuina; quia animã noſtram ille ſolus, cùm voluerit, ex corpore poteſt educere, qui fudit in corpore. Et idcirco luctus ille nimius, qui videtur eſſe pietatis, magis ex Diaboli conſilio, quàm ex pietate deſcendit; vt cùm dolor conſolationis impatiens querelis ſuis Deum impietatis exprobrat, qui præmiſit filium per humanam conditionem, per incredulitatẽ animã perdat. Plagant mortui mortuos ſuos, quos reſurrecturos eſſe non credunt, qui animã cum carne æſtimãt interire, quibus nulla de beatitudine animę, nulla de corporis reſtauratione fiducia eſt. Nos vero, qui ſpem reſurrectionis habemus in Chriſto, qui animas noſtras iuxta pollicitationem ipſius Domini, in Sanctorum finibus credimus collocari; ad ipſum nos corde & orationibus conferamus; & conſolationem de ipſius promiſſione capiamus, quod credentes in ſe ſecum viuere faciat. Nec vllus apud eum niſi infidelis mortuus iudicetur. Et ita planctus noſtros, ſicut ſcriptura nos edocet, temperemus, dicens: Luctus ſapientis ſeptem diebus, impii vero omnes dies vitæ ſuæ. Sicut ſcimus illum mortuum corpore, anima

Mat. 8. 25.

Eccli. 22. 13

anima vero pro innocentia ſua Deo viuere; ita nos viuentes corpore, corde moriamur. Finit.

Ruricii Episcopi ad Taurencium.

AGo gratias promptiſſimæ in Domino deuotioni, & ſinceriſſimæ erga me charitati veſtræ, quæ diuinæ bonitatis imitatrix, id quod me ſibi proſpicit ſupplicandum, priuſquam rogetur, & noſtrũ præoccupare beneuolentia ſua feſtinat officium; dum non ſolum cuſtodire, verum etiam augere * in iſtum ſibi geſſit affectum, quem idcirco beneficiis anticipando lætificat, quia ad modicum contriſtare formidat. Et ideo mauult offerre tacẽti gratiam, quàm præſtare poſcenti. ſciens procul dubio, plus eſſe in eo meriti, quod ſpontanea benignitate defertur, quàm quod precibus indulgetur. Siquidem horum vnum non niſi neceſſitate datur neceſſitudini; aliud vero ſæpe etiam precatoris ſedulæ dimittitur improbitati. Vnde ſalue reciprocum dicens, de pietatis veſtræ promiſſione ſecurus, puellam veſtram in rem directis pueris veſtris, conſignaſſe ſignifico: cui confido, quod iuxta pollicitationem veſtram, non ſolum veniam, ſed etiam gratiam pro noſtra interceſſione tribuatis.

46.

*

Lu. 11. 8.

Ruricius domino venerabili Fratri Iohanni.

47.

* MAnus communis ſuſceptus, quod voluntarie facere debuerat, fecit nunc neceſſitate compulſus, vt ad venerationem tuã commendatitias flagitaret, & ſe gratiæ tuæ, etſi propter negligentiam ſuã de præterito ingratus, per inſinuationem noſtrã nunc tamẽ gratificãdus ingereret. Cuius petitioni ideo prõptius adquieui, quia credidi, ſicut & cõfido, vos petitioni meæ libenter annuere. Vnde ſalutatione depenſa ſpero, vt ipſum ꝑ interceſſione noſtra recipere tanti habeatis. Et quia hoc, quod debuit, reddidit, vſuras illi ſolidorum ipſorum, non tantum pro precibus noſtris, quantum pro diuinis præceptis donare digneris. Quod pro conuerſatione veſtra, qua vos, Deo propitio, per dies ſingulos audio proficere, ſine dubitatione præſtetis. Quia ipſe noſtis, quod ille regnum Dei lætitia & gratulatione percipiet, & in montem Domini glorificatus aſcendet, qui pecuniæ ſuæ vſuram non in præſenti ſæculo à proximo ſuo exegerit, ſed à Domino expectauerit in futuro; nec per doloſa beneficia laqueos laborantibus iniicit inſolubilium debitorum, ſed illius eſt fœnerator & creditor, qui dicit: date, & dabitur vobis, & qua menſura menſi fueritis, ea

** Hæc non ita literis M & A implexis contracta eſt, vt decipere, legere, diuinandum igitur fuit, amicus.*

Pſ. 14. 5.

Mat. 7. 2.

Digitized by Google

remetietur vobis. Infidelis vtiq; & iniquus eſt etiam ſibi, qui hoc quod elegit concupiſcendum, non vult habere perpetuum. Quamuis enim quicunq; multa condat, multa congreget, & infinita diuerſis nundinationibus acquirat, mendicus de hoc mundo diſcedet, niſi de rebus ſuis portionem ſuam ad æternam beatitudinem ante præmiſerit, dicente Domino per Prophetam: Ne timueritis, cùm diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius. Quia non cùm morietur recipiet omnia, neque ſimul deſcendet cum eo gloria domus eius. Et iterum: Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes diuitiarum manibus ſuis. Qui ſi benigni eſſent animæ ſuæ, illi potius bona ſua crederent, qui & idoneus fideiuſſor eſt pauperum, & largiſſimus redditor vſurarum. Non ergo cupidus ſis, frater chariſſime, nunc recipere in duplo, quod Dominus redditurum ſe tibi promittit in centuplum. vnde nec à tinea poteris pertimeſcere exterminium, nec à fure formidare diſpendium. Quia ipſe Dominus noſter munerum ſuorum & largitor, & cuſtos eſt. Finit.

Pſ. 48. 17. Pſ. 75. 6. Mat. 19. 29 Luc. 12. 33.

48. **Ceraunelo Epiſcopo Ruricius Epiſcopus.**

EXegit mutui amoris affectus ad indiuiduam mihi ſanctitatem veſtram ſola ex cauſſa litteras deſtinare, etiam ſi non ſe occaſio opportuna porrexerit. Vnde per hominem filii mei LEONTII has ad Apoſtolatum veſtrum dedi, quibus ſoſpitatione prælata, quàm ex ſententia, DEO fauente, valeatis, inquiro. Quia ipſi noſtis, incolumitatem veſtram, noſtram eſſe lætitiam. ſperans, vt redeũte præfato, nos reddatis de veſtris actibus, propitia diuinitate, ſecuros, quos videtis eſſe proſperitate ſollicitos.

49. **Ruricius Epiſcopus Cerauniæ ſalutem.**

DE ſinceriſſima, qua nos pro benignitate animi tui, non pro veſtris meritis dignaris excolere in Domino, caritate, confidens, ſecurus has ad Venerationẽ tuam direxi, quibus in Domino ac Deo noſtro ſalutem vberem dicens, ſpecialiter rogo, vt ea, quæ per ſeruum veſtrum AMANDVM verbo ſperaui, ſi poſſibile eſt, nobis ſine dilatione præſtare dignemini. Quia hæc res & nos releuare poteſt, & vobis nullum poteſt adferre diſpendium. quod ego pro beneficio maximo cõputabo. Iterum in quo iuſſeritis, vel vſus exegerit, vicem reciprocis obſequiis repenſare contendam.

Ruri-

Digitized by Google

Ruricius Epiſcopus Cenſurio Epiſcopo ſalutem. 50.

LItteras ſanctitatis veſtræ, etſi per occaſionem, accepiſſe me gratulor. non enim intereſt, vtrum ex neceſſitate, aut ex voluntate, dummodo inter ſe inuicem, qui ſe diligunt, colloquantur, & quos corpore locorum interualla diſcriminant, animorum ac ſenſuum colloquia fida coniungant. Quia hoc nobis generale vel maximum virtus diu iactæ pietatis indulſit, vt qui nos aſpectu carnali non poſſum* contueri, ſpirituali cernamus obtutu. Vnde redeunte gerulo litterarum has, ſicut iniunxiſtis, reddere procuraui, vt & ſollicitudini veſtræ & mutuæ caritati pariter reſponderem. Salue itaque Apoſtolatui veſtro plurimum dependo, & hoc quod apicibus mearum teſtimonio voluiſtis agnoſcere, vtrum SINDILLA porcos ſuos prudente FOEDAMIO perdidiſſet; noueritis me apud homines meos, vbi fuerunt, diligenter perquiſiſſe. Sed ſicut ante iam noueram magis & iſtos laborem faciente* paci SINDILÆ perpeſſus eſſe, & ipſum porcos ſuos peruerſitatem ſuam, dum de aduerſa parte eſſe ſe iactitat, amiſiſſe cognoui. *locus corruptus. Cæterum præfatum FOEDAMIVM illi in nullo culpabilem. Nam quod pertulit, nulli niſi debet & omnibus imputare. in qua cauſa, quantum ego contemplationi veſtri, vt homines veſtri, aut à cuſtodia liberarentur, aut porcos veſtros reciperent, laborauerim ipſis, iam referentib⁹, plenius potuiſtis agnoſcere. quod propterea neceſſe non fuit litteris indicare. Veſtrum eſt, hominem verum iuſtè ab huius calumniæ obiectione defendere, qua meum iniuſte ſcriptis noſtris agnoſcitis ſuſtinere.

Ruricius Epiſcopus Stephano ſuo ſalutem. 51.

ITa me pauciſſimis diebus ad cultum ſuum pietas veſtræ ſanctitatis inlexit, vt cùm vos, Deo propitio, corde detineam, & oculis mẽtis intuear; tamen ſemper affectu inſtigante perquiram. quia ſcilicet breue videtur omne, quod dulce eſt; ita inexplebile eſt omne, quod * carne eſt. Et omnipotenti Deo gratias ſuper tàm admirabili dono *carum. eius, quod ita generaliter ſeruis ſuis tribuere ineffabili diſpenſatione dignatus eſt, vt hi qui diſparantur corpore, animis iungerentur; neq; eſſet aliquid tàm longinquum difficile quod mentium obtutibus obuiarit. Sed per cordis intuitum ibi ſe inuicem diligentes caritatis contemplatione conſpicerent, vbi caritas ipſa conſiſtit. quo fit, vt deuinctio veſtra, quæ in viſceribus meis iugi recordatione, dum quotidie re-

nouatur, augeretur, amoris veſtri mihi viciſſitudinem repromittat, animus meus mihi animorum veſtrorum fideiuſſor adſiſtat, dum tantũ ſibi audet de veſtra dilectione præſumere, quantũ vobis cõcupiſcit impendere. Salutem itaq; beatitudini veſtræ plurimã dico, & rogo, inceſſanter cõmuni Domino ſupplicetis, vt ſecundũ diuitias bonitatis ſuæ atq; virtutis, cui omnia poſſibilia confitemur, vt ſi in hoc ſæculo nos propter vitæ iſtius turbedines ac procellas, & regionum interualla ſæpius videre non poſſumus, vel ad illam vrbem, quæ ædificatur, vt ciuitas, faciat conuenire, ad quam nos miſericordia Domini poterit perferre, vos merita.
Pſal. 121. 3.

Ruricius Epiſcopus Præſidio Filio ſalutem.

52. *Plerique.*

* PLerumq; dum me apud indiuiduam mihi ſublimitatem veſtram non vitæ merito, ſed amicitiarũ priuilegio multũ poſſe cõfidunt, cõmendatitias à nobis quibus vobis excuſentur, inquirunt: quas eis ꝑ officii noſtri neceſſitate negare non poſſumus; nõ ꝑſumptionis audacia, ſed miniſterii diſciplina, dum & illis ꝑ ſentis vitæ ſolatium, & vobis ꝓuidere deſideramus æternæ. Vt & illi per patientiã veſtram reſeruentur ad pœnitentiam; & vos per miſericordiam perueniatis ad veniã. ſicut dicit Scriptura: Quia iudicium ſine miſericordia erit, qui non fecerit miſericordiam. Quia dixit: Dimittite, & dimittitur vobis. Procul dubio quem viderit hic facere, quod præcepit, in futuro ei reſtituet, q̃ promiſit. Nobis enim illius veritas præſto eſt, ſi illi fides noſtra non deſit. Vnde manifeſtiſſimè poteſtis aduertere abſolutionem miſerorum veſtrorum eſſe indulgentiam peccatorum; & hoc veſtris conferẽdum precibus, quod vos præſtatis alienis, iuxta ipſius in Euangelio ſententiam: Quo iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis. Ideq; pro VRSO & LVPO, qui ad me, quaſi vobis peculiarius, ſicut ſuperius dixi, caritatis iure deuinctum, pro criminum ſuorum interceſſione venerunt, precator accedo; vt primum Deo, deinde nobis hoc, quod commiſerunt, donare digneris; nec nos de eorum damnatione confundas, qui ſe iam tum abſolutos eſſe, quãdo ad humilitatem meam deducti ſunt, crediderunt.
Iacob. 2. 13.
Luc. 6, 37.
Matt. 7, 2.

Ruricius Epiſcopus Ruſtico filio ſalutem.

53. EXtra affectum conſuetudinarium & probatum & humanitatem nobis dignaris impendere, dum vſibus tuis detrahis, quod noſtris largiaris expenſis. Quia puero veſtro referente cognoui, quod piſcationis in viſcera ꝓ parte VISERA nobis iuſſeras delicias miniſtra-

re.

re. Vnde ſalutatione depenſa, gratias ago plurimas, exorans diuinam miſericordiam, vt pro honore, quem nobis pro ipſius timore dependitis, & præſentium rerum vobis conferat felicitatem, & beatitudinem tribuat futurorum. Finit.

Ruricius Aprunculo Epiſcopo ſalutem. 54.

SIcut litteras ſanctitatis veſtrę per virũ venerabilem Elogivm, cũm gratulatione ſuſcepi, ita has eodem redeunte, libenter emiſi. quib⁹ apoſtolatui veſtro debitum *deponẽdo ſoſpitationis officium, ſimulque depoſco, vt pro nobis orare dignemini, & id à cõmuni Domino peculiarius poſtulare, vt iam tãdem aliquando in vnum venire, & nos videre mereamur; vt charitas quæ ſecundum ſententiam Dominicam in pectoribus noſtris per abſentiam *quod peris eſt, refrixit, per præſentiam iterum in ſoſpitis cineribus ſuſcitetur, & viuis vocibus, quaſi nouis flatibus veteris amoris rediuiuum reparetur incendium. quod more atq; virtute ignis illius, quem Dominus miſit in terram, & ſpinas negligentiæ noſtræ atque deſidiæ vi naturæ potentis exurat, tenebras dormientis cordis inluminet. Finit.

* depend*o*. Mat. 24. 12 * fort. quod temperũ eſt. Luc. 12, 49.

Item alia Ruricii ad ipſum Epiſcopum. 55.

ADſiduitas *ſupplicatum ſupplet in nobis gratiæ cõmunis officiũ, vt hoc ꝙ facere debeamus ſuper mutuæ dilectionis affectũ, faciamus per externæ neceſſitatis imperium; dum alienę tribuimus petitioni, quod propriæ debere nos cognoſcimus caritati. Vt hæc litterarum neceſſitudo eſſet ex voluntate neceſſitudinis iocunda noua calamitate deplorantis extorta. Tamen quia ſpontaneam ſcribendi neglegimus gratiam, ſaltem prætermittere nõ debemus ingeſtam. Ideoq; per fratrem & Compresbyterum noſtrum Maxentivm, quem nobis frater *Epiſcopus ipſius cõmendauit, dedi, quib⁹ ſoſpitatione depẽſa, ipſum Apoſtolatui veſtro, ſecundum quod poſtulauit, inſinuo. quia illic notos, & amicos habere ſe dicit, qui cũ beatitudini veſtræ poſſint in præſenti plenius intimare, quorum teſtimonio poſſit credi, quod aſſertioni ipſius fortaſſe non creditur.

* f. ſupplicatũ vel ſupplicantium. * m. ſ. Epiſcopi.

Item ad ipſum. 56.

FIlii noſtri Omacivs & Eparchivs ad me litteras plenas lacrimis & deploratione miſerunt, ſpecialiter deprecantes, vt apud ſanctitatem veſtram pro ignorantiæ ipſius filii noſtri Eparchii interceſſor exiſterem; confidentes, ꝙ pro amore mutuo nihil nobis negare

debe-

deberetis. Idemque Presbyterum noſtrum EVSEBIOLVM ad pietatem veſtram in hac cauſa direxi. Per quem ſaluto plurimum; & rogo, vt præfato, ſicut dicit, ſufficienter admonito, indulgentiam errori illius dare pro noſtra * ſupplicatione minimè iniqua. Sicut in defenſione peccati ſtultè atque infideliter perduranti culpa, donec agnoſcat reatum * (non) debet relaxari, ita agnitio peccati debet conferre veniam confitenti. Remedium eſt enim mali confeſſio non ſimulata delicti. nec vltioni publicæ relinquitur locus, vbi reus conſcientia torquente punitur.

* m. ſ. ſupplicationē iniquia.
* hæc vox abeſt in m. ſ.

57. Item alia Ruricii ad ipſum.

ANte diem quam litteras veſtræ ſanctitatis acceperim, compreſbyterum meum, ſicut ipſo referente poteritis agnoſcere, ad germanitatem veſtram in eadem, qua mihi ſcripſiſtis cauſa direxeram. Et quia mihi non ſolum ipſe filius noſter EPARCHIVS, ſed etiam frater ſuus flebiliter per litteras ſupplicarunt, Apoſtolatui veſtro precator accederem. Qui & confeſſione culpæ, & deprecatione veniæ, & conſanguinitatis affectu compulſus, indulſi. Quia vos mihi ſuper hac re ſcripturos eſſe non credidi. Sed quia humilitatem meam dignati eſtis pro ea, quæ inter nos eſt, propitio Deo, caritate, conſulere, & nobis vtrum iuſta eſſet veſtra diſtrictio, meis potiſſimum apicibus indicarem; ſciat Dominus noſter, quod ego factum veſtrum & probo, & conlaudo, & vehementer admiror. Quia dum vni indiſperato per admonitionem gladii * ſpiritale pro reddenda ſalute intuliſtis dolorem, multis contuliſtis languentibus ſanitatem. Multi etenim in eccleſia, qui curari nequeunt verbo, ſanantur exemplo. Supereſt ſeueritatem miſericordia conſequatur, vt recipiatis lenitate patris, quem corripuiſtis autoritate Pontificis. Et iuxta illum Euangelicum, inuocantes, quem nos per omnia & ſequi & oportet imitari, qui filio paternæ ſubſtantiæ decoctori, & facinus confitenti non ſolum veniam clementer impertiit, verum etiam priſtinam gratiam libenter indulſit; & nos condoleamus lapſo, ſubueniamus attrito, amplectamur reuerſum, lætemur inuentum. Quod & Apoſtolatum veſtrum propterea feciſſe certus ſum, vt paululum infirmantem filium excluderetis à matre, vt eum ipſi poſt modicum reſtitueretis incolumem; & eum contriſtaretis ad tempus, de quo gaudere concupiſcitis in æternum.

* fort. ſpiritalis.
Luc. 15. 30.

Ruri-

Digitized by Google

Ruricius Epiſcopus filio Seuero ſalutem. 58.

NEgligentiam noſtram atque pigritiam dum vos excuſatis, arguitis. & nos beneficiis & officiis veſtris agnoſcimus debitores. Sed ſcio hoc ſincero amore, quo nos diligitis, facere, atque perfecto. quia parum eſt caritati veſtræ, quod nobis tribuitis, dum totos vos nobis & cotidie impendere deſideratis. Sed nobis ſatis ſuperq; ſufficeret beneuolentia quam prompti animi & aſſiduitas * deeſſet obſequii. Vnde ſalutatione depenſa, gratias ago vberrimæ pietati veſtræ, quod erga me bonæ memoriæ patris veſtri non ſolum retinetis, ſed etiam vicistis affectum. **fort. dediſſet*

Ruricius Epiſcopus filio Stboracbio ſalutem. 59.

ALo atque habeo vberes gratias pietati veſtræ, quod nos negligẽtiam famulorum noſtrorum neſcire feciſtis, dum ſubuectionem congruam, quam nobis callidus ſubtraxerat inimicus, benignus ſubminiſtrauit affectus. Quem idcirco nobis Dominus hoc ad tempus permiſit inferre, vt & noſtram patientiam per iniuriam, & veſtram erga nos caritatem per compatientiam comprobaret, ac ſine dubio facultatis noſtræ vobis lucrum operis per beneficium dilectionis adferret.

Ruricius Epiſcopus filio Vittameno. 60.

FAmiliares nos vobis facit veſtra dignatio, dum hoc, quod à nobis libenter offertur, à vobis gratanter accipitur. Siquidem illud munus acceptabile probatur & dulce, quod non magnitudo inſinuauerit, ſed commendarit affectio. Quæ res facit, vt ad perſoluendum vobis ſpontaneæ deuotionis obſequium, etiam id habeamus in votis, quod non habemus in * verba. Itaque ſalutatione depenſa, quia centum * pera ſublimitati veſtræ, alia centum filiæ meæ deſtinare præſumpſi. Quæ ſi fortaſſe diſplicuerint ſaporis guſtu, placebunt, vt confidimus, tranſmittentis affectu. **verbis.* **pira.*

Ruricius Epiſcopus fratri Namacio. 61.

SAluto plurimum, & ſpero, vt ſi ſecundo craſtino non potueris, vel tertia feria ad nos venire digneris. Quia deſiderio tuæ caritatis accenſi, & nos dicimus cum Propheta: Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. Defecit ſpiritus meus, Ne auertas faciem tuam. Ne moreris ad- *Pſal. 142. 6.* *Pſal. 142. 7.*

uentum, vt pectoris noſtri, quem parui temporis ſolatio ſuſcitaſtis, extinguatis incendium. Finit.

62. *Ruricius Epiſcopus filio Vittameno.*

GRatias ago dignantiſſimæ erga me ſublimitati veſtræ, quod nos de actibus atque incolumitate veſtra, quos noſtis, Deo propitio, pro amicitiarũ iure ſolicitos, facitis litterarum ſedulitate ſecuros. Vnde his reciprocum reddo nobilitati veſtræ ſalutationis officium, & me has de Decaniaco ad vos dediſſe ſignifico, meamq; vobis fauore diuinitatis quam * vobis placere confido, indicans ſoſpitatem. Præſtabit Dominus, vt citius hinc regreſſus veſtris merear obtutib' præſentari. Vt cuius benignitate veſtra incitaſtis deſideria, viſione ſollicitetis affectum.

*m. ſ. vos,

63. *Ruricius Epiſcopus fratri Claro Epiſcopo.*

APoſtolatui veſtro pro ea, quam mihi non pro meis meritis, ſed ꝑ beneuolentia animorum veſtrorum impenditis, caritate, non dicam vicem non poſſum repenſare beneficiis, ſed nec tantas gratias, quantas meremini, ſermonibus explicare. Impendo tamen per litteras debitum ſoſpitationis officium, partemq; pectoris mei in quo affectum veſtri auiditate ſuſcepi, paginæ cõlocutione tranſmitto; ſimulq; deprecor, vt cõmuni Domino ſupplicetis, vt citius nos faciat fructum de noſtra capere præſentia; quoſq; ſuæ inſpirationis inſtinctu connexuit, vultum etiam mutua viſione coniungat; vt deſiderium in nobis, quod accendit affatus, reſtinguat obtutus. De columnis verò gratias ago. &, ſicut iuſſiſtis, quia modo propter imminentem hyemem vehicula illo dirigere non poſſum, poſt ſanctum Paſcha, propitia Diuinitate tranſmittam. De minoribus vero ſicut verbo mandaſtis, ſi inueniri poſſunt, mihi vel decem neceſſarias eſſe ſignifico. Sed ſi dominus proſpera vniuerſa conceſſerit, antequam vehicula dirigam ad vos hominem deſtinabo.

64. *Ruricius Epiſcopus fratri Voluſiano Epiſcopo.*

ITa quod peius eſt, caritatem antiquam, & inſitam nobis, partim (quoniam confitendum eſt) negligentia noſtra, partim neceſſitate temporis, partim corporis infirmitate faciente, longa delebit obliuio, vt penitus immemores noſtri facti non ſolum vos nullis officiis, ſed nec litteris requiramus. Miror nobilitatem tuam quaſi filium ad me litteras deſtinare, cùm ſine vllo reſpectu religionis aut propinquitatis

Digitized by Google

tatis tibi iniuriæ noſtræ ſic placcant, vt eas vindicare non velis. Vnde niſi exiſtimationem perſonæ meæ, aut officii cogitaſſem, portitorem litterarum tuarum talem ad te miſeram, quales homines meos non matrona veſtra, ſed domina procax & effrænata nimium perduxit. cuius mores ſi tu tanto tempore cum famæ tuæ diminutione, aut voluntariè aut neceſſitate ſupportas, alios noueris nec velle ferre, nec eſſe contentos. Nam quod ſcribis, te metu hoſtium hebetem factum; timere hoſtem non debet extraneum, qui conſueuit ſuſtinere domeſticum.

Finiunt Epiſtulæ Domni Ruricii Epiſcopi Lemouiceni. *Ita expreſſè m.ſ.*

vbi nota hunc vocari Epiſcopum Lemouicenum, lege apud Fortunatum de Ruricio ſeniore & iuniore.

Digitized by Google

EPISTOLÆ
DESIDERII EPISCOPI CADVRCENI
AD

Abbonem Epiſtola 9.
Aſpaſiam 14.
Cæſarium 13.
Chodulfum 8.
Dadonem 10.
Dagobertum Regem 5.
Felicem 15.
Grimoaldū Maiorē dom⁹ 2. 6
Medoaldum 7.
Paulum 11.
Saluſtium 1.
Sigebertum Regem 3. 4.
Sulpitium 12.
Pro Vntedio commendatitiæ ad Epiſcopos, Comites &c. 16.

Nunc primùm ex membranis m. ſ. celeberrimi Monaſterij S. Galli edita.

INCIPIVNT EPISTVLÆ DOMNI DESIDERII EPIſcopi Cadurceni, ad diuerſos porrectæ, nunc ad Saluſtinum Epiſcopum.

1. *Domno ſanctiſsimo, atq; præ optimis mihi in Chriſto diligendo Saluſtio Præſuli Deſiderius veſter.*

MVltiplices & ineffabiles veſtræ beatitudini pro inquiſitionis ſtudio, vel eulogiarum præcepta benedictione *gratias iure perſoluimus. & quamlibet indigni, Domini optamus pietatem, qui nobis citius locum tribuat veſtræ gratiæ ſeruiendi. Illud namq; quod zelo zelati eſtis pro noſtra exiguitate, non omittitis ſolertiam egregii & nobilis paſtoris, dum viriliter & vigilanter agere adorti eſtis. Vtinam* etiam in nobis diuina pietas perficere dignaretur. Quia ille rectè vigilat, qui aſpectu veri luminis, & intimæ contemplationis ſemper oculos apertos gerit. Qua de re neceſſe eſt, vt mentem ſemper ad interiora & ſublimia ſuſpendamus; ne per torporis negligentiam ad ima trahamur. Igitur de eo, quod ſollicitudo veſtra ſciſcitare ſtuduit, veſtra dilectio comperiat omnes optimates & Principes, iuxta quod antea *cum ipſis habebamus conglutinatam amicitiam, Gratias Chriſto, qui eſt bonorum omnium diſpenſator, ſatis amabiliter nos receperunt; & nos eos eatenus in DEI nomine retinemus, vt charitas mutua nunquam decidat, ſed aucta magis in dies floreſcat; & cum amico veſtro FLAVADO firmiter & amabiliter in charitate conſolidati ſumus. De cætero vero ſatis, & cum pleniſſimo affectu, vt præfati ſumus, pro tantæ inquiſitionis veſtræ dilectione gratias agimus. Salutamus præterea veſtram almitatem eo affectu, quo * nobis oblata eſſe non ambigo, & ſupplex quæſo, vt pro mea exerc-

mſ. gratiarum iura.

mſ. eteni

mſ. cum ipſos habebamus cōglutinata amicitia.

mſ. nob. latere non am.

tremitate pio domino * digneris exorare. Vale vir DEI, & memento mei. *m. ſ. digneris.*

Item Epiſtula domni Deſiderii ad Grimoaldum. 2.

Domno Inluſtri, & à nobis peculiarius ſuſcipiendo domino, & in Chriſto filio Grimoaldo Maiori Domus Deſiderius peccator.

NON ignotum vobis famulum, ac benè cupientem, cupio eſſe commendatum. Adeſt enim frater meus LVPVS ABBA, cuius mẽtem agni cupio agminibus intereſſe. Iſte ad vos rediuiuo DESIDERIO pergit, & poſtulat ſe noſtris affatibus commendari, quatenus eum veſtra induſtria glorioſi PRINCIPIS DOMNI SIGGEBERTI REGIS obtutibus repræſentet. Age ergò virûm egregie, mihiq; patrone, & iſtum habe, vt ſupra petii, per omnia ſodalem; quatenus gaudeat ſe noſtris apicibus veſtræ eminentiæ commendatum. Interea ſalute vberi fuſa, precor impensè, vt quod ipſe ſuggeſſerit, conditiones Monaſterii noſtri, * quod nuper in honore ſancti AMANTI ædificaui, digneris recipere per omnia commendatas. Et talem exinde curam geratis, vt æternam retributionem pro collato beneficio expectetis. Dignamini etiam expectationem noſtram de veſtra, ac DOMNI REGIS ſalute, patrumque, vel fratrum veſtrorum reciprocante nos pagina * conſolari manu propria. Incolumem EXCELLENTIAM veſtram ſuperna pietas tueatur. *m. ſ. quem.* *m. ſ. conſolare.*

Item Epiſtula domni Deſiderii ad domnum Sigebertum Regem. 3.

Domino glorioſiſſimo, triumphali palmate coronato, ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ filio Sigeberto Regi, ſeruus veſter Deſiderius Cadurcæ vrbis Epiſcopus.

DVm & contigit de præcelſo domno noſtro genitore veſtro, quod nec pietati veſtræ tam cito fuerat optabile, Vos, reuerentiſſime domine, tam de nos ſeruos veſtros, quàm & de cunctos fideles integram dignamini habere mercedem, Vt quos genitor veſter pie enutriuit, veſter rigor æquanimiter portet. & dum vos Deus omni-

omnipotens ſua pietate in regni ſolio ſublimauit, & tantum vobis dedit prudentiæ intellectum; præſumimus conmonere CELSITVDINEM GLORIÆ VESTRÆ, vt ſemper * protectoris veſtri memoriam intimiore corde retineatis. Semper cogitetis, quid poſt regni ſceptra futuri eſtis, & ad qualẽ remunerationẽ ꝓ operum qualitate venietis. Nos pro Epiſtolæ parcitate te modicũ quid monuimus. Vos taliter in omni opere, in omni cauſa, in omni iudicio voſmet ipſos exhibete, vt quando perfidi Reges cum iniquis damnantur, vos pro bonis operibus * æternam remunerationem percipiatis. Explicit.

ſ. progenitoris, vel, præceſſoris vel, protectoris noſtri.

m. ſ. æterna remuneratione

4. Item Epiſtula domni Deſiderii ad domnum Sigebertum Regem.

Domino glorioſiſſimo, atq; piiſſimo, vbique præcelſo ſanctæ Eccleſiæ Filio Sigeberto Regi Deſiderius ſeruus ſeruorum DEI, atque per gratiam eius Cadurcæ vrbis Epiſcopus.

QVod vos pia ſollicitudine dignati eſtis litteris conſolare, inſufficiens eſt mens noſtra gratiarum iura perſoluere. Qua de re ſingulari poſtulatione credidi depoſcendum, vt ea me dignatione iubeatis peculiarius conſouere, qua Domini Genitoris veſtri circa meam puſillulam, exiguamque perſonam habita eſt gratia familiaritatis. Volui quidem ſic obtemperare, vt non prius ad vrbem redirem, donec, ſi potuiſſet fieri, VESTRI CVLMINIS PRÆCLARAM CELSITVDINEM vidiſſem. Sed quia hoc difficile fuit, ideo nunc latorem præſentium commẽdare præſumo. Per quem officia ſalutationum digno culmini veſtro honore perſoluens, quæſo, vt petitiones ipſius in effectu poſitas, me de veſtræ excellentiæ incolumitate * dignetis facere certiorem.

ſ. digneris.

5. Item Epiſtula domni Deſiderii Epiſcopi ad domnum Dagobetum Regem.

Domino glorioſiſſimo, atque piiſſimo, vbiq; præferendo, vndiq; præcelſo, ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ filio, Dagoberto Regi Deſiderius ſeruus ſeruorum Dei, & veſter fidelis.

Dum

DVm plerumq; pro conditiones Eccleſiaſticas me neceſſitas compellat ad CELSITVDINEM CVLMINIS veſtri apices dirigere, ipſa tamen recordatio contubernii, &* dulcedo auſpicatæ indolis pubertatis monet, vt frequenter, ſi fieri poſſit, me exiguum famulum ſollertiſſimis obtutibus veſtris præoptem præſẽtari. Qua de re ſalutationis obſequio eo quo decet honore p̃lato quæſo, vt de conditiones CADVRCÆ Eccleſię, cui DEO auctore, ex iuſſu veſtro p̃ſedeo, pro quas nũc præſentium latores apicum ad EXCELLENTIAM DOMINATIONIS veſtræ feſtinant, pro diuino reſpectu vel iuſtitiæ contemplatione integra mercede ſtudeatis habere, ſollertiſſimo libramine cauſam trutinate; & qua iuſtitiam perſpicitis ponderare, illuc ſententiam declinate. Nec ſolum de hac re, ſed omni tempore, de omni conditione ſententiam REGIS iuſtitia præcedat & veritas. Iudicium quoque miſericordia comitetur, propter illud Apoſtoli: Iudicium ſine miſericordia erit ei, qui non fecerit miſericordiam. Age ergò PRÆCELLENTISSIME PRINCEPS, mi domine DAGOBERTE, age taliter, vt dum ſingularem inter homines regni apicem obtines, ad æterni regni ſingularem gloriam ſine confuſione attingere poſſis. Me quoque non ſuperfluum iudicetis pro pia commotione, ſed amantem mente ames pro ſalubri exhortatione. Explicit.

m. ſ. dulcido ſ. dulcitudo.

Iaco. 2. 13.

Item Epiſtula domni Deſiderii ad Grimoaldum præpoſitum palatii.

6.

*Domino Inluſtri, totius aulæ, immoq; regni * Rectori Grimoaldo Maiori Domus, Deſiderius exiguus ſeruus* DEI.

PAgellari officio ſuggero, vt harum portitorem apicum commẽdatum dignetis recipere, & quæq; ore proprio ſuggeſſerit effectui iubeatis mancipare. Et quia cupio me veſtris animis eo ordine cõmendare, quo parentum veſtrorum affectu ſum vnico deuinctus, precor vt illam gratiam genitoris veſtri, erga me tenere dignetis, * quæ me vobis faciat placabilem, & veſtram mihi præſtet ſemper optabilem. De condiciunculas etiam Eccleſiæ noſtræ, & pauperum ſuorum ſingulari mercede ſtudete habere, eaſq; per omnia habete commendatas. Nos quoque in ſinu gratiæ veſtræ, non vt meremur, ſed vt optamus, atque confidimus, paterno confouete affectu. Et ſi de hoc,

m. ſ. Rectorem G. Maiorem. Et nota quod in his Epiſtolis m. ſ. codicis errores etiã manifeſtos exprimi.

mus, vt fides editionis conſtet.

Xxx quod

m. ſ. quog. ꝗ ſuggeſſimus, ſperata cõceditis, ſimul & de veſtra ac DOMNI REGIS, vel fratrum veſtrorum incolumitate, aut * quicquid nos ſcire recte cenſetis, quod in illa regione agitur, reſcripti nos ſerie dignamini certificare, Incolumem vitam veſtram ſuperna pietas tueatur.

7. Item Epiſtula domni Deſiderii ad Medoaldum Treuericæ vrbis Epiſcopum.

Domino ſemper ſuo Medoaldo Papæ Deſiderius peccator,

SI gratiarum iura beneficiis veſtris recompenſare voluero, non ſapiam. pro illa ſcilicet ſupereminentia bona, quæ anno præſenti erga nos largitas veſtra deſeminare ſtuduit. Pro impenſas videlicet ſuperfluentes, pro itinerantium multimodas neceſſitates. Nec ſolum famulantium oportuna ſubſidia non pauca miſiſtis, ſed etiam noſmet & expenſis, & muneribus ampliaſtis. Impleſti, beate pater, largitatis officium, ſuſtinuiſti peregrinationem noſtram, compaſſus es laboribus noſtris, & longe à ſolo patrio poſitos, ita paterno affectu fouiſtis, vt nec regionis vbertatẽ, nec parentum * dulcedinem ex inopia deſiderarem. Dominus noſter IESVS Chriſtus, in cuius amore id impendiſti, tibi pro noſtra extremitate retributor exiſtat. Nunc igitur famulatus mei iura perſoluens ſupplico, vt quem tunc beneficiis conſolaſtis, nunc orationibus beneficio iuues. Latorem præterea præſentis officii filium communem CLAVDIVM Abbatem recipite per omnia commendatum. & munuſcula, quæ ex nobis intulerit, grato animo habetote. Cùm ſe de mundo oportunitas contulerit, de veſtra, & DOMNI REGIS, vel fratrum ac filiorum veſtrorum mereamur incolumitate reſcripti ſerie conſolari.

m. ſ. dulcedinem & inopia deſiderarem

Item Epiſtula domni Deſiderii ad Chodulfum.

8. *Domno Inluſtri, & à nobis peculiarius ſuſcipiendo domino & in Chriſto Filio Chodulfo Deſiderius peccator.*

Rom. 5. 20. IN ſancti Apoſtoli Pauli dictis ſcriptum habetur: quod vbi abundauit peccatum, ſuperabundauit gratia. Iam quantum me hacten' de gratia veſtra dolui contriſtatum, ſuperabundare me de veſtra gratulor

tulor charitate. Non enim itineris illius, quo ætate ſum grauata confectus, iam quadam doloris memoria ducor; cùm recolo, quanta erga me dulcedo veſtra eſt pia voluntate diffuſa. Vnde gratulatione maxima præſentem paginam ad dominationem veſtram deſtinaui, per quam ſalute vberi fuſa, precor Dominum, vt magis, magiſque ſuauem in vobis tribuat largitatem pietatis, ac bonis faciat ſucceſſibus abundare. Et quia ſcriptum legimus: Generatio rectorum benedicitur, *Pſ. 111.* Tu vir EXCELLENTISSIME benedictiones paternas ſemper memoriæ viuacitate conſerua, & ſi qua ſunt, vel quod monuit, vel quod egit, quaſi ante oculos præſentaneo retine memorata. Multa enim ſunt de eius geſtis tuis auribus recolenda, quæ ſi geſtis adiicias vitæ huius & intenta meditatione conſerues. Ille orationibus donabit vtique nunc fauorem, quo probabiliter probe polleas, & iſtinc curſu feliciter auſpicato, paternis muneratus præmiis adiungaris. Interea, quanquam neceſſarium eſſe non ducam, latorem præſentis officii multa deuotione commendo, & vbi quod aut iſte dixerit; aut aditum cognoſcitis oportunum, conditiones patroni veſtri beati STEFANI, cuius adminiſtrationem gerere videor, habete receptas, & per omnia commendatas, vt ipſi domini rerum, quibus vice noſtri Redemptoris ſeruire videmur ipſi vobis impendia æterna compenſent, ac ſupplementum ſuæ tribuant largitatis.

Item Epiſtula domini Deſiderii ad Abbonem. 9.

*Domino ſemper ſuo * Abboni Papa Deſiderius peccator.* *m. ſ. Abboni.*

DVm lator præſentium apicum * ab obſeruando illo Monaſterio iuſſus accedit, & quia neceſſe eſt veſtro eum patrocinio commendemus; igitur famulatus mei officia perſoluens ſupplico, vt eum ſicut famulum, gratia pietatis veſtræ recipiat commendatum, & de condiciunculas DOMNI STEFANI, vndecunque fuerint exortas, adhibete ſollicitudinem. Sicut me de veſtra gratia confidere, vt credo, nullatenus ignoratis. Non enim à me docendus es, quid in noſtris ſupplimentis, & Eccleſiæ, cui ſeruimus, vel pauperum eius oportunitatibus præſtes, quid vigilando proſpicias, quidue experientiæ actionis tribuas. Noſti omnia, omniaque non ambiges, quibus laboribus * vrgemur, quibus que fatigamur ærumnis. *m. ſ. ad obſeruando illo monaſterio & q. n. e. v. e. patrocinium.* *m. ſ. vrguimur.*

Digitized by Google

hoc ſolum cupimus te velle. Nam poſſe daturus eſt ille, ſub cuius nomine nos præſidio, & fauore teneri gaudemus. Rogamus ergo, vt iſtum famulum batum optarem frequenter, ſi poſſibilitas arrideret, ſacris veſtris intereſſe colloquiis, vt ſicut nos ſub ſæculi habitu in contubernio SERENISSIMI FLOTHARI PRINCIPIS mutuis ſolebamus reuelare tabellis, ita iam nunc illa ad plenum depoſita vanitate dulcia liceret CHRISTI ruminare præcepta. ſed quia ſicut mens anhelat, effectus ſequi non præualet; hoc ſufficiat dicere * dũm fauore veſtræ charitatis non mediocriter ſum recreatus. Proinde gratiſſima effuſa ſalutatione, peroro, vt quem tunc & affatibus bonis, & benigna charitate conſolaſtis, ſemper in memoriam veſtri* interni intimum teneatis latorẽ. præterea præſentis officii, qua valeo inſinuatione, vobis cõmẽdo, & precor, vt in omnes conditiones, quas exerit, benignũ iubeatis præbere fauorẽ. & per ipſũ, vel quãdocũq; aditus extiterit, de veſtra felicitate mereamur certificari. Vale vir DEI, & memento mei.

videtur hic aliquid deeſſe.

ſ. demum.

m ſ. int

10. Item Epiſtola domni Deſiderii ad dominum Dadonem Epiſcopum.

Sancto ac præferendo Apoſtolico patri Dadoni Papæ Deſiderius ſeruus ſeruorum DEI.

DVm plurima tempora elabuntur, quod præſentiam veſtram videre nequimus, nunc immenſa ſe gratulatio menti obiecit, dum aliquatenus vel poſt diutina interualla ſeſe opportunitas * præhibuit, qua vel pagellari officio me veſtris conſpectibus præſentarem. Igitur debito obſequio humiliter exhibito, illud peculiarius peroro, vt quem quondam in ipſo flore primæuæ iuuentutis vnico mihi amore præbuiſti, ſemper concedere digneris illum meum DADONEM. Maneat priſtina inter nos atq; illum tuum, immò noſtrum *ELIGIVM inconuulſa charitas, indiſiuncta, vt fuit quondam, fraternitas. mutuis nos iuuemus precibus, vt quemadmodum in aula terreni PRINCIPIS ſocii fuimus; ita in illo ſuperni REGIS cœleſti palatio ſimul viuere mereamur. Et licet de noſtro collegio duos iam amiſerim germanos, habemus pro his venerabilem PAVLVM, nec minus prædicabilem meritis SVLPITIVM. Quiſquis igitur noſtrum quantum plus præualet, tanto amplius profectuum gradus conſcendere elaboret. Ad hæc autem prædico plus me veſtris orationibus, quàm meis viribus attingere poſſe confido.

ſ. præbuit.

m ſ. Elegium.

Digitized by Google

fido. Tantum eſt, vt indeſinenter vos orare dignetis; & pietas Domini noſtri Iesv Chriſti, credo, præſtabit, quod rogatis. Vale vir Dei, & memento mei.

Item Epiſtola Domni Deſiderii ad Domnum Paulum Epiſcopum. 11.

Domno ſemper ſuo Paulo Epiſcopo Deſiderius peccator.

IAm credo ad aures tuas perlatum, qualiter Monasterivm conſtruere cœperim, & Basilicam iam mihi Domino cooperante conſummatam habeam. Proinde rogo, atque inuito Apostolicam dignationem veſtram, vt ibidem ad Dedicationem intereſſe dignemini. Et cùm nos ibidem in Dei nomine viderimus, aliquantis ſimul diebus commorantes, de illa perenni ac deſiderabili vita, de qua mutuo ſuſpirare ſolebamus, familiaria colloquia deſidero, vt habeamus. Alios etenim plures Episcopos intereſſe faciemus, qui nos vel exemplo iuuent, vel hortatu roborent. Quorum nos contubernio non mediocriter opinor adiuuari. Veni igitur cariſſime, quantum longius, tantum velocius. vt poſt diutinam corporis abſentationem tandem refocillemur mutua confabulatione. Aderit credo Dominus de ſe concionantibus, adſtabit orantibus. nec nos deſeret vnquam qui paſſus eſt pro nobis, de ſede* veniens paterna. Orantem te pro nobis potentia domini noſtri Iesv Chriſti conſeruare dignetur. ** m. ſ. venire.*

Item Epiſtula Domni Deſiderii ad Domnum Sulpitium. 12.

Sancto Patriarchæ Sulpitio Deſiderius ſeruus ſeruorum Dei.

COndecet primæ ſedis Antiſtitem, vt ſollers circa eum conſacerdotum exhibeatur ſollicitudo; vt dum viciſſim iura charitatis glutinantur, facilius deitatis conſortio intereſſe mereantur. Iuxta illud, quod ſacratiſſimo eximii vatis ore pollicitus: Ego, inquit, inhabitabo in eis, & inter illos ambulabo. Nec non & Domini dictum: Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, & ego in medio eorum. quapropter, Papa beatiſſime, veſtra ſit elaboratio, vt pertinacia, quæ plerumque inter fratres ſerpit, veſtro libramine radicitus euellatur. *Ierem. 7. Mat. 18. 20.*

Digitized by Google

Nam noſtri erit ſtudii ſolatia oportuna præbere. De cætero prece qua valeo ſupplico, vt quotiens ad exorandam Domini clementiam defixa mente adſiſtitis, noſtri memoriam ſacris precibus interſeratis. Hæc nimirum facientes, vicem nobis in præſentiarum rependitis. Qui quamuis non, ſicut oportet, oramus, orandi tamen inſtantiam non omittimus. Memento mei Papa beatiſſime, & cultoris tui merita orationibus foue.

13. Item Epiſtula domni Deſiderii ad domnum Cæſarium.

Domno ſemper ſuo Cæſario Epiſcopo Deſiderius peccator.

DEſiderabilia nobis gaudia eueniunt, quotiens ſe aditus præbet, ex quo puſillitatis noſtræ litteras ALMITATI veſtræ poſſumus dirigere. ideoque prælata occurſionis obſequia fraterna charitate monemus, vt cauſas vnde mutua fuit confabulatio, id eſt, de id, quod ad profectum animæ pertinere noſcuntur, toto conatu, omnique adniſu elaboretis adſequere. ſicut è contra illa, quæ euidenter ſaluti animæ obſunt, tota virtute ſtudeatis fugere. Et
1. Cor. 13. 7. quia caritas omnia ſuffert, ſicut nos videtis de veſtra ſalute ſollicitudinem gerere, ita vos quoque de noſtra exiguitate dignamini ſollicitare, ne, quod abſit, culpa quælibet nobis latens, vicinis propaletur, & nobis quandoque in obiectionem ponatur. Præterea credo, quod nec vobis lateat, qualem egeſtatem de aqua, quam fons præbeat in hac CADVRCINA ciuitate habemus. Sed voluntas nobis ineſt, ſi * poſſis permittit, vt per tubos ligneos ſubterraneo officio ad ipſam ciuitatem aquam ducere debeamus. Proinde quia nouimus, quod peritos ex hoc artifices haberes, precamur, vt compendium de ipſos faciatis. & vnde iubetis nos pleniſſimè * re ſeruimus. Agat APOSTOLICA dignatio veſtra taliter tàm de prælata monitione, quàm & de vltima ſuggeſtione, ſicut nos in omnibus efficaciter de parte veſtra confidimus. Incolumem Pontificatum veſtrum diuina pietas cuſtodiat.

* *fort. poſſeſſio vel paſſus.*

* *fort. reſeruamus.*

Item Epiſtula domni Deſiderii ad quandam ſanctimonialem.

Deſiderius Epiſcopus Aſpaſiæ Abbatiſſæ ſalutem. 14.

LAcrimis tuis hactenus motus hanc tibi hiſtoriam de Euange- *Luc. 9.*
lio egregiæ illius fœminæ deſtinaui. In ipſa quippe diuinam
conſolationem reperies, & timorem. conſolationem quidem, quo-
niam qui de peccati onere reſipiſcet, hanc animam pia Domini be-
nignitas non refutat; timorem ideo, quia anima, quæ accedit ad ſer-
uitutem Domini, continuo ad tentationes ſuſtinendas ſe fortiter pa-
ret, dicente Salomone: Fili accedens ad ſeruitutem Domini, ſta in *Eccli. 2, 1.*
timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Gaudium qui- *Luc. 15, 7.*
dem eſt in tuis lacrimis, & exultatio fit in cœlis, dum ipſa ſponte
damnas, quod male ſponte contraxeras. Abſit enim, ne ſicut Eua
ſeducta eſt per ſerpentem, ita tu ad rediuiuas miſerias cupias reuer- *recidiuas*
tere. Ergo compatiatur anima tua dolori meo, vt ego poſſim vul-
nere ſanato lætificari de bono tuo. Age pœnitentiam, quantum
melius potes; & omni cuſtodia ſerua cor tuum. Confido ego in *Prou. 4. 23*
Domino meo IESV Chriſto, quia citò oblitterabit omnem macu-
lam tuæ* confeſſionis bona confeſſio. Vigila aſſidue, & ora, vt nul- **ſ. confu-*
latenus retrorſum reſpicias. Memento quid veritas dicat: Nemo *ſionis.*
ait, ponens manum in aratro, & reſpiciens retro, aptus eſt regno *Luc. 9. 62.*
cœlorum. Reſpicere autem retro nihil eſt aliud, quàm pœnitere
quenquam, & abiicere quod cœperit bonum, & rurſum mundiali-
bus negotiis implicari. Recordare etiam vxoris Loth quod vtique *Gen. 19.*
Dominus ſpecie hactenus per Euangelium pœnitentibus fuiſſe no-
ſcitur proteſtatus. Ergò in hac hiſtoria continetur & magnus pœ-
nitentiæ fructus, & impletum in cœlis gaudium coram angelis ſan-
ctis. Cùm illa, quæ fuerat ante peccatrix, meruit ſuis lacrimis pro- *Luc. 7.*
mereri ſpem ſalutis. Oro ergo, & per Dominum IESVM Chriſtum
te obteſtor, vt non des amplius diabolo locum, ſed in ieiuniis, & ob-
ſecrationibus, & vigiliis te inſtanter impendas. & quantum ſentis
te hominum deſtitutum præſidio, tantum tibi diuinum adeſſe fla-
gites adiumentum. Iterum ac ſæpius moneo, vt hæc à te hiſtoria
frequentius relegatur. Et in tantum pro te inſta,
vt etiam pro me apud Dominum
te credam poſſe aliquid
obtinere.

Item

Digitized by Google

15. Item Epiſtula Domni Deſiderii ad Felicem Narbonæ vrbis Epiſcopum.

Domno ſemper ſuo Felici Præſuli Deſiderius peccator.

ANte dies aliquot quidam frater litteras veſtras nobis exhibuit, plenas doloris & mœſtitiæ. quarum tetra ſuperficies nihil ſerenum, nihil iucundum, vel ad charitatem pertinens innuebat; ſiquidem à ſummis ad ima vſque moleſtiæ exitiales querimoniæ ibi inerant. Et forſitan mea negligentia, non mea culpa ita confectæ. Non enim reor me hactenus adeò fuiſſe veſtra offenſa pulſatum, vt huiuſmodi iurgia pontificalia viſcera* replerent. Et licet veſtræ aures viperea infuſione ſubpletæ ſerpentis erumperent ſibilum, noſtra tamen præcordia præcepta Chriſti meditabantur in arcanum. Et quamuis ſerpentina aſtutia iurgiorum propinaret venena; ego tamen vt de veſtra eſſem caritate depulſus, magis mœrendo dolebam. Proinde precor propenſius, ſi in me remanſit actio culpæ, veſtra pia almitas intercedat, vt ſententiæ aduerſæ prorſus aduertar. Sin autem ſueta me ambiunt accuſatione vexare, contuendum cenſeo, & à veſtra cenſura opto fore cauendum; vt aures veſtras viperina venena, ac velut * Sirenarum cantu letalis ſibilus non infundat. Ego me veſtrum, non vt opinor, iniuſto iudicio ſubdo. vos propenſa ratione tractate, vt indemnem nequaquam damnare*, dicere iubeatis: quapropter ſalute humillima precor, effuſa, vt quia dudum me quamlibet minorem iudicio tamen parem eſſe duxiſtis, non nos ſeparet viroſa & pertinax audacia ſuadentum, quos pia hactenus & ſalutifera caritas nectere iuſſit. Ego itaque ac ſi ſupra vires fari queat, iuſſioni non obſiſto; dummodo à veſtræ dignationis gratia non auellar. Quod minus vtilis ſtyli exarauit inpreſſio, affatu latoris præſentium eſt ore commiſſum. ipſum diligenter auſcultate; & tunc verè cognoſcetis, quantum vobis honoris reſeruet. Date igitur veniam, date gratiam, date piam affatus copiam; vt qui pro Chriſti exemplum ante veſtra veſtigia caput humile ſubdet, non conculcandum, ſed potius eleuandum veſtra bona pietate ſe putet. Certè multo melius eſt cum humilibus in conſpectu Dei exaltari, quàm cum ſuperbis humiliari.

** m. ſ. replerentur.*

** m. ſ. Serenarum,*

** fort. temere.*

Domi-

Dominis ſanctis, & cum ſumma veneratione memorandis domnis Epiſcopis & Abbatibus, nec non & ſublimibus atque Magnificis viris, Comitibus, Tribunis, Defenſoribus, Centenis, & hominibus Publica vel Eccleſiaſtica agentibus, Deſiderius ſeruus ſeruorum Dei vrbis Cadurcæ Epiſcopus. 16.

QVæſumus domni, vt pro nobis orare dignemini, & harum portitorem VNTEDIVM Presbyterum, vnà cum puero itineris ſui comite, commendatum recipiatis. Quia non, vt multi * giroaci, circumuentiones prætendit, ſed pro rationabili peregrinatione HISPANIARVM petit. Agite itaque vt à nullo inquietetur, neque patiatur iniuriam. Sed magis veſtro aditu in antea proficiſcatur ſecurus. Propitii recenſeatis domni ſemper nobis.

*gyrouagi

Finit dictio ſancti DESIDERII Epiſcopi.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD DESIDE-
RIVM
EPISCOPVM
CADVRCENVM
Epiſtolæ

Abbonis Epiſtola 13.
Aniulfi 3.
Bertegyſeli 2.
Chanulfi 14.
Conſtantii 4.15.
Dadonis 4.
Elegii 6.
Felicis Epiſtola 23.
Galli 20.
Palladii 18.
Pauli 11.12.
Rauracii 7.
Sigeberti Regis 9.17.
Sulpitii 1.10.
Veri 16.19.

Item

* Epiſtola Sulpitii ad Verum. ** eſt quinta ordine.*

Nunc primum ex membranis m.ſ. celeberrimi Monaſterii S. Galli edita.

Digitized by Google

INCIPIVNT EPISTOLÆ DIuerſorum Pontificum ad domnum Deſiderium data

Nunc

Epiſtola Domini Sulpitii ad Domnum Deſiderium.

*Domno ſemper proprio atque Apoſtolica ſede colendo Domno Deſiderio Cadurcæ vrbis Pontifici Sulpitius * Bitoricæ vrbis Epiſcopus.*

* ſ. Bituricæ,

EXCITAVIT animum paruitatis meæ eximia dulcedo magnitudinis tuæ, vt Pontificalem ſacerdotii veſtri laudem inſignem, vel ex parte tenuem præſumam diſſerere ſermonem. Sed vniuerſa ſubito virtus defecit in verbis, quem exſuperauit tantæ materia dictionis: vt rudimenta tantarum *anguſtiarum ſtudia animo librante penſaram, ipſius magnitudinis mole, victus ſuccubui. vnde meo ſaltem voto ſatisfeci. *etſi veſtro implere ſuffragio non valui. libens tamen qui aliud nihil dominationi veſtræ prodeſſe appareo. ſed vos ſemper pietate conſueta tanti habetis inquiſitionem nos velle frequenter viſitare. Vnde inprimis incolumitatem veſtram inquirentes, quod optamus potius tàm * motu corporis quàm linguæ mutuo ſermone complere, dum regionum longinquitas non diſcrepat aſpectum, niſi tantùm modo fraudat interiectionis ſpatium, & ipſum tamen dilectio cernit intuitum cùm figurat *animos recordatum. Ergo nihil perdet abſentiam, quod præſentaliter laborabit præſentiam. ſemper in dirigendis apicibus beatitudo veſtra ſoluit officium, vt plus debeat reddendum agminis famulatum, quàm meritis conſideret debitorem. Auctorem cœli præſumimus poſtulare, vt veſtram iubeat prætendere vitam curſibus annorum longæuam dignetur tempore longo, cuius nunc locuples ſeruatur * nomine mundus, Et diu * firmantur nutantia culmina rerum, vel dilapſa magis ſolidata reſurgunt. Iſtud manu propria fecit

* m.ſ. anaguuſticorum.
* m ſ. ac ſi.
* m.ſ. motu
* ſ. animum.
* m.ſ. nomini.
* m.ſ. firmatur.

Digitized by Google

à tuis temporibus. veſtræ gratiæ ſeruire merear mihi peculiaris domine.

Itẽ Epiſtula Bertigisli Abbatis ad domnum Deſiderium cum adhuc laicus in palatio degeret. 2.

Domino Inluſtri, & à nobis ſumma dilectione colendo, atque cum omni reuerentia nominando domino Deſiderio Theſaurario Bertegyſelus Abba.

LIcet libenter ac frequenter noſtros miſſos pro ſuſcitanda incolumitate glorioſi DOMNI DAGOBERTI REGIS debeamus dirigere, his tamen diebus ſpecialiter direximus famulum veſtrum DVLCIDIVM DIACONVM ad veſtram ſolertiam, vt per veſtram inſtantiam, & de ſoſpitate domno debeat ſollicitare, & de veſtra nos incolumitate poſſit certificare. Sicq; de ambas partes, vt cupimus, votiua nobis gaudia valeat denuntiare. Et licet placitum cum PHILIPPO PATRITIO illuc ante ipſo domno habemus, pro eo, quod miniſteriales noſtros poſt ſe retinere videtur; vnde petimus, vt præſens frater * per veſtre conſilio, & efficaciſſimo adiutorio vos per omnia tuentes & inſinuãtes, ipſa cauſa valeat effectum producere. De pueros etiam, quos ad opera dominica per veſtra ordinatione direximus, ſi aliquid faciunt, quod domno ſit placitum, veſtra inſinuatione diſcamus. Annis multis diuina potentia veſtram ad ornatum vel conſolationem multarum conſeruare dignetur, domine ſemper meus peculiaris patrone.

f. Dagoberti. — *m. ſ. per vrã inſtantia.* — *ſ. per veſtra cõſilia & efficaciſſima adiutoria nos*

Epiſtula Auiulfi Epiſcopi ad domnum Deſiderium. 3.

Domino ſancto, & Apoſtolica ſede digniſſimo domno & Patri Deſiderio Papa Auiulfus peccator.

VNde nobis iuſſiſtis, & nos * ſanctitatis veſtræ innotuimus clericum veſtrum nomine DRVCTVLFO per amicum nos de SPANIA recepimus ipſum nunc * præſente miſſo vobis direximus. culpas precamur, vt * excuſatæ ſint, & ipſe de cætero emendatus reſideat. Domni pietas ſi iſta nobis concedit, grandem nobis fiduciam de ſua gratia facit. De cætero quod præſens miſſus vobis ſuggerit pro conditio-

leg. ſanctitati. — *m. ſ. p præſente miſſo.* — *m. ſ. excuſata ſ. e. i. d. c. e reſſedeat,*

Digitized by Google

nes noſtras domnus obtemperare dignetur, & ad effectum perducat, vt melius nobis delectet quouſq; audiuimus veſtro ſéper ſeruitio inhærere. Salutare quidem non audeo, ſed deprecor ſanctitatem veſtrā, vt pro me humilliſſimum veſtrum in ſacris orationibus veſtris memores eſſe dignemini.

4. Epiſtula Conſtantii & Dadonis Epiſcoporum ad Domnum Deſiderium.

Domno ſemper nobis proprio, & poſt Deum peculiari patrono Deſiderio Papæ Conſtantinus & Dado Epiſcopi.

SEcundum quod per litteras veſtras inſinuaſtis, & iuxta quod filius veſter domnus GODENVS mandauerat credimus,* quod heſterno ad illud monaſterium veniſſet, ſed dum * dabo odie apud CARIATONE & MAVRINO *comitem videre minimè poſſumus. FLAVIANVS autem denunciauit, vt quinta feria apud ipſum iungamur. Et quia læſionem nobis inferre cupit, epiſtolam ſanctitatis veſtræ ad ipſum depoſcimus, vt dum noſtra fiducia tutamur, veſtra autoritate in omni parte muniamur. Prælata prius debita ſalutationis obſequia; rogamus impensè vt pro noſtra paruitate exorare dignetis; noſq; ſemper in ſinu gratiæ veſtræ confouendos retineatis. Annis multis vobis ſeruire mereamur beatiſſime Papa.

m. ſ. quod eſterno ad illo moneſterio.
**locus corruptus.*
m. ſ. comitē.

5. *Domino ſancto & Apoſtolica ſede colendo Fratri Vero Rutenæ vrbis Epiſcopo Sulpitius peccator.*

IN quantum vobis vir Apoſtolicus domnus DESIDERIVS CADVRCÆ vrbis EPISCOPVS per litteras ſuas innotuit, graui iniuria homines ſui à PERRICIO * Diacono veſtro in parrocia ſua ARONNACO pertulerunt, Et audiuimus, quod Aprilis * kl vobiſcum exinde placidum debeat habere. Propterea ſalutantes charitati veſtræ rogamus, vt taliter aduerſus domno DESIDERIO ordinetis emendari, ſi cognoſcitis, quod ſuperius * ſcripſit Diaconus exinde negligens eſt, qualiter veſtra eſt prudentia, & ſi hoc fortaſſe ipſe dicat, obaudire diſtulerit, & taliter ſi non emendatur, qualiter domno DESIDERIO voluntas eſt, non aliter fiat, niſi in placito, quod vobis ſupra ſcriptus Ponti-

m. ſ. Diacono.
ſ. Kal. April.
hic locus omnino corruptus eſt. ſo. ſi cognoſcitis, quod ſuperius ſcripſi. Diacon⁹ exinde neglegēs eſt qualiter veſtra prudētia (et ſi hoc fortaſſe ipſe dicat) obaudire diſtulerit

Pontifex denuntiauerit *memora.... diaconus veſtro per fideiuſſores vna cum indiculo veſtro ante paruitatem noſtram faciatis dirigere. Interim nos exemplar epiſtulæ apud nos retenemus. Petimus veſtræ dulciſſimæ ſanctitati, vt in ſanctis orationibus veſtris nos memores eſſe dignetis.

m. ſ. memo rauerit. ſed hæc vox eraſa fuit & correcta Diaconum *ita vt neſcias, an legendum ſit memorato, an memoratus. for. leg. memoratum veſtrum.*

Domno ſemper ſuo atq; Apoſtolico Patri Deſiderio Papæ Elegius ſeruus ſeruorum DEI. 6.

QVotiens aditum ſcribendi gratiæ veſtræ reperimus, totiens nobis *cumulus gaudii videtur adcreſcere. Quapropter cum ſalutationis officio illud propenſius præ cunctis conditionibus depoſco, vt quotienſcunque inter mundanas ſollicitudines mens ad ſtatum quietis præualet attingere, memoriam paruitatis noſtræ ſacris precibus veſtris ſubiungere non omittatis. Quod nequaquã credo, vt noſtri obliuio vllatenus apud vos cadat; vt nec veſtra apud nos vnquam ſeneſcere nouit. Sed non incongruè arbitraui rediuiua commonitione eadem ingerere. cùm nimirum conſtet, quod nulla in præſenti sæculo cauſa ita mentẽ ſtimulet, quemadmodum vitæ perpetuæ, & beata iuſtorum patria deſiderii immenſitate viſcera, mentemq; ſollicitet. Quamobrem vt vndequiſq; attentius cogitat, inde frequentius & loqui ſtudeat. Proinde mi vnanimes pia viſcera DESIDERII, memento ſemper ELEGII tui, cum preces DOMINO fundes. Et quamuis nos terrarum interpoſitio lõgè ab alterutrum ſeparet, nec queat nos ſubinde corporalis coniunctio ſociare; in Chriſto ſẽper ſimul verſemur. Et ita viuere elaboremus, vt non poſt longum ſpatium anima ſimul & corpore ſociemur, ſociatique in æternum viuamus. Quod exoratus fideliter ac frequenter præſtabit, credo, nobis clementiſſimus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cui gloria in æterna ſæcula. Amen. Saluto te ſupra modum ſinceriſſimo affectu, ſalutat & DADO fidelis vtrorũque ſodalis.

m ſ. comolum.

*Domno ſemper ſuo atq; Apoſtolico Præſuli Deſiderio Epiſcopo * Rauracinus peccator.* 7.

**an hic Rusticus?*

CVm *humilliſimo ſalutationis officio commendo Apoſtolatui veſtro ſeruulos veſtros NVMMOLVM Presbyterũ, & GARIMVNDVM, quos ad vrbẽ veſtrã, & ad hoſpitiolũ veſtrũ GREGIONACO, ſiue AB-BATES

**m. ſ. cum humilliſima ſalutationis officia c. A. v. ſeruulos v. Nummolo Presbytero & Garimũdo.*

BATES deſcriptionem mancipiorum * inquirendo direximus, ſupplicamus, vt commendatos ipſos recipere dignetis. Et vbi ipſis neceſſitas extiterit, veſtro auxilio in omnibus mereantur habere, vt quod Eccleſiæ veſtræ NERVERNENSI ex ipſo agro iuſtiſſimè redebetur, per eorum inquiſitionem, vel veſtro ſolatio perdere non debeamus. Simulque ſuggerimus, vt de ipſa CVRTECELLA, vel hominibus inibi conſiſtentibus ſub veſtra defenſione tanquam propria familia dignetis habere receptos & commendatos; vt de iudicum infeſtatione, ſicut & immunitas noſtra ex hoc continet, liceat eis viuere cum quiete. His obtentis precamur, vt redeuntibus famulis de veſtræ felicitatis gaudio litteris nos iubeatis lætificari. Orate pro nobis domine ſemper peculiaris atq; Apoſtolice Papa.

m ſ. inquirenda.

m ſ. gaudia

NB.

8. Hic in m. ſ. ſequebatur epiſtola Deſiderii, qua Vntedium in Hiſpanias euntem commendat Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Tribunis, &c. Quam epiſtolam ſupra cum epiſtolis Deſiderii coniunximus, ordine decimam ſextam & vltimam.

9. *Sancto atque Apoſtolica ſede digniſſimo bonorum titulis præferendo domno, & in Chriſto Patri Deſiderio Papa Sigebertus Rex.*

CVlminis veſtri paginam deferente venerabili viro BETTORE ABBATE vna cum ſanctis EVLOGIIS veſtris me cum ſummo gaudio conperite ſuſcepiſſe. De id verò ſcripſiſtis, vt quam proſpere nos diuina pietas degere permittebat, vobis inſinuare deberemus. Cognoſcite, veſtra intercedente oratione, proſperè hactenus Chriſto præſule conſiſtimus. Et gentes patriæ, nobis à Deo conceſſæ, pacifico ordine nobis obediunt. gentes etiam barbaræ pagatiſmæ nobis cohabitant. De conditiones verò veſtras, vnde iniunxiſtis, taliter Chriſto adiuuante ad effectum produximus, veſtra fuit iniunctio. Proinde cum ſalutatione deuotiſſima petimus, vt per nos Domini noſtri IESV Chriſti miſericordiam vbi iugiter ſedulas funditis preces, exorare dignetis, vt ſua largiente clementia, & hic pacificè viuere, & ad æternam vitam nos iubeat peruenire.

lego: vt veſtra.

Dom-

Digitized by Google

Domno ſemper ſuſpiciendo, & cum omni honore venerabiliter nominando domno Deſiderio Papa Sulpitius peccator. 10.

SIngularibus myſteriis paſtorale conpetenter impleſtis officium, eo quod ad noſtram paruitatem ſollicitudinis deſtinantes affectu, dum gaudium, quod nobis ipſius RESVRRECTIONIS DOMINICÆ ſolennitatis principale contulit, paſtoralis viſitatio geminauit. in qua *vtrinq; partim & benedictio in oblationes, & affectio præfulſit in apices. Reddentes ergo munia ſoſpitatis, optamus, vt multiplicatis annorum curriculis, veſtris mereamur & EVLOGIIS recipi, & affatibus benedici. annis innumeris vobis ſeruiam, & proſperis perſeuerantibus polle beatiſſime Papa.

f. vtraque parte. Nã m. ſ. legit: vterq; partes.

Domino Reuerentiſſimo, palma triumphali decorato, ac Pontificali nomine adornato præcellentiſſimo Eccleſiæ ſpeculatori Deſiderio Papa Paulus peccator. 11.

MVlta ſum alacritate repletus, quia adoptatum, deſiderabilemq; diem à diuina miſeratione promerui, mellifluis reciprocis veſtris reperire. Quas recenſitas immenſas creatori noſtro egi prærogatiuas, quòd incolumem vos eſſe cognoui De id vero quod ibi intimaſti, vt de cauſſa Inluſtris matrisfamiliæ BOBILANÆ aliquid agere deberemus, qualiter exinde fecimus, præſentis latores officii vobis ore proprio edicere poſſunt. Præterea multiplices dominationi veſtræ agimus gratias de eulogiis ſanctiſ, de Falerno nobili, vel vaſculis decem, quę nobis tanti habuiſtis dirigere. Superexcreuit quidem, & ſuperabundauit benedictio largitatis veſtræ, adeo, vt dum nos vnam falerni amphoram depoſcimus, vos eminentia vaſa, & vt vſitatius dicam, tunnas decem eligantiſſimi Falerni tãti habuiſtis dirigere. Nec ſolum ſic inopiæ noſtræ crediditis ſufficere, ſed etiam in multis adhuc excellentioribus donariis magnificentiam erga nos veſtram ſtuduiſtis augmentare, dilatare, supplere, ac ſuperexcedere. Vnde pius Dominus vobis retributor & hic & in æternum exiſtat. Nos enim non ſufficimus tantas Almitati veſtræ referre nec pecunias, nec gratias. Proinde in illum, qui ſufficiens eſt, ſupra quam petimus, aut intelligimus, largiri, in ipſum cauſſam remunerationis veſtræ committimus. Nos quoque in

m. ſ. de eulogiis ſanctis, de Falerno nobile, vel vaſcula decem.

in ſanctis, ac Deo placitis orationibus veſtris commendamus, noſtra animam in ſuffragio veſtrarum precum committimus. Nos ſane, vt valemus, indeſinenter pro * vos orationi inſiſtimus, vt vos vndiq; gratiarum muneribus circumſeptum, ad coronam gloriæ iubeat perducere, & nos per veſtram interceſſionem ad ſpem ſalutis, & portum quietis dignetur admittere, veſtrique ſequipedam permittat exiſtere. Annis multis vobis, peculiaris domine, mereamur ſeruire.

ſ. vobis.

12.

Domno ſemper ſuo Deſiderio Papa Paulus peccator.

APices ſanctæ dominationis veſtræ redeuntibus fratribus FRODOLENO & RVCCONE de METTIS accepimus. vbi nobis per ſingula pietas conſueta inſtruere dignauit. vnde omnipotenti Domino gratias agimus, quod vos iuxta noſtrum deſiderium incolumem cognouimus. De REGIS conditione innoteſcimus, nuper per VIREDVNVM * REMOS pergit, ibique natiuitatem Domini expectat. * Bide autem LEVDVNO accedit, & inde in Maſao, ac poſt ripa Reno pergit. cognoſcatis CHAINOALDVM Epiſcopum ictuatum etiam fati munus impleſſe. Ceterum vt ad veſtra beneficia mentis oculos reflectam, nec ſi lingua clamet ferrea, vt quidam Poeta ait, aut centena ſonent ſpiramina, nullatenus poteſt quis tanta narrare Dei magnalia, quantum eius in viſcera veſtra diffunditur gratia. Nos præcipuè nec factis poſſumus repenſare, nec verbo explicare, quanta erga mè dignatis impendere. Dominum tamen indeſinenter oramus; ipſe vobis pro noſtra paruitate æternus retributor exiſtat, & cœleſtia bona in perpetua beatitudine concedat. Oratio me veſtra ſubleuet beate & venerabilis Papa.

m. ſ. remus

13.

Domno ſemper proprio Deſiderio Apoſtolico Papa Chbo peccator.

LItteras gratiæ veſtræ tam per anteriores miſſos, qui cum filio veſtro CHEDENO venerunt, quam & qui, poſtea cum BABONE accepi, per quas præcepiſti, vt de veſtris conditionibus, iuxta quod Deus poſſe dabat, ſollicitudinem gererem, Deo ſoli ſufficit non latere. Quia cum integra fide & promtiſſima voluntate id adſecutus ſum, & ordinationes * dominicas infirmatas ſunt, vt de res illas, quas leua tenebat præſentaliter BOBILA reueſtita eſſe debeat. Nam per veſtra

veſtra gratia non nobis ſine labore conſtauit. tamen dum ſcimus, quod iuſtitia eſt, credimus de Dei pietate, quod ſic pro veſtro prudentiſſimo conſilio cauſa gubernetur, vt ad bonum perfectum perueniat. De villa autem ROTOVOLLO, ſicut ſcitis, dominus DACOBERTVS Rex ipſam pro amplius, quàm quingentos ſolidos in luminaria ad baſilicas METENSES delegauit. Quia ſcitis, quod pater BOBILANÆ AGYLENVS hoc fratri noſtro VERO EPISCOPO vendidit; & poſtea ſeruus tam ipſa portione, quàm & illa alia, quæ meorum conſortes tenebant, ipſe SEVERVS redemit, & domino DACOBERTHO vna cum alia ſua facultate deligauit. Vos vero taliter cum domna BABILA agite, vt exemplaria, * quæ pro filio veſtro germano meo GEDENO direxi, firmare debeat. Vos enim & in palatio REGIS, vbi innutriti fuiſtis, benè cogniti eſtis. Quia melius eſt aliquid cum eo compartire, quàm ſolus nihil habere. Annis multis de veſtra gratia congaudere domne ſemper meus. *m. ſ. quidem*

Domno Clementiſſimo, palmata triumphatione decorato, Pontificali officio coronato, domno ſemper meo Deſiderio Papæ, Chriſtique ſpeculatori Chanulfus veſter. 14.

IN primis quod nobis præcipuum & maximum eſt, ſalutare quidem non præſumo, depoſco, vt nos domne in ſanctis rationibus veſtris Domino Deo commendare dignemini. deinde ſupplico Almitati veſtræ, vt Dominus noſter iubeat, vbi veſtrum mereamur impendere occurſum. Et quia hoc deuotio noſtra deſiderat, idemque ordinate, vbi veſtram debeamus videre preſentiam. Orate pro nobis domine & ſemper deſiderabilis pater.

Domno ſemper nobis proprio Apoſtolico Patri Deſiderio Papæ Conſtantius peccator. 15.

COgnoſcite domne nos orationibus veſtris incolumes de palatio remeaſſe, & REGEM modo MAGANTIÆ eſſe. Et pro quo litteras præcipue miſimus precamur obnixè, & tanquam pedibus veſtris aduoluti quæſumus, vt ſi euenit, quod NATIVITATEM DOMINI in territorio * ALVGENSI celebrare deliberetis, ſic vos merear in Apoſtolatu videre, vt in ciuitatula veſtra ALBIGE ipſa ſoleñitate in Dei nomẽ celebrare debeatis non me ſpernere domne, non me deſpicere, non me renuere, quo minus in tanta ſolemnitate non per te inluſtretur, *m. ſ. Albigenſe.*

decoretur, ornetur Eccleſia; & ex tuo ſancto ore benedictionem populus accipere mereatur. Interim quæſo denunciate nobis, quàm celerius vltra TARNE accedere deliberatis; aut vbi poſſimus, quod ſæpe deſideramus, veſtram videre præſentiam. Propterea enim de NATIVITATE DOMINI de antea vobis ſuggeſſi, vt * alume antecedere non poſſint. Quia multi te deſiderant, ſed nemo plus, quàm ego. Pater iterum, iterumque ſuggero, & commemorare præſumo, vt non ſic faciatis de iſta NATIVITATE DOMINI, ſicut pridem, quando ſatis in domum vos habere volui, ſed peccatis meis obtinere non merui. Annis multis vobis ſeruire merear Domne * DESIDERI ſemper ſuſcipiende pater.

m. ſ. Deſiderii.

16. Domino ſemper ſuo Deſiderio Papæ Verus peccator.

IVſſorium veſtrum accepimus vnà cum * exemplari de litteris domni SVLPITII, vbi domnus innotuit, quod iſtum placitum de iſta SYNODO frater veſter domnus SVLPITIVS alio tempore viſus eſt imutaſſe. Nos hoc gratiæ veſtræ iam innotueramus per ſeruo veſtro BECOBENO DIACONO, & poſtea per miſſo veſtro. Sed quia DEO volente domnus innotuit, quod mea ſuggeſtio continebat, nos gratulati ſumus, quod de veſtra felicitate votiua gaudia meruimus cognoſcere. Interea reddimus profuſum noſtri famulatus officium, ſupplicantes, vt pro nobis Domini miſericordiam exorare dignetis; & ſæpius nos de veſtra iubete felicitate conſolare. Quia Dominus nouit omnipotens, quod ea, quæ bona ſunt, de vos ſemper audire & videre optamus. Annis multis vobis ſeruire merear, APOSTOLICE PATER.

m. ſ. exemplaria de litteras Domno Sulpitio. v. d. i quod iſtum placitum de iſto ſynodo.

17. Domino ſancto & Apoſtolico in Chriſto Patri Deſiderio Siggybertus Rex.

DVm fabula currente à plures & fidelibus noſtris cognouimus, quaſi vocati * ab eodemque Patre noſtro VVLFOLEVDO Epiſcopo Synodali conſilio Kal. Septembris in regno noſtro. Ignoramus in quo loco vnà cum reliquos fratres & conprouinciales veſtros debeatis coniungere. Licet nos ſtatuta Canonum, & Eccleſiaſticas regulas, ſicut parentes noſtri in Dei nomen conſeruarũt, ita & nos conſeruare optamus, tamen * dum ad noſtrã antea notitiam non fuit perlatum; ſic nobiſcum noſtris proceribus conuenit, vt ſine noſtra ſciencia * Synodale conſilium in regno noſtro non agatur. nec ad dictas

m. ſab iidemq.

m. ſ. ad noſtra antea notitia.

m. ſ. ſynodali concilium.

dictas Kal. Septembris, nulla coniunctio ſacerdotum ex his qui ad noſtram ditionem pertinere noſcuntur, non fiatur. Poſtea verò oportuno tempore ſi nobis antea denuntiatur, vtrum pro ſtatu eccleſiaſtico, an pro regni vtilitate, ſiue etiam pro qualibet rationabili conditione conuentio eſſe decreuerit, non abnuimus. Sic tamen, vt diximus, vt in noſtri prius deferatur cognitionem. Proinde præſentia ſcripta ſanctitati veſtræ deſtinare curauimus, per quæ petimus, vt pro nos orare dignetis, & ad iſtam coniunctionem, priuſquam noſtram cognoſcatis voluntatem, penitus accedere non debeatis. & vt certius credatis, hũc *indiculum manu propria ſubter ſubſcripſimus. SYGGIBERTVS REX *SVB. * m. ſ. indicol. * ſubſcripſi.

Domno ſuo Deſiderio Epiſcopo Palladius Epiſcopus. 18.

PRO intuitu fidei, & vnitate ſacerdotum, quàm eccleſiarum vbique *diffuſarum, ſpero ad pietatem veſtram, vt hoſpitiola, *quæcunque in CADVRCO eccleſia noſtra videtur habere, hoc eſt, BAGIDONE, PASTORIACO, BASSIACO & ALEVERNACO, vobis cum omnem rem mancipiis, vel terris, aut quidquid ad iure noſtro pertinet, ſaluo iure Eccleſiæ noſtræ, vobis in omnibus commendamus; ita vt ab hodierno die omnes de parte noſtra, qui in ſupradicta vrbe commanent, ſint vobis commendati: & quoſcunque de noſtra præſentia hîc diregimus, veſtra ordinatione, ſecundum quod decet, in omnibus potiantur. Similiter vbi CHROMATIA in re eccleſiæ BAGIDONE commanet. quia frater ſuus DEOTHERIVS PRESBYTER *actorẽ eccleſiæ SANCTONICÆ egit, & nunc ipſa CROMATIA *qui ibidem per beneficium *præcaturiæ manere videtur, ſi eam cum omni re ſua iubeas defenſare, quomodo & *deum mercedem habeas, & nos vobis gratias ſupplicationis agamus. Et per diem retributionis, & aduentum Domini noſtri IESV Chriſti adiurans rogo, vt ſicut de affectione ſanctæ animæ veſtræ confidimus, ſic integram dignetis adhibere ſollicitudinem, *vt omnes iuris noſtri homines, qui in vrbe veſtra commanẽt, vnà cum antefata CROMATIA, *piam veſtri protectionem in omnib⁹ mereantur promereri. Salutationum itaque iura perſoluens, ſupplico, vt pro mea exiguitate orare dignemini. & vt certius noſtra ſupplicatio habeat effectum, propria manu ſubter ſubſcripſi, PALLADIVS PECCATOR HVNC MANDATVM MEVM RELEGI & S.

* diffuſam. * quaſcũq. * actor. * leg. quæ. * fort. precatoriæ. * m. ſ. & dedũ. * m. ſ. & * m. ſ. pia veſtri protectione. & ſubſcripſi.

19. *Domino inluſtro, & à nobis peculiarius ſuſpiciendo pro Dei cultore domno Deſiderio Optimati Verus peccator.*

ACcedentem filium noſtrum LEODOALDVM DIACONVM, oportunum duximus, vt dominationem veſtræ caritatis inquirere deberem; cùm ſciamus deuotionem ſanctæ animæ veſtræ bona ſemper de parte noſtra optare. Præſertim cùm nos veſtro præ omnibus patrocinio potiamur. Propterea ſalutantes EMINENTIAM VESTRAM, rogamus; vt ſicut dum patrocinia veſtra elegimus, & hactenus nos defenſio protectionis veſtræ inſigniter muniuit, ita nunc quoque de conditiones nepotum noſtrorum, vnde præfatum vobis ſuggerere rogamus, talem ſollicitudinem atque inſtantiam adponatis; vnde ſicut nos vobis ſumus, ita ipſos quoque adquiratis per omnia debitores. Reduce etiam antefato de veſtræ felicitatis eminentia reſcripto reddito noſtram ſollicitudinem dignamini releuare. Dominus noſter IESVS Chriſtus cuſtodiat corpus & animam veſtram in die examinis ſui, Amen.

20. *Domno ſemper ſuo, & Apoſtolico Patri Deſiderio Papæ Gallus peccator.*

DVm talis nuntius de clade à MASSILIA venit, quod omnem pæne prouinciam depopulans vaſtet, domnus ordinet cuſtodias mittere, & nullus de CADVRCINO ad iſtas ferias in RVTENICO, vel vicinas vrbes non præſumat exire. ne, quod abſit, per quamlibet occaſionem tantum malum in vrbem veſtram videatur inferre. nam per iſta contigua illis partibus loca* cuſtodiæ poſitæ ſunt, vt nullus emendi aut vendendi aditum penitus habeat, ſi non ſollicitè* cogitabitis præuidere, periculum mortis inſtat. Præterea debita veneratione ſalutem mittens, quæſo, vt in ſanctis precibus veſtris paruitatem noſtram memorare dignemini, domne;* verius, pater.

m. ſ. cuſtodias poſita.
**rogabites*
m. ſ. verius

21. *Domno ſemper præferendo, & cum omni veneratione nominando beatiſſimo Patri Deſiderio Papæ Felix peccator.*

PRauorum adulantium concione percepta, ante hoc ferme bienniu, reor miſiſſe* epiſtulam, quæ ſereniſſimam mentem veſtram

ac

te ſiquidem turbo pertranſiens, nube obtexit, & licet non eo ſenſu fuerit edita, quo domnus cenſuit interpretandum, me tamen pœnitet incautè, & minus inculto ſenſu vel impolito ſermone ſtilum exaraſſe, vnde * offenſam ſanctæ animæ veſtræ potueram incurrere; niſi veſtra bonitas cauſam admodiaſſet. pœnitet, inquam, me, & ter quaterque pœnitens, his exceſſibus veniam poſcò. Poſtulo autem indulgentiam, quam tuis beneficiis, non meis meritis adipiſci confido. Quam mihi gratiam ita nunc præſtare dignabitis, vt nunquam me deinceps à ſinu gratiæ veſtræ, vel à clementiſſimo pietatis amplexu excludere, vel reiicere dignetis. Inter hæc debita ſalutationis obſequia perſoluens, illud peculiarius à ſanctitate veſtra peroro, vt omnibus maculis exploſis in ſacroſanctis precibus veſtris noſtri memoriam admiſcere dignemini, domne, *verius & ſemper ſuſcipiende Papa. Expliciunt.

* *m. ſ. offenſa.*

* *m. ſ. venue ſ. venuſte.*

Item alia manu Fauſtus exemp epiſtulæ meæ relegi & ſubſcripſi.

Hæc ſubſcriptio vnà cũ aliorũ Epiſcoporũ ſubſcriptionib. ad Epiſtolam Fauſti, extant tom. 4. biblioth. PP. fol. 878. Margar. de la Bigne. edit. 2.

NB.

Sequitur in m. ſ. Epiſtola Lucidi Presbyteri, errores Fauſti, quibus temerè ſubſcripſerat, deteſtantis quæ licet extet tom. 4. bibl. PP fol. 878. tamen quia in m. ſ. longè auctior eſt, ideò illam edidimus ſupra inter Epiſtolas Fauſti &c. Epiſtola 4. fol. 431.

Ad

Ad Lectorem.

IN præcedentibus pleriſq; Epiſtolis, maximè poſterioribus, eſt incondita dictio, & errores nimis manifeſti. quod maximè mirari quis poſſet, etiam in eorum Epiſtolis id hîc euenire, qui alias ſat elegante & latino (vt illa tempora ferebant) ſermone Epiſtolas dederunt. Vt proinde ſuſpicio ſit, vitia non tam auctorum eſſe, quàm exſcriptoris. Hoc licet in aliquibus ſuſpicari, non tamen in omnibus. Quare ſumma fide codicem m.ſ. expreſſi. errores manifeſtos etiam dedi. In dubiis & corruptis locis vel non diuinaui, vel id moneo. Neque enim dubito fore, vt docti hac editione excitentur ad inquirendos m.ſ. codices, ex quibus omnia reſtitui & perſanari poſſint. Equidem Fauſtus, Ruricius, Deſiderius, aliique hîc editi digni ſunt, in quibus ornandis & reſtituendis docti laborent, quantum in Epiſtolis Symmachi, Sidonii, aliorumq; à pluribus certatim videmus fieri. Tu beneuole lector hanc noſtram primam editionem boni conſule, & fruere.

EPI-

EPISTOLA EVANTI ABBATIS

Contra

Eos, qui ſanguinem animalium immun-
dum eſſe iudicant, & carnem
mundam eſſe di-
cunt.

*Nunc primum edita ex m.ſ. mem-
branis S. Galli.*

Digitized by Google

Ad Lectorem.

QVis hic Euantius, vel Euantus? an Euantius, de quo mentionem facit Fortunatus lib.3. Epiſt.ad Euphronium, qui & Euentius & Auentius nominatur? Chriſtophorus Brovverus in optimis ſuis notis illum Euantium Fortunati, putat fuiſſe Viennenſem Epiſcopum, quem lib.8.c.39. diem obiiſſe teſtatur Gregorius anno vndecimo regni Childeberti Auſtraſiorũ. Celebrat eum ceu ſanctum, Ado in temporum lib. ætate 6. & Philippi ſucceſſorem; aitque cùm Priſco & Artennio Senonum, Remigio Biturigum, & cum aliis ſanctis Epiſcopis, viginti capitula Eccleſiaſtica perfectè roboraſſe. Quæ de ſynodo ſecunda Matiſcone collecta, Guntrami regis auctoritate ſeu diligentia, Baronius ad annum Chriſti 588. rectè obſeruauit accipienda. Tom.2.Concil.Gregor.lib.8.c.7.

An noſter Euantus vel Euantius iſte eſt?

Digitized by Google

INCIPIT EPISTOLA EVANTI Abbatis, contra eos, qui ſanguinem animalium immundum eſſe iudicant, & carnem mundam eſſe dicunt.

QVia ſe præbuit occaſio opportuna, ideò hanc exiguitatis meæ paginulam veſtris obtutibus perferendam mea curauit deſtinare miſeria; per quam & ſalutis munia impẽſius pando, & me ſacris veſtris orationibus tuendum committo. His* exploſis, ad agnitionem noſtram venit, quòd exſurgentes in quibuſdam CÆSAR AVGVSTÆ partibus reperiſſe vos adſcritis CHRISTIANOS, nec dum eruditos * paginibus ſacris, IVDAICO more ſequi litteram occidentem, & poſtponere ſpiritum viuificantem. qui dicunt immundum fieri hominem alicuius animalis ſanguinem comedentem, neſcientes, neque intelligentes præcepta priſca magis mores hominum demonſtrare, quàm in natura ſeruare. Nam ſi iſta ita ſunt, quur aperta fronte cum IVDÆIS & alia quæ vetita ſunt præcepta priſcæ legis carnaliter non teneant, neſcio. carnes ſuillas vel cuniculinas non abiiciunt, qui piſcium carnes pinnulis carentium non reprobant; qui vetera ſacrificia non immolant; qui vxorem fratris ſine filiis morientem ad ſuſcitandum ſemen eius non accipiunt; aut ad ſacerdotium debiles corpore, aut aliqua macula corporis * ſordentem, qui tamen animo digni videntur accedere, non repudiant; qui paxillos in balteis nõ geſtant, vt egeſta humo *operiant. Quur auem cum pullis inuentam, ſi poſſunt, tenent, & non, ſicut præceptum eſt, tenentes pullos, matrem ſinunt abire? Quur etiam otium Sabbati cum IVDÆIS non * ſectant, & nouam gratiam EVANGELII abſterſo rubore CHRISTIANITATIS non abiiciunt? Nam in CHRISTI nomine * frontis & fidei CHRISTIANÆ effecti, & ſanguinem comedendum CHRISTIANOS apertè docemus, & à ſanguinis opera declinare omnes * hortamur. Carnes ſuillas edere concedimus, & à volutabro vitiorum recedere omnis modis optamus. Piſces * pinnulis carentes manducare permittimus; & tamen ad cœleſtia

* ſorte expletis.
* ſ. paginis.
* m. ſ. portantem.
* m. ſ. operiens.
* ſeruanti
* m ſ. frõtiſte.
* m. ſ. ortamur.
* m. ſquamiulas.

** m.ſ.ſacerdotes c, debiles,* quaſi alas habentes conuolare fideles omnes optamus. * Sacerdotibus corpore debilibus, vel maculá corporis habentibus liber PASTORALIS S. GREGORII legatur. quia nobis longum eſt plurima enodare. Paxillo egeſta humo operire eſt, cùm mala perpetrata bonis operibus inſudando fœtores carnalium voluptatum opprimimus. de quibus ſcriptum eſt: *Pſal.31.1.* Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum *Rom.4.7.* tecta ſunt peccata. Matrem cum pullis inuentam abire ſinimus, & pullos tenemus, cùm teſtimonia ex lege excerpta ad refutandos Iudæos atque hæreticos tenemus, & legi carnaliter non ſeruimus. Otium Sabbati negligimus, quia propter illam futuram requiem, quam iſtud Sabbatum figurat, vt ad illam perueniamus, legem Domini ſpiritaliter intelligendo decertamus. **m.ſ.in canones habere.* Quod ſi fortè obiiciunt, iſta in * canonibus haberi. Nec ego me iſta fateor ignorare. ſed in antiquis canonibus iſta reperiuntur, ** m.ſ.antiquos canones iſta repperitur* quando eccleſia ex circumciſione & præputio ad fidem congregabatur; quando adhuc non ſolido cibo, ſed lacte nutriebatur. Tale quid ad Corinthios Apoſtolos dixiſſe nouerint. & in Actibus Apoſtolorum facta inuenient. *1.Cor.3.* *Act.15.* Nunc verò eccleſia Dei ſolido cibo fide roborata conſiſtit, vt viriliter contra impetus hæreticorum pugnet, non in infantium mollitie eneruata ſuccumbat.

Ne tamen epiſtularis conſuetudo in longinquas periodos pertracta lectoribus lepidis faſtidium nutriat; veniant ad illud, quod Apoſtolus ait: *Tit.1.15.* Omnia munda mundis. Coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum. Et in alio loco idem Apoſtolus ait: *1.Tim.4.4* Omnis creatura Dei bona, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Et Saluator in Euangelio ait: *Mat.15.17.* Nihil eſt introiens in hominem, quod poſſit coinquinare eum; quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur, nec hæc coinquinant hominem, ſed quę de corde procedunt: de corde enim procedunt adulteria, homicidia & his ſimilia. *Act.15.* Nam quod Apoſtoli primitiuæ eccleſiæ à fornicatione, & à ſuffocato, & à ſanguine abſtinere præceperunt, hæc extitit cauſa tunc ex circumciſione, & gentibus credentes congregabantur, ne propter diſcretionem ciborum à ſe inuicem ſcinderentur. ideo lacte nutriebantur, non ſolido cibo. quibus & poſtea ſcribebat, dicens: *1.Cor.3.* Non potui loqui vobis quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus, tanquam paruulis in Chriſto. lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis. ſed nec adhuc quidem poteſtis. adhuc enim eſtis carnales. Nam ſi vbicunque ſanguinem legunt prohibitum; & hoc ad litteram intelligunt; & nihil ſpiritaliter hoc dictum putant;

tant;

Digitized by Google

tant; quid eſt, quod Propheta dicit: ſpeculatorem dedi te domui Iſraël? Si non annunciaueris impio, vt ſe cuſtodiat ab iniquitate ſua, ipſe impius in iniquitate ſua morietur: ſanguinem autem eius de manu tua requiram. Quis eſt iſte ſanguis, niſi opera ſanguinis? Quid eſt in Pſalmo, vbi dicit: Libera me de viris ſanguinum; niſi ab operibus iniquitatis? Et quid eſt, quod alius Propheta dicit: ſanguis ſanguinem tetigit: propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea? Ezech 3.19 Ezech.33.7 Pſ.58.3. Oſee 4.3.

Quod tria iſta præcepta ex libro Actuum Apoſtolorum tenere gloriantur, id eſt, abſtinere à ſuffocato, & ſanguine, vel fornicatione: confiteantur; ſi primum & ſecundum cum tertio implent, id eſt, ſi nō fornicantur, ſi aucupum miniſteriis non vtuntur, ſi audiunt Apoſtolum dicentem: qui habent vxores, tanquam non habentes ſint. ſi obediunt præcepto eius, vbi ait: Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum. Si conſentiunt, quod eis præcipit: imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. ſi faciunt: quod idem Apoſtolus dicit: Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne forte aliis prædicans, ipſe reprobus inueniar. Si faciunt, quod intonat: Exhibete vos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in caſtitate, in vigiliis, in ieiuniis, & his ſimilia, vnde peccatum non incurrant. ſed cum gratiarum actione, quæ Deus bona creauit, ſumerent. Quaſi enim Apoſtolis obedientes à duobus abſtinent, à ſuffocato, & ſanguine; & tertium præceptum, quod grauius peccatum eſt, diſſimulantes abiiciunt, & negligunt* cœleſtia iuſſa, & ceremonias enormiter perhorreſcunt. Talibus Saluator in Euangelio dicit; Væ vobis hypocritæ, qui decimatis mentam, & anetum, & cyminum; & ea, quæ legis ſunt grauiora, committitis. Quid multa? legant libros Doctorum, & maxime S. Auguſtini contra Fauſtum, Manichæum, in quo iſta, quæ iſti euacuant, & faciebant, & dicebant, & ſecum illos victos erubeſcant. nam & librū S. Hieronymi contra Donatianum legant, & ſalutem ſuam ibi reperient. Nam ridiculum eſt, carnes mundas, quas Deus creauit, vſq; ad nauſeam deuorare, & ſanguinem illarum carnium, quaſi immundum reſpuere. Quaſi Deus carnem creauerit immundam, & ſanguinem carnium, qui vtiq; nutrimentum & ſalus carnis eſt, fecerit immundum. Alia ſcribere debui, ſed cui modica vtilia non ſufficiunt, nec plurima proderunt. Abſit à fidelium cordibus, vt iſta carnaliter intelligentes, à ſinu matris Eccleſiæ diſcedant, & ſe cum taliter credentibus gehennæ ignibus tradant.

Act.15. 1.Cor.7.29 Rom.14.21 1.Cor.11.1. 1.Cor.9.27 2.Cor.6.6. m.ſ. & cæleſtia iuſſa atere enormiter perorreſcunt. Mat.23.23

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTI ADAMANNI SCOTI

Libri tres,

DE

SANCTO COLVMBA

SCOTO,

Presbytero & Confeſſore,

qui circa annum Domini 565. floruit.

Nunc primùm editi ex membranis m.ſ. Monaſterij Windbergenſis in Bauaria.

Digitized by Google

MARTYROLOGIVM ROM.
IX. IVNII,

In Scotia S. Columbani Presbyteri & Confeſſoris.

Ad quæ notat hæc Baronius.

D*E eo hac die Beda & alii recentiores. Pluribus de eo idem Beda hiſt. de geſt. Angl. l. 3. c. 4. & 25. vbi eundem appellat Columbanum, Colũbam autem in epitome ann. Dom. 565. quo anno ex Hibernia ſe contulit in Britanniam, vixitq; ibi annis triginta duobus, vt idem teſtatur auctor: ſicq; perueniſſe videtur vſque ad annum Domini 597. de quo & Sigebertus in Chron. anno 596. & 598. Vbi ſemper Columbanum appellat. Scripſit eius vitã Adamandus eidem æqualis, de quo Sigebert. de Vir. illuſt. c. 64. Nec moueat quenquam, quòd Columba hic præter morem Eccleſiæ Paſcha celebrabat decima quarta Luna: Excuſat enim eum Beda hiſt. Angl. l. 3. c. 4. in fine, & VValfridus apud eundem eod. lib. 3. c. 25. Alius ab hoc eſt S. Columbanus Abbas Luxouienſis, de quo inferius ad XI. Kal. Decemb. Hæc Baronius.*

Trithemius de ſcriptor. Eccleſ.

Adamannus Presbyter & Abbas Monaſterii Huenſis, quod S. Colũbanus quondam conſtruxit in inſula Scotiæ, vir in diuinis ſcripturis valde ſtudioſus & eruditus, ſecularium quoq; literarum non ignarus, ingenio cautus, & dulcis eloquio, vita & conuerſatione præclarus, nõ ſine opinione ſanctitatis, pater multorum monachorum fuit. Scripſit inter cætera ſatis compoſito ſermone volumen De locis terræ ſanctæ lib. I. Et quaſdam Epiſtolas. Claruit ſub Iuſtiniano iuniore Auguſto. Anno Dn. 690. Hæc Trithem. qui lib. 3. de viris illuſt. Ord. S. Benedicti c. 124. hæc habet de eodem S. Adamanno. ita enim ponit titulum: Adamannus Monachus & Presbyter Monaſterii Sanctimonialium in Anglia, quod Colodi vrbs dicitur, Præpoſitus, natione Scotus, vir auſteræ conuerſationis, & ſanctæ vitæ, ita vt præter Dominicam & quintam feriam nihil in hebdomada penitus comederet, ſæpe etiam noctes integras peruigil in oratione tranſigeret. Magnis effulſit virtutibus. Claruit anno Dn. 670. Hæc Trithemius, qui eodem lib. 3. c. 153. hæc: Adamannus Abbas monaſterii, quod B. Columbanus olim in inſula Hu fundauit in Hibernia, vir doctus & ſanctus, & pater multorum Monachorum, ſua

prædi-

Digitized by Google

prædicatione ſanctiſſima plurimā partem Scotorum in Hibernia, & etiam Britones in Britānia, ad debitum Paſchalis celebritatis tempus reduxit. Claruit anno Dn. 700. Hæc Trithem.

Antonius Poſſeuinus in Apparatu ſacro.

Adamanus Scotus, Coludius, Monachus, & Abbas Monaſterii Inſulæ Huenſis in Scotia, quod S. Columbanus conſtruxit, congregationis Benchorenſis floruit anno 690. ſcripſitq; de locis terræ ſanctæ librum vnum. De Paſchate Epiſtolas. De vita S. Columbæ (fortaſis Columbani) Monachi & Confeſſoris lib. 1. Cuius initium eſt: B. Patris N. Chriſto ſuffragante vitam deſcripturus. Extat ad S. Giſlenum. Arnold. & ante illum Tritemius, qui non omnia eius ſcripta cognouerat.

Epitome Biblioth. Geſneri.

Adamannus Coludius, Scotus, Monachus Ordinis Apoſtolici, & cœnobii Huenſis moderator, ſcripſit de locis Terræ Sanctæ librum vnum. De ſitu Hieruſalem librum vnum. De Paſchate legitimo librum vnum. Epiſtolas quoq; edidit. Ab hoc Bedam multa ſumpſiſſe, & ſuis libris inſeruiſſe tradūt. Claruit anno 699. Hæc Geſn.

Molanus in appendice ad Vſuardi Martyrologium.

Adamannus Abbas, plurimam partem Scotorum in Hibernia, & nonnullam etiam de Brittonibus, ad Catholicam Paſchalis temporis obſeruantiā ſua prædicatione correxit. Scripſit idem librum de locis ſanctis. Beda lib. 5. hiſtoriæ cap. 16. & 22. Hæc Molanus: qui cum Columbam inter Sanctos recenſet, notandum eſt, quod codex m. ſ. Rebdorffenſis expreſſè in titulo libri vocat Sanctum. Ita etiam Trithemius lib. 3 de viris illuſt. Ord. S. Benedicti, cap. 124. & 153. Sanctum vocat.

Porro de nomine Adamanni obſeruandum, variè à variis appellari. Aliqui, vt etiam Baronius, vocant Adamandum. alii pleriq; Adamannum. codex m. ſ. Rebdorfenſis vbiq; vocat Adamnanum, vel Adomnanum.

V. IDVS IVNIAS CELEBRAtur depoſitio ſancti Columbæ, Preſbyteri & Confeſſoris.

Incipit prima præfatio, apologiaq; Adomnani Abbatis Sci Scriptoris.

BEati noſtri PATRONI, CHRISTO ſuffragante, vitã deſcripturus, fratrum flagitationibus obſecundare volens; inprimis eandem lecturos quoſq; admonere procurabo, vt fidem dictis adhibeant compertis, & res magis, quàm verba perpendant, quæ, vt æſtimo, inculta & vilia eſſe videntur. memineritq; Regnum Dei non eloquentiæ exuberantia, ſed in fidei florulentia conſtare, & nec ob aliqua SCOTICÆ, vilis videlicet linguæ, aut humana onomata, aut gẽtium diuerſas* vileſcunt linguas; vtilium & nõ ſine diuina opitulatione geſtarum deſpiciant rerum pronunciationem.

*f. quæ vileſcunt.

Sed & hoc lectorem admonendum putauimus, quod de beatæ memoriæ viro, plura ſtudio breuitatis, etiã memoriæ digna, à nobis ſunt prætermiſſa: & quaſi pauca de plurimis, ob euitandum faſtidiũ lectorum, ſint caraxata. Et hoc, vt arbitror, quiſq; hæc lecturus fortè annotabit, quod minima de maximis per populos fama de eodem beato viro diuulgata diſperſerit, ad horum paucorũ comparationem, quæ nunc breuiter caraxare diſponimus. Hinc poſt hãc primã præfatiunculam de noſtri vocamine PRÆSVLIS, in exordio ſecundæ, DEO auxiliante, intimare exordiar.

Inci-

Incipit præfatio ſecunda.

VIr erat vitę venerabilis, & beatæ memoriæ, Monaſteriorum Pater, & fundator, cũ Iona Propheta homonymũ ſortitus eſt nomen. Nam licet diuerſo trium diuerſarum ſono linguarum, vnam tamen, eandemq́; rem ſignificat; hoc quod HEBRAICE dicitur IONA, Græcitas verò ΠΕΡΙΣΤΕΡΑ periſtera vocitat; & Latina lingua COLVMBA nuncupatur. lego: περιστερὰν.

Tale, tantumq́; vocabulum homini DEI, non ſine diuina prouidentia inditum eſſe credimus. Nam & iuxta Euangeliorum fidem Spiritus ſanctus ſuper vnigenitum æterni Patris filium deſcendiſſe monſtratur in forma illius auiculæ, quæ columba dicitur. Vnde plerumq; in ſacroſanctis libris myſticè Spiritum S. ſignificare dinoſcitur. Proinde & Saluator in Euangelio ſuis præcepit diſcipulis, vt columbarum in corde puro inſertam ſimplicitatem continerent. COLVMBA etenim & ſimplex, innocensq; nuncupari debuit, qui in ſe columbinis moribus SPIRITVI S. hoſpitium præbuit. cui nomini non inconuenienter congruit illud, quod in prouerbiis ſcriptum eſt: melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.

Hic igitur noſter præſul non immeritò non ſolùm à diebus infantiæ hoc vocabulo, Deo donãte, adornatus ꝓprio ditatus eſt; ſed etiam præmiſſis multorum ciclis annorum ante ſuæ natiuitatis diem cuidam Chriſti militi, SPIRITV S. reuelante, quaſi filius repromiſſionis mirabili ꝓphetatione nominatus eſt.

Nam quidam PROSELYTVS BRITTO, homo ſanctus, ſancti PATRICII Epiſcopi diſcipulus MAVETEVS nomine ita de noſtro prophetizauit patrono; ſicuti nobis ab antiquis traditum expertis compertum habetur.

In nouiſſimis, inquit, temporibus ſeculi, filius naſciturus eſt, cuius nomen COLVMBA per omnes Inſularũ Oceani Prouincias diuulgabitur notum: nouiſſimaq; orbis tempora clarè illuſtrabit. Mei & ipſius duorum monaſteriorum agelluli vnius * ſepiſculæ interuallo diſterminabuntur: homo valdè Deo charus, & grandis coram ipſo meriti.

pro ſepiculæ.

Huius igitur noſtri COLVMBÆ vitam & mores deſcribens, inprimis breuis ſermonis textu, in quantum valuero, ſtrictim comprehendam, & ante lectoris oculos ſanctam eius conuerſationem pariter exponam. Sed & de miraculis eius ſuccinctè quædam quaſi legentibus, auidè prægustanda ponam. quę tamen inferius per tres diuiſa libros plenius explicabuntur. Quorum primus Propheticas reuelationes: ſecundus verò diuinas per ipſum virtutes effectas: tertius Angelicas apparitiones continebit; & quaſdam ſuper hominem DEI cœléſtis claritudinis manifeſtationes.

Némo itaq; me de hoc tam pręedicabili viro, aut mẽtitum æſtimet, aut quaſi quædam dubia, vel incerta ſcripturum: ſed ea, quæ maiorum, fideliumq; virorum tradita expertorum cognoui relatione narrantium; & ſine vlla ambiguitate carraxaturum ſciat. Et vel ex his, quæ ante nos inſerta paginis reperire potuimus; vt ex his, quæ audiui ab expertis quibuſdam fidelibus, antiquis, ſine vlla dubitatione narrantibus, diligentius ſciſcitantes didicimus.

INCI-

INCIPIT LIBER PRIMVS de Propheticis reuelatonibus.

SAnctus igitur COLVMBA nobilibus fuerat oriundus genitalibus; patrem habens FEDILINITVM, filium FERGVSO; matrem ÆTHNEAM nomine. cuius pater latinè FILIVS NAVIS dici poteſt: SCOTICA verò lingua MAGNAVE. Hic anno ſecundo poſt CVLEDREBINE bellum, ætatis verò ſuæ 42. de SCOTHIA ad BRITANNIAM pro Chriſto peregrinari volens enauigauit. Qui etiam à puero deditus Chriſtiano tyrocinio, & ſapientiæ ſtudiis, integritatem corporis & animæ puritatem, DEO donante, cuſtodiens; quamuis in terra poſitus, cœleſtibus ſe aptum moribus oſtẽdebat. Erat enim aſpectu angelicus; ſermone nitidus; opere ſanctus; ingenio optimus; conſilio magnus; per annos 34. INSVLANVS MILES eſt verſatus. Nullum etiam vnius horæ interuallum tranſire poterat, quo non aut orationi, aut lectioni, vel ſcriptioni, vel etiam alicui operationi incumberet. Ieiunationum quoque & Vigiliarum indefeſſus laborationibus, ſine vlla intermiſſione diu noctuque occupatus, ita vt ſupra humanam poſſibilitatem vniuſcuiuſque pondus ſpecialis operis videretur. Et inter hæc omnibus charus, hilarem ſemper faciem oſtendens, ſanctorum ſpecie ſancti Spiritus gaudio in intimis lætificabatur præcordiis. I.

Sanctus FINTENVS, qui poſtea per vniuerſas SCOTTORVM Eccleſias valdè noſcibilis habitus eſt, à puerili ætate integritatẽ carnis & animæ DEO adiuuante, cuſtodiens, ſtudiis dialecticalis ſophias deditus. Hoc propoſitum in annis iuuentutis conuerſatus in corde habuit, vt noſtrum ſanctum COLVMBAM, HYBERNIAM deſerens, peregrinaturus adiret. 2.

Eodem æſtuans deſiderio ad quendam vadit ſeniorem ſibi amicum, in ſua gente prudentiſſimum, venerandumque clericum, qui SCOTICE vocitabatur COLVMBVS, vt ab eo prudentiæ quaſi aliquod

Digitized by Google

audiret conſilium. Cui cum ſuos tales denudaret cogitatus, hoc ab eo reſponſum accepit: Tuum, vt æſtimo, adeò inſpiratum deuotumq; deſiderium quis prohibere poteſt, ne ad ſanctum COLVMBAM tranſnauigare debeas?

Eadem hora caſu adueniunt duo monachi ſancti COLVMBÆ, qui de ſua interrogati ambulatione, Nuper, aiunt, de BRITANNIA remigantes hodiè à ROBORETO venimus. Soſpes ne eſt, ait COLVMBVS, veſter COLVMBA ſanctus pater? Qui valdè illachrimati, cũ magno dixerunt mœrore, verè ſaluus eſt noſter ille patronus, qui his dieb' nuper migrauit ad Chriſtũ. Quibus auditis FINTENVS & COLVMBVS, & omnes qui ibidem inerant, proſtratis in terram vultibus amarè fleuêre: FINTENVS conſequenter percontatur, dicens: Quem poſt ſe ſucceſſorem reliquit? BATTHENEVM, aiunt, ſuum alumnum. Omnibuſque clamitantibus, DIGNVM & DEBITVM; COLVMBVS ad FINTENVM ait; Quid ad hæc FINTENE facies? Qui reſpondens, ait; Si Dominus permiſerit, ad BATTHENEVM virum ſanctum & ſapientem enauigabo; & ſi me ſuſceperit, ipſum ABBATEM habebo.

Tum deinde ſupra memoratum COLVMBVM oſculatus, & valedicens, nauigationem præparabat, & ſine vlla morula tranſnauigans IOVAM deuenit inſulam. Et nec dum in id temporis vſque nomen eius in his locis erat notum. Vnde & inprimis quaſi quidam ignotus hoſpes hoſpitaliter ſuſceptus; alia die internuncium ad BIATHENEVM mittit, eius allocutionem facie ad faciem habere volens. qui vt erat affabilis, & peregrinis appetibilis, iubet ad ſe adduci. Qui ſtatim adductus, primò vt veniebat, flexis genibus in terram ſe proſtrauit, viſuſque à ſeniore ſancto ſurgit; & reſidens interrogatur à BATTHENEO, adhuc inſcio de gente, & prouincia, nomineque & conuerſatione, & pro qua cauſa inierit nauigationis laborem. Qui ita interrogatus omnia per ordinem enarrans, vt ſuſciperetur, humiliter expoſtulat.

Cui ſanctus SENIOR his ab hoſpite auditis, ſimulque hunc eſſe virum cognoſcens, de quo pridem aliquando ſanctus COLVMBA prophetice vaticinatus eſt; Gratias, ait, Deo meo agere debeo quidem in tuo aduentu fili. Sed & hoc indubitanter ſcito, quod noſter monachus non eris.

Hoc audiens valdè contriſtatus infit: Forſitan ego indignus tuus non mereor fieri monachus. SENIOR conſequenter inquit; Non

Non quod, vt dicis, indignus eſſes, hoc dixi; ſed quamuis maluiſſem te apud me retinere, mandatum tamen ſancti COLVMBÆ mei defenſoris profanare non poſſum, per quem SPIRITVS ſanctus de te prophetauit. Aliaque die mihi ſoli ſeorſum prophetico ſic profatus ore inter cætera dixit; Hæc mea, ô BATTHENEE, intentius debes audire verba, ſtatim namque poſt meum de hoc ad Chriſtum ſeculo expectatum, & valdè deſideratum tranſitum, quidam de SCOTHIA frater, qui nunc benè iuuenilem bonis moribus agens ætatem, ſacræ lectionis ſatis ſtudiis imbutus, nomine FINTENVS, ad te, inquam, perueniens humiliter expoſtulabit, vt ipſum ſuſcipiens inter cæteros adnumeres monachos. Sed hoc ei in Dei præſcientia prædeſtinatum non eſt, vt ipſe alicuius fieret monachus; ſed vt monachorum Abbas, & animarum dux ad cœleſte regnum olim electus à Deo eſt. Nobis itaque hunc memoratum virum in his noſtris apud te *retinere inſulis: ne & Dei voluntati contraire videaris. Sed hæc ei intimans verba, ad SCOTHIAM in pace remittas, vt in LAGINENSIVM vicinis mari finibus monaſterium conſtruat; & ibidem Chriſti ouium paſcens gregem, innumeras ad patriam animas cœleſtem perducat. *

Hæc audiens ſanctus IVNIOR CHRISTO lachrimas fundens, agit gratias, inquiens; Secundum ſancti COLVMBÆ propheticam fiat mihi & mirabilem præſcientiam.

His denique verbis Sanctorum obtemperans, & à BATTHENEO accipiēs benedictionem, in pace ad SCOTHIAM tranſnauigauit.

Alio in tempore vir beatus in mediterranea HYBERNIÆ parte monaſterium, quod SCOTHICE dicitur, DAIRMAG, diuino fundans nutu, per aliquot demoratur menſes. Libuit animo viſitare fratres, qui in CLOENSI SANCTI CERANI COENOBIO commanebant. 3.

Audito itaq; eius acceſſu vniuerſi vndiq; ab agellulis monaſterio vicinis, cū his qui ibidē inuēti ſunt, congregati, cum omni alacritate ſuū conſequentes Abbatem ALITHERVM, quaſi Angelo Domini obuiā egreſſi vallū monaſterii, vnanimes pergunt, humiliatiſq; in terrā vultib⁹, eo viſo cū omni reuerētia exoſculatus eſt ab eis, hymniſque & laudibus reſonantes, honorificè ad Eccleſiā perducebant; quandamq; de lignis pyramidē erga ſanctū deambulantē conſtringētes à quatuor viris æquè ambulantibus ſupportari fecerunt: ne videlicet ſanctus ſenior COLVMBA eiuſdem fratrū multitudinis conſtipatione moleſtaretur.

Ea-

Eadem hora quidam valdè deſpectus vultu & habitu, puer familiaris, & nec dum ſenioribus placens, retrò in quantum valuit, ſe occultans acceſſit; vt videlicet vel illius amphibali fimbriam, quo vir beatus induebatur, occultè, & ſi fieri poſſet, ipſo neſciente, & non ſentiente tangeret; ſed hoc tamen ſanctum non latuit. Nam quod corporalibus oculis retrò ſe actum intueri non potuit, ſpiritualibus perſpexit. Vnde ſubitò reſtitit, & poſt ſe extendens manum, ceruicem pueri tenet, ipſumque trahens ante faciem ſuam ſtatuit, omnibuſque, qui ibidem circiter aſtabant, dicentibus; Dimittite, dimittite, quare hunc infelicem & iniurioſum retines puerum? ſanctus è contra hæc puro pectore verba depromit prophetica, ſinite fratres; ſinite modo. Ad puerum verò valdè tremefactum dicit; O fili aperi os tuum, & porrige linguam. Iuſſus tum puer cum ingenti tremore aperiens os ſuum, linguam porrexit; quam ſanctus, ſanctam manum extendens, & diligenter benedicens, ita propheticè profatur, dicens; Hic puer quamuis vobis nunc deſpicabilis, & valdè vilis videatur, nemo tamen ipſum ob id deſpiciat. ab hac enim hora non ſolũ vobis non diſplicebit, ſed valdè placebit, boniſque moribus & animæ virtutibus paulatim de die in diem creſcet: ſapientia quoque & prudentia magis ac magis in eo ab hac die adaugebitur; & in hac noſtra congregatione grandis eſt futurus prouectus. lingua quoque eius ſalubri & doctrina, & eloquentia à Deo donabitur.

NB. Hic erat EREN**EVS** poſtea per omnes SCOTHICÆ Eccleſias famoſus, & valdè notiſſimus. Qui hæc omnia ſupra ſcripta verba SEGENEO Abbati de ſe prophetata enarrauerat, meo deceſſore FAILBEO intentius audiente, qui & ipſe cum SEGENEO præſens inerat; cuius relatione & ego ipſe cognoui hæc eadem quæ narraui.

Sed & multa alia hiſdem diebus, quibus in CLOENSI cœnobio ſanctus hoſpitabatur, reuelãte SPIRITV SANCTO prophetauit; hoc eſt, de illa quæ poſt dies multos ob diuerſitatem PASCHALIS feſti orta eſt inter SCOTHICÆ Eccleſias diſcordia, & de quibuſdam Angelicis frequentationibus ſibi manifeſtatis: quibus quædam intra eiuſdem cœnobii ſepta ab Angelis tunc temporis frequentabantur loca.

4. Alio in tempore, cum in IOVA inſula die fragoſæ tempeſtatis, & intolerabilis vndarum magnitudinis, ſedens in domo ſanctus, & fratribus præcipiens, diceret; Præparate ocius hoſpitium, aquamque ad lauandos hoſpitum pedes haurite. Quidam ex ipſis frater conſequenter: Quis, ait, hac die valdè ventoſa, & nimis ventoſa, & nimis pericu-

loſa.

Ioſa, licet breue fretum, proſperè tranſnauigare poteſt? Quo audito ſanctus ſic profatur: Cuidam ſancto & electo homini, qui ad nos ante veſperam perueniet, omnipotens tranquillitatem quamlibet in tempeſtate donabit.

Et ecce eadem die aliquandiu à fratribus expectata nauis, in qua ſanctus inerat CHAMNECHVS, iuxta ſancti prophetationem peruenit. Cui ſanctus cum fratribus obuiam venit, & ab eo honorificè & hoſpitaliter ſuſceptus eſt. Illi verò nautæ, qui cum CHAMNECHO inerant, interrogati à fratribus de qualitate nauigationis, ſic retulerunt, ſicut ſanctus COLVMBA prius de tempeſtate & tranquillitate pariter Deo donante, in eodem mari, & hiſdem horis mirabili diuiſione prædixerat, & tempeſtatem eminùs viſam non ſenſiſſe profeſſi ſunt.

Alio itidem die ſanctus COLVMBA in ſua commanens matrice Eccleſia, repentè in hanc ſubridens vocem erupit, dicens; COLVMBANVS ad nos tráſnauigare incipiens, nunc in vndoſis charybdis æſtibus valdè periclitatur. Abbaſque ad cœlum in prora ſedens, palmas eleuat; turbatum quoque & tam formidabile pelagus benedicit, quem tamen dominus ſic terret, non vt nauis naufragio, in qua ipſe reſedit, vndis obruatur. ſed potius ad orandum intentius ſuſcitetur; vt ad nos, Deo propitio, poſt tranſuadatum perueniat periculum. 5.

In tempore quoque alio, de CORMACCO, viro vtique ſancto, qui tribus non minus vicibus EREMVM in Oceano laborioſè quęſiuit, nec tamen inuenit; S. COLVMBA ita prophetizans ait: Hodie iterum CORMACHVS deſertum cupiens reperire, enauigare incipit ab illa regione, quæ vltra MODAM fluuium ſita eſt, & CIRROS dicitur: nec tamen etiam hac vice, quod quærit, inueniet: & non ob aliam eius culpam, niſi quod alicuius religioſi Abbatis monachum, ipſo non permittente, diſceſſorem ſecum non rectè comitari nauigio ſuſceperit. 6.

In tempore alio, hoc eſt, poſt multos annorum tranſcurſus, cùm eſſet vir ſanctus in Iova inſula, ſubitò dicit ad ſuum miniſtratorem, Cloccam pulſa: Cuius ſonitu fratres incitati, ad Eccleſiam ipſo ſancto Præſule præeunte ocius currunt, ad quos ibidem flexis genibus infit, Nunc intentè pro hoc populo & ALDANO rege dominum oremus, hac enim hora ineunt bellum. Et poſt modicum interuallum egreſſus oratorium, reſpiciens in cœlum, inquit; Nunc barbari in fugam vertuntur; ALDANOQVE quamlibet infœlici, 7.

tamen conceſſa eſt victoria. ſed & de numero, de exercitu ALDANI interfectorum trecentorum & trium virorum, vir beatus prophetice narrauit.

8. Alio quoque in tempore ante ſupra dictum bellum ſanctus ALDANVM REGEM interrogat de regni ſucceſſore. Illo reſpondente, neſcire quis eſſet de tribus filiis regnaturus: Sanctus conſequēter hoc profatur modo; Nullus ex his tribus erit regnaturus; nam in bellis cadent ab inimicis trucidandi. ſed nunc ſi alios iuniores habeas, ad me veniant, & quem ex eis elegerit Dominus regem, ſubitò ſuper meum irruet gremium. Quibus accitis ſecundum verbum ſancti, EVCHODIVS adueniens, in ſinu eius recubuit; ſtatimq́; SANCTVS eum oſculatus BENEDIXIT, & ad patrem ait: Hic eſt ſuperſtes, & rex poſt te regnaturus, & filii eius poſt eum regnabunt. Sic omnia poſt ſuis temporibus plenè adimpleta ſunt, & EVCHODIVS poſt patrem in regnum ſucceſſit.

9. DOMNALLVS filius AIDO adhuc puer, ad ſanctum COLVMBAM per nutritores adductus eſt, quem intuens percontatur, inquiens; Cuius eſt filius hic, quem adduxiſtis? Illis reſpondentibus, Hic eſt DOMNALLVS, qui ad te ideò perductus eſt, vt tua redeat benedictione ditatus. Quem cùm ſanctus benedixiſſet, continuò ait: Hic ſuper omnes fratres ſuos ſuperſtes erit, & rex valdè famoſus, nec vnquam in manus inimicorum tradetur; ſed morte placida in ſenectute, & intra domum ſuam coram amicorum familiarium turba ſuper ſuum morietur lectum. Quæ omnia ſecundum beati vaticinium viri de eo verè adimpleta ſunt.

10. Eodem tempore Sanctus, & in eodem loco ad SCANDALANVM filium COLMANNI apud AIDVM Regem in vinculis retentum, viſitare eum cupiens pergit; ipſumque cùm benedixiſſet, confortans ait; Fili noli contriſtari, ſed potius lætare & confortare. AIDVS enim Rex, apud quem vinculatus es, de hoc mundo te præcedet, & poſt aliqua exilii tempora triginta annis in gente tua rex regnaturus eris, iterumque de regno effugaberis, & per aliquos * eiulabis dies; poſt quos à populo renuntiatus per tria regnabis breuia tempora.

* fort. exulabis.

Quæ cuncta iuxta vaticinationem ſancti plenè expleta ſunt. Nam poſt annos triginta de regno expulſus per aliquod exulauit ſpatium temporis, ſed poſt à populo reinuitatus; non vt putabat, tribus annis, ſed ternis regnauit menſibus; poſt quos continuò obiit.

In

In tempore alio duo plebei ad ſanctum in IOVA commorantem inſula deueniunt; quorum vnus MELDANVS de filio ſuo, qui præſens erat, ſanctum interrogat, quid eſſet ei futurum. cui ſanctus ſic profatur, Nónne ſabbathi dies hodierna eſt? filius tuus ſexta feria in fine morietur ſeptimanæ, octauaq; die, hoc eſt, ſabbatho, hîc ſepelietur. 11.

Alter proinde plebeius, & ipſe de filio, quem ibidem ſecum habuit, nihilominus interrogans, talem ſancti audit reſponſionem: filius tuus ſuos videbit nepotes, & in hac inſula ſenex ſepelietur. Quæ omnia ſecundum verbum ſancti de pueris ambobus ſuis temporibus plenè ſunt expleta.

Quadam die, cùm vir venerabilis in IOVA demoraretur inſula, quidam frater BERACHVS nomine ad ETHICAM proponens inſulam nauigare, ad ſanctum manè accedens, ab eo benedici poſtulat; quem ſanctus intuitus, inquit: O fili hodiè intentiùs præcaueto, ne ETHICAM curſu ad terram directo per latius coneris tranſmeare pelagus: ſed potius circuiens minores ſecus nauiges inſulas; ne videlicet alio monſtruoſo perterritus prodigio, vix inde poſſis euadere. 12.

Qui accepta à ſancto benedictione receſſit, & nauim aſcendens ſancti verbum quaſi parui pendens tranſgreditur. Maiora proinde ETHICI tranſmeans ſpacia pelagi, ipſe, & qui ibi inerant nautæ, vident; & ecce cætus miræ & immenſæ magnitudinis ſe inſtar montis erigens, ora aperit patula, nimis dentoſa, ſupernatans. Tum proinde remiges depoſito velo valdè perterriti, retrouerſi illam obortam ex belluino motu fluctuationem vix euadere potuerunt; ſanctique verbum recognoſcentes, propheticum admirabantur.

Eodem quoque die ſanctus, BAITHENEO, ad ſupra memoratam inſulam nauigaturo manè de eodem intimauit cæto inquiens; Hac præterrita nocte media cætus magnus de profundo maris ſe ſubleuauit, & inter IOVAM & ETHICAM inſulam ſe hodie in ſuperficiem eriget æquoris. Cui BAITHENEVS reſpondens infit: Ego & illa beſtia ſub DEI poteſtate ſumus. Sanctus, Vade, ait, in pace: fides tua in Chriſto te ab hoc defēdet periculo. BAITHENEVS tū deinde à ſancto benedictione accepta, à portu enauigauit; tránſcurſiſq; non paruis ponti ſpaciis, ipſe & ſocii cætū aſpiciunt; perterritiſq; omnibus, ipſe ſolus ęquor & cætū ambabus manib' eleuatis benedicit

Digitized by Google

intrepidus: eodemq́; momento belua magna ſe ſub fluctibus immergens, nuſquam deinceps eis apparuit.

13. Alio quoque in tempore fratres intempeſta nocte ſuſcitat ſanctus, ad quos in Eccleſia congregatos dicit; Nunc intentius Dominū precemur. nam in hac hora aliquod inauditum peccatū perpetratum eſt, pro quo valdè eſt tremēda iudicialis vindicta. De quo peccato craſtino die aliquibus paucis percontantibus intimauit, dicens; Poſt paucos Menſes cum LVGAIDO neſciente infelix ille homuncio ad IOVAM perueniet inſulam.

Diormitiꝰ Alio itaq; die ſanctus ad IORMITIVM, interiectis quibuſdam mēſibus, præcipiens præfatur, Surge citius; ecce LVGAIDVS appropinquat. dicitq́; ei, vt miſerum, quem ſecum in naui habet, in MALEAM propellat inſulam, ne huius inſulæ ceſpitem calcet. Qui præcepto ſancti obſecutus ad mare pergit LVGAIDOq́; aduentanti omnia ſancti proſequitur de infelici viro verba.

Quibus auditis ille infelix iurauit, nunquam ſe cibum cum aliis accepturū, niſi prius ſanctum videret COLVMBAM, eumq́; alloqueretur. Quæ infelicis verba DIORMITIVS ad ſanctum reuerſus retulit. Quibus compertis ſanctus ad portum perrexit BAITHENEOque, prolatis ſacræ ſcripturæ teſtimoniis, ſuggerenti, vt miſeri pœnitudo ſuſciperetur, ſanctus conſequenter inquit; O BAITHENEE, hic homo fratricidium in modum CAIN perpetrauit, & cum ſua matre mœchatus eſt.

Tum demum miſer in littore flexis genibus leges pœnitentiæ expleturū ſe promiſit, iuxta ſancti indicationem. Cui ſanctus ait; Si duodecim annis inter BRITTONES cum fletu & lachrymis pœnitentiam egeris, nec ad SCOTIAM vſque ad mortem reuerſus fueris, forſan DEVS peccato ignoſcet tuo.

Hæc dicens ſanctus ad ſuos conuerſus dicit: Hic homo filius eſt perditionis, qui quam promiſit pœnitentiam, non explebit; ſed mox ad SCOTIAM reuertetur, ibiq́; in breui ab inimicis interficiendus peribit. Quæ omnia ſecundum ſancti prophetiam ita contigerunt. Nam miſer iiſdem diebus ad HIBERNIAM reuerſus in regionem quæ vocitatur LEA in manus incidens inimicorum trucidatus eſt.

14. Alio itidem in tempore LVGBEVS, cuius ſuprà mētionem fecimꝰ, quadam die ad ſanctum poſt frugum veniens triturationē, nullo modo eius faciem intueri potuit, miro ſuperfuſam rubore; valdeque pertimeſcens citò aufugit; quem ſanctus comploſis paululum manibus reuo-

reuocat. Qui reuerſus à ſancto ſtatim interrogatus, cur otius aufugiſſet, hoc dedit reſponſum, Ideo fugi, quia nimis pertimui. Et poſt aliquod modicum interuallum fiducialius agens, audet ſanctum interrogare, inquiens: Nunquid in hac hora aliqua tibi formidabilis oſtenſa viſio erat? Cui ſanctus tale dedit reſponſum. Tam terrifica vltio nunc in remota orbis parte peracta eſt. Qualis, ait iuuenis, vindicta, & in qua Regione facta? Sanctus tum ſic profatur: ſulphurea de cœlo flamma ſuper ROMANI iuris ciuitatem intra ITALIÆ terminos ſitam hac hora effuſa eſt; triaque millia ferme virorum, excepto matrum, puerorumque numero, diſperierunt: & antequam præſens annus, GALLICI nautæ de GALLIARVM prouinciis aduentantes, hæc eadem tibi enarrabunt.

Quæ verba poſt aliquot Menſes veridica fuiſſe, ſunt comprobata. Nam idem LVGBEVS ſimul cum ſancto viro ad CAP Regionis pergens, nauclerum & nautas aduentantes parcè interrogans, ſic omnia illa de ciuitate cum ciuibus ab eis audit enarrata, quemadmodum à prædicabili viro ſunt prædicta. Capue.

Quadam brumali, & valdè frigida die ſanctus magno moleſtatus mœrore fleuit; quem ſuus miniſtrator DIORMITIVS de cauſa interrogans mœſtitiæ, hoc ab eo reſponſum accepit, Non immerito, ô filiole, ego in hac hora contriſtor; meos videns Monachos, quos LAIFRANVS nunc graui fatigatos labore in alicuius maioris domus fabrica moleſtat, quod mihi valdè diſplicet. Mirum dictu, eodem momento horæ, LAIFRANVS habitans in Monaſterio ROBORETI campi quodammodo coactus, & quaſi quadam pira intrinſecus ſuccenſus iubet Monachos à labore ceſſare, aliquamque cibationum conſolationem præparari; & non ſolum in eadem diè otiari, ſed & in cæteris aſperæ tempeſtatis diebus requieſcere. Quæ verba ad fratres conſolatoria à LAIFRANO dicta ſanctus in ſpiritu audiens flere ceſſauit, & mirabiliter gauiſus, ipſe in IOVA Inſula cōmanens, fratribus, qui ad præſens inerant, per omnia enarrauit, & LAIFRANVM Monachum benedixit conſolatorem. 15.

Alio in tempore ſanctus in cacumine ſedens Montis, qui huic Monaſterio eminus ſupereminet, ad ſuum miniſtratorem DIORMITIVM conuerſus, profatus eſt, dicens, Miror quare tardius adpropinquat quædam de SCOTIA nauis, quæ quendam aduehit ſapientem virum, qui in quodam facinore lapſus lachrymoſam gerens pœnitudi- 16.

Digitized by Google

nem mox adueniet. Poſt proinde haud grande interuallum ad AVSTRVM proſpiciens miniſter velum nauis vidit ad portum appropinquantis; quam cum Sancto aduentantem demonſtraret, Citò ſurgito, inquiens, eamus proſelyto obuiam, cuius veram CHRISTVS ſuſcepit pœnitentiam. At verò FECHNAVS de naui deſcendens, ſancto ad portum peruenienti obuius occurrit cum fletu, & lamento ante pedes eius ingeniculans flexis genibus amariſſimè ingemuit; & coram omnibus, qui ibidem inerant, peccantias confitetur ſuas.

Sanctus cum eo pariter inlacrimatus ad eum ait: Surge fili, & conſolare, dimiſſa ſunt tua, quæ commiſiſti, peccamina. quia ſicut ſcriptum eſt; cor contritum & humiliatum DEVS non ſpernit. Qui ſurgens gaudenter à Sancto ſuſceptus ad BAITHENEVM tunc temporis in campo LONGE Præpoſitum commorantem poſt aliquot eſt
17. emiſſus dies in pace commigrans.

Alio in tempore binos mittens Monachos ad ſuum alium Monachum, nomine CAILTANVM, qui eodem tempore Præpoſitus erat in cella, hæc per eoſdem nuntios ſanctus commendat verba; Cito euntes ad CAILTANVM properate, dicitequè illi, vt ad me ſine vlla veniat morula. Qui verbo Sancti obſecuti, exeuntes, & ad cellam peruenientes ſuæ legatiunculæ qualitatem CAILTANO intimauerunt. Qui eadẽ hora nullo demoratus modo, Sancti proſecutus Legatos ad cũ in IOVA Inſula cõmorantem, eorum itineris comes, celeriter peruenit. Quo viſo Sanctus ad eum taliter locutus, his compellat verbis: O CAILTANE, benè feciſti ad me obedienter feſtinando. requieſce pauliſper, idcirco ad te inuitandum miſi; amans amicum, vt hîc mecum in vera finias obedientia vitæ curſum tuæ. Nam ante huius hebdomadis finem ad DEVM in pace tranſibis. Quibus auditis gratias agens DEO, Sanctum lachrymans exoſculatus eſt, & ad hoſpitium, accepta ab eõ benedictione, pergit; eademq; ſubſecuta nocte infirmatus iuxta verbum Sancti in eadem ſeptimana ad CHRISTVM DOMINVM emigrauit.

18. Quadam DOMINICA die vltra ſæpe memoratum clamatum eſt fretum; quem audiens Sanctus clamorem, ad fratres, qui ibidem inerant, ite, ait, celeriter, peregrinoſque de longinqua venientes regione, ad nos ocius adducite. Qui continuò obſecuti transfretantes adduxerunt hoſpites. quos Sanctus exoſculatus conſequenter de cauſa percontatur itineris. Qui reſpondentes aiunt, Vt hoc etiam anno apud te peregrinemur, venimus.

Qui-

Quibus Sanctus hanc dedit reſponſioem, Apud me, vt dicitis, anni vnius ſpatio peregrinari non poteritis, niſi prius monachicum promiſeritis votum. Quod qui inerant præſentes valdè mirati ſunt, ad hoſpites eadem hora aduentantes dici. Ad quæ Sancti verba Senior reſpondens frater ait, Hoc in mente propoſitum licet in hanc horam vſque nullatenus habuerimus, tamen tuum ſequemur conſilium, diuinitus, vt credimus, inſpiratum. Quid plura? Eodem horę momento Oratorium cum Sancto ingreſſi deuotè, flexis genibus votum monachile vouerunt.

Sanctus tum deinde ad fratres conuerſus ait, Hi duo proſelyti, viuam Deo ſeipſos exhibentes hoſtiam, longaque in breui Christianæ tempora militiæ complentes, hoc mox eodem menſe ad Christum Dominum in pace tranſibunt. Quibus auditis ambo fratres gratias Deo agentes, ad hoſpitium deducti ſunt, interiectiſque diebus ſeptem, ſenior frater cœpit infirmari, & eadem peracta ſeptimana, ad Dominum emigrauit. Similiter & alter poſt ſeptem alios dies infirmatus eiusdem in fine hebdomadis ad Dominum feliciter migrauit. Et ſic ſecundum Sancti veridicam prophetiam intra eiuſdem menſis terminum ambo præſentem finiunt vitam.

Dum per aliquot dies in inſula demoraretur Scotia vir beatus, alicuius loci terrulam, mari vicinam, baculo percutiens, ad comites ait, Mirum dictu, ô filioli, hodie in hac huius loci terrula quidam gentilis ſenex naturale per totam bonum cuſtodiens vitam, & baptizabitur, & morietur, & ſepelietur. Et ecce quaſi poſt vnius interuallum horæ nauicula ad eundem ſuperuenit portum, cuius in prora quidam aduectus eſt decrepitus ſenex Geone primarius cohortis, quem bini iuuenes de naui ſubleuantes, ante beati viri conſpectum deponunt. Qui ſtatim verbo Dei à Sancto per interpretem recepto credens, ab eodem baptizatus eſt; & poſt expleta baptizationis myſteria, ſicut Sanctus prophetizauit, eodem in loco conſequenter obiit, ibidemq; ſocii congeſto lapidum aceruo ſepeliunt. qui hodieq; in hac hora cernitur, maritima fluuiuſq; eiuſdem loci, in quo idem baptiſma acceperat, ex nomine eius vſq; in hodiernum diem nominatus & ab accolis vocitatus. 19.

Alio in tempore Sãctus cum in Scotiensium paulò ſuperius moraretur memorata regione, caſu Dominica die ad quoddam deuenit vicinum Monasterium, quod Scotice Trioit vocitatur. Eadem die proinde quendam audiens Presbyterum Sacræ 20.

Eucha-

EVCHARISTIÆ MYSTERIA conficientem, quem ideo fratres, qui ibidem commanebant, ad MISSARVM elegerant peragenda ſolennia, quia valdè religioſum æſtimabant, repentè hanc formidabilem de ore profert vocem: Munda & immunda pariter nunc permiſceri cernuntur. hoc eſt munda ſacræ oblationis myſteria per immundum hominem miniſtrata, qui in ſua interim conſcientia aliquod grande occultat facinus. Hæc qui inerant audientes, tremefacti nimis obſtupuere. Ille verò, de quo dicebantur hæc verba, coram omnibus peccantiam compulſus eſt confiteri ſuam, CHRISTIQVE commilitones, qui in Eccleſia Sanctum circumſtantes, occulta cordis audierant manifeſtantem, diuinam in eo ſcientiam cum magna admiratione glorificarunt.

21. Alio tempore Sanctus in IOVA commanens Inſula accitis ad ſe binis de fratribus viris, quorum vocabula LVGBEVS & SILNANVS eiſdem præcipiens dicit, Hinc ad MALEAM transfretate Inſulam, & in Campulis mari vicinis ERTVM quærite furacem, qui nocte præterita ſolus occultè de Inſula COLOSO perueniens, ſub ſuo fœno tecta nauicula inter arenarum tumulos per diem ſe occultare conatur, vt noctu ad paruam tranſnauiget Inſulam, vbi marini noſtri iuris vituli generantur & generant, vt de illis furtim occiſis edax valdè furax ſuam replens nauiculam ad ſuum repedet habitaculum.

Qui hæc audientes obſecuti emigrant, furemque in locis à Sancto præſignatis abſconſum reperiunt; & ad Sanctum, ſicuti illis præceperat, perduxerunt. Quo viſo Sanctus ad eum dicit, Quare tu res alienas, diuinum transgreſſus mandatum ſæpè furaris? Quando neceſsè habueris ad nos veniens neceſſaria accipies poſtulata. Et hæc dicens præcepit verueces occidi, & pro furtis dari miſero furaci, ne vacuus ad ſua remearet. Et poſt aliquantum tempus Sanctus in Spiritu præuidens vicinam furis mortem, ad BALTHENEVM eo tempore præpoſitum, commorantem in campo LVNGE mittit, vt eidem furi quoddam pingue pecus, & ſeptem *modias nouiſſima mittat munera. Quibus à BALTHENEO, ſicut Sanctus commendauerat, tranſmiſſis, ea die inuentus eſt morte ſubita præuentus furax miſellus, & in exequiis eius tranſmiſſa expenſa ſunt xenia.

* modios.

22. Alio tempore Sanctus cùm iuxta ſtagnum CEI prope oſtium fluminis, quod latine BOS dicitur, die aliqua cum fratribus ſederet.

deret, quidam ad eos SCOTICVS Poeta deuenit, qui cum poſt aliquam receſſiſſet ſermocinationem: fratres ad Sanctum, Cur, aiunt, à nobis regrediente CORONANO aliquod ex more ſuæ artis canticum non poſtulaſti modulabiliter decantari? Quibus Sanctus, Quare & vos nunc inutilia profertis verba? Quomodo ab illo miſero homuncione poſtularem carmen lætitiæ, qui nunc ab inimicis trucidatus, vſque ad finem ocius peruenit vitæ? His à Sancto dictis, & ecce vltra flumen aliquis clamitat homo, dicens: Ille Poeta, qui vobis nuper ſoſpes rediit, hora in hac ab inimicis in via interfectus eſt. Omnes tum, qui præſentes inerant, valdè mirati, ſeinuicem intuentes, obſtupuêre.

Alio itidem tempore Sanctus in IOVA conuerſans Inſula, repente inter legendum ſummo cum ingenti admiratione gemitu ingemuit mœſto: quod videns qui præſens inerat LVGBEVS, cœpit ab eo percontari ſubiti cauſſam mœroris. cui Sanctus valdè mœſtificatus hanc dedit reſponſionem: Duo quidam nunc regii generis viri in SCOTIA mutuis inter ſe vulneribus transfixi diſperierunt, haud procul à Monaſterio, quod dicitur CELLAROIS in prouincia MAGDOENORVM. octaua de hac peracta hebdomada, vltra fretum aliquis clamitabit, qui hæc de HIBERNIA veniens ita taliter facta enarrabit. ſed hoc, ô filiole, quamdiu vixero, nemini indices. Octaua proinde vltra fretum clamatum eſt die. 23

Sanctus tum ſupra memoratum ad ſe LVGBEVM vocans ſilenter ad eum ait: Qui nunc clamitat vltra fretum ipſe eſt, de quo tibi prius dixeram longæuus viator; vade, & educ eum ad nos. Qui celeriter adductus inter cætera hoc etiam retulit. duo, inquiens, nobiles viri ſe mutuò vulnerantes mortui ſunt, hoc eſt, COLMANCANVS & ROMANVS.

Poſthæc illius verba narratoris idem LVGBEVS CHRISTI miles Sanctum ſeorſim cœpit interrogare, dicens: Quæſo mihi de his talibus narres Propheticis reuelationibus, quomodo ſi per viſum tibi, an auditum, an alio hominibus incognito manifeſtantur modo? Ad hæc Sanctus: De qua nunc, ait, inquiris, valde ſubtili re, nullatenus tibi quamlibet aliquam particulam intimare potero; niſi prius flexis genibus per nomen excelſi DEI mihi firmiter promittas, hoc te obſcuriſſimum ſacramentum nulli vnquam hominum cunctis diebus vitæ meæ enarraturum. Qui hæc audiens, flexit continuò genua, & proſtrato in terram vultu, iuxta Sancti præceptionem plenè om-

Digitized by Google

nia promiſit. Qua ſtatim perfecta promiſſione ſanctus ad ſurgentem ſic locutus inquit, Sunt nonnulli quamlibet pauci admodum, quibus diuina hoc contulit gratia, vt etiam totius terræ orbem cum ambitu Oceani & cœli vno eodemque momento, quaſi ſub vno ſolis radio, mirabiliter laxato mentis ſinu, clarè & manifeſtiſſimè ſpeculentur.

Hoc miraculum Sanctus quamuis de aliis electis dicere videatur, vanam vtique fugiens gloriam, de ſeipſo tamen dixiſſe per obliquum licet nullus dubitare debet, qui PAVLVM legit Apoſtolum vas electionis de talibus narrantem ſibi reuelatis viſionibus, non enim ita ſcripſit: Scio me; ſed, Scio hominem raptum vſque ad tertium cœlum. Quod quamlibet de alio dicere videretur, nemo tamen dubitat ſic de propria, humilitatem cuſtodientem, enarrare perſona. Quem etiam & noſter COLVMBA in ſpiritualium viſionum narratione ſecutus eſt, ſuperius memorata, quam ab eo ſupra dictus vir, quem plurimum Sanctus amabat, magnis precibus præmiſſis vix potuit extorquere: ſicut ipſe coram aliorum perſonis Sanctorum poſt NB. S. COLVMBÆ tranſitum teſtatus eſt. à quibus hæc quæ de Sancto ſupra narrauimus indubitanter didicimus.

24. Alio in tempore quidam frater ad Sanctum eadem ſcribentem hora veniens dicit ad eum, Hoc ferrum, quod in manu habeo, quæſo benedicas. Qui paululum extenſa manu ſancta, cum calamo ſignans, benedixit; ad librum, de quo ſcribebat facie conuerſa. Quo videlicet ſupradicto fratre cum ferro benedicto recedente, Sanctus percontatur dicens: Quod fratri ferrum benedixi? DIORMICIVS pius eius miniſtrator, Pugionem, ait, ad iugulandos tauros vel boues benedixiſti. Qui è contra reſpondens inſit; Ferrum quod benedixi confido in Domino meo, quod nec homini, nec pecori nocebit. Quod Sancti firmiſſimum eadem hora comprobatum eſt verbum. Nam idem frater vallum egreſſus monaſterii bouem iugulare volens tribus firmis vicibus, & forti impulſione conatus, nec tamen poterat etiam eius transfigere pellem. Quod Monachi ſcientes experti, eiuſdem pugionis ignis reſolutum calore per omnia monaſterii ferramenta liquefactum diuiſerunt inlinitum, nec poſtea vllam potuere carnem vulnerare, illius Sancti manente benedictionis fortitudine.

25. Alio in tempore DIORMITIVS Sancti pius miniſtrator vſque

ad

ad mortem ægrotauit. ad quem in extremis conſtitutum Sanctus viſitans acceſſit, CHRISTIQVE inuocato nomine infirmi ad lectulum ſtans, & pro eo exorans dixit: Exorabilis mihi fias precor Domine, & animam mei miniſtratoris pii de huius carnis habitaculo me non auferas ſuperſtite. Et hoc dicto aliquantiſper conticuit. Tum proinde hanc de ſacro ore profert vocem, dicens: Hic meus non ſolum hac vice nunc non morietur puer, ſed etiam poſt meum obitum annis multis viuet. Cuius hæc oratio eſt exaudita. Nam DIORMITIVS ſtatim poſt ſancti exaudibilem precem, plenam recuperauit ſalutem. Per multos quoque annos poſt Sancti ad Dominum emigrationem ſuperuixit.

Alio in tempore quidam de NVMINENSIVM prouincia proſelytus ad Sanctum venit, qui ſe in quantum potuit humiliter, quod nullus ſciret, quod EPISCOPVS eſſet, ſed tamen hoc Sanctum non poterat latere. Nam alia die DOMINICA à Sancto iuſſus CHRISTI CORPVS ex more conficere, Sanctum aduocat, vt ſimul quaſi duo Presbyteri dominicum panem frangerent. Sanctus proinde ad altarium accedens, repentè intuitus faciem eius ſic eum compellat: Benedicat te Chriſtus, frater. Hunc ſolus Epiſcopus Epiſcopali ritu frange panem. nunc ſcimus, quod ſis Epiſcopus. Quare hucuſq; te occultare conatus es, vt tibi à nobis debita non redderetur veneratio. Quo audito Sancti verbo humilis peregrinus valdè ſtupefactus Chriſtum in Sancto veneratus eſt, & qui inerant præſentes nimis admirati glorificauerunt DEVM. 26.

Alio itidem in tempore vir venerandus ERNANVM Presbyterum ſenem ſuum auunculum ad præpoſituram illius Monaſterii trãſmiſit, quod in HIMBA Inſula ante plures fundauerat annos. Itaque cum ipſum Sanctum emigrantem exoſculatus benediceret, hoc de eo intulit vaticinium dicens: Hunc meum nunc ingredientem amicum, non me ſpero iterum in hoc ſeculo viuentem viſurum. 27.

Itaque idem ERNANVS poſt non multos dies quadam moleſtatus ægrimonia ad Sanctum volens reportatus eſt; cuius in peruentione valdè gauiſus ire obuius ad portum cœpit. Ipſe vero ERNANVS quamlibet infirmus, propriis tamen veſtigiis à portu obuiare ſancto conabatur valdè alacer. ſed cum eſſet inter ambos quaſi * viginti IV m. vix paſſuum internallum, ſubita morte præuentus priuſquam Sanctus faciem eius videret viuentis, exſpirans in terram cecidit, ne verbum Sancti vllo modo fruſtraretur. Vnde in

Digitized by Google

in eodem loco antè ianuam Canabe crux infixa eſt, & altera vbi Sanctus reſtitit illo exſpirante ſimiliter crux hodieq; infixa ſtat.

28. Alio quoq; in tempore quidam inter cæteros ad Sanctum plebeius venit, quem cum Sanctus ad ſe veſpere venientem vidiſſet, Vbi, ait, habitas? Ille inquit, In regiõne, quæ littoribus ſtagni cõtermina eſt, ego inhabito. Illam quam dicis prouinciolam, ait Sanctus, nunc barbari populantur vaſtatores. Quo audito miſer plebeius maritum & filios deplangere cœpit. Quem Sanctus valdè mœrentem videns conſolans, inquit, Vade homuncule, vade, tua familiola tota in montem fugiens, euaſit, tua vérò omnia pecuſcula ſecum inuaſores abegerunt, omnemq; domus ſuppellectilem ſimiliter ſæui raptores cum præda rapuère. Hæc audiens plebeius ad patriam regreſſus cuncta, ſicut à Sancto prædicta ſunt, inuenit exempla.

29. Alio itidem in tempore omnium illius ætatis in populo fortiſſimus virorum, ſanctum percontatus eſt virum, qua morte eſſet præueniendus: Cui ſanctus, Nec in bello, ait, nec in mari morieris, comes tui itineris, à quo non ſuſpicaris, cauſſa erit tuæ mortis. Fortaſſis, inquit GORENS aliquis de meis comitantibus amicis me trucidare cogitet, aut marita ob alicuius iunioris viri amorem me maleficio mortificare. Sanctus non ita ait continget. Quare GORENS inquit, de meo interfectore mihi nunc intimare non vis? Sanctus, Idcirco, ait, nolo tibi de illo tuo comite nocuo nunc manifeſtius aliquid edicere, ne eius crebra recordatio nimis te mœſtificet, donec veniat dies, qua eiusdem rei veritatem probabis. Quid immoramur verbis? poſt aliquot annorum excurſus idem ſupra memoratus GORENS caſu aliqua die ſub naui reſidens, cultello proprio christiliam de caſtili eradebat: tum deinde alios prope inter ſe belligerantes audiens citius ſurgit, vt eos à belligeratione ſepararet. eodemque cultello illa ſubitatione negligentius in terra demiſſo eius genicula offenſo grauiter vulnerata eſt; & tali faciente comite cauſſa ei mortificationis oborta eſt: quam ipſe continuò ſecundum Sancti vaticinationem viri mente perculſus recognouit; poſtque aliquantos menſes eodem aggrauatus dolore moritur.

30. Alio namque in tempore cum Sanctus in IOVA inhabitaret inſula vnum de fratribus aduocans ſic compellat, Tertia ab hac inluceſcente die debebis in occidẽtali huius Inſulę parte expectare ſup maris orá ſedens. Nam de AQVILONARI HIBERNIÆ regione quædam hoſpi-

ta grus, ventis per longos aëris agitata circuitus, poſt nonam diei horam valdè feſſa & fatigata ſuperueniet, & penè conſumptis viribus coram te in littore cadens recumbet. quam miſericorditer ſubleuare curabis, & ad propinquam deportabis domum; ibidem hoſpitaliter receptam per tres dies & noctes ei miniſtrans ſollicitè cibabis, & poſt expleto recreata triduo nolens vltra apud nos peregrinari ad priorem SCOTIÆ dulcem, vnde orta eſt, remeabit regionem, plenè reſumptis viribus. Quam ideò tibi diligenter commendo; quia de noſtræ paternitatis regione eſt oriunda. De grue.

Obſecundat frater, tertiaque die poſt horam nonam, vt iuſſus fuerat, præſcitæ aduentum præſtolatur hoſpitæ; aduentantemque de littore leuat lapſam, ad hoſpitium portat infirmam, eſurientem cibat. cui ad monaſterium veſpere reuerſo ſanctus, non interrogans, ſed narrans, ait; Benedicat te DEVS, mi fili, qui peregrinæ benè miniſtraſti hoſpitæ, quæ in peregrinatione non demorabitur, ſed poſt ternos ſoles ad patriam repedabit. Quod ita, vt ſanctus prædixit, res etiam probauit. Nam trinalibus hoſpitata diebus coram hoſpite miniſtro de terra ſe primum volando eleuans in ſublime, pauliſperque in aëre viam ſpeculata OCEANI tranſuadato æquore ad HYBERNIAM recto volatus curſu, die repedauit tranquillo.

Alio in tempore vir beatus cùm ad campos reuerteretur æquoreos ipſe & CONGELLVS ABBAS, quadam ſecreta æſtiui temporis die, haud procul à ſupra memorata munitione reſident. tum proinde aqua de quodam proximo ad manus lauandas fonticulo ad ſanctos in æneo defertur vaſculo; quam cùm ſanctus COLVMBA accepiſſet, ad Abbatem CONGELLVM, à latere ſedentem, ſic profatur; Ille fonticulus, ô CONGELLE, de quo hęc effuſa nobis allata eſt aqua, & veniet dies quando nullis vſibus humanis aptus erit. Qua cauſa, ait CONGELLVS, eius fontana corrumpitur vnda? Sanctus tùm COLVMBA, quia humano, inquit, cruore replebitur. Nam mei cognationales amici, & tui ſecundum carnem cognati in hac vicina munitione belligerantes committent bellum; vnde in ſupra memorato fonte aliquis de mea cognatione trucidabitur homuncio, cuius cum cæteris interfecti ſanguine eiuſdem fonticuli locus replebitur. 31.

Quæ eius veridica ſuo tempore poſt multos vaticinatio expleta eſt annos; In quo bello, vt multi norunt populi, DOMNALLVS AIDI filius victor ſublimatus eſt; & in eodem ſecundum ſancti vaticinium viri fonticulo quidam de parentela eius interfectus homo.

Digitized by Google

NB. Alius mihi ADOMNANO, Chriſti miles FINANVS nomine, qui vitam multis ANACHORETICAM annis iuxta ROBORETI MONASTERIVM CAMPI irreprehenſibiliter ducebat, de eodem bello ſe præſente commiſſo aliqua enarrans proteſtatus eſt. In ſupradicto fonte truncum cadauerinum vidiſſe, eademque die ad Monaſterium S. CONGELLI, quod SCOTICE dicitur CAMBAS, commiſſo reuerſum bello, quia inde prius venerat. Ibi denique duos ſancti CONGELLI ſenes Monachos reperiſſe, quibus cum de bello coram ſe acto, & de fonticulo humano cruore corrupto aliquanta enarraret; illi conſequenter, Verus eſt Propheta COLVMBANVS, aiunt. qui hæc omnia quæ hodie de bello & fonticulo expleta enarras; ante multos annos futura nobis audientibus coram ſancto CONGELLO iuxta CÆTHIRNI ſedens munitionem prænunciauerat.

32. Eodem in tempore CONALLVS EPISCOPVS pene innumerabilibus xeniis beato viro hoſpitium præparauit poſt condictum ſupra memoratorū Regum turba ꝓſequente multa, reuertēti. Proinde ſancto aduenienti viro xenia populi multa in platea monaſterii ſtrata benedicenda adſignantur. quæ cùm benedicens aſpiceret xenium alicuius opulenti viri, ſpecialiter demonſtrans virum ait: Cuius eſt hoc xenium pro miſericordiis pauperum, & eius largitione DEI comitatur miſericordia. Itemque aliud diſcernit, inter alia multa, xenium, inquiens: De hoc ego xenio viri ſapientis & auari nullo modo guſtare poſſum; niſi prius veram de peccato auaritiæ pœnitudinem egerit. Quod verbum citò in turba diuulgatum audiens, accurrit COLVMBVS, filius AIDI, conſcius, & veram ſancto flexis genibus pœnitentiam agit, & de cetero auaritiæ abrenuntiaturum ſe promittit; & largitatem cum morum emendatione conſecuturum. Et iuſſus à ſancto ſurgere, ex illa hora eſt ſanatus de vitio tenacitatis. Erat enim vir ſapiens, ſicuti ſancto in eius reuelatum erat xenio. Ille verò diues, largus BRENDENVS nomine, de cuius xenio paulo ſuperius dictum eſt, audiens & ipſe ſancti verba de ſe dicta, ingeniculans ad pedes ſancti precatur, vt pro eo ad Dominum Sanctus fundat precem, qui ab eo primum pro quibuſdam ſuis obiurgatus peccatis; pœnitudinem gerens, de cetero ſe emendaturum promiſit, & ſic vterque de propriis emendatus, & ſanatus eſt vitiis.

Huic primo libro hîc imponitur terminus. Nunc ſequens orditur liber de virtutum miraculis, quæ plerunque etiam prophetalis præſcientia comitatur.

INCIPIT LIBER SECVNDVS de virtutum miraculis.

ALio in tempore cùm vir venerandus in SCOTHIA apud ſanctum FINDBARRVM EPISCOPVM adhuc iuuenis, ſapientiam ſacræ ſcripturæ addiſcens, commaneret, quadã ſolemni die vinum ad ſacrificale myſterium caſu aliquo minimè inueniebatur. De cuius defectu cùm miniſtros altaris inter ſe conquirentes audiret, ad fontem ſumpto pergit vrceo, vt ad SACRÆ EVCHARISTIÆ miniſteria aquam quaſi DIACONVS fontanam hauriret. Ipſe quippe illis in diebus erat in DIACONATVS gradu adminiſtrans. 1

Vir itaq; beatus aquaticum, quod de latice hauſit, elementum, inuocato nomine IESV CHRISTI, fideliter benedixit; qui in CHANA GALILÆÆ aquã conuertit in vinum. quo etiã operante miraculo inferior, hoc eſt, aquatica natura, in gratiorẽ, videlicet vinalem, per manus prædicabilis viri conuerſa eſt ſpeciem. Vir itaq; ſanctus à fonte reuerſus, & Eccleſiam intrans talem iuxta altare vrceum intra ſe habentem deponit liquorem, & ad miniſtros, Habetis, ait, vinum quod Dominus Chriſtus ad ſua miſit peragenda myſteria. Quo cognito ſanctus cum Miniſtris EPISCOPVS eximias DEO referunt gratias. Sanctus verò iuuenis hoc non ſibimet, ſed ſancto VINNIANO aſcribebat EPISCOPO. Hoc itaq; primum virtutis documentum Chriſtus Dominus per ſuum declarauit diſcipulum, quod in eadem re initium ponens ſignorum in CHANA GALILÆÆ operatus eſt per ſemetipſum.

Quædam erat arbor valdè pomoſa prope MONASTERIVM ROBORIS CAMPI, in auſtrali eius parte, de qua cùm incolæ loci quondam haberent pro nimia fructus amaritudine querimoniam; quadam die ſanctus ad eam acceſſit Autumnali tempore, videnſq; lignum incaſſum abundos habere fructus, qui ex eis guſtantes plus læderent, quàm delectarent; Sanctus eleuata manu benedicens, ait: In nomine Omnipotentis DEI omnis tua amaritudo, ô arbor amara, à te recedat, tuaque huc vſq; amariſſima, nunc in dulciſſima vertantur poma. Mirum dictu, dicto citius eodemque momento eiuſdem arboris omnia poma, amiſſa amaritudine, in miram, ſecundum verbũ ſancti, verſa ſunt dulcedinem. 2

Alio

3\. Alio in tempore ſanctus ſuos miſit monachos, vt de alicuius plebei agellulo virgarum faſciculos ad hoſpitium afferrent conſtruendum. qui cum ad ſanctum oneraria repleta naui de ſupra dictis virgularum materiis, reuerſi venirent, dicerentque plebeium cauſa eiuſdem valdè diſpendii contriſtatum; Sanctus conſequenter præcipiens dicit: Ne ergo ſcandalizemus virum ad ipſum à nobis bis terni deferantur hordei modii, eoſdemque his in diebus arata ipſe ſeminet in terra. Quibus ad plebeium, FRINDEHANVM nomine, iuxta ſancti iuſſionem miſſis, & coram eo cum tali commendatione adſignatis, gratanter accipiens, ait: Quomodo poſt medium æſtiuum tempus ſeges ſeminata contra huius terræ naturam proficiet? Marita è contra: Fac, ait, ſecundum ſancti mandatum. cui Dominus donabit quodcunque ab eo poſtulauerit. Sed & qui miſſi ſunt ſimul hoc addiderunt dicendo; Sanctus COLVMBA, qui nos ad te cum hoc miſit munere, hoc mandatum per nos de tua commendauit ſegete, dicens: Homo ille in omnipotentia Dei confidat, quamuis de menſe IVNIO XII. præmiſſis diebus ſeminata in principiis AVGVSTI menſis metetur. Obſequitur plebeius arando, & ſeminando, & meſſem, quam ſupradicto in tempore contra ſpem ſeminauit, cum omnium admiratione vicinorum in exordio Auguſti menſis maturam iuxta ſancti verbum meſſuit.

4\. Alio itidem in tempore cum ſanctus in IOVA commoraretur inſula, ſedens in monticulo, qui LATINE MVNITIO MAGNA dicitur, videt ab AQVILONE nubem denſam, & pluuialem de MERIDIE ſerena obortam. Qua aſcendente viſa, ſanctus ad quendam de ſuis iuxta ſe Monachum ſedentem, nomine SILVANVM, Hæc nubes, ait, valdè nocua hominibus, & pecoribus erit; hacque die velocius tranſuolans ſuper aliquantam SCOTHIÆ partem, pluuiam veſpere diſtillabit morbiferam: quæ grauia & purulenta humanis in corporibus, & in pecorum vberibus naſci faciet vlcera. quibus homines morbidi, & pecudes illa venenoſa grauitudine vſque ad mortem moleſtati laborabunt. Sed nos eorum miſerati ſubuenire languoribus Domino miſerante debemus. Tu ergo SILVANE nunc mecum deſcendens de monte nauigationem præpara. craſtina die vita comite & DEO volente, à me pane accepto, DEI inuocato nomine, benedicto; quo in aquam intincto, homines ea conſperſi & pecora celerem recuperabunt ſalutem.

Quid moramur? die craſtina his, quæ neceſſaria erant, citius præpara-

para-

paratis. SILVANVS accepto de manu ſancti pane benedicto, in pace enauigauit. Cui ſanctus à ſe eadẽ emigranti hora addit, hoc etiã conſolatorium verbum, dicens: Confide fili, Ventos habebis ſecundos, & proſperos diu noctuq; vſq; dum ad illam peruenias regionem, vt languẽtibus ibidẽ celerius cum ſalubri ſubuenias pane. Quid plura? SILVANVS verbo obſecutus ſancti proſpera & celeri nauigatione, auxiliante Domino, ad ſupra memoratã perueniens partẽ, illius regionis plebem, de qua ſanctus prædixerat, deuaſtatam nubis prædictæ morbifera repperit pluuia ſuperfluente citius præcurrentis, inprimiſq; bis terni viri in eadẽ mari vicina domo reperti in extremis morte poſiti adpropinquante, ab eodem SILVANO aqua benedictionis aſperſi, in eadem præſenti die oportunius ſanati ſunt. Cuius ſubitæ ſanationis rumor per totam illam morbo peſtilentiore vaſtatam regionem citò diuulgatus, omnem morbidum ad SANCTI COLVMBAE legatũ inuitauit populũ. Qui iuxta ſancti mandatũ homines & pecora, pane intincto benedicto, aqua conſperſit, & continuò plenam recuperantes ſalutẽ, homines cum pecudibus ſaluati CHRISTVM in ſancto COLVMBA cum eximia gratiarum actione laudarunt. In hac enim ſupra ſcripta narratione, vt æſtimo, duo hæc manifeſtè pariter comitantur, hoc eſt, gratia prophetationis de nube, & virtutis miraculum in ægrotantium ſanctitate. Hæc per omnia eſſe veriſſima ſupradictus SILVANVS CHRISTI miles ſancti legatus COLVMBAE coram SEGINEO abbate, & cæteris teſtatus eſt ſenioribus.

Alio in tempore cùm ſanctus in IOVA demoraretur inſula primadiei hora quendam aduocans fratrem LVGAIDVM nomine, & taliter eum compellat, dicens: Præpara citò ad SCOTHIAM celerem nauigationem. nam mihi valdè eſt neceſſe te vſque ad CHILIOCHERVM deſtinare legatum. In hac enim præterita nocte caſu aliquo MAVGINA SANCTA VIRGO ab ORATORIO poſt MISSAM domum reuerſa titubauit, coxaque eius in duas confracta eſt partes. hæc ſæpius meum inclamitans nomen commemorat, à DOMINO ſperans ſe accepturam per me conſolationem. 5.

Quid plura? LVGAIDO obſecundanti, & conſequenter emigrãti ſanctus pineam tradit cum benedictione capſellam dicens: Benedictio, quæ in hac capſellula continetur, quando ad MAVGINAM peruenies viſitandam, in aqua vaſculum intinguatur, eademque benedictionis aqua ſuper eius infundatur coxam, & ſtatim inuocato DEI nomine coxale coniungetur os, & denſabitur; & ſancta virgo

Digitized by Google

plenam recuperabit ſalutem. Et hoc ſanctus addit: En ego ponam in huius capſulæ operculo numerum viginti trium annorum, quibus ſacra virgo in hac præſenti poſt eandem ſalutem victura eſt vita.

Quæ omnia ſic plenè expleta ſunt, ſicuti à ſancto prædicta. Nam ſtatim vt LVGAIDVS ad ſanctam peruenit virginem, aqua benedicta, ſicut ſanctus commendauit, perfuſa coxa, ſine vlla morula condenſato oſſe, plenè ſanata eſt; & in aduentu S. COLVMBÆ cum ingenti gratiarum actione gauiſa, viginti tribus annis ſecundum ſancti Prophetiam poſt ſanitatem in bonis actibus permanens vixit.

6. Vir vitæ prædicabilis, ſicuti nobis ab expertis traditum eſt, diuerſorum languores infirmorũ, inuocato Chriſti nomine illis in diebus ſanauit. * quibus ad Regum pergens condictum, in domo cæte breui commoratus eſt tempore. Nam aut ſanctæ manus protenſione, aut aqua ab eo benedicta, ægroti plures aſperſi, aut etiam fimbriæ eius tactu amphibali, aut alicuius rei, ſalis videlicet, vel panis benedictione accepta, & lymphis intincta, plenam credentes recuperarunt ſalutem.

7. Alio itidẽ in tempore quidam à SANCTO PETRAM SALIS BENEDICTAM accepit, ſorori, & ſuæ nutrici profuturam oculorũ dolori; q̃ ophthalmiæ laborabat valdè graui lãguore, id eſt, oculorum dolore. Talem EVLOGIAM eadem ſoror & nutricia de manu fratris accipiens, in pariete ſuper lectum ſuſpendit, caſuq́; poſt aliquantos cõtigit dies, vt idẽ vicul⁹ cum ſupra dictæ domuncula fœminæ flãma vaſtante totus concremaretur. Mirũ dictu illius parietis particula, ne beati viri in ea deperiret ſuſpenſa benedictio, poſt totam ambuſtam domum ſtans inlæſa permanſit; nec ignis auſus eſt attingere binales, in quibus talis pendebat ſalis petra, ſudes.

8. Aliud miraculum æſtimo non tacendum, quod aliquando factum eſt per contrarium elementũ. Multorum namq́; tranſcurſis annorum circulis poſt beati ad Dominũ tranſitum viri, quidam Iuuenis de equo lapſus in flumine merſus, & mortuus, viginti ſub aqua diebus permanſit. qui ſicuti ſub aſcella, cadens, libros in pellicio reconditos ſacculo habebat; ita etiam poſt ſupra memoratum dierum numerum eſt repertus ſacculum cum libris inter brachium & latus continens. cuius & ad aridam reportato cadauere, & aperto ſacculo, folium S. COLVMBÆ ſanctis ſcriptum digitulis, inter aliorum folia librorum nõ tantum corrupta, ſed & putrefacta, inuentum eſt nullo modo corruptum, ac ſi in ſcrinio eſſet reconditum.

Alio

Digitized by Google

Alio namque tempore cùm ſanctus in ſua verſaretur peregrinatione, Infans ei per parentes ad baptizandum offertur iter agenti. Et quia in vicinis aqua non inueniebatur locis, ſanctus ad proximã declinans rupem, flexis genibus pauliſper orauit. Et poſt orationem ſurgens, eiuſdem rupis fontem benedixit, de qua conſequenter aqua ebulliens abundanter fluxit, in qua continuò infantulũ baptizauit. de quo & baptizato hæc vaticinans intulit verba, inquiens: Hic puerulus vſq; ad extremã longæuus viuet ætatẽ; in annis iuuenilibus carnalib⁹ deſideriis ſatis ſeruiturus, & deinceps Chriſtianæ vſq; in exitum militiæ mancipandus; in bona ſenectute ad Dominum emigrabit. Quæ omnia eidem viro iuxta ſancti contigerunt vaticinium. & qui fonticulus adhuc ſancti nomine COLVMBÆ ibidem pollens cernitur. 9. Fons S. Columbæ.

Alio in tempore vir beatus cùm in PICTORVM prouincia per aliquot demoraretur dies, audiens in plebe gentili de aliquo fonte diuulgari famã, quem quaſi diuinum ſtolidi homines diabolo eorũ obcæcante ſenſus, venerabãtur. Nã de eodẽ fonticulo bibẽtes, aut in eo manus vel pedes de induſtria lauantes, dæmoniaca, DEO permittente percuſſi arte, aut leproſi, aut luſci, aut etiam debiles, aut quibuſcunque aliis infeſtati infirmitatibus reuertebantur. ob quæ omnia ſeducti gentiles, diuinum fonti deferebant honorem. Quibus compertis ſanctus alia die intrepidus acceſſit ad fontem. Quod videntes Magi, quos ipſe ſæpè confuſos, & victos à ſe repellebat, & valdè gauiſi ſunt, ſcilicet putantes, eum ſimilia illius nocuæ tactu aquæ paſſurum. 10.

Ille verò inprimis eleuata manu ſancta, cum inuocatione Chriſti nominis, manus lauat, & pedes; tùm deinde cum ſociis de eadem à ſe benedicta bibit. ex illaq; die dæmones ab eodem receſſerunt fonte. & non ſolum nulli nocere permiſſus eſt, ſed etiam poſt ſancti benedictionem, & in eo lauationem, multę in populo infirmitates per eundem ſanatæ ſunt fontem.

Alio in tempore vir ſanctus in Mari periclitari cœpit: totũ namq; vas nauis valdè concuſſum magnis vndarum cumulis fortiter ferebatur, grandi vndiq; inſiſtente ventorum tempeſtate. Nautæ tùm fortè ſancto cum illis exhaurire conãti, aiunt: Quod nunc agis, non magnoperè nobis proficit periclitãtibus. exorare potius debes pro pereuntibus. Quo audito aquã ceſſat amarã exinanire, dulcem verò & intentã precem cœpit ad Dominũ fundere. Mirum dictu eodem horæ momento, quo ſanctus in prora ſtans extenſis ad cœlũ palmis omni- 11.

Digitized by Google

potentem exorauit, tota aëris tempeſtas, & maris ſæuicia dicto citius ſedata ceſſauit; & ſtatim sereniſſima tranquillitas ſuperſecuta eſt. Qui verò erant in naui obſtupefacti, cum magna admiratione referentes gratias glorificauerunt Dominum in ſancto & prædicabili viro.

12. Alio quoque in tempore ſæua nimis inſiſtente & periculoſa tempeſtate; ſociis, vt pro eis Dominum ſanctus exoraret, inclamantibus; hoc eis dedit reſponſum, dicens: Hac in die non eſt meum pro vobis in hoc periculo conſtitutis orare; ſed eſt Abbatis CAHINNICHI ſancti viri. Mira dicturus ſum. Eadem hora S. CAHINNICHVS in ſuo conuerſans MONASTERIO, quod LATINE CAMPVLVS BOVIS dicitur, ſpiritu reuelante ſancto ſupra dictam S. COLVMBÆ interiore cordis aure vocem audierat. Et cùm fortè poſt nonã cœpiſſet horam in oratorio EVLOGIAM frangere, ocius deſerit menſulã, vnoq; in pede inhærente calceo, & altero præ nimia feſtinatione relicto, feſtinãter pergit hac cum voce ad Eccleſiam: Non eſt nobis nunc tempus prandere, quando in mari periclitatur nauis S. COLVMBÆ. Hoc enim momento ipſe nomen CAHINNICHI ingeminans commemorat, vt pro eo & ſociis periclitantibus exoret.

Poſt hæc illius verba oratorium ingreſſus flexis genibus pauliſper orauit, eiuſque orationem exaudiente Domino, illico tempeſtas ceſſauit, & mare valdè tranquillum factum eſt. Tum dein ſanctus COLVMBA CAHINNICHI ad Eccleſiam præparationem in ſpiritu videns, quamlibet longè conuerſantis, mirabiliter hoc de puro pectore profert verbum, dicens: Nunc cognoui, ô CAHINNICHE, quod Deus tuam exaudierit precem; nunc valdè nobis proficit tuus ad Eccleſiam velox cum vno calciamento curſus. In hoc itaq; tali miraculo amborum, vt credimus, oratio cooperata eſt ſanctorum.

13. Alio quoque in tempore ſuperius memorati viri ſancti ad ſanctum venientes ab eo ſimul vnanimes poſtulant, vt ipſe à Domino poſtulans impetraret proſperum craſtina die ventum ſibi dari, diuerſa emigraturis via. quibus ſanctus reſpondens hoc dedit reſponſum: Mane craſtina die BAITHENEVS à portu IOVÆ enauigans inſulæ flatum habebit ſecundum, vſquequo ad portũ perueniat CAMPILVNGE. Quod ita iuxta ſancti verbũ Domin' donauit. Nã BAITHENEVS plenis eadẽ die velis magnũ totum pelag' vſq; ad ETHICAM trãſmeauit terram. Hora verò diei eiuſdem tertia, vir venerandus COLVMBANVM aduocat presbyterũ, dicens: Nunc BAITHENEVS proſperè optatum peruenit ad portũ. ad nauigandum te hodie ꝑpara; mox Domin' ven-

ventum conuertet AQVILONEM. Cui ſic prolato beati viri verbo, eadem hora AVSTER obſecundans ventus ſe in aquiloneum conuertit flatum, & ita in eadem die vterq; vir Sanctus alter ab altero in pace auerſus, BAITHENEVS mane ad ÆTHICAM terram, COLVMBANVS poſt meridiem HIBERNIAM incipiens appetere, plenis enauigauit velis, & flatibus ſecundis.

Hoc illuſtris viri virtute orationum Domino donante, effectũ eſt miraculum. quia ſicut ſcriptum eſt: Omnia poſſibilia ſunt credenti.

Poſt illa in die ſancti COLVMBANI egreſſum, Sanctus hoc de illo propheticum COLVMBA protulit verbum: Vir ſanctus COLVMBANVS, cui emigranti benediximus, nuſquam in hoc ſeculo faciem videbit meam. Quod ita poſt expletum eſt. Nam eodem anno S. COLVMBA ad Dominum tranſiuit.

Alio quoq; in tempore quidam iuuenis COLVMBANVS nomine, qui ad ianuam tugurioli ſubitò perueniens reſtitit, in quo vir beatus ſcribebat. hic idem poſt vaccarum reuerſus mulſionem, in dorſo portans vaſculum nouo plenum lacte, dicens ad Sanctum, vt iuxta morem tale benediceret onus. Sanctus tum ex aduerſo eminus in aere ſignum manu eleuata ſalutare depinxit. Quod illico valdè concuſſum eſt, gergennaq; operculi per ſua bina foramina retruſa, longius proiecta eſt; operculum terra tenus cecidit; lac ex maiore menſura in ſolum defuſum eſt. Iuuenculus vas cum paruo quod remanſerat lactis, ſuper fundum in terra deponit, genua flectit ſuppliciter. Ad quem. Surge, ait, COLVMBA, hodie in tua operatione negligenter egiſti. Dæmonem enim in fundo vacui latitantem vaſculi impreſſo DOMINICÆ CRVCIS ſigno ante infuſionẽ lactis non effugaſti, cuius videlicet ſigni nunc virtutem non ſuſtinens tremefactus toto pariter turbato vaſe, velociter cum lactis effuſione aufugit. Hoc ergo ad me propius vaſculum vt illud benedicam, approxima. Quo facto Sanctus ſemiuacuum benedixerat vas, eodemq; momento diuinitus repletum repertum eſt, paruumq; quod prius in fundo remanſerat vaſis, ſub ſanctæ manus benedictione vſq; ad ſummũ citius excreuerat. 14.

Hoc factum ſubſequens in domo alicuius plebei diuitis; vbi cũ Sanctus hoſpitaretur intra ruſticanos contendentes duos, quorũ prius aduentum præſciuit, recta iudicatione iudicauit. Vnuſque ex eis, qui maleficus erat, à Sancto iuſſus de boue maſculo, qui prope erat, lac arte diabolica expreſſit. Quod Sanctus non vt illa confirmaret ma- 15.

leficia, fieri iuſſit, quod abſit; ſed vt ea coram multitudine deſtrueret. Vir itaque beatus vas, vt videbatur tali plenum lacte ſibi ocius dari popoſcit, & hac cum ſententia benedixit, dicens, Modo probabitur non eſſe verum, quod putabatis lac, ſed dæmonum fraude ad decipiendos homines decoloratus ſanguis. & continuo lacteus ille color in naturam propriam, hoc eſt, in ſanguinem verſus eſt. Bos quoque qui per vnius horæ momentum turpi macie tabidus & maceratus erat, morti proximus, benedicta à Sancto aqua ſuperfuſus, mira ſub celeritate ſanatus eſt.

15. Alio quoque in tempore vir beatus quadam nocte cum apud COLVMBANVM tunc temporis inopem benè hoſpitaret, mane primo Sanctus de quantitate & qualitate ſubſtantiæ plebeium hoſpitem interrogat. Qui interrogatus, Quinque tantummodo, ait, vacculas habeo; quæ ſi eas benedixeris, in maius creſcent. Quas ilico à Sancto iuſſus adduxit, & huius COLVMBANI buculas quinales æqualiter benedicens, inquit, Centenas & quinque DEO donante habebis vaccas; & erit in filiis & nepotibus tuis florida benedictio. Quæ omnia iuxta Sancti viri prophetationem in agris & pecoribus eius & prole pleniſſimè adimpleta ſunt. Mirumque in modum numerus à Sancto præfinitus ſupra memorato viro in centenario & quinario vaccarum expletus numero, nullo modo ſuperaddi potuit. Nam illa quæ ſupra præfinitum numerum excedebant diuerſis prærepta caſibus nuſquam comparuerant. excepto eo, quod aut in vſus proprios familiæ, aut in opus eleemoſynæ expendi poterat. In hac itaq; narratione, vt in cæteris virtutibus, miraculum & prophetia ſimul apertè oſtenditur. Nam in magna vaccarum ampliatione benedictionis pariter & orationis virtus apparet; & in præfinitione numeri prophetalis præſcientia.

16. Vir venerandus ſupra memoratum COLVMBANVM, quem de paupere virtus benedictionis eius diuitem fecit, valdè diligebat; quia ei multa pietatis officia præbebat. Erat autem illo in tempore quidam malefactor homo bonorum perſecutor, de regio ortus genere. hic ſupra dictum COLVMBANVM Sancti amicum COLVMBÆ perſequebatur, domumq; eius omnibus in ea inuentis deuaſtauerat exceptis, non ſemel, ſed bis inimiciter agens. Vnde fortè non immeritò eidem maligno accidit viro, vt tertia vice poſt eiuſdem domus tertiam deprædationem, beatum virum, quem quaſi longius deſpexerat, propius adpropinquantem ad nauim reuertens præda onuſtus cum ſociis obuium haberet. quem cum Sanctus de ſuis corriperet malis,

præ-

Digitized by Google

prædamque deponere rogans ſuaderet: ille immitis inſuadibiliter permanens Sanctum deſpexit, nauimque cum præda aſcendens, beatum virum ſubſannabat & deridebat. Quem Sanctus vſque ad mare proſecutus eſt, vitreaſque intrans aquas, vſque ad genua, æquoreas, leuatis ad cœlum ambis manibus, CHRISTVM intentè precatur, qui ſuos glorificantes ſe glorificat electos. Tum deinde Sanctus expleta oratione ad aridam reverſus, in eminentiore cum comitibus ſedet loco; ad quos illa in hora formidabilia valdè profert verba, dicens, Hic miſerabiliter homuncio, qui CHRISTVM in ſuis deſpexit ſervis, ad portum, à quo nuper coram vobis emigravit, nunquam reuertetur; ſed nec ad alias, quas appetit terras, ſubita præuentus morte, cum ſuis perueniet malis cooperatoribus. Hodie, quam mox videbitis, de nube à Borea orta immitis immiſſa procella eum cum ſociis ſubmerget; nec de eis etiam vnus remeabit fabulator. Poſt aliquantum paucularum interuentum morarum, die ſereniſſima ecce de mari oborta, ſicut Sanctus dixerat, nubes cum magno fragore venti emiſſa raptorem cum præda inter MALFAM & COLOSVM inſulam inueniens ſubito turbato ſubmerſit medio mari. nec ex eis, iuxta verbum Sancti, qui naui inerant, vel vnus euaſit; mirumque in modum toto circumquaque manente tranquillo æquore. Talis vna rapaces ad inferna ſubmerſos proſtrauit procella; miſerè quidem, ſed dignè.

Alio quoque in tempore vir ſanctus quendam de nobili PICTORVM genere exulem in manum alicuius ditis viri diligenter aſſignans commendauit, vt in eius comitatu, quaſi vnus de amicis, per aliquot menſes conuerſaretur. Quem cum tali commendatione de Sancti manu viri ſuſcepiſſet commendatum; poſt paucos dies doloſè agens crudeli eum iuſſione trucidauit. Quod immane ſcelus cum Sancto à commeantibus eſſet nuntiatum, ſic reſpondens profatus eſt, Non mihi, ſed DEO infelix ille homunculus mentitus eſt. eius nomen de vitæ libro delebitur. Hæc verba æſtiuo nunc mediante proloquimur tempore; ſed Autumnali, antequam de ſuilla guſtet carne, arboreo ſaginata fructu, ſubita præuentus morte, ad infernalia rapietur loca.

Hæc Sancti Prophetia viri cum miſello nuntiaretur homuncioni, deſpiciens irriſit Sanctum. Et poſt dies aliquot Autumnalium 17.
menſi-

menſium, eo iubente, ſcrofa nucum impinguata nucleis iugulatur, nec dum aliis eiuſdem viri iugulatis ſuibus. de qua celeriter exenterata partem ſibi in veru celerius aſſari præcepit, vt de ea impatiens prægustans beati viri prophetationem deſtrueret. Quà videlicet aſſata, dari ſibi popoſcit aliquam prægustandam morſus particulam; ad quam percipiendam, extenſam manum, priuſquam ad os conuerteret, exſpirans mortuus retrò in dorſum cecidit. Et qui viderant & audierant valdè tremefacti, admirantes, CHRISTVM in ſancto Propheta honorificantes glorificauerunt.

18. Alio quoque in tempore cum vir beatus in PICTORVM prouincia per aliquot moraretur dies, neceſſe habuit fluuium tranſire NESAM. Ad cuius cum acceſſiſſet ripam, alios ex accolis aſpicit miſellum humantes homunculum, quem vt ipſius ſepultores ferebant, quædam paulo ante nantem aquatilis præripiens beſtia morſu momordit ſæuiſſimo: cuius miſerum cadauer, ſerò licet, quidam in alno ſubuenientes porrectis proripuêre vncinis. Vir è contra hæc audiens, præcepit vt aliquis è comitibus enatans CAVPVLVM in altera ſtantē ripa ad ſe nauigando reducat. Quo audito Sancti prædicabilis viri præcepto, LVGNEVS, nihil moratus, obſecundans, depoſitis excepta veſtimentis tunica, immittit ſe in aquas. Sed belua, quæ prius non tam ſatiata, quàm in præda accenſa in profundo fluminis latitabat, ſentiens, eo nante, turbatam ſupra aquam, ſubitò emergens natatalis ad hominē in medio natantem alueo cum ingenti fremitu aperto occurrit ore.

Vir tum beatus videns, omnibus, qui inerant, tàm barbaris, quàm etiam fratribus, nimio terrore perculſis, cum ſalutare deuota manu in vacuo & in aere CRVCIS pinxiſſet SIGNVM, inuocato Dei nomine, feroci imperauit beſtiæ, dicens: Nolis vltra progredi, nec hominem tangas, retro citius reuertere. Tum beſtia hac Sancti audita voce retrorſum, ac ſi funibus retraheretur: velociore curſu fugit tremefacta; quæ prius LVGNEO nanti eò vſque appropinquauit, vt inter hominem & beſtiam non amplius eſſet, quàm vnius contuli longitudo. Fratres tum receſſiſſe videntes beſtiam, LVGNEVMque commilitonem ad eos intactum & incolumem in nauicula reuerſum, cum ingenti admiratione glorificauerunt DEVM in beato viro. Sed & gentiles barbari, qui ad præſens inerant, eiuſdem miraculi magnitudine, quod & ipſi viderant, compulſi, DEVM magnificauerunt CHRISTIANORVM.

Illo

Digitized by Google

Illo in tempore quo S. COLVMBA in PICTORVM prouincia per aliquot demorabatur dies, quidam cum tota plebeius familia verbum vitę per interpretatorem Sancto prædicante viro audiens credidit, credenſq; baptizatus eſt, maritus cum marita, liberiſq;, & familiaribus. Et poſt aliquantum diecularum interuallum paucarum vnus filiorum patrisfamilias graui corruptus ægritudine, vſque ad confinia mortis, & vitæ perductus eſt. Quem cùm magi morientem vidiſſent, parentibus cum magna exprobratione cœperunt illudere, ſuoſque quaſi fortiores DEOS magnificare, CHRISTIANORVM verò tanquam infirmiori derogare. Quæ omnia cum intimarentur beato viro, zelo ſuſcitatus DEI, ad domum cum ſuis comitibus amici pergit plebei; vbi parentes nuper defunctæ prolis mœſtas celebrant exequias. Quos Sanctus valde triſtificatos videns confirmat, dictis compellat conſolatoriis, vt nullo modo de diuina omnipotentia dubitarent. cõſequẽter percõtatur, dicens, In quo hoſpitiolo corpus defuncti iacet pueri? Pater tum orbatus Sanctum ſub mœſtum deducit culmen. q. ſtatim omnẽ foris excluſam relinquens cateruam, ſolus mœſtificatus intrat habitaculum. Vbi illicò flexis genibus faciem vbertim lachrymis irrigans, CHRISTVM precatur Dominum. & poſt ingeniculationẽ ſurgens oculos couertit ad mortuum dicens, In nomine Domini IESV CHRISTI reſuſcitare, & ſta ſuper pedes tuos. Cum hac Sancti honorabili voce anima ad corpus rediit, defunctuſq; apertis reuixit oculis, cuius manum tenens Apoſtolicus homo erexit, & in ſtationem ſtabiliens ſecum domum egreſſus deducit, & parentibus rediuiuum aſſignauit. Clamor tum populi attollitur, plangor in lætationem conuertitur, DEVS CHRISTIANORVM glorificatur. 19.

Hoc noſter COLVMBA cum HELIA & HELISEO prophetis habeat ſibi commune virtutis miraculum, & cum PETRO & PAVLO & IOANNE Apoſtolis partem honoris ſimilem in defunctorum reſuſcitatione, & inter vtroſque, hoc eſt, Prophetarum & Apoſtolorũ cœtus honorificam cœleſtis patriæ ſedem, homo Propheticus & Apoſtolicus æternalem cum Chriſto, qui regnat cum Patre in vnitate Spiritus S. per omnia ſecula.

Eodem in tempore vir venerandus quandam à BROICHANO MAGO SCOTHICAM poſtulauit ſeruã, humanitatis miſeratione liberandam; quam cum ille duro valde & ſtolido retentaret animo, Sanctus ad eum locutus, hoc profatur, Modo ſcito BROICHANE ſcito, 20.

 quia

quia ſi mihi hanc peregrinam liberare captiuam nolueris, priuſquã de hac reuertar prouincia, citius morieris. Et hoc coram BRVDEO REGE dicens, domum egreſſus regiam, ad NESAM venit fluuium: de quo videlicet fluuio lapidem attollens candidum ad comites, Signate, ait, hunc candidum lapidem, per quem Dominus in hoc gentili populo multas ægrotorum perficiet ſanitates. Et hoc effatus verbum cõſequenter intulit, inquiens, Nunc BROICHANVS fortiter concuſſus eſt. Nam Angelus de cœlo miſſus, grauiter illum percutiens, vitream in manu eius, de qua bibebat, confregit in multa fragmenta; ipſum verò anhelantem ægra reliquit ſuſpiria, morti vicinum. Hoc in loco paululum expectemus binos Regis nuntios ad nos celeriter miſſos, vt BROICHANO morienti citius ſubueniamus. Nunc BROICHANVS formidabiliter correptus ancillam liberare eſt paratus.

Adhuc Sancto hæc loquente verba, ecce ſicuti prædixerat, duo à Rege miſſi equites adueniunt, omnia quæ in Regis *motiõe de BROICHANO iuxta Sancti vaticinium ſunt acta, enarrantes, & de poculi confractione, de BROICHANO iuxta, & de Magi correptione, de ſeruulæ parata abſolutione; hocque intulerunt, dicentes: Rex & eius familiares nos ad te miſerunt, vt nutritio eius BROICHANO ſubuenias mox morituro.

*motione.

Quibus auditis Legatorum verbis Sanctus binos de comitum numero ad Regem cum lapide à ſe benedicto mittit, dicens, Si in primis promiſerit ſe BROICHANVS famulam liberaturum, tum deinde hic lapillus intinguatur in aqua; & ſic de eo bibat, & continuò ſalutẽ recuperabit. Si vero renuerit refragans abſolui ſeruam, ſtatim morietur.

Duo miſſi verbo Sancti obſequentes ad aulam deueniunt regiam, verba viri venerabiliter enarrantes Regi. quibus intimatis Regi & nutritio eius BROICHANO, valdè expauerunt. Eadem hora liberata famula Sancti Legatis viri aſſignatur, lapis in aquam intingitur, mirumque in modum lapis contra naturam in aquis ſupernatat, quaſi pomum, vel nux; nec potuit Sancti benedictio viri ſubmergi: de quo BROICHANVS natãte bibens lapide, ſtatim à vicina rediit morte, integramq; carnis recuperauit ſalutem. Talis verò lapis poſtea in theſauris Regis reconditus, multas in populo ægritudinum ſanitates ſimiliter in aqua natans intinctus, Domino miſerante effecit.

Mirum dictu, ab his ægrotis, quorum vitæ terminus ſuperuenerat, requiſitus idem lapis nullo modo reperiri poterat. ſic & in die obitus BRVDEI Regis quærebatur, nec tamen in eodem loco, vbi fuerat reconditus prius, inueniebatur.

Poſt

Digitized by Google

Poſt ſupra memorata peracta quadam die BROICHANVS ad 21
Sanctum proloquens virum, infit: Dicito mihi COLVMBA, quo tempore cupis enauigare. Sanctus, Tertia, ait, die, DEO volente, & vita comite, nauigationem proponimus incipere. BROICHANVS è contra, Non poteris, ait, nam ego ventum tibi cõtrarium facere, caliginemq; vmbroſam ſuperinducere poſſum. Sanctus, Omnipotentia DEI, ait, omnium dominatur, in cuius nomine omnes noſtri motus ipſo gubernante diriguntur. Quid plura? Sanctus eadem die, ſicut propoſuit, ad lacum fluminis NISÆ longum multa proſequente caterua, venit: Magi verò gaudere tum cœpêre, magnam videntes ſuperinductam caliginem, & contrarium cum tempeſtate flatum. Nec mirum hæc interdum arte Dæmonum poſſe fieri, DEO permittente, vt etiam venti & æquora in aſperius concitentur. Sic enim aliquando Dæmoniorum legiones ſancto GERMANO EPISCOPO de SINV GALLICO cauſa humanæ ſalutis ad BRITANNIAM nauigãti medio in æquore occurrerãt; & opponentes pericula ꝓcellas cõcitabãt, cœlumq; diéq; tenebrarum caligine obducebãt. Quæ tamẽ oĩa, ſancto orante GERMANO, dicto citius ſedata deterſâ ceſſarunt caligine. Noſter itaq; COLVMBA videns contra ſe elementa concitari furentia, CHRISTVM inuocat Dominum, cimbulamq; aſcendens, nautis hæſitantibus, ipſe conſtantior factus velum contra ventum iubet ſubrigi.

Quo facto, omni inſpectante turba, nauigium contra flatus mira vectũ occurrit velocitate. & poſt haud grande interuallũ venti contrarii ad itineris miniſteria cum omnium admiratione reuertũtur. Et ſic per totam illam diem flabris lenibus ſecundi flantibus beati cimba viri optatum prouecta ad portum pulſa eſt. Perpendat itaq; lector, quantus, & qualis idem vir venerandus fuerit; in quo DEVS omnipotens talibus præſcriptis miraculorũ virtutibus coram plebe gẽtilica inluſtre ſuum manifeſtauit nomen.

Alio in tempore, hoc eſt, in prima Sancti fatigatione itineris ad 22
Regem BRVDEVM, caſu contigit, vt idem REX faſtu elatus regio ſuæ munitionis ſuperbè agens, in primo beati aduentu viri, non aperiret portas. quod vt cognouit homo DEI cum comitibus ad valuas portarum accedens, primum DOMINICÆ CRVCIS imprimens SIGNVM; tum deinde manum pulſans contra oſtia ponit. quæ continuò ſpontè retro retruſis fortiter ſeris cum omni celeritate aperta eſt. quibus ſtatim apertis, Sanctus conſequenter cum ſuis ſociis intrauit. Quo cognito REX cum ſenatu valdè pertime-

ſcens, domum egreſſus obuiam cum veneratione beato pergit viro, pacificiſque verbis blandè admodum compellat, & ex ea in poſterum die ſanctum & venerabilem virum idem regnator ſuæ omnibus vitæ reliquis diebus valde magna honorauit, vt decuit, honorificentia.

23. Alio itidem in tempore vir beatus aliquantis in SCOTHIA verſatus ad viſitandos fratres, qui in MONASTERIO DIVINI RVRIS commanebant Riuulorũ ab eis inuitatus perrexit; ſed caſu aliquo accidit, vt eo ad Eccleſiam accedẽte claues non reperirẽtur Oratorii. Cum verò Sanctus de non repertis adhuc clauibus, & obſeratis foribus inter ſe conquirentes alios audiſſet, ipſe ad oſtium appropinquans, Potens eſt Dominus, ait, domum ſuam etiam ſine clauibus ſeruis ſuis aperire. Cum hac tum voce ſubito retrò retruſis forti motu peſſulis, ſpontè aperta ianua Sanctus cum omnium admiratione ad Eccleſiam ante omnes ingreditur, & hoſpitaliter à fratribus ſuſceptus honorabiliter ab omnibus veneratur.

24. Alio in tempore quidam ad Sanctum plebeius venit pauperrimus, qui in ea habitabat regione, quæ ſtagni littoribus aporici eſt contermina. Huic ergò miſerabili viro, qui vnde maritam, & paruulos cibaret, non habebat, vir beatus petenti miſeratus, vt potuit, quandam largitus eleemoſynam, ait, Miſelle homuncio, tolle de ſylua contulum vicina, & ad me citius defer. Obſecundans miſer iuxta Sancti iuſſionem detulit materiam; quam Sanctus excipiens in veru exacuit, quodq; propria exacuminans manu benedicens, & illi adſignans inopi dixit: Hoc veru diligenter cuſtodi, quod, vt credo, nec homini, nec alicui pecori nocere poterit, exceptis feris beſtiis quoq; & piſcibus. Et quamdiu talem habueris ſudem, nunquam in domo tua ceruinæ carnis cibatio abundans deerit. Quod audiens miſer mendiculus valdè gauiſus, domum reuertitur, veruq; in remotis terræ infixo locis, quæ ſylueſtres frequentabant feræ, & vicina tranſacta nocte mane primo pergit reuiſitare volens veru, in quo miræ magnitudinis ceruum cecidiſſe repperit, tranſmiſſum. Quid plura? Nulla, vt nobis traditum eſt, tranſire poterat dies, qua non aut ceruum, aut ceruam, aut aliquam reperiret in veru infixo cecidiſſe beſtiam. repleta quoque tota de ferinis carnibus domo, vicinis ſuperflua vendebat, quæ hoſpitium ſuæ domus capere non poterant.

Sed tamen diaboli inuidia per ſociam, vt Adam, & hunc etiam miſerum inuenit; quæ non quaſi prudens, ſed fatua taliter ad maritum

ritum locuta eſt: Tolle de terra veru. Nam ſi in eo homines, aut etiam pecora perierint, tu & ipſe, & ego cum liberis noſtris aut occidemur, aut captiui ducemur. Ad hæc maritus inquit: Non ita fiet. Nam ſanctus vir mihi benedicens ſudem dixit; quod nunquam hominibus, aut etiam pecoribus nocebit. Poſt hæc verba mendicus vxori conſentiens, pergit, & tollit de terra veru intra domum quaſi amans illud ſecus parietem poſuit, in quo mox domeſticus eius incidens canis diſperiit. Quo pereunte, rurſum marita: Vnus, ait, filiorum tuorum incidet in ſudem, & peribit. Quo audito eius verbo maritus veru de pariete remouens ad ſyluam reportat, & in denſioribus infixit dumis, vt putabat, vbi à nullo poſſet, animante offendi: ſed poſtera reuerſus die capream in eo cecidiſſe & periiſſe reperit. Inde quoque illud remouens in fluuio, qui Latinè poteſt dici NIGRA DEA, iuxta ripam ſub aquis abſcondens infixit. Quod alia reuiſitans die Eſocen in eo miræ magnitudinis transfixum, & retentum inuenit, quem de flumine eleuans vix ſolus ad domum reportare poterat: veruque ſecum de aqua ſimul reportans extrinſecus in ſuperiore tecti affixit loco, in quo & coruus de volatus impetu lapſus diſperiit iugulatus.

Quo facto, miſer fatuæ conſilio coniugis deprauatus veru tollens de tecto aſſumpta ſecuri in plures concidens particulas, in ignem proiecit, & poſtea quaſi ſuæ paupertatis amiſſo non mediocri ſolatio, remendicare, vt meritus, cœpit. Quod videlicet penuriæ rerum ſolamen ſæpè ſuperius in veru memorato dependebat, quod pro pedicis, & retibus, & omni venationis & piſcationis genere ſeruatum poſſet ſufficere, beati viri donatum benedictione. quodq; amiſſum miſer plebeius eo ditatus pro tempore ipſe cum tota familiola ſero licet omnibus de cetero deplanxit reliquis diebus vitæ.

Alio in tempore beati legatus viri LVGAIDVS nomine ad SCOTHIAM iuſſus nauigare proponens inter naualia nauis ſancti inſtrumenta vtrem lactarium quæſitum inueniens ſub mari, congeſtis ſuper eum non paruis lapidibus madefaciendum poſuit, veniensque ad ſanctum quod de vtre fecit, intimauit. Qui ſubridens, inquit, Vter quem, vt dicis, ſub vndis poſuiſti, hac vice, vt æſtimo, non te ad HIBERNIAM comitabitur. Cur, ait, non mecum in naui comitem eum habere potero? Sanctus, Altera, inquit, die, quod res probabit, ſcies. Itaq; LVGAIDVS mane poſtera die ad retrahẽdum de mari vtrem pergit, quem tamen ſalatia noctu ſubtraxit vnda. Quo non reperto, ad 25.

Digitized by Google

ſanctum reuerſus triſtis, flexis in terram genibus, ſuam confeſſus eſt negligentiam. Cui ſanctus, illum conſolatus, ait; Noli frater pro fragilibus cõtriſtari rebus. vter quem ſalatia ſuſtulit ad ſuum locum poſt tuum egreſſum reportabit venalia.

vinalia venalia Eadem die poſt LVGAIDI de IOVA inſula emigrationem, hora tranſacta nona ſanctus ex circumſtantibus ſic profatus, ait: Nunc ex vobis vnus ad æquor pergat, vtrem de quo LVGAIDVS querebatur, & quem ſalatia ſuſtulerat vnda, nunc venilia retrahens, in loco vnde ſubtractus eſt, repræſentauit. Quo ſancti audito verbo, quidam alacer iuuenis ad oram cucurrit Maris, repertumque vtrem, ſicut prædixerat ſanctus, curſu reuerſus concito, reportans valdè gauiſus coram ſancto cùm omnium, qui ibidem erãt, admiratione aſſignauit. In his, vt ſæpè dictum eſt, binis narrationibus ſuperius deſcriptis, quamlibet in paruis rebus, ſude videlicet & vtre, prophetiçe ſimul & virtutis miraculum comitari cernuntur. Nunc ad alia tendamus.

26. Quadam die ſanctus in IOVA commanens inſula citò à lectione ſurgens & ſubridens dicit: Nunc ad orationẽ mihi properandum, vt pro quadam miſellula deprecer DEVM fœmina, quæ nunc in HYBERNIA nomen huius inclamitans commemorat COLVMBÆ in magnis parturitionis difficillimæ torta punitionib⁹; & ideò per meã Domino de anguſtia abſolutionẽ dari ſibi ſperat: quia & mihi eſt cognationalis, de meæ matris parentela genitorẽ habens progenitũ. Hæc dicens ſanctus illius mulierculæ motus miſeratione ad Eccleſiam currit, flexiſq; genibus pro ea CHRISTVM de homine natũ exorat. Et poſt precationẽ Oratoriũ egreſſus ad fratres profatur occurrẽtes, inquiens: Nunc ꝓpicius Dominus Ieſus de muliere progenitus oportunè miſerę ſubueniens eam de anguſtiis liberauit, & proſperè prolem peperit; nec hac morietur vice. Eadẽ hora ſicuti ſanctus prophetizauit miſella fœmina nomen eius inuocãs abſoluta ſalutẽ recuperauit. Ita ab aliquib⁹ poſtea de SCOTHIA, & de eadem regione, vbi mulier inhabitabat, tranſmeantibus intimatum eſt.

27. Alio in tempore cũ vir ſanctus in RECHREA hoſpitaretur inſula, quidã plebeius ad eum veniẽs, de ſua querebatur vxore; quę, vt ipſe dicebat, odio habens eũ ad maritalẽ nullo modo admittebat concubitũ accedere. Quib⁹ auditis ſanct⁹ maritã aduocãs, in quantũ potuit eam hac de cauſa corripere cœpit, inquiens: Quare mulier tuã à te carnem abdicare conaris? Domino dicẽte: Erunt duo in carne vna. Itaq; caro tui cõiugis tua caro eſt. Quæ reſpõdens, Omnia, inq t, quęcunq; mihi ꝑceperis, ſum parata, quãlibet ſint valdè laborioſa, adimplere; excepto

vno, vt me nullo cōpellas modo in vno lecto dormire cum LVGNEO. Omnē domus curā exercere nō recuſo, aut ſi iubeas vel maria trāſire, & in aliquo puellarū monaſterio permanere. Sanctus tū ait: Nō poteſt rectè fieri, q dicis. Nā adhuc viro viuente alligata es lege viri. Quod.n. DEVS licitè cōiunxit, nefas eſt ſeparari. Et his dictis cōſequēter intulit: Hac in die tres, hoc eſt, ego, & maritus cū cōiuge ieiunantes Dominū precemur. Illa dehinc; Scio, ait, quia tibi impoſſibile nō erit, vt ea q̄ vel difficilia, vel etiā impoſſibilia videtur, à Deo impetrata donētur. Quid plura? marita eadē die cū ſancto ieiunare cōſentit, & maritus ſimiliter. noctēq; ſubſequēte ſanctus inſomnis ꝓ eis deprecatus eſt. poſteraque die ſanctus maritā p̄ſente ſic compellat marito: O fœmina, ſi, vt heſterna dicebas die, parata hodie es ad feminarū emigrare monaſteriolū? Illa, Nunc, inqt, cognoui, quia tua à DEO de me eſt exaudita oratio. Nā quē heri oderā, hodie amo. cor enim meū hac nocte p̄terita, quonam modo ignoro, in me immutatū eſt de odio in amorē. Quid moramur? Ab eadē die vſq; ad diem obitus anima eiuſdē maritæ indiſſociabiliter in amore conglutinata eſt mariti, vt illa maritalis concubitus debita, quæ prius reddere renuebat, nullo modo deinceps recuſaret.

Alio in tempore CORMACVS Chriſti miles, de quo in primo huius opuſculi libello breuiter aliqua cōmemorauim⁹, pauca etiam ſecunda vice, conat⁹ eſt heremū in Oceano q̄rere, qui poſtquā à terris infinitū Oceanū plenis enauigauit velis. Iiſdē diebus ſanctus COLVMBA cùm vltra dorſum moraretur BRITANNIÆ, BRVDEO rege p̄ſente ORDACŪ Regulo cōmendauit, dicēs: Aliq ex noſtris nuper emigrauerūt, deſertū in pelago intranſmeabili inuenire optantes, q ſi forte poſt longos circuit⁹ ORCADAS deuenerint inſulas, huic Regulo cui⁹ obſides in manu tua ſunt, diligēter commenda, ne aliqd aduerſi intra terminos eius cōtra eos fiat. Hoc verò ſanct⁹ ita dicebat: quia in ſpiritu p̄cognouit, q poſt aliquot mēſes idē CORMACVS eſſet ad ORCADAS venturus. Quod ita poſtea euenit, & propter ſupra dictam ſancti viri commendationē de morte in ORCADIBVS liberatus eſt vicina. 28.

Poſt aliquantum paucorū interuallū menſium cū ſanctus in Ioua cōmoraretur inſula, quadā die corā eo eiuſdē CORMACI mētio ab aliquibus ſubitò oboritur ſermocinātibus, & taliter dicentib⁹: Quomodo CORMACI nauigatio proſperè an non prouenit, adhuc neſcitur. Quo audito verbo ſanctus hac profatur voce dicens: CORMACVM, de quo nunc loquimur, hodie mox peruenientem videbitis. Et poſt quaſi vnius horæ interuentum, mirum dictu, & ecce inopinatò CORMACVS ſuperueniens Oratorium cum omnium admiratione & gratiarū ingreditur actione. Et qa de hui⁹ CORMACI ſecūda nauigatione beati

Digitized by Google

prophetationem breuiter intulimus viri, nunc & tertia æquè prophetica eius ſcientia aliqua deſcribenda ſunt verba.

29. Dum idem CORMACVS tertia in Oceano mari fatigaretur vice, vſq; ad mortẽ periclitari cœpit. Nám cùm nauis eius à terris per quatuordecim æſtiui temporis dies totidemq; noctes plenis velis, auſtro flante vento ad ſeptentrionalem plagã cœli directo excurreret curſu, eiuſmodi nauigatio vltra humani excurſus modũ & inremeabilis videbatur. Vnde contigit, vt poſt decimã eiuſdẽ quarti & decimi horam diei quidã penè inſuſtẽtabiles vndiq;, & valdè formidabiles conſurgerent terrores. Quædã quippe in id temporis inuiſæ mare obtegentes occurrerant tetræ & infeſtæ nimis beſtiolæ, quæ horribili impetu carinam & latera, puppimq;, & proram ita fortiter feriebant percuſſura, vt pellicium tectum nauis putarentur penetrare poſſe; quæ, vt hi, qui inerant ibidem poſtea narrarunt, prope magnitudine ranarum, aculeis permoleſtę, non tamen volatiles, ſed natatiles erant. ſed & remorũ infeſtabant palmulas. Quibus viſis inter cetera monſtra, quæ non huius eſt temporis enarrare, CORMACVS cum nautis comitibus valdè turbati, & pertimeſcentes, DEVM, qui eſt in anguſtiis pius & oportunus auxiliator, inlachrymati precantur.

Eadem hora & ſanctus noſter COLVMBA, quamlibet longè abſens corpore, ſpiritu tamẽ præſens, in naui cum CORMACO erat. Vnde eodem momento perſonante ſigno fratres ad Oratorium conuocãs, & Eccleſiam intrans, adſtantibus ſic more ſibi conſueto prophetizãs profatur, dicens: Fratres tota intentione pro CORMACO orate, q nunc humanæ diſcurſionis limitem immoderatè nauigando exceſſit, nunc quaſdam monſtruoſas ante non viſas penè indicibiles patitur horrificas perturbationes. Itaque noſtris commembribus in periculo intolerabili conſtitutis mente compati debemus fratribus, & Dominum exorare cum eis. Ecce enim nunc CORMACVS cum ſuis nautis faciem lachrymis irrigans vbertim Chriſtum intentius precatur. nos ipſum orando adiuuemus, vt Auſtrum flantẽ ventum vſque hodie per quatuordecim dies noſtri miſeratus in Aquilonem conuertat; qui videlicet Aquiloneus ventus nauem CORMACI de periculis retrahebat.

Et hæc dicens flexis genibus flebili cũ voce ante altariũ omnipotentiã Domini ventorum & cunctarũ gubernatricem precatur rerũ. Et poſt orationẽ cito ſurgit, & abſtinens lachrimas gaudenter grates Deo agit, dicens: Nũc fratres noſtris cõgratulemur, ꝑ quibus oramus caris; quia Dominus nunc Auſtrum in Aquilonarẽ conuertit flatum

noſtros

noſtros de periculis commembres retrahentem, quos huc ad nos iterum reducet. Et continuò cum eius voce Auſter ceſſauit ventus, & inſpirauit Aquiloneus.

Per multos poſt dies & nauis CORMACI ad terras reducta eſt, & peruenit CORMACVS ad ſanctum COLVMBAM, & ſe, donante DEO, facie ad faciē cum ingenti omnium admiratione repræſentauit, & non mediocri lætatione. Perpendat itaque Lector quantus & qualis idem vir beatus fuerit, qui talem Propheticam habens ſcientiam ventis & Oceano CHRISTI inuocato nomine potuit imperare.

Alio in tempore cum in SCOTHIA per aliquot dies ſanctus conuerſaretur, aliquibus eccleſiaſticis vtilitatibus coactus, currum, ab eo 30.
prius benedictum, aſcendit iunctum, ſed non inſertis primò, qua neſcio negligentia accedente, neceſſariis obicibus per axionum extrema foramina. Eadem autem erat diecula COLVMBANVS filius ECHVDI vir ſanctus illius Monaſterij fundator, quod SCOTHIA vocitatur lingua SNAMLVTHIR; qui operam aurigæ in eodem curriculo cum ſancto exercebat COLVMBA. Fuit itaque talis eiusdem agitatio diei per longa viarum ſpatia ſine vlla rotarum humerulorumque ſeparatione ſiue labefactatione; nulla, vt ſupra dictum eſt, obicū retentione vel communitione retinente, ſed ſola diali ſic venerando præſtante gratia viro, vt currus, cui inſederat, ſalubriter absque vlla impeditione recta incederet orbita.

Hucusque de virtutum miraculis, quæ per prædicabilem virum in præſenti conuerſantem diuina vita operata eſt omnipotentia, ſcripſiſſe ſufficiat. Hic ſecundus de virtutum miraculis finiendus eſt liber, in quo animaduertere lector debet, quod & de compertus in eo multa propter legentium prætermiſſa ſunt faſtidium.

Explicit liber ſecundus.

INCIPIT LIBER TERTIVS DE ANGELICIS APPARITIONIBVS, & de tranſitu S. Columbæ.

IN primo, ex his tribus libellis, libro, vt ſuperius commemoratum eſt, de Propheticis reuelationibus quædam breuiter ſuccinctéq;, Domino iuuante, deſcripta ſunt. In ſecundo ſuperiore de virtutum miraculis, quæ per beatum declarata ſunt virum, & quæ, vt ſæpè dictum eſt, plerunque prophetationis comitatur gratia. In hoc vero tertio de angelicis apparitionibus, quæ vel ab iis de beato viro, vel ipſis de aliis reuelatæ ſunt. Et de his, quæ vtroque, quamlibet diſparili modo, hoc eſt, ipſi propriè & plenius, aliis vero impropriè, & ex quadam parte ſunt manifeſtatæ, hoc eſt extrinſecus & exploratiuè: in iiſdem tamen vel angelorum vel cœleſtis viſionis locis, quæ vtique talium deſcriptarum viſionum ſuis caraxatæ locis inferius] clarebunt.

Sed nunc à primordiis beati Natiuitatis viri eaſdem deſcribere angelicas apparitiones incipiamus. Angelus Domini in ſomnis Genitrici venerabilis viri quadam inter conceptum eius & partum apparuit, eique quaſi quoddam miræ pulchritudinis peplum aſſiſtens detulit, in quo veluti vniuerſorum decoloroſi colores florum depicti videbantur; quodque poſt aliquod breue interuallum eius de manibus repoſcens abſtulit, eleuanſque & expandens in aëre dimiſit vacuo.

Illa verò de illo triſtificata ſublato, ſic ad illum venerandi habitus virum. Cur à me, ait, hoc lætificum tam citò abſtrahis pallium? Ille conſequenter, Idcirco, inquit, quia hoc ſagum tam magnifici honoris alicuius eſt, quod apud te diutius retinere non poteris. His dictis ſupra memoratum peplum mulier paulatim à ſe elongari volando videbat, camporumq; latitudinem in maius creſcendo excedere, monteſque & ſaltus maiore ſui menſura ſuperare; vocemque huiuſcemodi ſubſecutam audierat. Mulier nolis triſtificari. Viro enim cui matrimonali es iuncta fœdere, talem filium editura es floridum, qui quaſi vnus Prophetarum DEI, inter ipſos connumerabi-

rabitur, innumerabiliumque animarum Dux ad cœleſtem à Deo patriam eſt prædeſtinatus. In hac audita voce mulier expergiſcitur.

Alia in nocte eiuſdem beati pueri nutritor, ſpectabilis vir vitæ, Presbyter, poſt Missam ab Ecclesia ad hoſpitiolum reuertens, totam inuenit domum clara irradiatam luce. Globum quippe igneum ſuper puerouli dormientis faciem vidit ſtantem. qui viſo ſtatim intremuit, & proſtrato in terram vultu, valdè miratus, Spiritus ſancti gratiam ſuper ſuum intellexit alumnum cœlitus effuſam. 2.

Poſt multorum interualla temporum cùm à quadam Synodo pro quibuſdam venialibus & excuſabilibus cauſis, non rectè, vt poſt in fine claruit, ſanctus excommunicaretur Columba, ad eandem contra ipſum collectam venit congregationem. quem cum eminùs appropinquantem ſanctus vidiſſet Brendenus, illius Monasterii fundator, quod Scothice Birra nuncupatur, citius ſurgit; & inclinata facie eum veneratus exoſculatur. Quem cùm aliqui illius ſeniores cœtus ſeorſum ceteris redarguerent ſermotim dicentes, Quare coram excommunicato ſurgere, & eum oſculari non reuereris? Taliter ad eos inquiens, Si vos, ait, videretis ea, quæ mihi Dominus hac in die de hoc ſuo, quem dehonoratis, electo manifeſtare non dedignatus eſt, nunquam excommunicaſſetis, quem Dominus non ſolum ſecundum veſtram non rectam ſententiam nullo modo excommunicat, ſed & magis & magis magnificat. Illi è contra, Quomodo, aiunt, vt dicis, ipſum glorificat Devs, quem nos non ſine cauſa excommunicauimus, ſcire cupimus. Ignicomam vel valdè luminoſam, ait Brendenvs, columnam vidi, eundem quem vos deſpicitis, antecedentem Dei hominem, Angelos quoque ſanctos per campum eius itineris comites. Hunc itaque ſpernere non audeo, quem populorum Ducem ad vitam à Deo præordinatum video. His ab eo dictis non tantum vltra ſanctum excommunicare non auſi, ceſſarunt; ſed & valdè venerati honorarunt. 3.

Alio in tempore vir ſanctus venerandum Episcopvm Finnionem, ſuum videlicet Magiſtrum iuuenis ſenem adiit. quem cum ſanctus Finnio ad ſe adpropinquantem vidiſſet, Angelum Domini pariter eius comitem itineris vidit. Et, vt 4.

nobis ab expertis traditur, quibusdam adſtantibus intimauit fratribus, dicens: Ecce nunc videtis ſanctum aduenientem COLVMBAM, qui ſui commeatus meruit habere ſocium angelum cœlicolam.

Iisdem diebus ſanctus cum duodecim cōmilitonibus diſcipulis BRITANNIAM transnauigauit.

Alio in tempore cum vir prædicabilis in HIMBRIA commoraretur Inſula, quadam nocte in extaſi mentis Angelum Domini ad ſe miſſum vidit, qui in manu VITREVM ORDINATIONIS REGVM habebat LIBRVM. quem cum vir venerandus de manu ANGELI accepiſſet ab eo iuſſus legere cœpit. Qui cum ſecundum, quod ei in libro erat commendatum AIDANVM in REGEM ordinare recuſaret; quia magis IOGENANVM fratrem eius diligeret; ſubito angelus extendens manum, ſanctum percuſſit flagello: cuius liuoroſum in eius latere veſtigium omnibus ſuæ diebus permanſit vitæ; hocquè intulit verbum: Pro certo ſcias, inquiens, quia ad te à DEO miſſus ſum, cum vitreo libro, vt iuxta verba, quæ in eo legiſti, AIDANVM in regnum ordines. Quod ſi obſecundare huic nolueris iuſſioni, percutiam te iterato.

Hic itaquè ANGELVS DOMINI cùm per tres continuas noctes eundem in manu vitreum habens codicem apparuiſſet, eademquè Domini iuſſa de Regis èiusdem ordinatione commendaſſet; ſanctus verbo obſecutus Domini, ad IOVAM transnauigauit Inſulam, ibidemquè AIDANVM iisdem aduentantem diebus in REGEM, ſicut iuſſus erat, ordinauit, & inter ordinationis verba de filiis & nepotibus, pronepotibusquè eius futura Prophetizauit: imponensquè manum ſuper caput eius ordinans benedixit.

NB. Cummeneus Albus ſcripſit librum de S. Columba.

CVMMENEVS ALBVS in libro quem de virtutibus ſancti COLVMBÆ ſcripſit, ſic dixit. quod ſanctus COLVMBA de AIDANO, & de poſteris eius, & de regno ſuo Prophetare cœpit dicens: Indubitanter credo, ô AIDANE, quod nullus Aduerſariorum tuorum tibi poterit reſiſtere; donec prius fraudulentiam agas in me, & in poſteros meos. Propterea ergo tu filiis commendent, vt & ipſi filiis, & nepotibus, & poſteris ſuis commendet, ne per conſilia mala eorum ſceptrum Regni huius de manibus ſuis perdant. In quocunque enim tempore malum aduerſum

ſum me, aut aduerſus cognatos meos, qui ſunt in HIBERNIA fecerint, flagellum, quod cauſa tui ab Angelo ſuſtinui, per manum DEI ſuper eos in magnum flagitium vertetur, & cor virorum auferetur ab eis, & inimici eorum vehementer ſuper eos confortabuntur. Hoc autem vaticinium temporibus noſtris completum eſt in BELLOROTH DOMNALLO BRECCO nepote AIDANI, ſine cauſa vaſtante prouinciam Domnail nepotis AMVREG. Et à die illa vſque hodie adhuc in procliuo ſunt ab extraneis, quod ſuſpiria doloris pectori incutit.

Alio in tempore cum vir ſanctus in IOVA conuerſaretur Inſula, quidam de ſuis Monachus BRITTO, bonis actibus intentus, moleſtia correptus corporis, ad extrema perductus eſt; quem cum vir venerandus in hora ſui viſitaret exitus, pauliſper ad eius lectum aſſidens, & ei benedicens, ocius domum egreditur, nolens videre morientem. Qui eodem memento poſt ſancti de domo receſſum viri, præſentem finiuit vitam. 6.

Tum vir prædicabilis in plateola ſui deambulans Monaſterij, porrectis ad cœlum oculis, diutius valdè obſtupeſcens admirabatur. Quidam verò frater AIDANVS nomine, bonæ indolis, & religioſus homo, qui ſolus de fratribus eadem affuit hora, flexis genibus rogare cœpit, vt ſanctus eidem tantæ admirationis cauſam intimaret. Cui ſanctus, Nunc ſanctos ANGELOS in aëre contra aduerſarias poteſtates belligerare vidi; CHRISTOQVE Agonothetæ gratias ago, quia victores ANGELI animam huius peregrini, qui primus apud nos in hac Inſula mortuus eſt, ad cœleſtis patriæ gaudia euexerunt. Sed hoc, quæſo, ſacramentum nemini in vita mea reueles.

Cum vir beatus adhuc Iuuenis DIACONVS in parte LAGENENSIVM diuinam addiſcens ſapientiam conuerſaretur, quadam accidit die, vt Bono quidam innocuorum immitis perſecutor crudelis quandam in campi planitie filiolam fugientem perſequeretur. quæ cum forte germanum ſenem ſupra memorati Iuuenis Diaconi Magiſtrũ in campo legentem vidiſſet, ad eum recto curſu, quanta valuit velocitate confugit. qui tali perturbatus ſubitatione COLVMBAM eminus legentem aduocat, vt ambo, in quantum valuiſſent, filiam à perſequente defenderent. Qui ſtatim ſuperueniens, nulla eis ab eo data reuerentia, filiam ſub veſtimentis eorum lancea iugulauit; & relinquens iacentem mortuam ſuper pedes eorum auerſus abire cœpit. 7.

Digitized by Google

Senex tum valdè triſtificatur conuerſus ad COLVMBAM, quanto, ait, ſancte puer COLVMBA, hoc ſcelus cum noſtra dehonoratione temporis ſpatio inultum fieri Iudex iuſtus patietur DEVS? Sanctus conſequenter hanc in ipſum ſceleratorem protulit ſententiam, dicens:

Eadem hora, qua interfectæ ab eo filiæ anima aſcendit ad cœlos, anima ipſius interfectoris deſcendet ad Inferos. Et dicto citius cum verbo, ſicut ANANIAS coram PETRO, ſic & ille innocentium iugulator coram oculis ſancti Iuuenis in eadem mortuus cecidit terrula, cuius rumor ſubitæ & formidabilis vindictæ continuò per multas SCOTHIÆ prouincias cum mira ſancti Diaconi fama diuulgatus eſt.

8\. Alio in tempore vir beatus cum in SICIA Inſula aliquantis demoraretur diebus, paulo longius ſolus orationis intuitu ſeparatus à fratribus, ſyluam ingreſſus denſam, miræ magnitudinis aprum, quem forte venatici canes perſequebantur, obuium habuit. Quo viſo eminus ſanctus aſpiciens eum reſtitit. Tum deindè inuocato DEI nomine, ſancta eleuata manu, cum intenta dicit ad eum oratione, vlterius huc procedere nolis: in loco ad quem nunc deueniſti morere. Quo ſancti in ſyluis perſonante verbo, non ſolum vltra accedere non valuit, ſed antè faciem ipſius terribilis ferus verbi eius virtute mortificatus citò corruit.

9\. Alio in tempore cum prædicabilis viri SCOTHIALES ſtrenui piſcatores quinos in rete piſces cepiſſent in fluuio SALE piſcoſo; ſanctus ad eos iteratò ait, Rete in flumen iniicite, & ſtatim inuenietis grandem, quem mihi Dominus præparauit piſcem. Qui verbo ſancti obtemperantes, miræ magnitudinis traxerunt in retiaculo CHOCEM à DEO ſibi præparatum,

10\. Quadam die quidam bonæ indolis Iuuenis LVGNEVS nomine, qui poſtea ſenex in Monaſterio Inſulæ HELENÆ præpoſitus erat, ad ſanctum veniens queritur de fluuio ſanguinis, qui crebro per multos Menſes de naribus eius inmoderatè profluebat: quo proprius accito ſanctus ambas ipſius nares binis manus dexteræ digitis conſtringens benedixit. ex qua hora benedictionis nunquam ſanguis de naſo eius vſque ad extremum diſtillauit diem.

Alio

Digitized by Google

Alio in tempore quidam EVERNIENSIS peregrinus ad ſan- 13
ctum perueniens per aliquot apud eum Menſes in IOVA commanebat Inſula. Cui vir beatus alia die, Nunc ait quidam de prouincialibus tuis Clericus ad cœlum ab ANGELIS portatur, cuius adhuc ignoro nomen.

Frater verò hoc audiens, cœpit ſecum de prouincia perſcrutari anteriorum, & de illius beati hominis vocabulo, hocque conſequenter intulit verbum inquiens, Alium CHRISTI commilitonem ſcio, qui ſibi in eodem territorio, in quo & ego commanebam, Monaſteriolum conſtruxit nomine DIORMITIVM. Cui ſanctus ait, Ipſe eſt, de quo dicis, qui nunc ab Angelis DEI in paradiſum deductus eſt.

Sed hoc etiam non negligenter adnotandum eſt, quod idē vir venerabilis multa ſibi à DEO arcana ab aliis celata ſacramenta, nullo modo in hominum noticiam prodi paſſus eſt; duabus, vt ipſe aliquādo paucis intimauerat fratribus, cauſis exiſtentibus; hoc eſt, vt iactātiam deuitaret, & ad ſemetipſum interrogandum inſuſtentabiles turbas de ſe aliqua interrogare volentes diuulgata reuelationum fama non inuitaret.

Alia die vir ſanctus in IOVA conuerſans Inſula remotiorem ab 12.
hominibus locū aptumq; ad orationem in ſaltibus quęſiuit, ibidemq; cū orare cœpiſſet, ſubito, vt ipſe poſtea paucis intimauerat fratribus, videt contra ſe tetrā & nigerrimā Dæmonū cū ferreis verub' aciē præliari. qui, ſicuti ſancto viro per ſpiritum reuelatum erat, Monaſterium eius inuadere, & multos & ex fratribus iiſdē volebant iugulare ſudibus. Ipſe vero contra tales æmulos vnus homo innumeros accepta PAVLI armatura Apoſtoli, forti conflictu dimicabat. & ita ex maiore diei parte vtrinq; dimicatum eſt, nec innumerabiles vnum vincere poterant. nec eos vnus de ſua valebat Inſula repellere; donec Angeli DEI, vt ſanctus poſt quibusdam non multis retulerat, in adminiculum adfuêre, quorum timore perturbati Dæmones loco ceſſêre.

Eademq; die ſanctus ad Monaſterium poſt Dęmoniorū reuerſus de ſua Inſula effugationem, hoc de eisdem turmis hoſtilibus verbum profatur, inquiens, Illi exitiabiles æmuli, qui hac die de huius terrulæ, DEO propitio, regione ANGELIS nobis ſubuenientibus, ad ÆTHICAM fugati ſunt terram, ibidem ſæui inuaſores fratrum Monaſteria inuadent, & peſtilentes inferent morbos quorum moleſtia infeſtati multi morientur. Quod iiſdem diebus

iuxta

iuxta beati præſcientiam viri, ita & factum eſt. Et poſt interueniente biduo, ei reuelante ſpiritu, Bene, ait, BAITHENEVS auxiliante DEO, diſpenſauit, vt eiuſdem Eccleſiæ, cui DEO auctore præeſt in CAMPO LVNGE, ieiuniis & orationibus collectio à Dæmonum defendatur inuaſione; vbi nemo, excepto vno, qui mortuus eſt, hac vice morietur. Quod ita iuxta vaticinium eius expletum eſt. Nam cum multi in ceteris eiuſdem Inſulæ Monaſteriis eodem morbo morerentur, nemo niſi vnus de quo ſanctus dixit, apud BAITHENEVM in ſua eſt mortuus congregatione.

13. Quidam faber ferrarius in mediterranea SCOTHIÆ habitabat parte, eleemoſynarum operibus ſatis intentus, & ceteris Iuſtitiæ actibus plenus, hic cùm ad extrema in bona ſenectute perduceretur, ſupra memoratus COLVMBVS, eadem hora, qua de corpore eductus eſt ſanctus COLVMBA, in IOVA commanens Inſula, paucis ſe circumſtantibus ſic profatus ſenioribus COLVMBVS, ait, Faber ferrarius, non in caſſum laborauit, qui de propria manuum laboratione ſuarum præmia emax felix comparauit æterna. Ecce enim nunc anima eius à ſanctis vehitur ANGELIS ad cœleſtis patriæ gaudia. Nam quodcunque de ſuæ artis negotiatione acquirere potuit, in egenorum eleemoſynas expendit.

14. Alio itidem tempore vir ſanctus in IOVA conuerſans Inſula, quadam die ſubito oculos ad cœlum dirigens hæc profatus eſt verba: Felix mulier, felix, benè morata, cuius animam nunc ANGELI DEI ad paradiſum euehunt. Erat autem quidam religioſus frater GENEREVS nomine, Saxo piſtor opus piſtorum exercens, qui hoc audierat verbum ex ore ſancti prolatum; eademque die Menſis eodem terminato anno ſanctus eidem GENEREO SAXONI, Miram rem video, ait. Ecce mulier de qua, te præſente, præterito dixeram anno, nunc mariti ſui religioſi cuiuſdam plebei in aëre obuiauit animæ, & cum ſanctis ANGELIS contra æmulas pro ea belligerat poteſtates, quorum adminiculo eiuſdem homuncionis Iuſtitia ſuffragante à Dæmonum belligerationibus erepta ad æternæ refrigerationis locum anima ipſius eſt perducta.

15. Alia itidem die dum vir venerandus in IOVA conuerſaretur Inſula, manè primo ſuum aduocat ſæpe memoratum miniſtratorem DIORMITIVM nomine, eique præcepit, inquiens, SACRA celeriter EVCHARISTIÆ MINISTERIA præparentur. hodie enim Natalis beati BRENDINI eſt dies. Quare, ait miniſter, talia MISSARVM ſolemnia

hodier-

hodierna præparari præcipis die? Nullus enim ad nos de SCOTHIA ſancti illius viri obitus peruenit Nuntius. Vade tu, ait ſanctus, meæ obſecundare iuſſioni debes. Hac enim nocte præterita vidi ſubitò apertum cœlum, angelorumque choros ſancti BRENDINI animæ obuios deſcendere, quorum luminoſa & incõparabili claritudine totus eadem hora illuſtratus eſt Mundi orbis.

Quadam itidem die cum fratres ſe calciantes manè ad diuerſa Monaſterij opera ire præpararent, ſanctus è contra ea die otiari præcepit SACRÆQVE OBLATIONIS OBSEQVIA præparari, & aliquam quaſi in DOMINICO prandioli adiectionem fieri. Meq;, ait, hodie quãlibet indignus ſim, ob veneratione͂ illius animæ, quę hac in nocte inter ſanctos ANGELORVM choros vecta vltra ſyderea cœlorũ ſpatia ad Paradiſum aſcendit, SACRA oportet EVCHARISTIÆ celebrare MYSTERIA. 16.

Et his dictis fratres obſequuntur, & iuxta ſancti iuſſionem eadem die otiantur, præparatisq; SACRIS ad Eccleſiã miniſteriis, quaſi die ſollemni, albati cum ſancto pergunt. Sed forte cùm inter alia cum modulatione officia illa conſueta decantarent, deprecatio, in qua S. MARTINI cõmemoraretur nomen; ſubitò ſanctus ad cantores eiuſde͂ onomatis ad locum peruenientes, Hodie, ait, pro S. COLVMBANO EPISCOPO decantare debetis. Tunc omnes, qui inerant fratres intellexêre, quod COLVMBANVS EPISCOPVS LAGINENSIS carus COLVMBÆ amicus ad DOMINVM emigrauit. Et poſt alicuius temporis interuallum aliqui de LAGENEA commeantès prouincia, ea nocte eundem obiiſſe nuntiant EPISCOPVM, qua ſancto ita reuelatum eſt.

Alio in tempore vir ſanctus cum in IOVA couerſaretur Inſula, quadam ſubitatione incitatus, ſigno perſonante, collectis fratribus, Nunc, ait, oratione Monachis Abbatis CONGELLI auxiliemur; hac in hora in STAGNO demerſis VITVLI. Ecce enim hoc momento in aëre contra aduerſarias belligerant poteſtates, animam alicuius hoſpitis cum eis dimerſi eripere conantes. Tum poſt lachymoſam & intentam orationem citò ante altarium ſurgens inter fratres pariter in oratione proſtratos, lætificato vultu, CHRISTO, ait, gratias agite; nunc enim ſancti ANGELI ſanctis obuiantes animabus, & ipſum hoſpitem ereptum à Dæmonum belligerationibus, quaſi victoriales liberarunt belligeratores. 17.

Alio in tempore vir ſanctus vltra BRITANNIÆ dorſum iter agens ſecus NISÆ fluminis lacum ſubitò inſpiratus SPIRITV SANCTO, 18.

 ad

Digitized by Google

ad fratres pariter commeantes, Properemus, ait, ſanctis obuiam Angelis, qui de ſummis cœli regionibus ad perferendam alicuius gentilici animam emiſſi. Nos illuc vſque peruenientes exſpectant, vt ipſum naturale bonum, per totam vitam vſque ad extremam ſenectutem conſeruantem, priuſquam moriatur oportunè baptizemus. Et hæc dicens ſanctus ſenex in quantum potuit comites feſtinus præcedebat, donec in illum agrum deuenit, ibidemque quidam repertus ſenex ENICHATVS nomine, audiens à ſancto verbum DEI prædicatum; & credens eſt baptizatus.

19. Alio in tempore vir ſanctus cũ in tuguriolo ſuo ſcribens ſederet, ſubito eius immutata facies, & hanc puro de pectore promit vocem, dicens, Auxiliare, auxiliare. Duo verò fratres ad ianuam ſtantes; videlicet COLGVS & LVGNEVS, cauſam talis ſubitæ interrogant vocis. quibus vir venerabilis hoc reſponſum dedit, inquiens: ANGELO Domini, qui nunc inter vos ſtabat, iuſſi, vt alicui ex fratribus de ſummo culmine magnæ domus lapſo tam citò ſubueniret, quę his in diebus in ROBORETI CAMPO fabricatur. Hocque ſanctus conſequenter intulit famen, inquiens. Valdè admirabilis & pene indiciabilis eſt angelica volatus pernicitas, fulgureæ, vt æſtimo, celeritati parilis. nam ille cœlicola, qui hinc à nobis nunc illo viro labi incipiente auolauit, quaſi in ictu oculi priuſquam terram tangeret ſubueniens, eum ſubleuauit; nec vllam fracturam, aut læſuram ille qui cecidit ſentire potuit. Quàm ſtupenda hæc inquam velociſſima & oportuna ſubuentio, quæ dicto citius tantis Maris & terræ interiacentibus ſpatiis tam celerrimè effici potuit.

20. Alio item in tempore quadam die vir beatus in IOVA conuerſans Inſula fratribus congregatis cum ingenti animi aduerſione denunciauit ad eos dicens, Hodie in occidentalem noſtræ Campulum Inſulæ ſolus exire cupio. Nemo itaque ex vobis me ſequatur. Quibus obſecundantibus ſolus quidem, vt voluit, egreditur. ſed frater quidam callidus explorator alia means via in cuiusdam monticelli cacumine, qui eidem ſupereminet Campulo ſe occultè collocat, videlicet eius cauſam ſolitariæ beati egreſſionis viri explorare cupiens. Quem cum idem explorator de monticelli vertice illius in quodã Campuli colliculo ſtantẽ, & expanſis manibus ad cœlũ orãtẽ oculoſq; ad cœlũ eleuantẽ conſpiceret, mirũ dictu; & ecce ſubito res miranda apparuit. Quam idẽ ſupra memoratus homo, vt æſtimo, non

non ſine permiſſu Dei de prioris Monticelli loco oculis etiam corporalibus aſpexerat, vt nomen ſancti & eius honorificentia, quamuis ipſo nolente, ob hanc manifeſtatam viſionem poſtea magis in populis diuulgaretur. Nam ſancti Angeli cœleſtis patriæ ciues mira aduolantes ſubitatione, ſanctum Virum orantem circumſtare cœperunt induti albis veſtibus. Et poſt aliquam cum beato ſermocinationem viro illa cœleſtis caterua quaſi ſe exploratam ſentiens, ad ſumma citius repedauit cœlorum. Beatus & ipſe Vir poſt angelicum condictum reuerſus ad Monaſterium iterum collectis fratribus cum quadam non mediocri obiurgatióne inquirit, quis de illis eſſet transgreſſionis obnoxius. Quibus conſequenter ſe neſciſſe proteſtãtibus, ille conſcius ſui inexcuſabilis transgreſſus vltra non ſuſtinens delictum celare ſuum, flexis genibus in medio fratrum choro coram ſancto veniam ſupplex precatur. Quem ſanctus ſeorſum ducens ingeniculanti cum grandi commendat comminatione, vt nulli hominum de illa angelica viſione in diebus eiuſdem beati Viri aliquid, etiam parum, occultumque aperiret Poſt egreſſum verò de corpore ſancti viri illam cœleſtis cœtus apparitionem fratribus cum grandi intimauit proteſtatione. Vnde hodieque & locus illius angelici condicti, rem in eo geſtam ſuo proprio proteſtatur vocabulo, qui Latinè poteſt dici COLLICVLVS ANGELORVM, SCOTICE vero CNOC ANGEL.

Hinc itaque animaduertendum eſt, vel non negligenter perſcrutandum, quantæ & quales ad beatum virum hyemalibus plerunque noctibus inſomnem, & in locis remotioribus, aliis quieſcentibus, orantem, angelicæ fuerint & ſuaues frequentationes. quæ nullo modo venire in hominum notitiam potuêre; quæ procul dubio valdè numeroſæ fuerunt; ſi etiam quædam ex ipſis quoquo modo ab hominibus vel in die vel nocte explorari potuerint, quæ abſq; dubitatione paucæ ad earum comparationem angelicarum frequentationum, quæ videlicet à nemine ſciri poterant, Hoc idem ſimiliter de quibuſdam luminoſis manifeſtationibus adnotandum, quæ à paucis exploratę inferius caraxabuntur.

Alio in tempore quatuor ad ſanctum viſitandum COLVMBAM Monaſteriorum ſancti fundatores de SCOTHIA transmeantes in HYMBA eum inuenerunt Inſula, quorum illuſtria vocabula CONGELLVS, CAHINNECHVS, BRENDENVS, CORMACVS. Hi vno 21.

Digitized by Google

eodemq; conſenſu elegerunt, vt ſanctus COLVMBA coram ipſis in Eccleſia SACRA EVCHARISTIÆ conſecraret MYSTERIA. Qui eorũ obſecundans iuſſioni ſimul cum eis die DOMINICA ex more poſt EVANGELII lectionem, Eccleſiam ingreditur, ibidemq;, dum MISSARVM ſollemnia celebrarentur, ſanctus BRENDENVS, ſicut poſt CONGELLO & CAHINNECHO intimauit, quendam crinioſum igneum globum, & valde lumnoſum de vertice ſancti COLVMBÆ ante altare ſtantis, & SACRAM OBLATIONEM conſecrantis, tam diu ardentem, & inſtar alicuius columnæ ſurſum aſcendentem vidit, donec eadem perficerentur SACROSANCTA MYSTERIA.

22. Alio in tempore cum ſanctus vir in HYMBA comaneret Inſula, gratia ſancti ſpiraminis ſuper eum abundè & incomparabiliter effuſa, per triduum mirabiliter manſit, ita vt per tres dies totidemque noctes intra obſeratam, & repletam cœleſti claritudine domum manens, nullum ad ſe accedere permitteret; neque manducans, neque bibens. De qua videlicet domo immenſæ claritatis radij per rimulas valuarum, & clauium foramina erumpentes noctu viſebantur. Carmina quoque quædam ſpiritualia, & ante inaudita decantari ab eo audiebantur. Sed & multa quædam, vt ipſe poſt coram paucis *ad domum profeſſus eſt, occulta ab exordio Mundi arcana apertè manifeſtata videbat. Scripturarum quoq; ſacrarum obſcura quæque, & difficillima plena & luce clarius aperto mundiſſimi cordis oculis patebant, BAITHENEVMQVE alumnũ non adeſſe querebatur. Qui ſi fortè adeſſet illo in triduo vel de præteritis, vel de futuris deinceps ſeculis ab ore viri beati quædam plurima ab aliis ignorata hominibus myſteria deſcriberet; aliquantas quoque ſacrorum explanationes voluminum. Qui tamen BAITHENEVS in EGEA Inſula venti contrarietate detentus vſquequo illi trinales illius incomparabilis, & honorificæ viſitationis dies, & totidem noctes terminarentur, adeſſe non potuit.

fort. admodum.

23. Quadam hyemali nocte ſupra memoratus VIRGNOVS in DEI amore feruens, Eccleſiam orationis ſtudio aliis quieſcentibus ſolus intrat; ibidemque in quadam exedra, quæ oratorij adhærebat parieti, deuotus orabat. Et poſt aliquantum quaſi horæ vnius interuallum vir venerandus COLVMBA eandem ſacram ingreditur domũ, ſimulque cum eo aurea lux de ſumma cœli altitudine deſcendens totum illud Eccleſiæ ſpacium repleuit, ſed & illius exedriolæ ſeparatum conclaue, vbi ſe VIRGNOVS, in quantũ potuit, latitare conabatur, eiuſdem

eiuſdem cœleſtis claritas luminis per interiorem illius cubiculi ianuam, quæ ex minore patebat parte erumpens, non ſine aliquo formidabili repleuerat terrore. Et ſicut nullus æſtiuum & meridionalem ſolem rectis & inreuerberatis poteſt intueri oculis, ſic & illam cœleſtem claritudinem ille VIRGNOVS, qui viderat, ſuſtinere nullo poterat modo, quia valdè oculorum reuerberat aciem illa luminoſa & incomparabilis effuſio. Quo fulminali & incomparabili ſplendore viſo in tantum idem ſupra memoratus frater exterritus erat, vt nulla in eo virtus remaneret. Sanctus verò COLVMBA poſt non prolixa omrationem egreditur Eccleſiam, VIRGNOVMQVE valdè timoratum ad ſe craſtina aduocat die; hisq; breuibus compellat verbis conſolatoriis: Bene, ô filiole, ingeminans hac præterita nocta in conſpectu DEI placuiſti; oculos ad terram deprimendo, claritatis timore perterritus eius. Nam ſi non ita feciſſes, illa inæſtimabili obcœcarentur tui luce viſa oculi. Sed hoc non negligenter obſeruare debes, & vt talem hanc lucis manifeſtationem nemini vnquam in mea denudes vita.

Hæc itaq; prædicabilis & admirabilis res poſt beati viri tranſitum multis eodem VIRGNOO narrante innotuit. Cuius ſcilicet VIRGNOI ſororis filius COMMANVS honorabilis Preſbyter mihi ADOMNANO de hac ſupra viſione caraxata aliquando ſub teſtificatione enarrauerat, qui eam enarratam ab ore ipſius VERGNOI Abbatis & Auunculi ſui ab eo, in quantum potuit viſam audierat.

Illa itidem nocte quidam de fratribus GOLGVS nomine, cuius in primo fecimus mentionem, caſu ad ianuam Eccleſiæ, aliis dormientibus, deuenit; ibidemque aliquandiu ſtans orabat; tum proinde ſubitò totam videt Eccleſiam cœleſti luce repleri; quæ ſcilicet fulguralis lux dicto citius ab eius receſſit oculis. Sanctum verò COLVMBAM hora eadem intra Eccleſiam orantem ignorabat, poſtq; talem ſubitam luminis apparitionem valdè pertimeſcens, domum reuertitur. Poſtera die ſanctus illum aduocans aſperius obiurgauit, inquiens: De cetero præcauere debes fili, ne quaſi explorator cœleſte lumen, quod tibi non eſt donatum inſpicere coneris; quia te effugiet. Et ne alicui in meis diebus quod vidiſti enarres. 24.

Alio itidem in tempore vir beatus cuidam ſuo ſapientiam diſcenti alumno nomine BERCHANO non mediocriter quadam denunciauit die inquiens, Caueto fili ne hac ſequente nocte iuxta tuam ſemper conſuetudinem ad meum adpropinques hoſpitiolum. Qui hoc audiens contra interdictum ad domum beati viri in noctis ſilentio a- 25.

His acquieſcentibus acceſſit, callideque explorans oculos è regione ad clauium foramina poſuit, æſtimans ſcilicet, vt res probauit, aliquam intus viſionem cœleſtem ſancto manifeſtari. Nam eadem hora beati viri illud hoſpitiolum cœleſtis ſplendore claritudinis erat impletum: quam non ſuſtinens intueri transgreſſor Iuuenis ilico aufugit, quem die craſtina ſanctus ſeorſum ducens, cum magna ſeueritate obiurgans hæc ad eum profatur verba dicens: Hac in nocte fili coram DEO peccaſti, nam tuæ infitialis explorationem calliditatis à SPIRITV SANCTO celari vel abſcondi poſſe inaniter putaſti. Nonne ad mei oſtium hoſpitioli te illa hora appropinquantem, & indè redeuntem vidi? Et niſi ego eodem momento pro te orarem, ibidem antè ianuam aut cadens morereris, aut tui de ſuis foraminibus oculi eruerentur. Sed tibi hac vice propter me Dominus pepercit. Et hoc ſcito, quòd in tua HYBERNALI patria luxurioſè viuens exprobrationem facies tua omnibus patietur diebus vitæ tuæ. Hoc tamen à Domino orans impetraui, vt quia noſter ſis alumnus lachrymoſam ante exitum agas pœnitudinem, & à DEO miſericordiam conſequens. Quæ omnia ſecundum verbum beati viri ita ei poſtea contigerunt ſicuti de eo Prophetata ſunt.

26. Alio in tempore dum vir beatus in IOVA commaneret Inſula quadam die ſancta facies eius ſubita mirifica & lætifica hilaritate effloruit, oculoſque ad cœlum eleuans incomparabili repletus gaudio valdè lætificabatur. Tum poſt modicum alicuius momenti interuallum illa ſapida & ſuauis lætificatio in mœſtam conuertitur triſtificationem. Duo verò viri, qui eadem hora eius tugurioli ad ianuam ſtabant, quod in eminentiori loco erat fabricatum, & ipſi cum eo valdè triſtificati, quorum LVGNEVS vnus erat, aliter verò PILV nuncupabatur, SAXO, cauſam ipſius ſubitæ lætificationis inquirunt, & illius ſubſequentis mœſticiæ. Ad quos ſanctus ſic profatur: Ite in pace; ne illius lætaminis cauſam nec & triſtificationis à me nunc inquiratis manifeſtari. Quo audito inlachrymati, & ingeniculantes, proſtratis in terram vultibus, ſuppliciter rogant, ſcire volentes aliquid de illa re, quæ hora eadem ſancto erat reuelata. Quos valde triſtificatos videns, Quia vos amo, ait, triſtificari nolo, promittere prius debetis, ne vlli hominum ſacramentum, quod inquiritis, in vita mea prodatis. Qui continuò ſanctam eius commendationem promptè promiſerunt, & poſt talem promiſ-

promiſſionem vir venerandus ſic ad eos proloquitur: Vsquè in hunc præſentem diem, inquiens, meæ in BRITANNIA peregrinationis ter deni completi ſunt anni. Interea multis ante diebus à Domino meo deuotè poſtulaui, vt in fine huius triceſimi anni præſentis me de meo abſolueret incolatu, & ad cœleſtem ilico patriam aduocaret. Et hæc fuit mea cauſa lætaminis, de qua vos me mœſti interrogatis. Angelos enim ſanctos de excelſo vidi miſſos throno ad meam de carne animam obuios educendam. Sed ecce nunc ſubitò retardati vltra noſtræ fretum Inſulæ ſtant in rupe, ſcilicet volentes ad me de corpore aduocandum adpropiare; ſed propius accedere non permittuntur; mox ad cœlorum ſumma repedaturi, quia Dominus quod mihi totis viribus roganti donauit, vt hac in die ad ipſum de Mundo tranſirem, multarum magis Eccleſiarum pro me orationes exaudiens dicto citius inmutauit. Quibus ſcilicet Eccleſiis exorantibus ſicut à Domino donatum eſt, vt quamlibet contra meam voluntatem, quatuor ab hac die mihi in carne manenti ſuperaddantur anni.

Hæc talis mihi mœſta retardatio hodiernæ triſtificationis non immeritò cauſa fuit, quibus videlicet quatuor futuris DEO propitio terminatis in hac vita annis, ſubita emigratione, nulla præcedente corporis moleſtia, cum ſanctis mihi obuiaturis illo in tempore Angelis, ad Dominum lætus emigrabo. Secundum hæc verba Viri venerabilis, quæ non ſine magno gemitu & mœrore, vt traditur, nec non & ingenti lachrimabilitate prolocutus, quatuor poſtea annis in carne manſit.

Annorum ſupra quatuor memoratorum termino iam appropinquante, poſt quorum completionem finem præſentis vitæ veridicus præſagator ſibi futurum fore multo ante præſciebat tempore. Quadam die Menſe Maio ſicut in priore ſecundo ſcripſimus libro, ad viſitandos operarios fratres, ſanctus ſenex ſenio feſſus plauſtro vectus pergit. ad quos in occidua Inſula IOVE laborantes parte, ſic ea die exorſus eſt loqui, dicens: In PASCHALI ſolemnitate nuper Aprili peracta menſe deſiderio deſideraui ad CHRISTVM Dominum, ſicut & mihi ab eo conceſſum erat, ſi maluiſſem emigrare; ſed ne vobis lætitia feſtiuitatis in triſticiam verteretur, diem meæ de mundo emigrationis paulo diutius protelari malui. His ab eo mœſti Monachi familiares auditis interim dictis 17.

valdè

Digitized by Google

valdè triſtificati ſunt. Quos in quantum poterat, verbis cœpit conſolatoriis lætificare. Quibus finitis, vt erat in vehiculo ſedens, ad ORIENTEM ſuam conuertens faciem, Inſulam cum Inſulanis benedixit habitatoribus. Ex qua die, vt in ſupra memorato caraxatum eſt libello, viperarum venena triſulcarum linguarum vsque in hodiernum diem nullo modo aut homini aut pecori nocere potuere. Poſt eiusdem benedictionis verba ſanctus ad ſuum reuehitur Monaſterium.

Tunc proindè paucis diebus tranſactis dum MISSARVM ſollemnia ex more DOMINICA celebrarentur die, ſubitò ſurſum eleuatis oculis facies venerabilis viri florido reſperſa rubore videtur. Quia, ſicut ſcriptum eſt, corde lætante vultus floret. Eadem namq; hora Angelum Domini ſupra volitantem ſolus vidit intra ipſius oratorij parietes: & quia ſanctorum Angelorum amabilis & tranquillus aſpectus gaudium & exultationem electorum pectoribus infundit; hæc fuit illius ſubitæ cauſa læticiæ beato infuſa viro. de qua ſcilicet cauſa imſpiratæ lætationis, cùm qui inerant ibidem preſentes, inquirerent, hoc eis ſanctus reſponſum ſurſum reſpiciens dedit, Mira & incomparabilis eſt Angelicæ ſubtilitas naturæ. Ecce enim Angelus Domini ad repetendum aliquod DEO charum miſſus depoſitum, nos deſuper intra Eccleſiam aſpiciens & benedicens, rurſum per paraſticiam Eccleſiæ reuerſus, nulla talis veſtigia exitus reliquit. Hæc ſanctus. Sed tunc de qualitate illius depoſiti, ad quod miſſus eſt Angelus requirendum, nemo de circumſtantibus recognoſcere potuit. Noſter verò patronus ſanctam propriam à DEO ſibi commendatam animam depoſitum nuncupauit; quæ, ſicuti inferius narrabitur, alia ſenis interuenientibus continuis diebus Dominica nocte ad Dominum emigrauit.

28\. Vir itaq; venerabilis in fine eiusdem hebdomadis hoc eſt die Sabathi, ipſe & pius miniſter DIORMITIVS, ad proximum pergunt benedicendum horreum, quod intrans Sanctus cùm benedixiſſet, & duos in eo frugum ſequeſtratos vidiſſet aceruos, hoc intulit verbum cum gratiarum actione, inquiens: Valdè congratulor meis familiaribus Monachis, quia hoc etiam anno, ſi quodam à vobis emigrare me oportuerit, annonam ſufficientem habebitis. Quo audito verbo DIORMITIVS miniſter triſtificari cœpit, & ſic dixit, Huius anni tempore ſæpius nos contriſtas, quia de tuo tranſitu crebro commemoras.

Cui ſanctus hoc dedit reſponſum: Aliquem arcanum habeo ſermuſculum, quem ſi mihi firmiter promiſeris, nemini ante meum denudare obitum, de meo egreſſu tibi aliquid manifeſtius intimare

poteto.

Digitized by Google

potero. Quam cum talem promiſſionem miniſter iuxta ſancti voluntatem flexis genibus terminaſſet; Vir venerandus conſequenter ſic profatur, Hæc in ſacris voluminibus dies S. ABBATVM nuncupatur, quod interpretatur, requies; & verè mihi hæc eſt Sabbatum hodierna: quia huius præſentis laborioſæ vitæ mihi vltima eſt; in qua poſt meas laborationum moleſtias Sabbatizo: & hac ſequenti media nocte venerabili Dominica ſecundum eloquia ſcripturarum patrum ingrediar viam. Iam enim Dominus meus Ieſus Chriſtus me inuitare dignatur ad quem, inquam, hac mediante nocte, ipſo me inuitante emigrabo. Sic enim mihi ab ipſo Domino eſt reuelatum. Hæc mæſta miniſter audiens verba cœpit amarè flere; quem ſanctus in quantum potuit conſolari conabatur.

Poſt hæc ſanctus horreum egreditur, & ad MONASTERIVM reuertens media reſidet via. in quo loco CRVX molari poſtea infixa lapidi, hodieque ſtans in margine cernitur viæ. Dumque ibidem ſanctus, vt præfatus ſum, ſenio feſſus paulum ſedens requieſceret, ecce albus occurrit caballus, obediens ſeruitor, qui ſcilicet lactaria intra bocetum Monaſterium vaſcula geſtare conſueuerat. Hic ad ſanctum accedens, mirum dictu, caput in ſinu eius ponens, vt credo, inſpirante DEO, cui omne animal brutum ſapit, ſenſu quo ipſe iuſſerit creator dominum à ſe ſuum mox emigraturũ, & ipſum vltra non viſurum ſciens, cœpit plangere, vbertimquè quaſi homo lachrimas in gremium ſancti fundere, & valde ſpumans flere. Quod videns miniſter cœpit illum flebilem repellere lamentatorem. Sed ſanctus prohibuit eum dicens, Sine hunc * ſi noſtri ne amator eſt vt in hunc ſinum fletus effundat amariſſimi plangoris. Ecce tu homo cum ſis, & rationabilem animam habeas, nullo modo ſcire de meo exitu potuiſti, niſi quod tibi ego ipſe nuper manifeſtaui. huic verò bruto & irrationabili animanti quoquomodo ipſe cõditor voluit egreſſurum à ſe Dominum manifeſtè * reuelauit. Et hæc dicens, mœſtum à ſe reuertentem equum benedixit miniſtratorem. & inde egrediens, & monticellum Monaſterio ſupereminentem aſcendens in vertice paululum ſtetit & ſtans ambas eleuans palmas, ſuum benedixit cœnobium inquiens. Huic loco quamlibet anguſto, & vili non tantum SCOTHORVM Reges cum populis, ſed & barbararum & exterarum gentium regnatores cum plebibus ſibi ſubiectis grandem & non mediocrem conferent honorem. A ſanctis quoque & aliarum Eccleſiarum non mediocris veneratio conferetur.

39.

* Fort. ſine hunc, ſine noſtri amatorem. Vel: ſine hunc ſi noſtri amator eſt.
fort. reuelare.

Poſt hæc verba de illo deſcendens monticellulo, & ad Monaſterium reuertens ſedebat in tugurio PSALTERIVM ſcribens, & ad illum trigeſimi tertij Pſalmi verſiculum perueniens, vbi ſcribitur: Inquirentes autem Dominum non deficient omni bono, Hic, ait, in fine ceſſandum eſt paginæ. Quæ verò ſequuntur BAITHENEVS ſcribat.

Sancto congruenter conuenit deceſſuro nouiſſimus verſiculus, quem ſcripſerat, cui nunquam bona deficient æterna. ſucceſſori verò ſequens patri ſpiritualium Doctori filiorum, Venite filij audite me t. d. d. v. congruenter conuenit. Qui ſicut deceſſor commendauit non ſolum ei docendo, ſed etiam ſcribendo ſucceſſit. Poſt talem ſuperius memoratum terminatæ verſum perſcriptum paginæ ſanctus ad veſpertinalem dominicæ noctis MISSAM ingreditur Eccleſiam, qua continuò conſummata, ad hoſpitiolum reuertens in lectulo reſidet pernox, vbi pro ſtramine nudam habebat petram, & pro puluillo lapidem, qui hodieq; quaſi quidam iuxta ſepulchrum eius ſtat titulus monumenti.

Ibidem itaquè reſidens vltima ad fratres mandata, ſolo audiente miniſtro, commendat, inquiens: Hæc vobis, ô filioli, nouiſſima commendo verba, vt inter vos mutuam & non fictam habeatis charitatem cum pace. Et ſi ita iuxta ſanctorum exempla obſeruaueritis, DEVS confortator bonorum vobis auxiliabitur; & ego cum ipſo manens pro vobis interpellabo, & non tantum præſentis vitæ neceſſaria vobis ab eo adminiſtrabuntur, ſed etiam æternalium bonorum præmia diuinorum obſeruatoribus præparata præceptorum tribuentur. Huc vſque extrema venerabilis patroni verba, quaſi de hac tædiali peregrinatione ad cœleſtem patriam tranſmeantis breui textu narrata deducta ſunt.

31. Poſt felicia appropinquante nouiſſima pauliſper hora ſanctus conticuit, tum proinde media nocte pulſata perſonante clocca, feſtinus ſurgens ad Eccleſiam pergit, citiorque ceteris currens ſolus introgreſſus iuxta altare flexis in oratione genibus recumbit. DIORMITIVS miniſter tardius proſecutus eodem momento eminus totam intrinſecus Eccleſiam angelica luce erga ſanctum repleri videt. quo ad ianuam appropinquante eadem lux viſa ocius receſſit: quam & alij de fratribus pauci & ipſi eminus aſtantes viderant.

DIORMITIVS ergo Eccleſiam ingrediens flebili voce ingeminat, Vbi es pater? Et nec dum allatis fratrum lucernis per tenebras

nebras palpans ſanctum ante altare recubantem inuenit. quem paululum erigens, & iuxta ſedens ſanctum in ſuo gremio poſuit caput: & inter hæc cœtus Monachorum cum luminaribus adcurrens patre viſo moriente cœpit plangere. Et vt ab aliquibus, qui præſentes aderant, didicimus ſanctus nec dum egrediente anima apertis ſurſum oculis ad vtrumquè latus cum viua vultus hilaritate & lætitia circumſpiciebat; ſanctos ſcilicet angelos obuios intuens. DIORMICIVS tum ſanctam ſubleuat ad benedicendum Monachos ſancti dexteram manum. ſed & ipſe venerabilis pater in quantum poterat, ſimul ſuam mouebat manum, vt videlicet quod voce in egreſſu non valebat animæ, vel motu manus fratres videretur benedicere. Et poſt ſanctam benedictionem taliter ſignificatam continuò ſpiritum exhalauit.

Quo tabernaculum corporis egreſſo, facies rubens, & mirum in modum angelica viſione exhilarata in tantum remanſit, vt non quaſi mortui, ſed dormientis videretur viuentis. Tota interim perſonabat mœſtis plangoribus Eccleſia.

Sed non prætereundum videtur, quod eadem hora beatæ tranſitus animæ cuidam EBERNIENSI ſancto reuelatum eſt. In quodam namque MONASTERIO SCOTHORVM quidam homo erat ſanctus & ſenex CHRISTI miles, qui LVGVDIVS vocitabatur, iuſtus, & ſapiens. Hic itaque primo mane cuidam æque Chriſtiano militi ſuam enarrauit viſionem cum ingenti gemitu dicens: Hac præterita nocte media ſanctus COLVMBA multarum columna Eccleſiarum ad Dominum tranſit, & in hora beati exitus eius IOVAM Inſulam, ad quam corpore nunquam perueni, totam ANGELORVM claritudine in ſpiritu vidi irradiatam, totaque ſpacia aëris vsque ad æthera cœlorum, eorundem Angelorum claritate illuſtrata; quia ad ſanctam ipſius animam perferendam de cœlis miſſi deſcenderant innumeri, altiſona quoque carminalia, & valde ſuauia audiui Angelicorum cantica, eodem momento egreſſionis, inter angelicos ſanctæ ipſius animæ aſcendentes choros. Hanc angelicam manifeſtationem VIRGNOVS, vt prædictum eſt, qui ab ore illius ſancti ſenis, cui reuelata erat, indubitanter didicerat.

Iisdem diebus de SCOTHICA remigans HYMBA in Inſula reliquis diebus vitæ ſuæ permanens ſancti COLVMBÆ Monachis ſæpius enarrabat, qui videlicet VIRGNOVS poſt multos in ſubiecta-

tione inter fratres irreprehenſibiliter expletos annos, alios duodecim in loco ANACHORETARVM in MIVRBVLCMAR vitam deducens anachoreticam CHRISTI victor miles expleuit.

Hanc prædictam viſionem non ſolum paginis inſcriptam reperimus, ſed & aliquibus expertis ſenioribus, quibus ipſe VIRGNOVS retulerat, ſine vllo didicimus cunctamine.

Eadem quoq; hora aliam viſionem aliter reuelatam vnus ex eis, qui viderant, Chriſti miles valde ſenex, cui nomen etiam poteſt dici FERREOLVS, qui inter aliorum S. COLVMBÆ MONACHORVM RELIQVIAS, & ipſe S. Monachus in DORSO THOMÆ ſepultus cum ſanctis reſurrectionem expectat, mihi ADOMNANO illo iuuene in tempore cum grandi retulerat teſtificatione dicens: Illa in nocte, qua S. COLVMBA de terris ad cœlos felici & beato ſine tranſiit, ego & alij mecum viri laborantes in captura piſciū in valle piſcoſi fluminis FENDE, ſubito totum aërei illuſtratum cœli ſpatium vidimus, cuius miraculi ſubitatione permoti, oculos ad Orientem eleuatos conuertimus; & ecce quaſi quædam pergrandis ignea apparuit columna, quæ in illa nocte media ſurſum aſcendens, ita nobis videbatur Mundum illuſtrare totum, ſicuti dies æſtiuus & meridianus ſol. Et poſtquam illa penetrauit columna cœlum, quaſi poſt occaſum ſolis tenebræ ſuccedunt. Huius itaq; claritudinem luminoſæ & prædicabilis columnæ non tantum nos, qui ſimul in eodem loco ineramus, cum ingenti admiratione vidimus, ſed & alij multi piſcatores, qui ſparſim per diuerſas fluminales piſcinas eiuſdem fluminis piſcabantur, ſicut nobis poſtea retulerant, ſimili apparitione viſa, magno pauore ſunt perculſi. Harum igitur trium miracula viſionum eadem tranſitus hora venerandi apparentium patroni æternos ei à DEO conlatos proteſtantur honores. Ad propoſitum reuertamur.

32. Interea poſt ſanctæ egreſſum animæ hymnis matutinalibus terminatis ſacrum corpus de Eccleſia ad hoſpitium, vnde paulo antè viuens venerat, cum canora fratrum reportatur pſalmodia, honeſteque ternis diebus & totidem noctibus honorabiles rite explentur exequiæ. Quibus in DEI ſapiendis laudibus terminatis, ſancti, & beati patroni venerabile corpus mundis inuolutum ſindonibus, & præparata poſitum intra buſta debita humatur cum veneratione in luminoſa & æternali reſurrecturum claritudine. De ſupra memoralis ergo tribus illis exequiarum diebus, more peractis eccleſiaſtico, quod nobis ab expertis traditum eſt, huius prope finem enarrabitur libri.

Qui-

Digitized by Google

Quidam namq; aliquando vnus de fratribus coram venerabili viro ſimpliciter loquens, Ad celebrandas, ait ad ſanctum, tuas poſt tuum obitū exequias, vt putatur, totus harum prouinciarum populus hanc IOVAM remigans replebit Inſulam. Quod verbum audiens ſanctus conſequenter ait, ô mi filiole, non vt loqueris, ſic res probabitur. nam promiſcuum populi vulgus nullo modo ad meas poterit exequias venire. Mei ſoli familiares Monachi mea ſepulchralia complebunt, & exequialia honeſtabunt officia. Quod verbum eius propheticum ſtatim poſt tranſitum ipſius omnipotentia DEI adimpleri fecit. Nam per tres illas exequiales dies & noctes grādis ſine pluuia facta eſt ventoſa tempeſtas, qua fortiter prohibente nullus hinc & inde nauicella vectus transfretare poterat. Et poſt conſummatam ſepultionem viri continuò tempeſtate ſedata, & ceſſante vento totum tranquillatum eſt æquor. 33.

Perpendat itaq; lector quanti & qualis apud DEVM prædicabilis patronus honoris habeatur, cui aliquando in carne mortali conuerſante, DEO dignante, oranti tempeſtates ſedatæ ſunt, & maria trāquillata, & rurſus quando neceſſe habuit ſupra memorata occaſione orto flamine ventorum, & ventoſa, cùm voluit, concitata ſunt æquora; quæ ſubſequenter, vt ſuperius dictum eſt, expletis eius ſepulturæ miniſteriis, in magnam conuerſa ſunt tranquillitatem.

Hic itaq; prædicabili noſtro patrono vitæ terminus fuit, ita meritorum exordia, qui ſecundum ſententias ſcripturarum æternis comes triumphis patribus additus, Apoſtolis & Prophetis conſertus, numero aggregatus albatorum milium, agnino in ſanguine ſuas ſanctorū qui lauerunt ſtolas agnū ductorē comitatur, Virgo im̄aculatus, ab omni integer labe, ipſo Domino noſtro Ieſu Chriſto dignante, cui eſt cum patre honor virtus, laus & gloria & Imperium ſempiternum in vnitate Spiritus ſancti per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Explicit vita ſancti Columbæ fratris Chriſti.

Digitized by Google

Digitized by Google

COGITOSVS

De

S. BRIGIDA

VIRGINE

SCOTA

QVÆ

Sub Iuſtino ſeniore Imp.

Anno 523.

OBIIT.

Nunc primum editus ex membranis m. ſ. monaſterij Ordinis Prædicatorum Aichſtadij.

MAR.

Digitized by Google

MARTYROLOGIVM ROM. I. FEBRVARII.

IN Scotia ſanctæ Brigidæ virginis, quæ cùm lignum altaris tetigiſſet, in teſtimonium virginitatis ſuæ, ſtatim viride factum eſt.

Vbi Baronius hæc notat:

De eadem item Beda, Vſuardus & Ado, & alij. Habentur quædam eius Acta apud Sur. tom. 1. Verùm longè prolixiora legi in vet. cod. m. ſ. monaſterij S. Cæciliæ trans Tiberim, viginti quatuor diſtincta capitibus, ſcripta à quodam nomine Cogitoſo. Incipit: Me cogitis fratres &c. Habet de eadem in fine verſus quoſdam. De tempore obitus eius Marianus Scotus ſcribit in chron. clauſiſſe diem extremum anno tertio Iuſtini ſenioris Imperatoris: Eſt is annus à Chriſto, ſecundum Faſtos Onuphrij 521. Sigebertus autem in chron. diem obiiſſe ſcribit anno Domini 518. Hæc Baronius. qui cùm Acta S. Brigidæ à Cogitoſo conſcripta laudet, eaq; hactenus lucem non viderunt, volui illa in publicum proferre. Præclara mentio S. Brigidæ eſt apud Baron. tom. 7. anno 521. num. 21.

De S. Brigida multa habet Silueſter Giraldus Cambrenſis in topographia Hiberniæ diſtinctio 2. cap. 34. 35. 36. 37. 38. 39. & diſt. 3. cap. 16. 17. 18. &c.

Auctor in fine his verbis ſuum nomen ponit: *Orate pro me Cogitoſo nepote culpabili.* Quare autem ſe nepotem vocat? an nepos S. Brigidæ? an hic nepos alio ſenſu? Certe auctor perantiquus eſt. Et illud antiquiſſimũ Scotiæ templum deſcribens, inſinuat ſe non longè à temporibus quibus ædificatum eſt abfuiſſe. Hæc item fidem & ætatem eius non obſcurè innuunt. In prologo ait: *Pauca de pluribus, à maioribus & peritiſſimis tradita, ſine vlla ambiguitatis caligine, ne inobedientiæ crimen incurram, patefacere cenſeo.*

Item ait: *vſq; ad præſens tempus viride,* &c. *& vſq; hodie languores & morbos de hominibus expellit.* De miraculis S. Brigidæ non longe à fine hæc: *Quas nos virtutes non ſolum audiuimus, ſed etiam oculis noſtris vidimus.*

INCI-

Digitized by Google

INCIPIT PROLOGVS.

COgitis me, fratres, vt ſanctæ, & beatæ memoriæ BRIGIDÆ virginis virtutes & opera, more doctorum, memoriæ litteriſq; tradere aggrediar. Quod opus impoſitum, & delicatæ materiæ arduum, paruitatis & ignorantiæ meæ & linguæ minimè conuenit. Sed potens eſt DEVS de minimis magna facere; vt de exiguo oleo & farinæ pugillo domum impleuit pauperculæ viduæ. 3. Reg. 17. 4. Reg. 4.

Itaq; iuſſionibus veſtris coactus, ſatis habeo, meam non defuiſſe obedientiam, & ideò pauca de pluribus, à maioribus & peritiſſimis tradita, ſine vlla ambiguitatis caligine, ne inobedientiæ crimen incurram, patefacere cenſeo. Ex quibus quanta qualiſq; virgo virtutum bonarum florida, cunctorum oculis innoteſcat. Non quod memoria, & mediocritas & ruſticus ſermo ingenioli mei tanti muneris officium explicare valeret; ſed fidei veſtræ beatitudo, & orationum veſtrarum diuturnitas meretur accipere, quod non valet ingenium dictantis.

Hæc ergo egregriis creſcens virtutibus; & per famam bonarum rerum ad eam de omnibus prouinciis HYBERNIÆ innumerabiles populi de vtroq; ſexu confluentes, vota ſibi vouentes; voluntariè ſuum MONASTERIVM caput penè omnium HYBERNIENSIVM Eccleſiarum, & culmen præcellens omnia MONASTERIA SCOTTORVM cuius parochia per totam HYBERNENSEM terram diffuſa, à mari vſque ad mare extenſa eſt, in campeſtribus cāpi LIFFEI ſupra fundamentum fidei firmum conſtruxit, & prudenti diſpenſatione de animabus eorum regulariter in omnibus procurans, & de Eccleſiis multarum prouinciarum ſibi adhærentibus ſollicitans, & ſecum renoluens, quod ſine ſummo ſacerdote, qui Eccleſias conſecraret, & Eccleſia-

Digitized by Google

cleſiaſticos in eis gradus ſubrogaret, eſſe non poſſet; Illuſtrem virum & ſolitarium, omnibus moribus ornatum, per quem DEVS virtutes operatus eſt plurimas, conuocans eum de heremo, & de ſua vita ſolitaria, & ibi ſibi obuiam pergens, vt Eccleſiam in Epiſcopali dignitate cum ea gubernaret, atq; vt nihil de ordine ſacerdotali in ſuis deeſſet Eccleſiis, accerſiuit.

Et poſtea ſic vnctum caput & principale omnium Epiſcoporum & beatiſſima puellarum principalis, felici comitatu inter ſe & gubernaculis omnium virtutum ſuam erexit principalem Eccleſiam, & amborum meritis ſua Kathedra Epiſcopalis & puellaris, ac ſi vitis frugifera diffuſa vndiq; ramis creſcentibus, in tota HYBERNENSI inſula inoleuit.

Quam ſemper ARCHIEPISCOPVS HYBERNIENSIVM EPISCOPORVM & ABBATISSA, quam omnes abbatiſſæ SCOTTORVM venerantur, felici ſucceſſione & ritu perpetuo dominantur. Exindè ergo, vt ſuprâ dixi, à fratribus coactus, beatæ huius virginis BRIGIDÆ virtutes tam eas, quas antè principatum, quam alias, quas in principatu geſſit, multo ſtudio breuitatis, licet præpoſtero ordine virtutum compendioſè explicare conabor.

Incipit vita S. Brigidæ.

SAncta itaque BRIGIDA, quam DEVS præſciuit ad ſuam imaginem, & prædeſtinauit, à chriſtianis, nobilioribuſque parentibus, de bona ac prudentiſſima ETECH proſapia in SCOTIA orta, patre a DVBTOCHO, & matre BROCCA genita, à ſua pueritia bonarum rerum ſtudiis inoleuit. Electa enim ex DEO puella moribus ſobria, ætatis ac pudicitiæ plena, in meliora ſemper creſcebat.

a Sur. qui vitam S. Brigidæ paraphraſticè dedit, patrē Duptacum, matrem Broſech vocat.

Et quis ſua opera, quæ etiam in hac ætate geſſit, plenè poteſt enarrare? ſed hæc pauca de innumerabilibus exempli cauſa poſita demonſtrabimus.

Exindè hæc, cum tempus maturum aduenit, in opus coaguli, vt de turbato vaccarum lacte butyrum aggregaret, à matre tranſmiſſa eſt; vt ſicut aliæ fœminæ hoc opus exercere ſolebant, ipſa quoque æquali munere perageret; vt cum ceteris in tempore placido vaccarum fructum ac pondus, menſuratumque butyri ſolitum pleniſſimè in vſum redderet, ſed hæc moribus pulcherrima & hoſpita-

Digitized by Google

ſpitalis virgo; obaudire magis volens DEO, quàm hominibus, pauperibus & hoſpitibus lac largitur, & butyrum diſtribuit. Et cum ſecundum opportunum aduenit tempus, vt omnes redderent fructum vaccarum, ad eam peruentum eſt. Sed cùm cooperatrices eius monſtrabant ſua opera completa, quæſitum eſt à beata ſupradicta virgine, vt & ipſa ſimiliter adſignaret ſuum opus. Et ipſa matris timore pauida, cùm non haberet, quod monſtraret; quia totum pauperibus erogauit; craſtinum non procurans tempus, & inextinguibili flamma fidei accenſa, ac firma, ad Dominum ſe conuertens orauit. Nec mora, Dominus vocem virginis audiens ac preces, largitate diuini Numinis, ſicut eſt adiutor in opportunitatibus, affuit, & pro ſua in ſe virginis confidentia affluenter butyrum conſtituit. Mirum in modum & illa hora poſt orationem Virgo ſanctiſſima, nihil de ſuo opere deeſſe oſtendens; ſed ſuper omnes coöperatrices abundaſſe monſtrauit compleſſe ſuum officium. & cùm pleniſſime inuentum in oculis omnium tanti muneris miraculum innotuit, & laudantes Dominum, qui hoc fecit, tantam fidei virtutem virginali pectore conſtitiſſe admirati ſunt.

Ac non multò poſt, cùm eã ſui parentes, more humano, viro deſponſare vellent, illa cœlit[9] inſpirata, ſe virginem caſtã exhibere volẽs DEO, ad EPISCOPVM ſanctiſſimũ beatæ memoriæ * MACCA perrexit. *b. ap. Sur. vocatur*

Machillus S. Patritii diſcipulus. Fuerant autẽ contemporanei Patricio (inquit Syluester Giraldus Cambrenſis in topographia Hiberniæ, diſtinctione 3. cap. 18. cui capiti hunc titulum præfigit: Quod tria corpora, Patritii ſcilicet, Columbæ, & Brigidæ, apud Vltoniam in Dunenſi ciuitate his noſtris diebus inuenta ſunt & tranſlata) ſanctus Columba, & S. Brigida, & apud Vltoniam, in eadem ciuitate, Dunenſi ſcilicet, quo Dominus Comes Ioannes primo in Hiberniam venit, quaſi in ſpelunca triplici, Patritio in medio iacente, aliis duobus hinc inde. Ioanne vero de Curci tunc ibidem præſidente, & hoc procurante tres nobiles theſauri diuina reuelatione inuenti ſunt tranſlati. Vnde verſus: In burgo Duno, tumulo tumulantur in vno, Brigida, Patritius, atq; Columba pius. Hæc Giraldus qui ibidem cap. 17. hæc) Obiit autem B Patritius & in Domino quieuit, anno ætatis ſuæ 120. ab incarnatione Domini 458, ab aduentu Hibernenſium 1800 Vbi tamen in margine hæc varia lectio appoſita eſt: Anno ætatis ſuæ 123. incarnationis Dominicæ 493. Pontificante Felice Papa I, Imperante Anaſtaſio, principante in Britannia Aurelio Ambroſio in Hibernia autem Forkero.

Ibidem cap. 16 Patritius natione Britannus, vir vita & ſanctitate conſpicuus, &c, tota iam inſula ad fidem Chriſti conuerſa, apud Ardmacham ſibi ſedem elegit, quam etiam quaſi metropolim conſtituit, & proprium totius Hiberniæ primariæ locum. Hæc Girald. Vbi in margine hæc: Anno quo S. Auguſtinus doctor mortuus eſt, ſcilicet 418. miſſus eſt Patritius in Hiberniam, venit vero eò 432. Sancta Brigida nata 439. Obiit Patritius 493. anno ætatis ſuæ 120. Hæc in quodam vetuſto libro Chromelliæ inueni. Hæc ibi in margine.

Qui cœleſte intuens deſiderium & pudicitiam, & tantæ caſtitatis amorem in tali virgine, pallium album & veſtem candidam ſuper ipſius venerabile caput impoſuit. quæ coram DEO & EPISCOPO ac ALTARI genua humiliter flectens, & ſuam virginalem coram Domino Omnipotente offerens, fundamentum ligneum, quo altare fulciebatur, tetigit. Quod lignum in commemoratione priſtinæ virtutis, vſque ad præſens tempus viride, ac ſi non eſſet exciſum, & decorticatum, ſed in radicibus fixum vireſceret; & vſque hodie languores & morbos de hominibus expellit fidelibus.

Huius miraculi mẽtio in Rom. Martyrolog. 1. Febr.

NB.

Nec prætereundum mihi videtur commemorare de illa virtute, quam hæc famoſiſſima famula dicitur ac diuino inceſſanter famulatui tradita, operata eſt. Nam cum illa aliquando in caldario lardum aduenientibus hoſpitibus coxerat, cani adulanti, ac flagitanti, miſericorditer eam tradidit; & cum lardo de caldario tracto, ac poſtea hoſpitibus eſſet diuiſa, ac ſi non eſſet dempta, pleniſſimè reperta eſt. Et valde hi, qui hoc viderunt, ammirantes puellam incomparabilem virtute fidei, merito bonarum virtutum, dignis laudibus diuulgauerunt.

Et eadem meſſores ac operarios conuocat in meſſem ſuam; & facta illa meſſorũ conuentione, nebuloſa, ac pluuialis dies illa accidit conuentionis. Et pluuiis largiter ex nubibus effuſis, per totam illam in circuitu prouinciam, ac riuulis guttarum effluentia per conualles & rimas terrarum currentibus; ſola meſſis ſua arida ſine pluuiarum impedimento & perturbatione perſtitit, & cùm omnes meſſores vndique ipſius regionis prohibiti pluuiali die ſui; ſine vlla vmbra caliginis pluuiæ, illa die tota, ab ortu vſque ad occaſum, meſſores, DEI potentia opus exercebant.

Ecce inter ceteras virtutes ipſius hoc dignum admiratione videtur eſſe, & admirabile. Aduenientibus enim Epiſcopis, & cum ea hoſpitantibus, cum non haberet vnde eos cibaret, adiuta DEI multiplici virtute ſolito more habũdanter, vt ſua poſcebat neceſſitas, vaccam vnam tribus contra conſuetudinem in vna die vicibus mulſit. & quod ſolet de optimis tribus vaccis exprimi, ipſa mirabili euẽtu de vna ſua expreſſit vacca.

Ecce & hanc virtutem beatitudini veſtræ intimare cenſeo, in qua mens pura virginalis, & manus cooperatrix in vnum conuenire apparent. Nam hæc cum ſuas ope paſtorali paſceret oues in cam-

Digitized by Google

campeſtri, loco herboſo, largitate nimia pluuiarum profuſa, humidis veſtibus domum rediit. & cum vmbra ſolaris per foramina domum intrinſecus intraret, illam vmbram obtuſa oculorum acie, arborem ſu iſſe transuerſam & fixam putans, ac deſuper complutam veſtem ponens tanquam in arbore grandi & firma in ipſa tenui ſolari vmbra veſtis pependit. Et cum ipſius domus habitatores vicini hoc ingenti miraculo fuiſſent perculſi, hanc incomparabilem dignis laudibus extollebant.

Et hoc ſilentio opus non eſt prætereundum. Cum enim hæc S. BRIGIDA in agro iuxta gregem ouium paſcendum cura paſtorali eſſet ſollicita, aliquis nequam Adoleſcens callidè ſubripiens, & ipſius largitatem in pauperibus comprobans, & * mutato ſeptem ab ea verueces in vna die detulit, & in ſecreto abſcondit. Et cum grex ad veſperum ad caulam eſſet dirigendus ex more, duabus vel tribus vicibus diligentiſſimè adnumeratus, ſine damno mirum in modum tot' integro repertus eſt numero. Et admirantes hi, qui conſcij facti erant, virtutem Dei manifeſtè factam per virginem, ſeptem quos abſconderunt verueces, ad ſuum remiſerunt gregem & ille gregis numerus nec plus nec minus, ſed vt antè integer repertus eſt. *

* His & aliis innumeralibus virtutibus famoſiſſima DEI famula in ore omnium non immeritò ſed dignis laudibus excelſiſſima viſa eſt.

** Silueſter Giraldus in topographia Hiberniæ diſtinct. 2. cap. 36. hæc: Sunt & hic (intellige apud Kyldariam Lageniæ quam glorioſa Brigida reddit illuſtrem, vt inquit cap. 34.) campeſtria pulcherrima, quæ Brigidæ paſcua vocantur: in quæ nullus aratrum auſus eſt mittere, de quibus pro miraculo ducitur, quod licet prouinciæ totius animalia ſolo tenus veſperi herbam corroſerint, mane facto, non minus herboſitas apparebit. Tanquam de paſcuis illis dictum fuerit: Et quantum longis carpunt armenta diebus, Exigua tantum gelidus ros nocte reponit.*

Mirabili quoq; euentu ab hac venerabili BRIGIDA leproſi CERVISIAM petentes; cùm non haberet illa, videns aquam ad balnea paratam, cum virtute fidei benedicens, in optimam conuertit CERVISIAM, & abundanter ſitientibus exhauſit. Ille enim, qui in CHANA GALILÆÆ aquam conuertit in vinum, per huius quoquè beatiſſimæ fœminæ fidem aquam mutauit in ceruiſiam.

. . . .

Et ſecundum quod omnia poſſibilia ſunt credentibus ſinè vlla poſſibilitate cotidiè innumera miracula operabatur.

Quadam enim die, cùm quidam ſal petens veniret, ſicut ceteri pauperes, & egeni & innumerabiles venire ſolebant, pro ſuis neceſſitatibus; ipſa beatiſſima BRIGIDA in illa hora ſal factum de lapide, quem

benedixit, in opus poſcentis ſufficienter largita eſt. & ſic ab ea ſal portans lætus propriam domum rediit.

Et hoc potentiſſimum opus diuinum eiusdem iungendum eſſe mihi videtur inter cetera, quo Saluatoris inſtar imitatrix, diuini nominis excelſiſſimam operata eſt virtutem.

Nam ſecundum exemplum Domini & hæc oculos cœci nati aperuit. ſua enim nomina & opera membris Dominus largitus eſt ſuis quia de ſe ipſo cum loqueretur: Ego ſum lux Mundi; nihilominus ſuis dicit Apoſtolis: Vos eſtis lux Mundi, & eisdem dicens intulit: Opera quæ ego facio, ipſi facient, & maiora horum facient.

Ioan. 8. *Matth. 5.* *Ioan. 14.*

Inde quem naturalis partus cœcum protulit natum, fides eiusdem Brigidæ grano operata ſinapis, & conſimilis eidem, oculos ſimplices & lucidos ingenti miraculo aperuit. Hęc itaque tantis virtutibus illuſtris humilitate cordis & puritate mentis morum temperantia & ſpirituali gratia plena, tantam authoritatem & celebre nomen præ omnibus coætaneis virginibus habere meruit.

Et quadam die, cum vna ex adhærentibus ſibi extrinſecus fœmina, cum filia XII. annos ætatis ex naturali procreatione muta ad eam veniret viſitandam, cum digna veneratione, & reuerentia, vt omnes ſolebant, ſe inclinans & humili collo ad eius pacificum oſculum procidens, ipſa omnibus affabilis BRIGIDA, & felix, conditis ſale ſermonibus diuino eam ſalubriter allocuta eſt, ac SALVATORIS noſtri iubentis exemplo paruulos ad ſe venire, filiæ manum retinens manu ſua; neſciente illa quod eſſet muta, & voluntatem ipſius interrogans, vtrum velato capite permanere virgo, an nuptiis tradenda eſſe vellet. matre ipſius admonente, quod ſibi filia nulla daret reſponſa. reſpondens matri dixit. ſe non dimiſſuram filiæ manum, ni ſibi prius reſponſum redderet. Et filiam cùm ſecunda vice interrogaret, reſpondit filia ſibi dicens: Non aliud, niſi quod tu volueris, volo agere. Ac ſic poſtea aperto ore ſine linguæ impedimento, & ſoluto ipſius vinculo loquebatur ſana.

Et quibus hoc eiusdem opus nullis multorum auribus inauditum ſcrupulum non moueret?

Dum enim hæc animo eſſet intenta cœleſtium meditatione, vt ſemper ſolebat, ſuam de terreſtribus ad cœleſtia eleuans conuerſationem, quandam non paruam, ſed grandem lardi partem cum cane dimiſit. Et cum eſſet inquiſita, non alicubi, ſed vbi canis in eo loco ſolebat eſſe, menſe tranſacto, intacta & integra reperta eſt. Non enim canis

Digitized by Google

nis auſus comedere depoſitum Beatæ Virginis,ſed cuſtos patiens lardi & idoneus contra ſuum ſolitum morem diuina refrenatus virtute extitit.

Adcreſcente quotidie miraculorum numero, quæ vix enumerari poſſunt,quantum miſericordiæ & pietatis,& in pauperes eleemoſynarum oportunè & inoportunè poſtulantiũ operata eſt. Nam cum aliquis indigens cibo pauperum eam rogaret,illa ad eos,qui carnes cõxerant,vt ab illis aliquid pauperi deferret,feſtinauit, & illorũ vnus ſtolidiſſimus famulus,qui carnes coxerat, inſipienter partem nondũ carnis coctam, in albatũ ipſius ſinuatę veſtis receptaculũ tranſiecit, & ſic illa non ſuffocato mantili,& in ſuo candido colore manente portans pauperi tribuit. Nec non & hoc de geſtis felicibus admirari debet. Cõfluentibus enim ad eã vndiq; pauperibus & peregrinis, ingenti fama virtutis,& nimiæ largitatis tracti; Accedens ad eam inter eos ingratus quidã leproſus,optimã de armento vaccam cũ optimo vitulo omniũ vitulorũ inſimul ſibi donari poſcebat. Nec ipſa eius audiens preces diſtulit; ſed mox illam q̃ optimã & alîus de omnibus vaccã, & alîus vaccæ vitulum elegantẽ & optimũ roganti infirmo voluntariè donauit; & miſericorditer ſuum cum illo tranſmittens currũ pariter longum & latiſſimũ campum, ne moleſtiã in vacca minanda infirm' longo feſſus itinere ſuſtentaret,vitulum poſt tergum eius in currum poni pręcipiebat. Et ſic eum vacca lingua lambens, & tanquam proprium diligens, nemine eam cogente vsq; ad loca deſtinata conſecuta eſt.

Chariſſimi videtis fratres,quod & bruta contra conſuetudinem ei famulabantur animalia.

Quodam interuallo temporis alij nequiſſimi fures, qui nec Dominũ nec homines verebantur de aliqua prouincia ob latrociniũ venientes, per amnem grandem facili meatu pedũ egredientes, bouem ipſius furati ſunt. ſed eos eandem reuertentes viam impetus ingentis fluminis inundatione aquarum ſubito facta conturbauit. Non enim flumen inſtar muri erectum ſceleſtiſſimam boum fraudem beatæ Brigidæ per ſe tranſire permiſit; ſed eoſdem fures demergens, & ſecum trahens; boues de ipſorum manibus liberati loris in cornibus pendentibus,ad proprium armentorum adbubulum reuerſi ſunt. Ecce & hic virtus diuina apparet.

Cum quadã die ipſa ſanctiſſima Brigida, cogẽte aliqua neceſſitate vtilitatis,vt conuentionem plebis viſitaret,in curru ſedens equis binis vehebaẽ,& cùm in ſuo vehiculo meditatione theorica cœleſtẽ agẽs

inter-

Digitized by Google

in terris vitam, ſuum vt ſolebat dominatorē oraret, de alto procidens loco, alter bruto animo equus ſaliens in curru, & inrefrenatus habenis fortiter ſe excutiens, & de iugo exterritus per campeſtria cucurrit: & ſic manus Domini iugum pendens ſine præcipitio ſuſtentauit. Et vidente turba, ob teſtimonium diuinæ virtutis ſecuta, in ſuo orans vehiculo cũ vno equo ſub curru poſito, ad plebis conuentionē, diſcurſu placabili illæſa peruenit. & ſic ſignis & virtutibus ſua confirmans; doctrina, ſermonibus ſalutaribus, & ſale diuino conditis, plebē exhortata eſt. Et hoc virtutibus eius videtur nobis eſſe deputandum.

Cum aper ferus ſingularis & ſylueſtris territus & fugitiuus eſſet, ad gregem porcorum Brigidæ feliciſſimæ concitus curſu præcipiti peruenit. Quem ipſa ventum inter ſuas cernens benedixit. Deindè impauidus ac familiaris cum ipſius porcorum grege manſit. Ecce fratres videtis, quod & bruta animalia & beſtiæ ſermonibus & voluntati eius reſiſtere non poterant, ſed domita & ſubiecta ſibi famulabantur.

Quadam autem die, cum aliquis nulla ſuffultus ſcientia, vulpem Regis ad palatium ambulantem videret; putans illam obcœcatis ſenſibus ſuis, feram eſſe beſtiam: & quod in aula regis familiaris & manſueta eſſet, variis artibus edocta agilitate corporis, & ſubtilitate animi, Regi & ſuis Comitibus grande præſtans ſignaculum, ignoraret; vidente multitudine occidit eam. Et ſtatim ab his, qui viderunt factũ, alligatus & diffamatus eſt, ad regem perductus eſt. Et cum rex iratus rem diſcens geſtã; niſi ſibi vulpis ſimilis in omnibus calliditatibus, quas ſua vulpis operabatur, reſtituta eſſet, illum iuſſit occidi; & vxorem & filios & omnia quæ habebat, in ſeruitutem redigi præcepit.

Cumque rem geſtam ſancta & venerabilis Brigida didiciſſet, tanto miſeriarum & pietatis affectu permota, currum ſibi iungi præcepit, & ex intimo corde dolens pro ipſo infelici, qui iniuſtè iudicatus eſt, precibus ad Dominum fuſis, & per planiciem campi equitans, perrexit in viã, quæ ad Regis palatiũ ducebat. Nec mora Dominus exaudit ipſam, ſuas fundentē aſſiduas preces. Vnam de ſuis vulpibus feris ad eam venire iuſſit. Quæ cũ velociſſimo curſu ad eã veniret, & beatiſſimę Brigidæ currui appropinquaret; leuiter ſe eleuans in curru ſedebat, & ſub receptaculum Brigidæ veſtis ſe conſtituens, ſobriè in curru cum ea ſedebat.

At cum ipſa ad regem veniret, vt ille miſer improuidus, qui reatu ſuæ ignorantiæ tenebatur, liber & abſolutus de vinculo egrederetur

cœpit

Digitized by Google

cœpit precari. Et cùm Rex eius precibus conſentire noluiſſet; obteſtans, ſe non illum dimiſſurum, niſi talem vulpem tantæ manſuetudinis & calliditatis, qualis vulpes ſua fuerat, reſtituta eſſet. ipſa ſuam in mediũ vulpem protulit. Quæ coram Rege & omni multitudine, omnes mores, & ſubtilitatem docibilem variis artibus alterius agens vulpis, in eadem forma prioris palam omnibus luſit. Tunc Rex placatus eſt, hæc videns: & optimates eius cum ingenti plauſu multitudinis admirantis mirabile factum, illum ſolui, & liberum abire, qui fuerat ante reus delicti, iuſſit.

Nec multo poſt, cùm S. Brigida ſolutione ipſius & libertate facta, ad ſuam rediret domum, ipſa vulpes doloſa ſe inter turbas torquẽs, & callidè mouens, fugitiua ad loca deſerta & ſylueſtria, & ad ſuum antrũ, multis equitibus & canibus ſequentib' ſe, illudens ac per patentes campos fugiens, incolumis euaſit. Et omnes admirantes, quod factum fuerat, priuilegio ſanctitatis, & prærogatiua multarum virtutum ſemper pollentem maioribus geſtis ſanctam venerati ſunt S. Brigidam.

Et cùm in alia die anates pectore carnali natantes in aqua, & per aëra interdũ volitantes, beata vidiſſet Brigida; eas ad ſe venire iuſſit. Quæ pennigero volatu, & toto ardore obedientiæ eius vocib', tanquã humana cura cõſuetę, ſine vlla formidine multitudo ad eam volitauit. Quas manu tangens, & amplectens, & per aliquantum temporis hoc idẽ faciens, redire ac volare ſuis in aërẽ alis permiſit. Collaudans creatorem omnium rerum, cui omnia ſubiecta ſunt animantia, & cui omnia viuunt, vt quidem ait, officio gerendi.

Et ex his omnibus manifeſtè colligi poteſt, quod omnis natura beſtiarum & pecorum & volucrum ſubiecta eius fuit imperio. Et hoc eius miraculum omnibus ſeculis celebrandum, auribus fidelium inſinuandum eſt.

Nam cùm femina ſaluberrima verbi Dominici ex more ſuę conſuetudinis omnibus ſeminaret, vidit nouem viros in quadam forma ſpeciali vanæ & diabolicæ ſuperſtitionis plauſum habentes, vocis ridiculæ ac inſaniam mentis maximam. in quorũ viis contritio & infelicitas, & antiquo hoſti, qui in illis regnabat votis ſceleſtiſſimis & iuramentis, ſitientes effuſionẽ ſanguinis, antequã Calendæ Iulij illius Menſis superuenirent, venturi, aliorũ iugulationẽ & homicidia depoſuerũt. Quibus reuerentiſſima & affabilis Brigida melliflua verborum copia prędicauit, vt mortiferis erroribus relictis, crimina per cordis compunctionem & veram delerent pœnitentiam. Qui hebetudine mentis

Digitized by Google

ſuæ,niſi prius vana ſua complessent vota,illud reſiſtentes,in viam per- rexerunt ſuam; & pro hac refuſis ad DEVM precibus affluenter vene- ratæ virginis, volentis Domini exemplo, omnes ſaluos fieri, & ad a- gnitionem veritatis.

Et egredientes illi nefarij imaginem inſtar viri, quem debuiſſent iugulare, contemplantes, & continuo ſuis iugulantes lanceis, & gladiis decollantes, quaſi poſt triumphum de ſuo aduerſario armis ſanguineis reuerſi multis apparuerunt. Mirum in modum cùm neminem occide- rent, illis viſum eſt compleſſe ſua vota; atquè cum nemo deerat de illa Prouincia, de quo illi triumpharent, largitas diuini muneris per ſan- ctiſſimam BRIGIDAM facta omnibus innotuit. Et ſic illi, qui antea e- rant homicidæ, per pœnitentiam ad Dominum conuerſi ſunt.

Et in hoc opere per ſanctam BRIGIDAM cultu inenarrabili ſa- cræ religionis diuina manifeſtata eſt potentia. Illam enim, LVGVIDI- NAM nomine, validus vir valdè, & virorum fortiſſimus, duodecim vi- rorum opera per ſemetipſum tota fortitudine ſui corporis, in vna, cùm vellet, laborans die; & cibaria, quibus ſufficienter XII. viri veſci poſ- ſent, ſimul comedens, (ſicut enim illorum opera ſolus, ſic & cibaria æ- quali modo vnus contra plures comedere poterat) deprecatus eſt, vt i- pſa Dominum oraret Omnipotentem, vt eius ingluuiem, qua ſuper- flua deuorabat, temperaret; nec antequam virtutem ſui corporis pro hac amiſiſſet cauſa. Et ſic illa BRIGIDA illum benedicens, & pro illo Dominum orans; ipſe poſtea victu vnius viri ſatis contentus, ac, vt antea ſolebat, laborans, ſicut duodecim operarij operabatur, in eadem antiqua permanſit virtute.

Item arbor quædam grandis, & maxima, ad aliquem paranda v- ſum, cum his, qui artificia exercere ſolebant in ligna lignorum ſecuri- bus excisa eſt. Ad quam conuentio virorum fortium propter eius mo- leſtiam & ingentem molem, loca difficillima in quibus ramorum cum fragore ſuorum, vt deponerent, attraherent cum multis bubus, & ar- tificum machinis ad locum deſtinatum, vt neceſſitas rei poſcebat, con- gregata eſt. Et cum nec multitudo virorum, vires boum, & variæ arti- ficum artes, mouere vel trahere vllo modo poſſent eam arborem; re- cedentibus cunctis ab ea, per fortiſſimam fidem beatæ BRIGIDÆ gra-
Matth. 17. no ſinapis ſimilem, per quam fidem, vt Magiſter cœleſtis organo euan- gelicæ vocis docet, montes mouentur; ſic poſſibilia ſunt omnibus cre- dentibus, eam grauiſſimam arborem Euangelicę virtutis, per diuina myſteria, nullo mortalium auxilio leuantes, ſine vlla difficultate ad lo-

cum,

Digitized by Google

eum, quem voluit S. Brigida, detulerunt. ac per omnes prouincias tanta diuinæ virtutis excellentia diuulgata eſt.

Et noſtro occurrit animo, non excludere & hanc virtutem ſilentio noſtro.

Quidam enim vir ſecularis, & gente nobilis, & doloſus moribus exardeſcens in cuiuſdam fœminæ concupiſcentiam, & quo modo eius concubitu frui poſſet callidè cogitans. ac ſentem argenteam precioſam in depoſitum ſibi commendans, quam doloſè retraxit illa ignorante, & iecit in mare, & cum ipſa non poſſet reddere, ſibi eſſet ancilla, & eius poſtea vteretur, vt vellet, amplexibus, machinatus eſt hoc perficere malum, nulla alia re ac redemptione placatus fieri pôſſe dicens, niſi aut propria ſibi ſente argentea reddita, aut ipſa fœmina in ſeruitutem ſibi redacta pro cauſa culpabili fragilis concupiſcentiæ vteretur. Et hæc timens pudica fœmina quaſi ad ciuitatem refugij tutiſſimam, ad ſanctam Brigidam confugit. Quæ cum talem comperiſſet cauſam, vel quid pro hac re ageret, cogitaret; cum nec dum verba compleſſet, ſuperuenit ad ſe quidam cum piſcibus de flumine tractis. Cumquè illorum viſcera exciſa & aperta eſſent, ſentis illa argentea, quam ille crudelis iecit in mare, in medio vnius piſcis reperta eſt. Et ſic poſtea ſecura mente eandem ſentem ſecum portans; & ad conuentum multitudinis pro hac culpa cum tyranno infami progrediens, & monſtrans ſibi eandem ſentem multis teſtantibus, qui eam agnoſcere poterant, non aliam eſſe, ſed ipſam, de qua talis ſermo ferebatur, adhærentem ſibi feminam pudicam de manibus tyranni crudeliſſimi liberauit. Ille verò poſtea confitens ſuam culpam, S. Brigidæ humiliter ſua ſubdidit colla. Tunc illa ab omnibus glorioſa peracto hoc ingenti miraculo gratias agens Deo, & omnia in eius gloriam faciens, domum rediit propriam.

Et his miraculis glorioſum eius cum aliqua fideli fœmina hoſpitium iungi debet. quo proſperum iter faciens S. Brigida in Dei voluntate in ampliſſimo campo Breg, cùm declinaret ad veſperum dies, ad habitaculum eius veniens cum ea pernoctauit. Quæ obuiis manibus & gratulanter ſuſcipiens, gratias Omnipotenti agens de felici aduentu reuerentiſſimæ Brigidæ virginis Chriſti.

Cumq; non haberet propter ſuam inopiā vndè tales nutriret, & cibū, vnde tales hoſpites cibaret, incidens ligna telaria, in quib' textura telarū operabat, in paſtu ignis, vitulū ſuū, quem occidit, ſuper ſtruem

lignorum ipſorum ponens, igni aſſauit cum bona voluntate. Et cœna facta, & nocte aſſuetis tranſacta vigiliis, expergiſcente poſt illam de mane noctem, vt nullum de receptione, & refectione S. BRIGIDÆ vllius rei ſuſtineret damnum ipſa hoſpitalis, quæ vitulum amiſerat ſuæ vaccæ, alterum in eadem forma vitulum cum ſua inuenit vacca; quem vt priorem ipſa dilexerat. Et telaria ligna ſimiliter ſibi præ ceteris reparata, in tali forma, & quantitate, in qua priora fuerant, contemplata eſt.

Et ſic S. BRIGIDA felici progreſſu, & mirabili facta virtute, & habitatoribus valedicens, pontifice in ſuam viam perrexit.

Et ecce in tanta miraculorum magnitudine hoc eiuſdem opus præclarum admirari ſolet. Tribus enim leproſis poſtulantibus munus aliquodcunq; ab ea accipere, vas largita eſt argenteum. Et ne illis eſſet cauſa dicordiæ & contentionis, ſi illi inter ſe diuiderent, cuidam in ponderibus auri & argenti comperto dixit, vt inter illos hoc ponderaret tribus æqualibus partibus. Cũq; excuſare ſe cœpiſſet dicens ponderare ſe æqualiter non poſſe; ipſa feliciſſima BRIGIDA apprehenſo vaſe argenteo, allidit contra lapidem, & confregit in tres, vt voluit, æquales partes. Mirum in modum, cum poſtea iſtæ tres partes in pondere eſſent emenſæ, nulla pars alia minor vel alia quæ aliam ſuperaret, licet vno obulo, de his inuenta eſt tribus partibus. & ſic ipſi pauperes ſine vlla iniuriæ & inuidiæ cauſa læti receſſerunt cum ſuis donis.

Secundum enim beatiſſimi IOB exemplum nunquam inopes à ſe recedere ſinu vacuo paſſa eſt. Nam veſtimenta tranſmarina & peregrina EPISCOPI CONLEATH decorati luminis, quibus in ſollemnitatibus Domini & vigiliis Apoſtolorum ſacra in altaribus offerens myſteria vtebatur, pauperibus largita eſt. Et cũ tempus ſollemnitatis aduenit, ſecundum conſuetudinem, vt ipſe ſummus populorum Pontifex ſuis indutus eſſet mutatoriis veſtibus, S. BRIGIDA, quę priora veſtimenta illius Epiſcopi CHRISTO in forma pauperum poſito donabat; alia ſimilia per omnia veſtimenta prioribus tam texturis, quàm coloribus, quæ in illa hora à Chriſto, quem per pauperem induebat, perlata in curru duarum acceperat rotarum, tradidit pro aliis. Voluntariè enim alia pauperibus veſtimenta obtulit, & hæc pro eis oportunè recepit. Nam cùm ipſa eſſet viuum & feliciſſimum ſummi capitis membrum, potenter omnia, quæ deſiderabat, operabatur.

Itẽ & hoc S. fulſit BRIGIDA miraculo. quia cũ Regis illius patriæ in qua

qua ipſa fuit, per plebes & prouincias, quæ ſub eius erant ditione, præceptum inualeſceret, vt de omnibus eius regionibus & prouinciis conuenirent populi omnes, atque ædificarent viam latam, & firmam ramis arborum, petris in fundamento poſitis, & munitionibus quibusdam firmiſſimis in gronna profunda & penè intranſmeabili, & in locis humentibus, atq; in paludibus, in quibus grandis currebat fluuius; quæ conſtructa quadrigas, & equites, & currus, & plauſtrorum rotas, & impetum populorum atque incurſum vndiq; hoſtium ſuſtentare poſſet.

Conuenientibus autem vndique populis per cognationes, & familias diuiſerunt viam illam, quam ædificare debuerant, in partes proprias; vt vnaquæque cognatio & familia ſuam ſibi creditam conſtruxiſſet partem. Et cum illa pars fluminis difficillima, & laborioſa in ſorte alicuius ex ipſis nationibus eueniſſet: ipſa Natio duriſſimum deuitans laborem, per ſuam fortitudinem S. BRIGIDÆ infirmiorem coëgit nationem, vt hanc operaretur difficilem pariter in ſtructura viæ; vt ſuam quam faciliorem habebat partem eligens, ipſa crudelis Natio ædificaret ſine vlla fluminis perturbatione.

Atque cùm ad S. BRIGIDAM ſui ſecundum carnem cognati fuiſſent religioſè poſtrati, ipſa illis probabiliter dixiſſe fertur, Abite, voluntatis DEI eſt & poteſtatis, vt ille fluuius tranſeat de loco, in quo eſt, & vbi vos dura opprimunt opera, in illam quam ipſi elegerunt partem. Et cum de mane ipſius diei omnes ſurrexiſſent ad opera populi, fluuius ille, quem querebantur, viſus eſt reliquiſſe ſuum locum antiquum, & conuallem, inter ambas currere ſolebat ripas, & tranſmutaſſe de parte, vbi S. BRIGIDÆ natio compulſa operabatur, in illorum fortium & ſuperborum partem, qui alios pauciores & infirmiores ſe iniuſtè & duriſſimè operari compellebant; & in teſtimonium virtutis veſtigia fluminis, & vallis vacua, vbi inundans & emanans antiquo currebat fluuius tempore, ipſo ad alterum flumine recedente locum; ipſe locus ſiccatus ſine vllis apparet fluitantibus aquis.

Non ſolum autem in ſua vita carnali, antequam ſarcinam deponeret carnis, virtutes operata eſt plurimas, ſed largitas diuini muneris in ſuo Monaſterio vbi eius venerabile requieſcit corpus, ſemper operari virtutes non ceſſat, quas nos virtutes non ſolum audiuimus, ſed etiam oculis noſtris vidimus.

Marianus Scotus ait obiiſſe ſub Iuſtino Seniore Imp. anno 524 quem potius ſequor cum Baronio tom. 7. an. 521. num. 41. quàm Sigebertum. NB.

Nam PRÆPOSITVS maximi & clariſſimi Monaſterii S. BRIGIDÆ, de quo in eius opuſculi principio breuem fecimus mentionem, operarios & lapidum cæſores quærere lapidem & incidere molarem, per loca quæcunque ibi poſſent inuenire, transmiſit. Et illi ſine vlla prouidentia viarum arduam aſcendentes viam, ad cacumen petroſi montis perrexerunt, & elegerunt lapidem grandem in ipſo montis altiſſimi cacumine. Et cædentes eum de omni parte in rotundum, & perforatum malorem lapidem formauerunt. Cum vero PRÆPOSITVS de MONASTERIO inuitatus ab eis veniſſet cum bubus ad illum montem, in quo lapis formatus fuit molaris, atque cum boues ſecum propter arduam montis aſcenſionem trahere & cogere non poſſet: duriſſimum iter cùm paucis illum ſequentibus vix aſcendere potuit.

Ille vero cùm omnibus ſuis operariis, dum cogitaret quomodo illum molarem deportaret lapidem de iugo altiſſimi montis, cùm boues in illo prærupto montis ſub oneribus & iugum eſſe nullo modo potuerint. Tunc facta deſperatione, aliis ex eis deſcendentibus, illum deſerere lapidem, & eos in vanum laboraſſe, qui illum formauerunt. Ille PRÆPOSITVS prudenti diſpenſatione, & conſilio ſuis operariis fideliter dixit, Nequaquam hoc ita fiat; ſed hunc leuate viriliter molarem, & ſubmittite in præcipitium de altiſſimo iſto montis cacumine, in nomine & virtute reuerentiſſimæ S. BRIGIDÆ. Quia nos nullis artificiis & viribus per iſta loca petroſa hunc molarem lapidem poſſumus portare, niſi BRIGIDA, cui nihil impoſſibile eſt, ſecundum illud quod omnia poſſibilia ſunt credenti illum portauerit ad locum, ex quo vires boum trahere ipſum poſſint. Et ſic fide firma præcipitans illum in vallem, & paulatim de monte aſcendens, aliquando petras deuitans, aliquando ſuper eas ſaliens, & in locis currens humidis in radice montis poſitis, in quibus nec homines nec boues ſtare poterant, pro illorum funditate, mirabili comitatu vſque ad loca plana ſine vlla fractione, vbi illorum erant boues, cum eis progreſſus eſt. Et exinde cum bubus, vſque ad molendinum vectus eſt, artificiosè cùm altero iunctus eſt lapide.

Et vt plus iſte molaris lapis, qui in nomine beatæ directus eſt BRIGIDÆ, omnibus adhuc innoteſceret, addit & hoc inauditum antea & præclarum miraculum. Nam cum quidam paganus ac molendino vicinus ſuo habitaculo doloſè per alium ſimplicem virum, ignoraüite molendinario, qui opus molituræ exercebat, ſuum

granum

granum ad hoc tranſmiſit molendinum. Et cùm inter hos molares tranſiectum & fuſum fuiſſet lapides; illum ſupradictum lapidem molarem nullus impetus fortis fluminis & nulla aquarum violentia, nulla artificum conamina mouere potuerunt. Et dùm illi, qui hoc viderunt, de hac re cogitarent, nimio perculſi ſtupore, granum illud magi eſſe cognoſcentes, nullo modo dubitabant, quod ille molaris lapis, in quo S. BRIGIDA virtutem operata eſt diuinam, granum gentilis hominis in farinam comprimere reſpuiſſet. Et ſtatim tollentes foras granum ipſius pagani, & ſuum granum monaſteriale ſubter molarem illum lapidem ponentes, curſus ſolitus, & quotidianus ſine vllis impedimentis reparatus eſt molæ.

Et poſt interuallum temporis accidit, vt molendinum ipſum igne conbureretur. Nec & hoc paruum fuit miraculum, cum ignis totam domum combureret, & alterum lapidem, qui iunctus ſupra dicto lapidi fuit; hunc tantum ſpecialem S. BRIGIDÆ lapidem nullo modo tangere eſt auſus & comburere. ſine vlla moleſtia ignis in magno molendini incendio permanſit incolumis.

Poſtea hoc viſo miraculo ad Monaſterium perlatus eſt, & iuxta portam interioris caſtelli, quo Eccleſia ambitur, vbi multi conueniunt ob venerationem S. BRIGIDÆ in ipſa porta honorificè poſitus eſt, & de fidelibus hunc lapidem tangentibus morbum expellllit.

Nec & de miraculo in reparatione Eccleſiæ tacendum eſt, in qua glorioſa amborum, hoc eſt EPISCOPI * CONLEATH & huius virginis S. BRIGIDÆ corpora à dextris & à ſiniſtris altaris decorati, in monumentis poſita ornatis, vario cultu auri & argenti & gemmarum, & pretioſi lapidis, atq; coronis aureis & argenteis deſuper pendentibus requieſcunt.

** Iam antea citati ex Giraldo hos verius: In Burgo Duno tumulo tumulantur in vno, Brigida, Patritius, atq; Columba pius.*

Eccleſia namque creſcente numero fidelium & vtroque ſexu, ſolo ſpatioſa, & in altum minaci proceritate porrecta, ac decorata pictis tabulis, tria intrinſecus habens oratoria, ampla & diuiſa parietibus tabulatis, ſub vno culmine maioris domus, in quo vnus paries decoratus, & imaginibus depictus, ac linteaminibus tectus, per latitudinem in orientali Eccleſiæ parte, à pariete ad alterum parietem Eccleſiæ ſe tetendit; qui in ſuis extremitatibus duo habet in ſua oſtia; & per vnum

oſtium

Digitized by Google

oſtium in dextera parte poſitum intratur ad ſanctuarium ad altare ſummus Pontifex cum ſua regulari ſcola & his ſacris ſunt deputati miniſteriis, ſacra ad dominica & immolare ſacrificia. Et per alterum oſtium in ſiniſtra parte parietis ſupra dicti & tranſuerſi poſitum, Abbatiſſa cùm ſuis puellis & viduis fidelibus tantum iuerat, vt CONVIVIO CORPORIS & SANGVINIS fruantur IESV CHRISTI. atque alius paries pauimentum domus in duas æquales diuidens partes; à parte orientali vſque ad tranſuerſum in latitudine parietem extenſus eſt. Et hæc tenet Eccleſia in ſe multas feneſtras, & vnam in latere dextro ornatam portam, per quam ſacerdotes & populus fidelis maſculini generis ſexus intrat Eccleſiam; & alteram portam in ſiniſtro latere, per quam virgines & fidelium fœminarum congregatio intrare ſolet, Et ſic in vna Baſilica maxima, populus grandis in ordine, & gradibus, & ſexu, & locis diuerſis interiectis & inter ſe * partibus, diuerſo ordine, & vno animo Dominum Omnipotentem orat.

fort. parietibus.

De hoc antiquo more quo fœminæ à viris ſeparatæ orabant in templis Clem: conſt. lib. 2° cap. 61. Greg. Naz. in ſom. de Anaſtaſia. Ambroſ. ad virg. laps. Baron. in apparatu Eccleſ. annum. 52.

Et cum oſtium antiquum portæ ſiniſtralis, per quod ſolebat S. BRIGIDA Eccleſiam intrare, ab artificibus in ſuis eſſet cardinibus ſitum; totam concludere portam inſtauratam & nouatam nouam non potuit. Quarta enim portæ pars aperta ſine concluſione & patefacta apparebat. Et ſi addita & iuncta ad altitudinem oſtij quarta pars fuiſſet, tunc totam concludere portam poſſet altam & inſtauratam. Et cùm artifices alterum maius nouum facere oſtium deliberarent, quod totam concludere portam, aut tabulam facere iunctam in vetus oſtium, vt poſtea ſufficere poſſet, prædictus doctor & omniũ præuius artifex HIBERNENSIVM prudenti locutus eſt conſilio: In hac ſuperuentura nocte orare dominum iuxta S. BRIGIDAM fideliter debemus, vt ipſa nobis de mane, quid in opere hoc acturi ſumus, prouideat. Et ſic orans iuxta monimentum S. Brigitæ totam noctem tranſegit,

Et manè ſurgens oratione præmiſſa oſtium antiquum trudens ac ponens in ſuo cardine, ianuam concluſit totam: nec aliquid defuit de ipſius plenitudine, nec vlla in eius magnitudine ſuperflua pars reperta eſt. & ſic S. BRIGIDA illud oſtium extendit in altitudinem, vt tota porta illa ab eo ſit concluſa, nec in ea vllus locus patefactus videatur

tur

tur, niſi cùm oſtium retruditur, vt Eccleſia intretur. Et hoc virtutis dominicæ oculis omnium videntium miraculum, illam ianuam & valuam manifeſtè patet.

Et quis ſermone explicare poteſt, maximum decorem huius Eccleſiæ, & innumera illius Ciuitatis quî dicemus miracula? ſi fas eſt diciCiuitas, de qua vita in ſe multorum nomen accepit. maxima hæc ciuitas & METROPOLITANA eſt,in cuius ſuburbanis,quę ſancta certo limite deſignauit BRIGIDA,nullus carnalis aduerſarius,nec concurſus timetur hoſtium. ſed Ciuitas eſt refugii tutiſſima deforis ſuburbanis in tota SCOTTORVM terra, cum ſuis omnibus fugitiuis in qua ſeruantur theſauri Regum,& decorati culminis excellētiſſima eſſe videntur.

Et quis enumerare poteſt diuerſas turbas & innumerabiles populos de omnibus prouinciis confluentes? alij ab epularum abundantiam,alii languidi propter ſanitates,alii ad ſpectaculum turbarum; alii cùm magnis donis venientes ad ſolemnitatem Natiuitatis S. BRIGIDÆ,quæ in die Kalendarum Februarii Menſis dormiens ſecurè ſarcinam deiecit carnis, & agnum DEI in cœleſtibus manſionibus ſecuta eſt.

Veniam peto à fratribus & lectoribus hæc legentibus, qui cauſa obedientiæ coactus, nulla prærogatiua ſcientiæ ſufflatus, pelagus immenſum virtutum S. BRIGIDÆ & viris fortiſſimis formidandum, his paucis ruſtico ſermone dictis virtutibus de maximis & innumerabilibus currerim.

Orate pro me COGITOSO NEPOTE culpabili, & vt oratione veſtra pio Domino me commendetis exoro, & DEVS vobis pacem Euangelicam ſectantes exaudiat.

Explicit Vita S. Brigidæ Virginis.

Digitized by Google

Acta

S. ALBANI

MARTYRIS,

INCERTO AVCTORE.

Sed eſſe videtur auctor

SIGEARDVS

MONASTERII S. ALBANI MONACHVS.

Nunc primum ex membranis m. ſ. Monaſterij Rebdorfenſis propè Eichſtadium edita.

ITEM ALIA

Acta

EIVSDEM

S. ALBANI

INCERTO AVCTORE,

Nunc primum ex membranis m. ſ. Monaſterij VVindbergenſis in Bauaria edita.

Digitized by Google

Ad Lectorem.

MARTYROLOGIVM ROM. XXI. IVNII.

Moguntiæ ſancti Albani Martyris, qui ob Chriſti fidem poſt lõgos labores & dura certamina factus eſt dignus corona vitæ. Hæc Martyrolog. vbi notat Baronius: De eodem hac die Beda agit pluribus, quem & ſecuti ſunt nonnulli. Huius res geſtas metricè ſcripſit. Rupertus monaſterii S. Albani, vt teſtatur Tritthem. in chron. Hirſaug. idemq; in Epiſtola ad Albertum Epiſcopum Moguntinum refert acta eius ſcriptis mandata à* Sigeardo monacho eiuſdem Monaſterij. De tempore Martyrij huius magna inter ſcriptores varietas reperitur; ſiquidem Beda, & alij eum ſecuti, paſſum referunt temporibus Diocletiani. contra vero alij, vt Petr. in catal. lib. 10. cap. 97. & Galeſ. dum agunt de Theonesto eius Martyrij ſocio, die 30. Octobr. temporibus Damaſi, ab Arianis necatum affirmant. Profitetur idipſum Molan. in addit. ad Vſuard. edit. 2. hac die. Diuerſè ab his omnibus Sigebert. in chron. dum Albani & ſociorum Martyrium refert contigiſſe anno Domini 425. Habemus in vet. cod. manuſcript. vitam S. Albani, cuius eſt exordium: Erat olim in partibus Aquilonis &c. Sed quæ videatur apocrypha, nullamq; ſibi veriſimilem ſaltem vendicet auctoritatem. Hæc Baronius. Cum igitur de S. Albano tanta ſit diuerſitas, cumq; multi docti auidè deſiderent Acta eius, noſque ea nacti ſimus, & quidem non vna tantum, ſed duplicia, noluimus publico negare. Hoc tamen monemus. Videntur quædam in illis ineſſe in quibus autoris fides vacillet quod de S. Vrſo Auguſtæ Vindelicorum Martyrio affecto dicitur, nobiliſſimus

* circa annum 892.

* año 1297.

nus Marcus Velſerus lib 8. Rerum Auguſtanarum anno 425. confutat cùm non de Auguſta Vindelicorum, ſed de Auguſta Prætoria Salaſſorũ intelligi debeat. Sed nos eo conſilio publicamus, vt habeant docti, vbi induſtriam exerceant, & verum à falſo ſecernant. aliter enim nolo ego hic meam ſententiam interponere. Quæ hactenus lucem non viderunt, ea in lucem depromimus, vt eorum collatione tandem hiſtorica veritas de S. Albano pateat & illuſtretur. Quis ſit auctor horum Actorum non conſtat. Sed ſi coniecturæ locus eſt, videtur eſſe Sigeardus monachus Monaſterij S. Albani, qui anno 1297. Scripſit Acta S. Albani, teſte Trithemio. Hæc coniectura probabilis ſit ex capite penultimo & vltimo horũ Actorum: præſertim cùm ibi tam expreſſè meminerit Monaſterij S. Albani præſertim firmant coniecturam hæc capitis 37. vltima verba bene perpenſa: Vnde hodieque fratribus miniſtratur dieta. *Habet eadem Acta m. ſ. Marcus Velſerus. Porro cum in m. ſ. membranis VVindbergenſibus ſint alia Acta breuiora, eiusdem S. Albani, incerto autore, volui & illa dare.*

Digitized by Google

INCIPIVNT CAPITVLA IN PASSIONEM S. ALBANI MARTYris.

1. QVOD Dominus à mortuis reſurgens, & in cælum aſcendens, Apoſtolos ad prædicandum mittit.

2. Quod ex prædicatione Apoſtolorum creuit ſancta eccleſia, vſq; ad Martyrium roborata.

3. Quod ſanctus Albanus fidei & conſtantiæ merito inter martyres coronatus eſt.

4. Quod ſub beato Theoneſto ſacris literis eruditus eſt.

5. Quomodo Deus Theoneſtum & Albanum ſociauit, dans cor vnum & animam vnam.

6. Quod ſanctus Albanus vitam magiſtri imitatus in perfectione vitæ Domino placuit.

7. Quod ſanctus Theoneſtus beatum Albanum ad ſacerdotium promouit.

8. Quod temporibus Archadij & Honorij Arriana hæreſis eccleſiam impugnabat.

9. Quod his diebus per Catholicos ſacerdotes Carthagine Conciliũ celebratum eſt, & Arriana hæreſis damnata.

10. Quod poſt hæc Honoricus VVandelorum Rex aliud congregauit concilium, & ſanctos patres exiliis deſtinauit.

11. Quod eodem tempore S. Theoneſtus à ſede ſua depulſus eſt.

12. Quod Romanam ſedem adire diſpoſuit.

13. Quod quatuor diſcipulos comites elegit Albanum, & Vrſum, Thabraham & Thabratham.

14. Quod ſanctus Theoneſtus cum diſcipulis Romam venit, & ſancto Papæ Leoni cauſam ſuæ peregrinationis indicauit.

15. Quod aliquamdiu apud eum commoratus, ad prædicandum miſſus eſt.

16. Quod cum diſcipulis Romam egreſſus, Mediolanum ad S. Ambroſium venit & alter alteri enarrat, quod pro Chriſto pertulẽr.

17. Quod Ambroſius cum Theoneſto Arrianos Mediolani deuicit.

Quod

Quod Ambroſius Theodoſio iuniori aduentum S. Theoneſti indicauit. 18.

Quod S. Theoneſtus à Mediolano diſcedens Auguſtam venit, & contra Arrianos ibidem conflixit. 19.

Quod diſcipulus eius Vrſus ibidem martyrium paſſus eſt. 20.

Quod S. Theoneſtus inde diſcedens ad ſanctum Sigiſmundum Regem Allogobrum venit, & ad ſanctum Paulinum Treuirenſem ab eo directus eſt. 21.

Quod S. Paulinus beatum Theoneſtum fraternè recepit & benignè conſolatus eſt. 22.

Quod beatus Theoneſtus à Treueris diſcedens Mogontiam venit. 23.

Digreſsio ab hiſtoria, & deſcriptio quis primo condiderit Mogontiam. 24.

Quomodo in perſecutione Hunnorum Mogontia deſtructa eſt. 25.

Quomodo poſtea à Catholicis principibus mutato loco iuxta Renum fundata eſt. 26.

Quomodo primatum totius Galliæ & Germaniæ à Romana ſede per S. Bonifacium accepit. 27.

Quod S. Theoneſtus Mogontiam Arriana hæreſi profanatam inuenit. 28.

Quod fidem Catholicam ibidem contra hæreticos defendit. 29.

Quod beatus Albanus iuſſu magiſtri contra Arrianos diſputare cœpit. 30.

Quod S. Albanus captus ab Arrianis tormentis affectus eſt. 31.

Quod Arriani S. Albanum poſt varia tormenta capitali ſententiæ addixerunt. 32.

Quod S. Albanus flexis genibus ceruicem ſpiculatori præbuit, & ſic martyrium compleuit. 33.

Quod S. Albanus abſciſſum caput in manibus tollens detulit ad eum locum, vbi modo quieſcit, & quod exequias eius cœleſtis militia proſecuta eſt. 34.

Quod ſepulchrum eius miraculis cœpit celebrari. 35.

Quod Richolfus Archiepiſcopus Eccleſiam ſancto Albano fabricauit, & Theſauris ac prædiis eam ditauit. 36.

Quod propter loci ſanctitatem principes regni ibi ſe popoſcerant ſepeliri. 37.

Laus Mogontiæ, & exhortatio ad celebrandum natalem martyris. 38.

Expliciunt capitula.

Paſsio

Digitized by Google

PASSIO SANCTI ALBANI MARTYRIS.

1. Pſal.17,10. POſtquam æterni Patris vnigenitus, & verbum Dei ad reparationem noſtram inclinauit cœlos,& deſcendit,& ſeipſum noſtræ redemptionis ſacrificium offerens in ligno pependit,morteq; ſua deſtructo eo, qui habebat mortis imperium, reſurgens, ad conſeſſum paternæ maieſtatis gloria & honore coronatus aſcendit, primitiæ electionis, beati Apoſtoli baptizati ſpiritu ſancto,& igni,mundũ idololatriæ ſpinis horrendum, vomere prædicationis aggreſſi ſunt,ac diuini verbi ſemen ſuper rationalem terram vſquequaq; ſparſerunt. Ex qua feliciſſima ſatione, fœcundante Spiritu ſancto, fidelium ſeges animarum emerſit, & diuina propagante gratia mundi terminos exuberanter impleuit.

2. Epheſ.4.5. Pſal.44.10. Hæc eſt glorioſa virgo mater eccleſia,quam ex omni gente & natione in vnitate religionis colligit vnus Dominus,vna fides,vnum baptiſma. Hæc in veſtitu deaurato aſſiſtens à dextris Regis fulget circundata varietate decoris. Rutilat enim roſis martyrij purpurata, virginitatis liliis candidata,ſplendidiſſimo viuorum lapidũ ſtemmate coronata. Hæc eſt illa quæ aſcendit,ſicut aurora conſurgens, pulchra vt luna, Cant.6. electa vt ſol,terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Denique ex his caſtris,euangelicæ prædicationis,clangente tuba, proceſſerunt ſigniferi Chriſtianæ militiæ,victorioſi martyres,qui laudabili conſtantia, felici patientia,remunerabili perſeuerantia vſque ad ſanguinem reſtiterunt aduerſus diabolũ,eiuſq; antichriſtos repugnantes. Quorum fortitudo quia in finem vſq; agonizans perſtitit, coronam victoriæ cum gloria 2,Tim.2.5. promeruit. Non enim coronabitur, niſi qui legitime certauerit.

3. M.S. triumphalis, Phil.1,21. Inter hos conſtans Chriſti Athleta & martyr ALBANVS, fidei fortitudine armatus,martyrij triumphali palma eſt glorificatus. Huic itaq; viuere Chriſtus erat,& mori lucrum. Quia mens in omnibus Deo dicata quidquid in conſummandæ virtutis exercitio patiebatur, non erat ei pœna, ſed gloria.

Hic

Digitized by Google

Hic deniq; primo currentis ætatis tyrocinio, ſub beato Theo-
neſto ſacris literis eruditus, diſcuſſa mundi nube, in lucem ſcientiæ
ſpiritualis emerſit; & tanto fouente viro, in nido fidei plumeſcens,
geminas charitatis alas, quibus in dilectione Dei & proximi cœ-
lum pereret, enutriuit. Siquidem ipſe beatus præſul Theonestvs Theone-
apud Philippos Macedoniæ vrbẽ in Cathedra Pontifica- ſtus apud
li præſidebat; in qua Patribus ab Apoſtolo Pavlo ordinatis, fidei Philippos
veritate, & morum grauitate ſucceſſerat. Qui cùm fœcundiſſimam Epiſcopus.
ſpiritualium filiorum ſobolem Chriſto Domino educaret, & in cu-
nabulis fidei lacte ſimplicitatis vſque ad ſolidum cibum vitæ perfe-
ctioris enutriret, memorabilis Albanvs inter ſcolares huius diſci-
plinæ alas, virtutum profectibus eminebat; & ea quæ retro ſunt, obli-
uiſcens, ad ea verò quæ ante ſunt, ſeipſum extendens, ad brauium ſu- Philip.3.
pernæ vocationis deuota mente currebat.

Verè mirabilis Deus in ſanctis ſuis, qui electos ſuos Theone- 5.
ſtvm & Albanvm ſociauit in vnitatem fidei & charitatis. & quibus Pſal.67,36.
mentis oculos diuinæ lucis ſplendor illuminarat, eos arctam viam
mandatorum Dei dilatato corde currentes ad vitam, quæ Chriſtus
eſt, eadem fides, ſpeſque ducebat. Erat enim illis cor vnum, & anima
vna, par in fide veritas, & in opere ſinceritas; eadem in aduerſis con-
ſtantia, & in tribulatione patientia, ſimilis obedientia in labore, per-
ſeuerantia in agone.

Venerabilis itaque Albanvs beati magiſtri vitam imitatus, 6.
ornamentis morum claruit, & bonis actibus Domino complacuit.
Mortificans enim ſeipſum vitiis, ibat de virtute in virtutem; aſcen- Pſal.83.6.
ſiones in corde ſuo diſponens in valle lacrimarum; quibus per angu-
ſtam viam ad vitam gradiens pertingeret ad videndum Deum deo-
rum in Syon. Capax namque diuinorum cor eius, & ſacratum Deo
templum corporis eius infronitos carnis impetus mentis legibus e- infrunitos
domabat, & prurientes mundi illecebras robuſto ſanctimoniæ & ca-
ſtitatis tenore calcabat. Spernebat ambitionem ſæculi: quia nihil per-
nitioſius, cùm acquirendi immoderatus ardor incanduit; & miſeri- Mat.9,13.
cordiam omnibus impendebat. quam Dominus in Euangelio eti-
am ſacrificiis prætulit. Exhibebat autem ſe cunctis tàm amabilem,
quàm imitabilem. Dulciſſimus in lenitate ſermonis, mitiſſimus in
manſuetudine conuerſationis. Tantum enim cœleſtis gratiæ fauor
eum perfuderat, vt à ſuis * diuerſoribꝰ, imò ab omnibꝰ diligi ac timeri * al. ſ. diuerſoribus.

Digitized by Google

mereretur. Quia vultu & habitu adeò modeſtus erat, vt nec triſtis ei ineſſet ſeueritas, nec remiſſa hilaritas; nec habitum eius aut ſuperbia inflarat, aut penuria ſordidarat. Nec ei ad ſuperfluum erat profuſa liberalitas, nec ad iactantiam oſtentaliter affectata frugalitas. In vigiliis pernoctans, corde & ore cœlo inſertus, aut orando cum Domino loquebatur, aut ſacris lectionibus vacans Dominum ſibi loqui meditabatur. Hauriebat etiam ex ipſis ſacris eloquiis exempla ſanctorum Patrum, & ſi quem diuino laudatum teſtimonio didiciſſet, ſubtili inueſtigabat mente, quibus meritis Deo placuiſſet; vt dum eius veſtigia imitaretur, ſimile teſtimonium à Deo mereretur. Accedebat ſane ad cumulum perfectionis eius ſanctiſſimum viri Dei contubernium, qui eum quotidiè verbis & exemplis ad vitam informabat; & quo illi eundum eſſet, verbo monſtrabat, & ipſe benè operando procedebat. Ipſe verò nolens ſe à tanto patre fieri degenerem, ſed potius probari in ſe ſtudens traducere tantæ virtutis æmulationem, monita ſalutis ſitibunda cordis aure bibebat, & præcedentem magiſtrum ad montem virtutum pede poſt pedem ſequebatur, vtpote quem toto affectu diligebat, non vt amicum æqualem, ſed vt animæ parentem.

7. Videns ergò ſanctus Pontifex tantum viri in Chriſto profectum, & quotidianis incrementis ad meliora profectum, deliberat eum officio promouere diuino, & iugum Chriſti imponere ſacerdotali miniſterio. vt qui ſe quotidianum Deo offerebat ſacrificium, carnem crucifigendo cum vitiis & concupiſcentiis, ipſe etiam per Missarum Solennia ad ſalutem totius Eccleſiæ celebraret myſteria ſalutiferæ paſſionis. Albanus verò oneri ſancti honoris imparem ſeeſſe pronuntians, & titulum tanti nominis humiliter declinans, tandem ne obedientiam humilitatis comitem deſereret, reſiſtendi pertinaciam depoſuit, & in ſacerdotii ordinem conſecrari promeruit. Ita dextera Domini exaltatus, & per ſancti præſulis manus impoſitionẽ, Spiritvs Sancti Chrismate ditatus in ſacerdotii dignitate Chriſto Domino conſecratus eſt miniſtrare. Hoc etiam exigebat temporis articulus, vt ad ſacerdotium accederet vir tum perfectus in cæteris, tum * perfluus in verbo prædicationis. Eccleſiam Arriana pulſabat impietas, ad confutandam perfidorum calumniam, ſacerdotalis eum roboraret authoritas.

* m.ſ. pſlu

8. Eodem tempore Arcadivs cum Honorio fratre imperii ſummam æqua ſorte gerebat, qui Theodosio patri hæreditario iure in

ſce-

Digitized by Google

ſceptro ſucceſſerant. Garriebat interea contra fidem eccleſiæ ARRIANÆ impietatis inſania. quoniam velut lætiferam mortificandis animabus toxicam per os ARRII antiquus hoſtis euomuit, & per vaſa iniquitatis venenum perfidiæ male condendo transfudit. Concepit enim dolorem, & peperit iniquitatem. Quam cum CATHOLICA NICÆNI CONCILII fides ſub CONSTANTINO Auguſto per trecentos decem & octo Patres iuſtè damnaſſet, & Chriſtum Dominum homouſion cum PATRE SPIRITVM quoque SANCTVM cum PATRE & FILIO vnius eſſentiæ & maieſtatis credendum, adorandumque firmaſſet, ARRIVS cum ſuis complicibus exilio deſtinati ſunt, & ſcandalorum iurgia in Eccleſia interim conquieuerunt. Poſt hæc diabolus iterum fremens ſopitas furoris flammas in pei' accendit, & per CONSTANTIVM Conſtantini filium rediuiua bella commouit. Qua tempeſtate multi teſtes Chriſti exilio relegati, multi ſunt martyrio coronati. Ad hoc perfidiæ incendium reſtinguendum plures probatiſſimi Patres per longa tempora validiſſimè decertauerunt, & ad hoc mortiferum dogma damnandum multa Patrum Concilia celebrata ſunt, tamen ad exercitationem fidelium, ſicut PHILISTHÆVM ad probationem Iſraël funditus illud Deus extirpare noluit; ſed velut tritura, & abiectio paleæ ad tritici pertinet purgationem, ita hoc ſemper pullulare permiſit ad fidelium probationem. Oportet, inquit Apoſtolus, hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant. Hoc itaque peſtiferi dogmatis venenum à prædicto iniquitatis fonte ARRIO vſque ad prædictorum Principum ARCADII, inquam, & HONORII tempora ſcatens, etiam tum vaſa mortis, in quibus transfunderetur, inuenit; & MACEDONIAM AFRICAM Q; imò totam pæne Eccleſiam grauiter concuſſit. 1. Cor. 11.

His ſanè diebus plurimis magnificis notarum frontium viris, & mirificis publicorum nominum ſacerdotibus, licet preſſuris decocta mater florebat Eccleſia, qui cœleſtem eius fabricam, velut columnæ ſolidiſſimæ ſuſtentando portarent, & contra hæreticæ impietatis iacula ferro fidei, & gladio ſpiritus defenſando protegerent. Horum communi decreto ad confutandas hæreſes CARTHAGINI, quæ eſt metropolis AFRICÆ, ſanctum celebratur CONCILIVM ducentorũ decem & ſeptẽ Patrũ. cui præſedit ſanctæ recordationis AVRELIVS eiuſdẽ vrbis Epiſcop', & magn' ille AVGVSTINVS HIPPONENSIS, & contubernalis eius ALYPIVS TAGASTENSIS, multiq; ꝑterea tàm ipſius

Concilium Carthaginenſe celebratum eſt anno 407.

Africæ, quàm & vicinarum regionum, & vrbium ſacerdotes, & conſtantiſſimi Chriſtianæ fidei confeſſores. vbi renouata eſt Apoſtolica NICÆNI Concilii fides, & cum ſuis auctoribus omnes hæreſes damnatæ ſunt.

10. Poſt hæc impiiſſimus HVNERICVS WANDALORVM REX poſt GEZERICVM patrem & TRASIMVNDVM fratrem, AFRICANVM occupat regnum; & ſicut ſceptri, ſic & ſceleris hæres, totam terræ illius gentem ad ARRIANÆ perfidiæ ſectam cogebat; non conſentientes verò tormentis ac diuerſis mortibus impellebat, cuius perſecutione quot martyrum millia ad Dominum tranſierint, nullius vel ingenii ſubtilitas comprehendere vel ſcribentis agilitas literis valet intexere. ſed teſtis eſt Eccleſia, quæ ad cœlos miſit; & Chriſti dextera, quæ perenni eos gloria coronauit. Idem autem perditionis filius poſt authenticum illud & catholicum, quod prædiximus, Concilium, iterum CARTHAGINE pſeudoſynodum ex diuerſis regionibus præcepit congregari, in qua cum Catholici quotquot aderant Patres, contra ARRIANÆ partis defenſores inſtantiſſimè confligerent; nec tantū poteſtate regia vrgente, ſancti Pontifices alii à ſuis ſedibus deturbantur, nonnulli in exilium deportantur, plurimi exquiſitis pœnarum generibus afficiuntur. Non ſolum autem illius prouinciæ, vel vrbis fideles, huius perſecutionis tempeſtas à crudeliſſimo HVNERICO tyranno exagitāta corripuit, ſed etiam vicinarum regionum & vrbium ſacerdotes, cum creditis ſibi ouibus, eadem dira lues inuaſit.

11. Contigit autem hac tempeſtate etiam beatiſſimum THEONESTVM cum Eccleſia ſibi credita eadem perſecutione vrgeri, & à PHILIPPIS præſulatus ſui ſede, perſecutore infeſtante depelli. Hic longa virtutum exercitatione iam dudum ad patientiam animum ſolidarat, nec ad futuram gloriam paſſiones huius temporis condignas
Rom. 8. 18 eſſe dicebat. Quapropter firmato animo decreuit potius perſecutori alicui deliteſcens ad tempus cedere, quàm hæreticæ communioni
Ioan. 7. 59 conſentire; attendens illud euangelicum: Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de templo. Poterat denique & PAVLO Apoſtolo, & beatiſſimo THEONESTO iam tunc martyrii palma præparari, quando ille
Act. 9. per feneſtram in ſporta eſt dēmiſſus, & iſte ſede ſua depulſus; niſi in hoc diuina prouidentia humanæ ſaluti conſuleret; vt hic per feneſtram demiſſus, totum, vt ita dicam, mundūm fidei ſacramentis imbueret; iſte verò pontificali ſolio depulſus multa ſanctorum loca circueundo, ad fidei conſtantiam, & martyrii palmam multos robo-

Digitized by Google

roboraret. Si enim tunc perſecutoris gladius THEONESTVM cum ſuis cooperatoribus coronatos ad ſuperna miſiſſet, quis poſtea tot hæreticos docuiſſet fidei veritatem? & quis tot ſchiſmaticis propoſuiſſet Chriſtianæ pacis vnitatem? quis confortaret tot fideles in tribulatione ad patientiam? quis tot martyres ſpe futurorum animaret ad coronam? ſi tunc ALBANVS cum THEONESTO ſuo Magiſtro victimatus occubuiſſet, quis te, MOGONTIA hodie roſeo ſanguine purpuraret? quis te ſuo martyrio coronaret? MACEDONIA quidem, vel AFRICA ſuis Martyribus gloriaretur: tua verò dignitas tanto patrocinio priuaretur. His ergo ſanctiſſimis viris dilata ſunt meritorum pręmia, non ſublata; promota eſt palma martyrii, non immutata pompa triumphi. Sed ad multorum ſalutem per ſummos erat illis agones tranſcundum, & ſic perenni felicitate trabeatos ad ſumma veniendum.

Sanctus igitur Pontifex THEONESTVS aſſumpto ALBANO, aliiſque diſcipulis, ROMANAM adire diſpoſuit ſedem, vt inde Apoſtolicã acciperet conſolationem. Elegit potius pro Domino in exteris finibus peregrinari, quàm intra ſinum patriæ perfidis committi. Non illum rei familiaris diſpendium temporale depreſſit, aut propoſito malè miſerantium ciuium ſuadela deflexit. Non illum affecit penuria, aut fregit iniuria; non dolor mentem exuſſit, aut corporis pœna concuſſit. Hæret in ſuis ſedibus fundata virtus, & deuotio ſancta altis fixa radicibus, per arma juſtitiæ à dexteris & à ſiniſtris, inter aduerſa & proſpera regiam graditur viam, per quam ipſe rex, qui via, veritas & vita eſt, æternam eum perducat ad vitam. 12. 2. Cor. 6. Ioan. 14.

Porrò in numero IV. Euangeliſtarum credens vnum ſibi ſufficere Chriſtum, ex Chriſtiana diſcipulorum ſchola, & ex omni ſpiritualium filiorum copia, IV. ſibi elegit, videlicet ALBANVM & VRSVM, THABRAHAM, & THABRATHAM, quos peregrinatiõis comites, agonis teſtes, coronæ participes ſecum fore decreuit. Proſequebatur interim diſcedentem patrem filiorum deuotio ſancta, pias fundens lacrimas, & miſerabiles in cœlum ſpargens querelas; clamans, oues paſtore deſtitutas, luporum dentibus exponi, nec eſſe qui eas debeat ab eorum infeſtatione tueri. Clerus, quotquot Hæreticis non conſenſerãt, Clerus, inquam, perditam deflet religionem, populus ingemit Chriſtianam opprimi veritatem. Quos pater ſanctiſſimus benignè conſolatus eſt: Vos, inquit, ei reſigno, qui mihi commiſit, ille vos tueatur, qui proprio ſanguine redemit. His & huiuſmodi mœrentium corda demulcens, & eleuatis manibus cœleſti eos benedi- 13.

Digitized by Google

ctione perfundens, in propria redire commonuit. Ipſe verò cum diſ-
cipulis, vt diſpoſuerat, ire perrexit.

14. Cumq; mœnia ROMANÆ arcis attingeret, & Sanctorum cœ-
miteria viſitans, agonem ſuum eorum patrociniis commendaret, A-
poſtolico tandem ſe repræſentat antiſtiti; MAGNO videlicet LEONI;
exponens qualiter ꝓ fidei defenſione propria depulſus ſede cogatur
peregrinari. Ille vero iuxta Apoſtolicā manſuetudinē, totius pietatis
viſceribus affluens, blādis eū fouet alloquiis; reuocās ad memoriā, qua-
liter Dn̄s Ieſus per totā Euāgelii ſeriē diſcipulos ad paſſiones anima-
Luc. 6. bat, & quā remunerationis mercedē paſſionibus deſtinabat. Beati, in-
quit, eritis, cum vos oderint homines, & perſecuti fuerint. Et: Beati
qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, & reliqua huiuſmo-
Pſ. 24. di. Hortatur quoq; Domini ſuſtinere miſericordiam. Et vniuerſi, in-
quit, qui ſuſtinent te, non confundentur. Et: ſi quid patimini propter
iuſtitiam, beati. His & huiuſmodi paternis conſolationibus viri Dei
animus ad patientiam roboratur, & ad perſeuerandi conſtantiam pia
longanimitate ſolidatur.

15. Cumq; apud eundem Apoſtolicæ ſedis præſulem aliquandiu
verſaretur, & quotidiè de ſacris ſcriptis cum eo conferens, de ſalute a-
nimæ, de cœleſti vita fabularetur, intellexit idem Deiloquus LEO ho-
minem Dei admodum in diuinis eruditū, & contra omnes hæreſes
gladio verbi Dei munitū: vnde & ſecum, Chriſto inſpirante, deliberat,
ꝙ vir tam neceſſarius Eccleſiæ Dei aliquorſum debeat ad p̄dicandum
deſtinari. Viſum eſt identidē viro Dei THEONESTO, ſicut idem Dn̄s
volebat, alia Sanctorum loca viſitare, eorumq; ſuffragia ſibi in aduer-
ſis conciliare, vt ſicubi prædicandi copia fieret in vinea Domini, vel
plantando, vel putando vſq; ad Euangelicum æternæ remuneratio-
nis denarium laboraret. Quod bonæ intentionis propoſitum cum
ROMANO referret pręſuli, ille videns ex ſententia cedere, quod prius a-
nimo deliberabat, gratias egit Domino Ieſu Chriſto, qui conſtantiſ-
ſimum ſui nominis defenſorem vſque ad hunc confortabat agonem.
Tandem ergo poſt ſanctæ exhortationis colloquia, & multifaria di-
uinæ religionis mandata, data prædicandi autoritate, cum Apoſtolica
benedictione hunc ſanctæ ſocietatis comitatum in viam pacis ſoluit
abire. Reuerendus autem THEONESTVS cum participibus ſuis à Ro-
MANA vrbe digreſſus, ſicut iam pridem animo deliberarat, Sanctorū
loca circumquaque viſitabat, nec vllum præterit ſeruorum Dei, cu-
ius notitiam & ſocietatem poſſet adipiſci. Poſt longos itaque difficil-

limi

Digitized by Google

ſimi itineris labores APPENNINI montis arreptans confraga, & rapidiſſimi PADI transmittens fluenta, vrbem MEDIOLANVM deuenit, vbi AMBROSIVM, in rebus Dei orbi terræ notiſſimum, Theologiæ vacantem inuenit. A quo benigniſſimè acceptus, & quàm religioſè, tam honeſtè detentus & habitus, exponit ei cauſam peregrinationis ſuæ, & ſeriem laboris; Indicans qualiter HVNERICI crudeliſſimi beſtialē expertus ſit furorem, & quam grauiſſimam eidem belluæ, & Arrianorū, quos defendebat, tulerit perſecutionem.

Ambroſius autem è contra denarrat ei, qualiter MEDIOLANI contra beſtias pugnauerit, & quomodo IVSTINA AVGVSTA Arrianæ impietatis alumna, quæ ab hæreticis venena male hauſerat, peius contra Eccleſiam euomuerit, & qualiter Eccleſiarū ſtatū turbando Sacerdotibus depulſiones, & exilia intentauerit; vſq; adeo IEZABEL ſpiritu animata omni oppugnationis genere eum fatigans, vt filius eius VALENTINIANVS inuidia, quam in AMBROSIVM mater eius conflauerat, accenſus armatorū manū ad Eccleſiā mitteret; oppugnari ſanctas frangi ianuas, ſacerdotē extrahi, & in exiliū protinus agi iuberet. Addit quoq; in tali diſcrimine magnā virtutem altiſſimi ſibi ſuiſq; affuiſſe, quæ ei per viſum reuelauerat, quo loco laterent corpora Sanctorū Martyrū GERVASII & PROTHASII, in theſauro diuini ſecreti, vſque ad tempus oportunum recondita. Quę cum effoſſa digno cum honore ad Eccleſiam deferrentur, inter multimoda ſanitatum dona etiam quidam cæcus, vrbiq; notiſſimus tactu feretri lumen recepit, & exultantibus in laudem Chriſti ciuibus lætitiæ incrementū dedit. Inde feralis illius belluæ animus, etſi iuxta fidei regulam hæreticū in ſe non correxit errorem, tamen compeſcuit ad tempus tyrannicum à perſequendo furorem. 16.

Cum tam pios ſe pro Chriſto labores pertuliſſe alter alteri denarraret, & ad perſeuerantiæ tenorem ſalutaribus monitis in inuicem roborarēt, indicat AMBROSIVS THEONESTO adhuc in eadem ciuitate quaſdam ARRIANÆ contagionis ſupereſſe reliquias, ad quas funditus extirpandas dicit oportere eos vnanimiter accingi, & vrbem, imò & totam Eccleſiam hac diabolica peſte purgari. Vnde vterque ſcuto fidei, & gladio verbi armatus aduerſus eaſdem beſtias dimicaturi, procedunt, reſiſtentibus viriliter inſiſtunt, errorem veritate proſternunt, fidem aſtruendo, perfidiam deſtruunt; tandemq; fauente Chriſto his confutatis & expugnatis victoria potiuntur. 17.

Dum

Digitized by Google

18. Dum hæc ita geruntur, diuinus AMBROSIVS auguſtæ memoriæ Principem adiens THEODOSIVM IVNIOREM, denuntiat ei veri DEI aduentum, indicans, quos quantoſue labores pro Chriſto pertulerit, & quanta contra ARRIANÆ perfidiæ belluas certamina geſſerit, referens quomodo prius ſummæ religionis & reuerentiæ Præſul, nũc verò Chriſtianæ deuotionis & patientiæ exul, præferat in terris pro Chriſto peregrinari, quàm ob hæreticam communionem in cœlis à Chriſto ſeparari. Addit quoque ad cumulum gloriæ, non ei iſta ſufficere, niſi etiam TRANSALPINAM GALLIAM appetat, ibique contra Arrianas beſtias, quas ibi audierat eſſe, confligat. Vnde & omnino eſſe credibile, eum ad martyrii palmam properare. Auguſtus vero audita ſancti viri fide ſociorumq; eius, non minori conſtantiæ fortitudine, religioſa illos excepit honorificentia, & imperiali eius vtitur munificentia. Et ſicut erat totus Chriſtianæ religioni deditus, tanquam regiæ oblitus maieſtatis, obſequium eis exhibebat magnæ humilitatis; eorum ſe commendans orationibus, eorumque apud dominum ſubniti petens interceſſionibus.

19. Sopitis tandem inibi Hæreticorum colloquiis, cum vir DEI THEONESTVS diſcipulorum hortatu ad alia tranſire loca deſideraret, THEODOSIVS Auguſtus cum diuino AMBROSIO, tam hortatoriis, quàm conſolatoriis ſermonibus recedentes deducunt, eoſque Domino Chriſto commendantes, in pace dimittunt. Illi autem proreptantes niuoſa alpium confraga, & vadoſa vallium concaua, ad * AVGVSTAM PRIMÆ RETIÆ deuenerunt vrbem, vbi jam Arriana plantatio malam extenderat radicem. Cæperunt ergo ciuibus illis fidei veritatem exponere, & æqualitatem, imò vnitatẽ SANCTÆ TRINITATIS Euangelicis ſermonibus aſtruere. Adeſt iterum diabolus cum Antichriſtis ſuis, argumentis mendacibus oblatrans ſermonibus veritatis. Impia namq; pugnacitate contradicebant Hæretici his, quæ à Sãctis dicebantur vnanimiter blaſphemantes, & veritatis lucem mẽdaciĩ tenebris obfuſcare nitentes. Sancti autem Chriſto freti adiutore fortiter reſiſtunt, & eorum mendacia fidei veritate proſternunt.

* *Ad iſtud annum, inquit M. Velſerus Rerum Auguſt. Vind. lib. 8. anno 425. Theoneſtum ſocioſq; martyres Sigebertus refert, cum aliam alios temporis rationem inire ſciens ſim. Ex quibus Vrſum, Mediolano Maguntiã cum proficiſcentem, Auguſtæ ab Arrianis occiſum, vt vt quædam in reliqua hiſtoria vacillent, ſatis conuenit. Sed vereor noſtrorum aliquos nominis errore ductos de Vindelicorum vrbe perperam interpretari, quæ ad Prætoriam Salaſſorum pertineant. Pro Prætoria enim argumenta non obſcura ſunt aliquot. Conſultæ tabulæ Eccleſiæ Buraniæ, quæ ſub Torcellenſi Epiſcopo propè Venetias eſt, & hos Sanctos, quod pleraq; eorum corpora ibi condita, ſolemni cultu venerantur, planè habent,* ciuitatem Auguſtam, quæ ſita eſt ad radicem montis, qui

[..]lis qui dicitur Iouis. *Deinde locuples auctor Antoninus, in itinerario iter Mediolano Ma-
gontiacum deſcribens, Auguſtam Prætoriam quintæ manſionis loco poſuit; tum antiquiſſi-
mum ad eum Monaſterium titulo S. Vrſi ſupereſſe audio Nobis contra, neq; itineris ratio
ſuffragatur, neq; vllam noſtra Eccleſia Vrſi memoriam retinet. Quocirca (quod hucuſq; ca-
uere curæ fuit) ornamento peregrino abſtinemus. Hæc M. Velſerus.*

Cumq; diu talis altercatio fieret, nec vllo modo mala terra diui- 20.
ni verbi ſemen ad fructificandum admitteret, indigenæ loci calice iræ
Dei miſere debriati teſtes Chriſti inuadũt contumeliis conuiciisq;
iniurioſè afficiunt. Arreptum vero VRSVM trahũt, cedunt, plagis ver-
beribusq; affligunt, ad vltimum truncato capite interimunt. Ita Chri-
ſti fortiſſimus Athleta, ſicut ouis ad occiſionem ductus, victimatus, &
ſicut agnus coram tondente ſe obmuteſcens trucidatur, & in conſpe-
ctu eius, pro quo paſſus eſt, martyrii gloria coronatur. Porrò Angeli-
cus vir THEONESTVS videns populum perfidiæ tenebris obcæcatum,
& in diaboli laqueis, quibus captus erat, perſiſtere obduratum, Apo- *Luc. 9.*
ſtolico more etiã puluerẽ pedũ in teſtimoniũ ſuper eos excutiens. Mũ-
dus, inquit, ſum à ſanguine veſtro, Sanguis veſter ſuper caput veſtrũ.
His dictis, iuxta præceptũ Dñi, nolens vltra Sanctũ canibus dare, & *Mat. 7.*
margaritas ante porcos ponere; incorrigibilem populi deflens errorẽ,
à perfida vrbe diſceſſit, iuxta vocem Domini, dicentis: Si vos perſecuti *Mat. 10.*
fuerint in ciuitate vna, fugite in aliã. Ibat autem cum reliquis ſociis ſuis
gaudens de corona fratris ſui, & diſcipuli, ſed humaniter mœrens
ex deſtitutione familiaris & ſocii. Quia etſi illius glorificatio pium de-
ferebat gaudium, humanitatis tamen reſpectus compaſſionis extor-
quebat affectum.

Paucis ſanè euolutis diebus & ſalebroſis multo cum labore trãſ- 21.
miſſis alpibus, perueniũt ad CHRISTIANISSIMVM SIGISMVNDVM RE-
GEM ALLOGOBRVM, qui inter regiæ maieſtatis inſignia crucem ſuam
baiulans, Domini ſequebatur veſtigia; non in tantum ambiens tem-
porali florere imperio, quàm æternaliter regnare cum Domino. illius
imitatus exemplum, qui cùm eſſet Rex potentiſſimus, ſeruus tamẽ
Domini humillimus aiebat: Egens ſum in laboribus à iuuentute mea,
& ſeruus tuus ſum ego; da mihi intellectum. Dignus tamen per om-
nia hic erat vir, qui melioris fidei populo regni faſtigio præeſſet, non
cuius rebellione & inſidiis circumuentus occumberet. Idem autem
nobilis magnificentiæ Rex Sanctorum laboribus mente compatiens,
& Chriſtianæ pietatis eis obſequia exhibens, additis ad viaticum ſum-
ptibus, fidæq; legationis, propter infeſtantes Arrianos, adhibitis comi-

Digitized by Google

22. tibus cõmendãs eos Regi cœlorũ, ad TREVIRENSEM dirigit PAVLINVM.

Qui videlicet PAVLINVS eo tẽpore apud TREVIROS Epiſcopali fu-ctus dignitate currũ Dei aurigabat, & aduerſus Arrianæ inanitatis be-ſtias armatura Dei accinctus viriliter dimicabat, opponens eis ſcutum fidei; & gladium Spiritus, quod eſt verbum Dei. Hic ſeruorum Dei E-piſcopali humanitate ſuſcipiẽs aduentũ, & fraterna viſitatione lętabũ-dus ſpirituale ducens gaudiũ debita eos veneratione amplectitur, fo-uet, cõſolatur, eorũq; peregrinãdi cauſã diligentiſſimè percunctatur. Quænã, inquit, cauſſa, vos dilectiſſimi, tali tempeſtate huc adduxit, quæue rerum vertigo ad has perſecutionis procellas, quas patimur, appulit? Vſq; adeo enim Arrianæ hæreſeos apud nos graſſatur inſania, vt hinc inde noſtra grauiter concutiatur Eccleſia. quin etiam fratres noſtri VALERIANVS & MAXIMINIANVS, quia nefandis Principũ edi-ctis hæreticis cõmunicando non paruerunt, pro Chriſto victimati, & ꝓprii ſanguinis vnda perfuſi occubuerunt. Væ autem homini, per quem hoc ſcandalũ in Eccleſiã venit. væ antichriſto illi, per cuius ne-fandiſſimũ os diabolus hoc blaſphemię venenũ per totũ orbem diffu-dit. Timeo autem, chariſſimi, quod ſi vos defendentes veritatem eadẽ corripuerit perſecutionis tempeſtas, quia in tali diſcrimine res de vita agitur, grauiter vnanimitas veſtra periclitabitur. Ad hæc THEONES-TVS expoſita ſuæ, ſuorumq; peregrinationis cauſa: Si Deus pro nobis, quis cõtra nos? Dominus nobis adiutor eſt. nõ timebimus quid faciat nobis homo: ipſa enim veritas, pro cuius nomine peregrinamur, do-cet nos non timere eos, qui occidũt corpus, animam autem non poſ-ſunt occidere. Quis verò nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an gladius? Si enim cõpatimur, & cõregna-bimus. Vobis, inquit PAVLINVS, chariſſimi, in hac veritatis cõfeſſione vnanimiter aſſentior, vobis in huius propoſiti tenore congratulor. Chriſtus autem Dominus, qui hanc confeſſionis ſuæ vobis indidit ſa-pientiã, potens eſt, & ſuperaddere patientiam. ipſius gratia vobis præ-ſtare dignetur perſeuerantiæ fortitudinem, quoad vſq; felici conſum-matione veſtrum coronet agonem.

Eph. 6.

Rom. 8, 31.

Matt. 10, 28

Rom. 8, 9.

23. Aliquantũ ergo tẽporis elabitur, cũ THEONESTVS videns PAV-LINVM validiſſimũ Eccleſiæ murũ, & ſolidiſſimã fidei columnã aduer-ſus Arrianorum impetus ſufficienter poſſe perſiſtere, & ad reſiſtendũ Chriſto autore ſufficere, ratus id quod res, Deo inſpirante, monebat, ſeſe aliis eiuſdem patriæ locis neceſſarium, à PAVLINO deliberat rece-dendum. Data vero & accepta benedictione, conſcenſaq; naui per MOSELLÆ fluminis decliuia ad RENVM vſque delabitur, deinde Chri-

Digitized by Google

ſto ſibi nauclero per ipſius Reni pelagus proſpero celeumate Mogontiam vſq; peruehitur. Huius nimirum regiæ vrbis mentionem, quãtum & ſuſcepit operis decurſus, & rerum inibi geſtarum hiſtoricus inieci ſtilus, non ab re videtur, ſi de primis eius conditoribus, deq; ſitu & amœnitate loci, quoue modo rerum, quas dicere conamur, ſeries ibidem proceſſerit, ſuccinctus ſermo ſummatim attigerit.

Hæc igitur auguſtę nobilitatis ciuitas primo Ivlivm, qui tripartitam Galliam, ac partem Germaniæ deceñio armis ſubegit, deinde Drvsvm Avgvstvm priuignũ, alioſq; Romanorvm Principes habuit cõditores & poſſeſſores; qui videlicet Romani terra mariq; victores hoc ſpeciale priuilegium ſuæ aſſcribebãt potentiæ, vt quancũq; gentẽ vel regionẽ armis ſubigerẽt, ſtatim eo loci municipia, vrbes, arceſq; fundarent, deductiſq; colonis ad tutamentũ regni in Romanas leges, & cerimonias, inq; linguã Latialem indigenas cogerẽt. Teſtãtur hoc vrbes, arceſq; per littora Reni, perq; totã Galliam ab ipſo Ivlio, vel ipſius autoritate fundatæ; Mogontia videlicet, Tvicivm, Agrippina, Ivliacvm, Octavia, quæ & Tvngris; Nemetvm, quę & Spira, alięq; plures: quas propter operis cõpendiũ, & quia nota referimus, enumerare longũ eſt. De Drvso autẽ teſtatur Drvsilativm in eo quod ſpecioſus dicitur, mõte ſitũ, cui ex eo nomẽ inditũ eſſe volunt, quod ſit Drvsi latibulũ. Habet enim opinio eũ ibi eſſe ſepultũ. Hoies quoq; regionis à Drvso Drvsingi antiquitus vocabantur. Vnde & adhuc quidã moderno tẽpore proprio nomine * Drvsing nuncupãtur. Conſentiũt huic aſſertioni etiã faſtorũ tituli, qui principum nominibus & geſtis in perpetẽ memoriã inſculpti lapidibus per totã inueniũtur vrbẽ cõfracti & diſiecti. Hoc etiã aſtruũt adhuc ſuperſtites theatri ruinę quod Romano more ad ludos circenses & theatrica ſpectacula cõſtructum eſt. 24.

* Druſitig

Ea autẽ perſecutione, quæ per Attilam Hvnnorvm Regem cœleſti iudicio Christianis illata eſſe deſcribitur, contigit eandẽ vrbem vt adhuc res probat, funditus euerſã cõcidiſſe, & in vltionem hæreticæ prauitatis diuino permiſſo ignibus conflagraſſe. Cõqueritur hoc Ieronymvs in Epiſt. ad Agervciam, exciſam defles nobiliſſimã vrbẽ Mogonciacam, vrbemq; Wangionvm. Nemetvm etiam, & Argentoratvm cum aliis pluribus Eccleſiis & vrbibus Galliarvm. 25.

Poſtea verò quando miſericordiam Dei cœli diſtillauerunt, & diuina miſerante gratia Catholicis Principibus reddita pace Christi Eccleſiæ conquieuerunt, mutato loco ſuper littus Reni, à quo prius 26.

Digitized by Google

ducentis plus minus paſſibus diſparabatur, eſt reſtituta, & FRANCORVM Regibus, maximeq; à DAGOPERTO in priſtinam, imò multo ampliorem dignitatē eius reuocata, caput effecta regni ORIENTALIVM FRANCORVM, ac METROPOLIS GALLIÆ, GERMANIÆq; cunctarū vrbiū CISALPINARVM. GALLICANIS enim Eccleſiis Arriana impietate profanatis, cū diuinæ animaduerſionis flagellū p pdictū ATTILAM HVNNORVM REGEM vſq; ad internecionē deſæuiſſet, & eaſdē Eccleſias, vrbeſq; ad AVRELIANAM arcē abuſq; RENO fūditus euertiſſet; reddita, vt pmiſimus, pace, Sanctorū precibus cū iterū de ordine Eccleſiarū redintegrādo ageretur, APOSTOLICÆ SEDIS autoritas à quibuſdā locis & Archiepiſcopatus apicē & pallii reuerentiā; à qbusdā verò primatus dignitatē cēſuit trāsferendā; à nonullis a. cathedras iudicauit eſſe mutādas, quarū noīa ppter ſublatrātē inuidiā hic inſerere fas nō eſt. Aliæ enim earū funditus erāt euerſæ, & diuino poſtulāte iudicio, in ſolitudinē redactæ. Aliæ verò etſi diuinā ſenſerāt animaduerſionē, adhuc tamē hæreticū pfectè non correxerāt errorē. Quapropter ROMANÆ SEDIS induxit Cenſura illis in locis cathedras inſtitui, vbi & Catholicę fidei integra eſſet veritas, & Eccleſiaſticæ religionis tranquilla ſecuritas.

27. Quia verò ab vrbe MOGONCIACA eo tēpore primus veri ſolis radiūs per magnū illū BONIFACIVM GALLIÆ, GERMANIÆq; illuxit, & pfidiæ tenebras luce veridicæ pdicationis excluſit, cūctorū aſſenſu adiudicauit Apoſtolic' Pōtifex GREGORIVS, deinde ZACHARIAS magnum BONIFACIVM, vt ſedem illi creditā primatus dignitate, & PALLII honore ppetualiter inſigniri, & p totā GALLIAM, GERMANIAMque in oībus conciliis & Eccleſiaſticis cōuentibus Apoſtolica vice fungi. Vnde vt in geſtis FRANCORVM legitur, anuente pdicto ZACHARIA, apud SVESSIONES FRANCIGENARVM vrbē PIPINVM MAGNI CAROLI patrē vnxit in regē. Dein locis & vrbibus, vbi cōpetebat, videlic. in WIRZEBVRG & HVSTAD Epiſcopos eligēs, & cōſecrās, cathedras Epiſcopales inſtituit. In aliqbus verò plules culpa exigēte dānatos Apoſtolica vice, & primatus poteſtate depoſuit. Quā videlic. primatus dignitatē pdicti ROMANÆ SEDIS Præſules GREGORIVS & ZACHARIAS eidē memorabili BONIFACIO & MOGONTINÆ ſedi Apoſtolica authoritate cōſecrarūt; datiſq; priuilegiis, & ſcriptis teſtamētis ppetuo firmarūt Hęc itaq; nobiliſſima vrbs opinatiſſimi illius RENI fluētis alluitur, oīum bonorū & honorū copia pfruitur, ex omni gēte & natione cōfluētib', hoſpitalis & portuoſa, tā p pōtificalē primatū diuino apice, q̄ p regni faſtigiū mūdiali culmine glorioſa, ſitu iocūda, glebis fœcūda,

Digitized by Google

ſalubris aëre, delectabilis facie, omnique prorſus coronata dignitate.

Igitur vir Dei THEONESTVS cum ALBANO ſuo, aliiſque diſci- 28.
pulis hanc regiam vrbem ingreſſus, inuenit eam variis erroribus obnoxiam, & hæreticæ prauitatis ſordibus profanatam. Ipſa enim ſicut ex diuerſis partibus pro variis negotiis ad ſe confluentibus cuiuslibet linguæ vel ſectæ excipiebat homines, ita multorum ſectabatur errores. & cui erat poteſtas omnibus dominari, non ſpernebat omnium erroribus ancillari. Hac de re etiam ſacerdotem ſuum, ſanctiſſimum ſanè virum AVREVM, quia errores eius increpando redarguebat, pontificali ſolio & mœnibus tunc temporis deturbauit, quem poſtea HVNORVM gladius cum ſorore, eademq; ſacra virgine IVSTINA victimatum CHRISTO Domino ad cœlos miſit.

Videntes autem ſancti viri vrbem proprio paſtore deſtitutam 29.
occaſionem prædicandi ex euentu nacti, cœperunt indigenis verbum veritatis euangelizare, vnitatem ſanctæ TRINITATIS contra Arrianos tàm propheticis, quàm euangelicis ſermonibus aſtruere; ſcilicet FILIVM PATRI eſſe conſubſtantialem & coæternum; SPIRITVM verò ſanctum cum Patre & Filio idem eſſe & vnum, quia vnus eſt Deus viuus & verus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Arriani verò huic veriſſimæ aſſertioni obnixè reclamantes vnanimiter obſiſtunt, & hæreſiarchæ ſui veneno delibuti, ſanæ doctrinæ ſermonibus nullatenus acquieſcunt.

Videns autem beatus ALBANVS virum Dei THEONESTVM eo- 30.
rum argutiis & inſultationibus vehementer vrgeri; etiam prope eſſe, vt illata ſibi violentia debeat vinculatus teneri, vt erat promptus, linguaq; expeditus, partes magiſtri defendens, ſe medium interponit, & quid in hac, de qua agebatur, quæſtione veritas habeat, apertè & diligenter exponit; oſtendens gradus & diſtinctiones ſeu minorationes quas ARRIVS in ſanctam TRINITATEM blaſphemo ore confinxerat, penitus nihil eſſe, ſed Patrem & Filium & Spiritum ſanctum coeſſentialem & coęternum, imò vnum Deum ante omnia & per omnia ſæcula ſine fine regnare.

Videntes ergò hæreticæ prauitatis Alumni ſe ALBANI ſermoni- 31.
bus in plebis audientia confundi, & inexpugnabilium luce rationum publicè confutari, in vltionem ſuæ confuſionis ſeditionem excitant in populo: Clamantes, indignum facinus, aduenas homines ignotos & idiotas, eorum fidem & religionem impugnare; oportere diſciplinam, ne quis de cetero talia præſumat, eorum ſanciri ſanguine; ſore

 dignum

Digitized by Google

dignum, vt aut eorum aſſertionibus palmam dants ſe vinci patiantur, aut vindicibus flammis viui tradantur, nouiſque exquiſitis pœnis in exemplum omnium rebellium puniantur. Hinc vulgari more ſtupentes, confuſoque fremitu & populari tumultu ſuper eos irruentes, ALBANVM, qui eis vehementius cæteris inſiſtebat, de medio fratrum abripiunt, trahunt, impingunt, cedunt, ſine diſcretione ſuper eum inſaniunt, ſine miſeratione plagis verberibuſque afficiunt. At ille qui iam quotidiano vſu didicerat labores & pericula pro Chriſto pati, quàm patienter, tàm conſtanter omnia perferebat, & in omnibus gratias illi, pro quo hæc patiebatur, agebat. Nec minus tamen Arrianæ beſtiæ in inſontem tormentis graſſantur, & vt in eorum concedat ſententiam, omni pœnarum genere debacchantur. Pauci verò qui ſanioris aderant ſententiæ, CHRISTIANA pietate ducti, quantum fas erat, prohibebant talia fieri; volentes ei carnali quadam miſeratione ſuggerere, vt ſibi parceret, & aut eis conſentiendo, aut veritatem reticendo tempori cederet. Ad hæc ALBANVS, vt columna immobilis, in ſancto firmiter hærens propoſito, negat ſe ad hoc poſſe cogi, nec contra CATHOLICAM veritatem aut tormentis concuti, aut blandimentis poſſe deduci.

32. ARRIANI verò vt perſentiunt inflexibilis conſtantiæ hominem irreuocabiliter in propoſito perſeuerare, iniuriis, opprobriiſque exſaturatum extra ciuitatem eiiciunt, & poſt varia tormentorum genera capitali ſententiæ addicunt. Erat videre mirabile, imò miſerabile ſpectaculum, hominem innocentem ſine cauſa damnari, verum
Gal. 6. 17. Chriſti teſtem perfidia præiudicante mactari. Ipſe verò iuxta Apoſtolum ſtigmata IESV in corpore ſuo portans, ac ſemet in agonia poſitum in Spiritu ſancto confortans, tota ad cœlum mente ſuſpenſus, mundum animo negligebat; ideoque & ipſa tormenta iam carne fa-
Philip. 1. tiſcente deficiens, quaſi non ſentiebat, cupiens diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Confluit autem ad ſpectaculum iſtud tota vndique viſum ciuitas, mobile vulgus in varias ſe ſcindit ſententias: alii ſacrilegum, alii clamant catholicum: Hi dicunt ſanctum virum debere dimitti; illi impium turpiſſima morte damnari. Expectabatur iam iamque carnifex, qui deuota huius ſanctæ victimæ colla feriret, ac ceruicem iugo Chriſti aſſuetam ſtricto mucrone præcideret.

33. Tandem ALBANVS genibus flexis ore in terram cernuus, corde in cœlum erectus, nudam ſpiculatori præbet ceruicem, pro tali pa-

patientia æternam recepturus mercedem. Ita verus Chriſti athleta & fortiſſimus fidei agonotheta in ſtadio poſitus, & veriſſimus Chriſti teſtis inuentus bonū certamen certauit, curſum conſummauit, fidem ſeruauit, de reliquo recepturus depoſitum, hoc eſt, coronam iuſtitiæ ab eo cui depoſuit. Igitur deuota ceruix crudeli gladio trucidatur, ſacrum gutturis organum, quod iugiter nomen aut laudem Chriſti perſonabat, impio enſe præciditur; ſanctiſſimum viuæ hoſtiæ caput cruento mucrone rotatur. Sic ſanctiſſima beati ALBANI anima carnis ergaſtulo feliciter abſoluta, ſacri ſanguinis imbre purpurata, gloria martyrii coronata, angelico ſtipata comitatu, aſcendit ad regem ſuum; vt quem ſemper deſiderauit, ſemper videat, & cum eo regnans in æternum gaudeat. Dominus autem Ieſus ſedens ad dexteram maieſtatis paternæ, & de excelſo ſancto ſuo proſpiciens teſtem ſuum, contra rebelles fidei agonizantem in terris, tali delectabatur ſacrificio, tali gloriabatur holocauſto, addens certanti virtutem conſtantiæ, præbens bellanti effectum victoriæ, aſſumens triumphantem cum palma martyrii ad coronam gloriæ. *2. Tim. 4.*

Nec ſolum Dominus ſanctum ſuum cœleſti mercede remunerat, verum etiam ad laudem ſui nominis, ſalutemque mortalium miraculis coruſcat. Denique vt ſanctiſſimum eius caput impio mucrone rotatum à ceruice reuulſum eſt, ipſa adhuc lingua in laude Chriſti palpitante, adhibitis tollens manibus, firmo inceſſu ad locum vſque perrexit, vbi nunc placida & felici compoſitus pace quieſcit. Ecce autem adeſt in huius glorificati hominis exequias angelica cæleſtis militiæ dignitas, diuinis proſequens laudibus non loculum funeris, ſed triumphum martyris, propriis greſſibus ad tumulum properantis, eique cœleſtes celebrant exequias ad laudem redemptoris. Verè glorioſiſſimus inter martyres martyr iſte diuinus, cuius funus non fertur loculo, non eget baiulo, ſed nobili, & inuſitato exequiarum genere, caput in manibus portans, pedibus petiit locum ſepulchri, ipſa ſtatione ſua deſignans, vbi debeat ſepeliri. Nunc ergò licet Dominus æternæ beatitudinis gremio confoueret, pia tamen ſanctiſſimi corporis gleba, debito negligentius, & æquo incultius tunc temporis humata eſt. id enim habebat articulus temporis; CATHOLICOS nimium infeſtantibus HÆRETICIS. 34.

Poſt eam verò perſecutionem, quam in vltionem huius ſceleris 35.

& hæ-

Digitized by Google

& hæreticæ prauitatis ſub ATILA HVNORVM Rege cœleſti iudicio factam ſupra retulimus, cùm Eccleſiis Chriſti reddita eſſet pax, ſanctorum precibus diuinæ animaduerſionis iram propitiantibus, ſancti ALBANI tumba cœpit miraculis celebrari, & multo populorum conuentu frequentari. quia videbant qualiter Dominus ſanctum ſuum mirificaret, & quomodo magnificentiam ſuam in eo exaltaret. Videbant enim eius inibi florere orationes, coruſcare virtutes, eiuſq; meritis multa petentibus præſtari beneficia, infirmantibus ſanitatum dona, omniſque qui ad eum de quacunque tribulatione clamaturus ingrediebatur, protinus impetrata conſolatione lætus regrediebatur. Videbant illi illuminari cœcos, in ſolidos greſſus erigi claudos, omniumque membrorum dolores in priſtinam ſanitatem reuocari. Inde Chriſtiana religione ducti, prout temporis erat copia, ſuper ſacrum cinerem paruæ molis Eccleſiam fabricant, altare dedicant, eius ſe patrocinio commendantes, ſanctique corporis loculum præ omnibus venerantes.

36. Aliquanto autem proceſſu temporis euoluto, cùm iam ciuitas ad integrum eſſet reuocata, & Chriſtiana religio tàm catholicè quàm canonicè ad plenum redintegrata, venerabilis RVDOLPHVS à præſulatu magni BONIFACII tertius ſanctæ MOGONTINÆ ſedis Archiepiſcopus, ſicut videbat locum S. ALBANI martyris miraculis coruſcare, ita hunc fabricis aliiſque diuinis cultibus aggreſſus eſt honorare; fundans primò baſilicam tanto nomini debitam, cuius fabricæ modum & ſtructuram quia promptum eſt oculis cernere, non eſt opus chartis intexere; eſtque ſuperfluum, vt literis, vel lectione depingatur, cuius facie vel ſpecie omnis ingrediens delectatur. Super ſacrum verò cinerem mauſoleum erexit, quod auro, ac gemmis, argento quoque, vbi competebat, veſtiens, diligenter vndique contexit. Addidit præterea in cultum ſanctuarium, & in miniſterium altaris vaſa aurea & argentea ſacris miniſteriis idonea, ſacras quoque veſtes diuinis officiis, prout tempus dictat, competentes. Conſtruxit etiam omnes regularis vitæ officinas. quas voluit ſeruorum Dei inibi degentium ad perpetes martyris excubias eſſe receptacula; vt eius ſuffragantibus meritis, ipſi eum recipiant in æterna tabernacula. Obtulit prætereà ſancto martyri ad ſumptus Dei famulantium prædia, villaſque & eccleſiarum decimas, quas ſacro altari rata adſtipulatione firmauit, ſcriptiſq; teſtamentis perpetua ſtabilitate legauit.

37. Idem autem venerabilis locus in tanta celebritate cœpit habe-

Digitized by Google

haberi, vt non tantum eiuſdem regiæ vrbis Pontifices, verùm etiam regni primores cùm defungerentur, non alibi ſe poſcerent ſepeliri. Siquidem in argumentum fidei intra & circa Eccleſiam, quoquo verſum extant mauſolea, ſingulorum nomen & obitus diem titulis deſignantia. Sed & potentiſſimus ille KAROLVS MAGNVS & orthodoxus Imperator cum FASTRADA coniunx eius apud FRANKINVVRT diem obiiſſet, tàm nobile funus ad monaſterium S. ALBANI præcepit deferri, & in Aquilonari veſtibulo ante altare Apoſtolorum terræ fecit mandari. Argumento eſt titulus monumenti ejus in eiuſdẽ veſtibuli pariete intra fornicem deſcriptus, pro cuius animæ remedio quædam ſancto martyri contulit prædia, vnde hodieque fratribus miniſtratur diæta.

Ex hoc & ſequẽti ca. coniectura duci poſſet, auctorem horũ Actorum eſſe Sigeardũ monachũ monaſterii S. Albani qui anno 1297. ſcripſit Acta S. Albani, teſte Trithemio.

Iam nunc ſufficiat de innumeris cum compendio pauca libaſſe, ſi enim narrãdo ſingula percurram, paritura eſt prolixitas faſtidii notam. Vere felix tali patrono MOGONTIA, quæ tanti martyris ſanguine purpuratur, quæ tàm pretioſi cineris theca conſecratur, quæ victorioſi huius agoniſtæ triumpho coronatur, in cuius veneratione Regina aſſurgit GALLIA; nobilis applaudit GERMANIA, imo tota congaudet eccleſia. Quia ergo de perpetua huius pretioſiſſimi martyris non dubitamus gloria, quam in cœleſti angelorum meruit curia, nos, qui eius indigemus interceſſione, cœleſtem eius natalem, quia continuatim nequiuimus, vel annuatim celebremus, vt eius fulti meritis ad eam pertingamus gloriam, quam ipſe in conſpectu regis ſui, pro quo paſſus eſt, poſſidet nõ annuam, ſed continuam. Glorioſiſſimus ergò martyr ALBANVS pelliciam tunicam mortalitatis pro defenſione veritatis exuens, & mortalis materiæ tributum in Chriſti confeſſione perſoluens paſſus eſt XI. Kal. Iulii ſub iuniore THEODOSIO AVGVSTO, æternaliter regnante Domino noſtro IESV CHRISTO, in dextera paternæ maieſtatis, qui cum eodem Patre ingenito & Spiritu ſancto, ipſe primogenitus & vnigenitus vnus viuus & verus Deus viuit & gloriatur per immortalia ſeculorum ſecula. Amen.

38.

FINIS.

Digitized by Google

PASSIO SANCTORVM ALBANI & ſociorum eius. ex m. ſ. Windbergenſi.

TEmporibus piiſſimi regis HONORII, PERSARVM atque MEDORVM, WANDALORVM gentis dum orta foret maxima altercatio inter CHRISTIANOS ARRIANOSQ; ex fide S. TRINITATIS, ſæuiſſima in CHRISTIANOS perſecutio orta eſt. Vbi dum CARTHAGINE SYNODVS congregaretur tam FIDELIVM quàm ARRIANORVM, à præfato HONORIO ſexcenti ſeptuaginta Epiſcopi ibidem conuenerunt. Inter quos vir valdè egregius THEONESTVS à PHILIPPIS expulſus, & proprîa ſede priuatus, pro certamine fidei & indiuiduæ ſanctæ TRINITATIS, peregrinationis cauſa ROMAM venit, vnà cũ diſcipulis ſuis ALBANO & VRSO venerabilibus viris & TABRA & TABRATHA. Sed cùm iã aliquandiu ad limina Apoſtolorũ PETRI & PAVLI moraretur, vnà cũ licentia beatiſſimi Papæ, qui tunc temporis beati Petri Principis Apoſtolorum vicarius eſſe clarueſat, TVSCIAM LIGVRIAMQ; peragrans, ITALIAMQ; vltra progrediens ciuitatem MEDIOLANENSIVM adiit, quæ tunc temporis Metropolis erat, vbi ſanctiſſimum AMBROSIVM inueniens, ab illo benignè ſuſceptus multa contra ARRIANOS ambo concionati ſunt. Sed ipſi, auxiliante Domino, armati fide ſanctæ TRINITATIS, ſecundũ veritatem, in omnibus victores extiterunt. Sed dũ hæc ita ſe haberent, vir beatiſſim⁹ AMBROSIVS THEODOSIVM Imperatorẽ Chriſtianiſſimum adiit, nuntians illi aduentum beati THEONESTI, immenſoſq; labores illius, atq; certamina, quæ pro fide Catholicæ religionis atq; indiuiduæ TRINITATIS habuit, dicens illi adhuc iſta non ſufficere, niſi etiã ſeipſum pro CHRISTI amore vltro ad Martyriũ vellet proferre. Qua de re GALLIAS ipſum velle appetere. vbi ille benignè ſuſceptus eſt, altiſſimo polorum Regi commendãs, vt viam eius dirigere in pace dignaretur. Et abſceſſit inde. At dum per anguſta vallium atq; per dirupta montium alpes APPENNINAS tranſgredi niteretur, venit ad AVGVSTAM ciuitatem RECIÆ. vbi etiam à perfidis multa perpeſſus collegam ſuum VRSVM ibi reliquit. Qui tentus ab infidelibus in eodem loco Martyrio coronatus eſt. Ibi vſq; hodie multa per illum Dominus mirabilia operatur. Sed reuerendus vir THEONESTVS præfatas alpes tranſgrediens, vſq; ad SIGISMVNDVM regem peruenit. Sed ipſe dum eſſet vere Catholicus, cauſam ſui itineris dino-

dinoſcēs, optimè eo vſus, per ſuos legatos miſit eum a [illegible] atum PAVLINVM TREVERINORVM Epiſcopum: qui tunc temporis verus miles atq; ꝑpugnator extitit Catholicæ & Apoſtolicæ fidei, & ARRIANORVM ſæuitiam expulit, illoſq; magnificè deuicit, atq; ad eos ait: Vt qd ad nos veniſtis fratrès kariſſimi & deſideratiſſimi? quia MAXIMIANVS & VALERIANVS nuper pro fide CHRISTI adierunt, & ab impiis martyrio ſunt coronati. Nunquid & vos ad Martyrii coronam properare velitis? cui illi aiunt: Quis contra nos, ſi Deus pro nobis? non enim timem᷑, quid faciat nobis homo. An ipſe Dominus in Euangelio commemorat, dicens: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Sed potius eum timete, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam. At ille, Bonū, inquit, propoſitum habetis. Deus autem dignetur vobis ſubminiſtrare perſeuerantiam cum victoria Martyrii.

Et cùm aliquandiu apud illū morarentur, vale dicens eis, dimiſit eos in pace. Indeq; viam arripientes, venerūt ciuitatē MOGVNTIAM, q̄ ſita eſt ſupra RENVM fluuiū, quæ & Metropolis eſt citerioris GALLIÆ. vbi etiam cùm fluxus ARRIANORVM atq; GOTTHORVM aduenirent, ipſiſq; fidei veritatē exponerent; vt ſanctæ TRINITATIS gloriam agnoſcerent, eorūq; inſaniam in publico confunderent, arreptū ALBANVM educentes foras ciuitatem, ictu ferientis caput eius abſciſſum eſt. Atq; ipſe caput eius arripiens, propriis manibus deportauit, vbi nunc propitiante Domino corpus eius ſimul cum capite requieſcit. vbi ab illo tempore vſq; nunc plurima & innumerabilia, miſerante Domino, per illius interceſſionem fiunt miracula.

At dum beatiſſim᷑ THEONESTVS nauiculā vellet aſcēdere, vltraq; progredi cum diſcipulis ſuis TABRA & TABRATA, turbæ GOTHORVM & ARRIANORVM circundantes eum, incidētes nauiculam eius forauerunt illā, & ipſum mittentes in eam, diſcipuloſq; ei᷑, voluerunt eos in ꝓfundū fluminis immergi. Hinc beatus THEONESTVS læto animo & hilari vultu cū nauicula ſua peruenit vſque ad littus illæſus. Et cū veſtimenta ſua detergeret, ſecumq; cogitaret, quid illum agere oporteret; iterum turba infidelium illū circundedit: & tenentes eum, duxerunt iterū ad orā fluminis, & miſerunt illū in ſuam nauim, q̄ antea perfoderant: & duxerunt eum in medium ſupradicti fluminis, cum præfatis viris, & dimiſerunt illum, vt in mediis fluctibus perimerent.

Sed dum beatus THEONESTVS chlamydem ſuam miſit in ipſum foramen, oculos ſuos eleuans ad cœlum, dixit: Domine Deus meus, q

Digitized by Google

feciſti cœlũ, & fundaſti terrã, & inebriaſti eã, & dediſti eſcas omni carni, & clauſiſti aquas abyſſi vehementis; qui mare creaſti, & terminum ei poſuiſti, & dixiſti: Vſq; huc venies, & non procedas amplius, te deprecor fili Dei viui, vt confirmes hanc nauiculam meam, in qua nunc ab infidelibus videor periclitari. qui in Chana Galilææ de aqua vinum feciſti, qui cæco nato oculos aperuiſti, qui ſurdos audire feciſti, q mulierem à fluxu ſeminis liberaſti, qui mortuos ſuſcitaſti, & ſuper aquas maris ambulaſti; exaudi me Domine, & miſerere mei, & da mihi portionem ſalutis æternæ, vt cognoſcant omnes gentes, quia tu es Deus benedictus vnà cum Patre tuo, & Spiritu ſancto, trinus & vnus per omnia ſæcula ſæculorum Amen.

Tunc facta eſt vox ad eum de cœlo dicens: THEONESTE noli timere, quia exaudita eſt oratio tua, & reſtaurata eſt nauicula tua, ſicut pri⁹. Quia in omnibus MICHAEL auxiliabitur tibi; & ipſe ductor tuus erit. Perge ergò quocunq; via te deduxerit, quia Domin⁹ tibi miſerebitur. At ille ad littus perueniens, inſidias infideliũ deuitans, per medias Gallias remeans, ad mare vſq; peruenit; vbi verbũ Dei prædicans atq; diſſeminans; multa per illum Dominus magnifica operari dignatus eſt. Iterumq; nauim aſcendens, SICILIAMQ; veniens innumerabiles populorũ turbas per ſuam doctrinam Domino acquiſiuit. atque VENETIAM veniens, & verbum veritatis annuntians, vſq; in ALTINVM venit. Cumq; ibi prædicare cœpiſſet, tunc turba plurima infidelium circumdederunt eum, cum præfatis alumnis ſuis, egredienteſq; ciuitatẽ, iterum turba populorum eos perſecuta vſq; ad põtem marmoreum, qui eſt ſuper RENVM fluuium Silex, ibidemq; martyrio coronati, ita vt TABRA in capite pontis decollatus ſit, & THEONESTVS in medio ponte, & TABRATA ex alia parte pontis, ita duntaxat, vt omnes pariter decollati ſint. Et beatus THEONESTVS caput ſuum propriis manibus detulit vſque ad locum, vbi corpus eius poſtea à religioſis viris vnà cum capite humatum eſt. Vbi & corpora diſcipulorum eius TABRA & TABRATA ſimul cum eo requieuerunt in pace. Ad quorum tumulum per interceſſionem ipſorũ, multa & innumerabilia omnipotens Deus operatur miracula; præſtante Domino noſtro IESV Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus per omnia immortalia ſæcula ſæculorum, Amen. Acta ſunt autem hæc ſub die decima Kalendarum Nouembrium in Altino ciuitate, ſub Theodoſio Imperatore Auguſto.

FINIS.

VITA

Vita

NOBILIS VIRI HENRICI A ZWIFALTACH

SVEVI,

in Monaſterio Ochſenhauſano

PRIORIS

Religioſiſſimi.

Scripta

A

MONACHO OCHSENHAV-SANO.

Nunc primùm in lucem edita ex m. ſ. codice Monaſterij Ochſenhauſani.

Digitized by Google

VITA VIRI RELIGIOSISSIMI, QVONDAM IN Ochſenhauſano Monaſterio Prioris, Henrici.

TOtius bonitatis autor DEVS, qui omnes ſæculi labentis ætates, ſingulari ſemper aliquorum vita & ſanctitate conſueuit illuſtrare; noſtra quoq; tempora in ſanctæ memoriæ HENRICO quodam noſtræ obedientiæ Preſbytero & Monacho dignatus eſt viſitare. Hic itaq; vir beatus in SVEVIA, apud villam, quæ vocatur ZWIFALTACH, nobili genere natus, diſcendi gratia in eodem loco litteris eſt deputatus. Quibus, pro ætatis modulo, ſatis diligenter conſecutis, annos ingreſſus eſt iuuentutis, & totis ſe continuò vanitatibus ſeculi immerſit, relicto itinere ſalutis; ſed quia diues eſt in omnes gratia Saluatoris, tam mirabiliter, quàm etiam velociter hunc in viam pacis, de ſemita reducit erroris. Quadam deniq; die, cum ſe in præfata villa quibuſdam choros ducentibus ſolita miſcuiſſet laſciuia mentis, repentè inter ipſa ludentium ludicra, cõpunctus eſt miſeratione DEI omnipotentis. Et quoniam in conuerſo pectore neſcit tarda molimina SPIRITVS SANCTI gratia, abdicatis mox laſciuorum votis, valedicere cœpit amicis & notis: profeſſus renunciare ſe velle negotiis ſeculi totis. Illis autem non credentibus, & quaſi ludo hæc diceret, irridentibus; ipſe nihil moratus, ad hanc noſtrã cellam, quæ antiquitùs OCHSENHAVSEN nominatur, cõuolauit, ſeque Monachum fieri ſumma cum deuotione poſtulauit. Mirantur fratres tam ſubitam eius conuerſionem, diuq; non credentes, in regularem recipiunt probandum, vt moris eſt, probationem. In qua per omnem patientiam probatus ſub voto Monachi., tandem eſt congregationi ſociatus. Ab hinc & deinceps quanta cordis contritione pœnitentiam ege-

Digitized by Google

egerit de ſua priori conuerſatione, nulla verborum, arbitror, explicari poſſe ratione. Corporalis tamen diſciplinæ tanta in ſe vſus eſt ſeueritate in ſua confeſſione, vt ſeptenos plerunq; Pſalmos ſub ipſa flagelli legiſſe referatur caſtigatione. Totus præterea ſemper in oratione, totus erat in lectione, totus in vigiliis, non minus in jeiuniis, &, vt breuiter liceat omnia fari, quidquid eſt virtutis, in ipſo quaſi in aliquo relucebat exemplari. Tantus itaq; cum eſſet, ac talis, obedientia cogẽte, licet multum renitens, PRIOR hic factus eſt clauſtralis. Iamq; pro vita ſingulari ab omnibus per circuitum populis cœpit frequentari. A quibus etiam in tanta habitus eſt veneratione, quod ex eorum oblatione multimoda, & donatione, quam ex PRIORIS ſui, quamuis inuitus, ſuſcipiebat iuſſione, ipſum Monaſterium, ſicuti hodie hic eſt cernere, mirifica tam in libris, quàm in picturis decorauit compoſitione. Sed iam quibus virtutum ſignis ſanctitatem eius mirificando DOMINVS voluerit declarare, ad gloriam DEI, & legentium profectum veraci narratione tentabimus enarrare.

Caſu accidit, vt eo præſente tectum maioris Eccleſiæ flamma corripiens inflammaret, & iam violentia ſua totius Eccleſiæ incendium minitaretur; quam pro difficili acceſſu ipſius ædificii nullus poſſet extinguere vel ſedare. Ipſe vir Dei eandem ingreſſus Eccleſiam, & ante altare SANCTI GEORGII in modum CRVCIS proſtratus, Dominum pro imminenti periculo fide integra eſt deprecatus. quod ipſo facere inchoante, mox mirum in modum quaſi magno aquarum turbine inundante, infra breue, hoc eſt, vnius horæ ſpatium, totum conquieuit incendium.

Quidam præterea puer claudus in hoſpitali huius cœnobii manebat, qui neruis pedum naturaliter contractis, duobus lignis ſuſtentatus, reptare per manus ſolebat; cui die quadam vir DEO dignus ligna, quibus ſe gerebat, de manibus auferens longius proiecit, & quod non neceſſitate, ſed voluntate taliter incedere ſoleret, tanquam increpans, eidem obiecit. Deinde velut docens eum ambulare, cœpit cum illo huc illucque gyrare, ea videlicet intentione, vt quaſi non virtutem, ſed artem exercuiſſe videretur in illius ſanatione. Quid plura? puer ſanatur de ſua ſoſpitate gaudebat, diuque negato, pedum reddito ſibi officio rectè deinceps incedebat.

Quan-

Digitized by Google

Quandam etiam fæminam, quæ per multos annos deriſiam paſſa fuit oculorum, in eodem loco curauit, benedicens eam cum reliquiis Sanctorum, quod factum mulier longè lateq; diuulgauit. Sed ipſe non ſuo merito rem geſtam eſſe proclamans, dura verborum increpatione, prout potuit, hanc caſtigauit.

Erat quoq; huic Sancto viro ſoror quædam in caſtro Zvvialdensi, vnde ipſe, vt dictum eſt, fuit oriundus. Cui licet ſub vinculo coniugali conſtitutæ totus omnino aruerat mundus. Hanc cum eadem, qua & mortua fuit, infirmitate comperiſſet laborare, pietate ductus ſtatuit viſitare. Quæ cum per multas horas in extaſi poſita, cunctos qui aderant, dubios de ſua vita reddidiſſet populos, ipſo tamen aſtante diu clauſos aperuit oculos. Poſt hoc rogans eos, attentius inſtare litaniis & orationibus, ipſum, in quo iacebat, cubiculum horrendis, dixit plenum eſſe dæmonibus. Eademq; hora confeſſa eſt coram omnibus, vidiſſe ſe multos de ſua cognatione à pœnis liberatos ſanctis Henrici fratris ſui orationibus. Quos hæc cum deſignaſſet per nomina ſingulorum, confeſtim mortua eſt morte, ſicut optauerat, iuſtorum.

al. Zvvifaltachêſi.

His aliiſq; quam plurimis ſignis, vir Dei mundo manifeſtatus, verè noſtris temporibus iuſtus inuentus eſt & probatus. Poſt multos denique pro Domino toleratos labores, mortales demum incidit in languores, pridieq; Nonas Nouemb. morte felici defunctus Christo in cœleſtibus eſt coniunctus. Sepultus eſt autem in hoc Monasterio, vbi & in vita ſeruierat Christo, famaq; nominis & ſanctitatis celebris per omnem Sveviam manens, vſque in præſentem diem omnibus his, quæ de ipſo erant, & quæ nos retulimus, plenam reddit fidem.

Finis cum Deo meo.

Syno-

SYNODVS REGIATICINA.

Nunc primùm edita ex membranis m. ſ. Monaſterÿ S. Galli.

Ad Lectorem.

HÆc Synodus, quantum ego opinari poſſum, hactenus non cognita fuit. De Regiaticina ciuitate quærendum cenſeo. Ita nimirum in his edendis propero, neq; bono publico ſubtrahenda eſſe cenſeo, dum omnia inueſtigentur. Sunt docti, quibus hæc talia primo intuitu occurrent, qui vel vnius horæ moram vix ferunt, ita auidè expetunt, vt eiuſcemodi monumenta antiqua quam primum edantur. Ipſi in illis ornandis, & ſi opus ſit, in diuinando prompti erunt. Ego de hac Synodo Regiaticina, non habeo, quæ adferam. Recienſem pagum, in quo Carolus & Ludouicus, Lodouici filii paternum regnum, anno 876. diuiſerunt, non auſim huc trahere. Tum etiam, quibus rationibus annũ Chriſti 850. Indictione 14. & Hlotarii & HLudouici trigeſimum primum conciliemus? Non minus intricata æra conuentus Ticinenſis anni Chriſti 854. Indictione 4. HLudouici 6. Hæc monere volui, Lector, vt videas, quam bona fide in dandis his verſer, & vt habeas, in quo laudem merearis, ſi hæc corrigas ex aliquo m. ſ. codice. nam vt mihi coniecturas in his indulgeam; non ſtatui.

Digitized by Google

SYNODVS REGIATICINA.

*Hæc difficultatem habent, vt monui ad lectorem.

A Nno incarnationis * Dominicæ DCCCL. Ind. XIIII. & HLOTHARII atq; HLVDOVICI piiſſimorum Auguſtorũ XXX. atq; primo in vrbe REGIATICINO facta SYNODVS, cui præſederunt ANGILBERTVS MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPVS, THEODEMANVS AQVILEIENSIS PATRIARCHA, & IOSEPH venerabilis EPISCOPVS atq; ARCHICAPELLANVS totius Eccleſiæ, in qua hæc conſtituta ſunt.

CAP. I.

Rom. 12. 17 D Ecreuit ſancta SYNODVS domeſticam & interiorem Epiſcopi conuerſationem totius reprehenſionis atq; ſuſpicionis impenetrabilem fieri debere, vt iuxta Apoſtolum prouideamus bona, non ſolum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus. Oportet igitur, vt cubiculo Epiſcopi, & ſecretioribus quibuslibet obſequiis ſinceræ opinionis ſacerdotes & Clerici aſſiſtant, qui vigilantem, orantem, ſacra eloquia ſcrutantem, Epiſcopum ſuum iugiter attendant, eiuſq; ſanctæ conuerſationis teſtes, imitatores, & ad Dei gloriam prædicatores exiſtant.

CAP. II.

S Tatuimus, vt non tantum Dominicis diebus, & præcipuis feſtiuitatibus Epiſcopi Miſſas celebrent, ſed cum poſſibile fuerit, cottidiana quoq; ſacrificia frequentent: nec faſtidiant priuatim, primum pro ſe, deinde pro conſacerdotibus, pro Regibus & cunctis Eccleſiæ Dei rectoribus, proq; his, qui ſe orationibus ipſorum peculiariter cõmiſerunt, & maximè pro pauperibus preces fundere, & omnipotenti Deo hoſtias offerre, comitante pia compunctione, & ſacræ deuotionis affectu, quod magis occultè ſacrificātibus conuenit, vt ipſe quoque ſacerdos hoſtia viua fiat, & ſacrificium Deo ſpiritu contribulato.

CAP. III.

P Lacet Epiſcopum moderatis epulis contentum eſſe, ſuoſq; conuiuas ad comedendũ & potandũ non vrguere, quin potius ſēper ſe ſobrietatis præbeat exemplũ. Remoueãtur ab eius conuictu cũcta turpitudinis argumenta, nõ ludicra ſpectacula, non *acromatum va- (acroamatum.)

nilo-

vaniloquia, non fatuorum ſtultiloquia, non ſcurriles admittantur præſtigiæ. Adſint peregrini & pauperes, & debiles, qui de ſacerdotali menſa Chriſtum benedicentes benedictioné percipiant. Recitetur ſacra lectio: ſubſequatur viuæ vocis exhortatio, vt nó tantú corporali cibo, imo verbi ſpiritalis alimēto cōuiuātes ſe refectos gratulentur, vt in oībus honorificetur Deus, per IESVM Chriſtum Dominū noſtrum.

CAP. IV.

VT Epiſcopus omnes affectiones, quæ à ſancta conuerſatione & ſacerdotali abhorrent officio penitus repudiet: & non canibus, aut accipitribus, vel capis, quos vulgus FALCONES vocat, per ſeipſum venationes exerceat, equorum quoq; mulorumq; ſuperfluam curam contemnat, pretioſarumque veſtium cultum & diſſolutum, ac velut ad pompam compoſitum vitæ. incenſum ſit ſacerdotis eloquium, ſpiritali ſale conditum, non curioſis & proteruis & coturnoſis vocibus tumidum. Sit ſermo Epiſcopi iuxta Euangelium Eſt, Eſt, non, non. Si quid enixius affirmandum duræ forſitan audientium mentes exigunt, more potius Apoſtolico interponat ſuę locutioni, Deus ſcit, aut, Corā Deo, quàm per Imperatoris gratiam, ſicut militantibus ſeculo iurare celebre eſt, ſua dicta confirmet. Purgetur ſanè, Domino ſuffragante ab omni leuitate atq; iactantia dignitas Epiſcopalis, vt omnibus Chriſtianis bonæ conuerſationis ſpeculum fieri valeat.

CAP. V.

VT Epiſcopi Canonicas ſcripturas, & ſancta dogmata iugi meditatione diſcutiant, & Presbyteris ac clericis ſuis ſubtilius tractando, & diſſerendo occultos ſacrarum literarum theſauros aperiant, populis vero iuxta ipſorum capacitatem Dominicis & feſtis diebus verbum prædicationis impendere non neglegant. Quod ſi quis ſe deinceps ab hac obſeruatione, & ab his, quæ ſuperius ſunt ſtatuta, ſubtraxerit, tanquam proprii deſertor officii diuinis legibus ſubiacebit.

CAP. VI.

SOllicitè procurent Epiſcopi quam diligentiam erga plebem ſibi commiſſam vnuſquiſq; Presbyterorum gerat. Oportet .n. vt plebium Archipresbyteri per ſingulos vnūquéq; patrēfamilias cōueniāt, quatenus tam ipſi, quā oēs in eorū domib⁹ comorātes, qui publicè crimina perpetrarūt, publicè pœniteāt. Qui verò occulte deliquerūt, illis cōfiteātur, quos Epiſcopi & plebiū Archipresbyteri idoneos ad ſecretiora vulnera mentium medicos elegerint; qui ſi forſitan in

aliquo dubitauerint, Epiſcoporum ſuorum non diſſimulent implorare ſententiam. Si verò Epiſcopus hæſitauerit, non aſpernetur cõſulere vicinos Epiſcopos, & ambiguam rem alterius, aut certè duorum vel f. conſeſſu, trium fratrum examinare conceſſu. Quod ſi adeo aliqua obſcuritate vel nouitate perplexa res fuerit, ſi quidem diffamatum certæ perſonæ ſcelus eſt, metropolitani & prouincialis Synodi palàm ſententia requiratur: vt illud impleatur Apoſtoli: Peccantes publicè argue, vt & cæteri metum habeant. Si autem occulta confuſio eſt, & is, à quo quæritur ſalutis conſilium explicare non ſufficit, poteſt ſuppreſſo facinoroſi nomine qualitas quantitasq; peccati diſcuti, & cõgru' correctioni modus inueniri. Similiter autem & ſingulis vrbium vicinis & ſuburbanis per municipalem Archipresbyterum, & reliquos ex presbyteris ſtrenuos miniſtros procuret Epiſcopus, habita penitus in rebus dubiis obſeruatione, quæ ſuperius * prexa eſt.

CAP. VII.

Oportet etiam per oppida ſingula, villaſq; curam gerere presbyteros, qualiter pœnitentes impoſitam ſibi abſtinentiæ formam cuſtodiãt, & vtrum eleemoſynarum largitione, vel aliis remiſſionem peccatorum promerentibus piis operibus inſeruiant, & qua cordis cõtritione vel lamentatione ſeipſos afficiant; vt hac conſideratione pœnitudinis, tempus rationalem poſſit accipere terminum, & vel extẽdatur, ſi pœnitens neglegenter iniuncta proſecutus eſt, vel breuietur, ſi deſideranter veniæ placationem ſtuduit promereri. Reconciliatio verò pœnitentium, iuxta antiquorum Canonum inſtituta, non presbyteris, ſed ab Epiſcopis fieri debet: niſi fortè quis in periculo fuerit conſtitutus, & ſe reconciliari deuotè petierit: Si Epiſcopus abſens fuerit, debet vtiq; presbyter conſulere, & ſic pœnitentem eius præcepto reconciliare. Aliter autem ſicut nec chriſmatis confectio vel puellarum conſecratio, ita nec pœnitentium reconciliatio vllatenus à presbyteris fieri debuit: quia ſolis Epiſcopis Apoſtolorum vicem tenentibus per manus impoſitionem ſpecialiter in Eccleſia conceditur, quod tunc Apoſtolis ad ipſos Domino dicente conceſſum eſt: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.

CAP. VIII.

Illud quoq; ſalutare ſacramentum, quod commendat Iacobus Apoſtolus dicens: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros, & orent

orent ſuper eum, vnguentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum; & ſuſcitabit illum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, remittetur ei, ſolerti prædicatione populis innoteſcendum eſt, magnum ſanè & valdè appetendum myſterium, per quod ſi fideliter poſcitur, & remittuntur, & conſequenter corporalis ſalus reſtituitur; ſed quia frequenter contingit, vt ægrotus aliquis aut ſacramenti vim neſciat, aut minus periculoſam reputãs infirmitatem, ſalutem ſuam operari diſſimulet, aut certè morbi violentia obliuiſcatur, debet eum loci presbyter congruenter ammonere, quatenus ad hanc ſpiritalem curam, ſecundũ propriæ poſſibilitatis vires, vicinos quoq; presbyteros inuitet. hoc tamen ſciendũ, quia ſi is, qui infirmatur, publicæ pœnitentiæ mancipatus eſt, non poteſt huius myſterii conſequi medicinam, niſi prius reconciliatione percepta communionem corporis & ſanguinis Chriſti meruerit. Cui enim reliqua ſacramenta interdicta ſunt, hoc vno nulla ratione vti conceditur. Si autem infirmi qualitas talis eſt, vt per ſeipſum viſitandum & vnguendum dignum exiſtimet Epiſcopus, ab ipſo quàm plurimum competenter fieri valet, à quo ipſum Chriſma conficitur, & cui peccata remittendi officio priuilegii poteſtas conceſſa eſt.

CAPVT IX.

EX diuerſis partibus peruẽtum eſt ad ſacram Synodum, quod quidam parentum filias ſuas, cùm ad nubilem peruenerint ætatem, eaſq; pro ſuo modulo ſatis cõuenienter nuptum tradere poſſint, diutius quàm neceſſe eſt, ſecum detineant; vnde ſæpè contingit, vt in ipſa paterna domo corrumpantur, fertur & de * quibus, quod dictu quoque nefas eſt, ipſos parentes filiarum ſuarum corruptoribus, * conhibentiam præbere, & natarum ſuarum lenones exiſtere. Monendi igitur à presbyteris ſunt patresfamilias, vt filiabus ſuis tempeſtiuè nuptias prouideant, & calorem feruentis ætatis coniugali lege præueniant, primum ſcientes qui tales, etſi poſt corruptelam legitimis viris copulatæ fuerint, non poſſunt tamen cum ſponſo pariter ſolenne benedictionis * ſacerdote munus percipere. Deinde ſi in eorum domibus tale nefas * eſt, acciderit: ſi quidem illis neſcientibus pro ſola negligentiæ culpa, pœnitentiæ ſubiiciendi ſunt. Si verò * corruptionis turpitudinem ipſi conſenſerint, maior his, qui prohibere debuerant, pœnitentiæ ſarcina, quàm ipſis qui perpetrarunt, imponenda eſt. Ad vltimum verò hoc nouerint, eccleſiaſticis * ſan-

* *fort. quibusdam.*
* *conniuentiam.*
* *deeſt à*
* *ſed eſt.*
* *vid. deeſſe in*
* *fort. ſanctionibus.*

Digitized by Google

*publicè *perfectũ vel peractum.

ctibus eſſe præfixum, vt nullus * plu pœnitens, vſque ad tempus * per pœnitentiæ coniugium contrahere valeat, & hac ratione corruptam filiam non poſſe coniugio copulari, quouſque per publicam pœnitentiam, & ipſa & parentes, ſi fortè conſenſiſſe probati fuerint, reconciliationem & ſacri altaris communionem obtinere meruerint.

CAPVT X.

DE raptoribus verò, antiquorum Patrum ſtatuta ſequentes, hoc tenendum cenſemus, vt ſi caſtrapuerint, quæ cum ſponſo pariter benedictione ſacerdotali initiatæ ſunt, licet eaſdem corruperint, abſtrahantur tamen ab his, & propriis ſponſis reddantur: quæ verò vel viduæ vel adhuc ſponſæ non fuerunt, & abſque ipſarum & parentum voluntate rapiuntur, nihilominus parentibus vel propinquis reſtituantur, & aliis, ſi voluerint, nubant: nam ipſis à quibus raptæ ſunt, legitimæ demum vxores nullatenus eſſe poſſunt, ipſos autem, raptores, eiſque auxilium præbentes, quanquam anathematizandos antiqui canones præcipiant, in vltimo tamen conſtitutis, ſi deuotè poſtulauerint, ſacræ communionis viaticum pro miſericordia dandum non negamus. Quod ſi aliquis de ordine clericali huiuſmodi tranſgreſſoribus cooperator extiterit, proprii gradus honore carebit.

CAPVT XI.

INueniuntur nonnulli per diuerſas prouincias & ciuitates habentes poſſeſſiones, qui cùm aliquod publicè ſcelus perpetrauerint, & ab Epiſcopo vel presbyteris loci conuenti fuerint, vt pœnitudinem gerant, ab alterius ciuitatis Epiſcopo vel presbytero ſe iam pœnitentiam ſuſcepiſſe vel ſuſcipere velle fateantur, atque ita ſibimet illudentes Deo mentiri conantur. Tales ergo ab Epiſcopo ciuitatis, in cuius parochia ſcelus commiſſum eſt, ſtatim communione priuati ad agendam pœnitentiam cogantur. Scribet autem qui eum communione priuauerit aliis quoque Epiſcopis in quarum parochiarum territoriis huiuſmodi prædia poſſidet, vt & ipſi non ſcientes à ſua illum communione remoueant: ne fortè poſtmodum per ignorantiam ſibi ſubreptum querantur. Manifeſta etenim & eccleſiaſtica ſanctio continet, vt qui ab vno Epiſcopo excommunicatus eſt, ab aliis ei non debeat Epiſcopis communicari.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XII.

HOc autem omnibus Chriſtianis intimãdum eſt, quia hi qui ſacri altaris cõmunione priuati, & ꝓ ſuis ſceleribus reuendis (reuerẽdis) aditibus (fortè adytis) excluſi publicæ pœnitentiæ ſubiugati ſunt, nullo militiæ ſecularis vti concilio, nullamq; Reipublicæ debent amminiſtrare dignitatem, quia nec popularibus gentibus eos miſceri oportet, nec vacare ſalutationibus, nec quorumlibet cauſas iudicare, cùm ſint ipſi diuino addicti iudicio. Domeſticas autem neceſſitates curare non prohibentur, niſi fortè propter ſcelerum, vt ſæpè fit enormitatem conſcientiæ ſtimulis exagitati, & in ſe perculſi, ipſius priuatæ rei adminiſtrationem implere nequiuerint. Qui verò adminiſtrationem Epiſcopi ſeu ſacerdotum perpetrato palam ſcelere pœnitentiæ remedium ſuſcipere noluerint, magis abiiciendi ſunt, anathematizandi ſcilicet, tanquam putrida ac deſperata membra ab vniuerſalis Eccleſiæ corpore diſſecandi, cuiuſmodi iam inter Chriſtianos nulla legum, nulla morum, nulla collegii participatio eſt, quibus neque in ipſo exitu communicatur, & quorum neque poſt mortem ſaltem inter defũctos fideles commemoratio fit; ſed ſi ad hoc irreuocabile iudicium obdurati cordis contemptus trahit, non ſine magna tamen examinatione veniendum eſt, & omnia ſacerdoti prius experienda, nec abſque Metropolitani cogitatione, & prouincialium Epiſcoporum communi iudicio quemlibet anathematizandum eſſe permittimus.

CAPVT XIII.

PRopter aſſiduam erga populum Dei curam ſingulis plebibus Archipresbyteros præeſſe volumus; qui non ſolùm imperiti vulgi ſollicitudinem gerant, verum etiam eorum presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam iugi circumſpectione cuſtodiant, & qua vnuſquiſque induſtria diuinum opus exerceat, Epiſcopo ſuo renunciet; nec obtendat Epiſcopus non egere plebem Archipresbytero, quod ipſe eam per ſe gubernare valeat, quia etſi valdè idoneus eſt, decet tamen vt partiatur onera ſua; & ſicut ipſe matrici præeſt, ita Archipresbyteri præſint plebeis, vt in nullo titubet eccleſiaſtica ſollicitudo: cuncta tamen ad Epiſcopum referant, nec aliquid contra eius decretum ordinare præſumant.

CAPVT XIV.

QVia non tãtùm à ſecularibus perſonis, immò & ab ipſis ꝓſulibus quod

quod minimè decuit, tàm virorũ quàm fœminarum monaſteria deſtructa inueniuntur: placuit ſanctæ Synodo, vt ab Epiſcopis primùm eorum ſtatus recuperationis ſumat exordium, & omnia monaſteria, quæ ab Epiſcoporum ſunt poteſtate, protinus reſtaurentur; & quinque Epiſcoporum ad venturam ſequentis anni, Domino propitio, Synodum, monaſteria, quæ ſub ſua poteſtate neglecta fuerant, aliqua ex parte recuperaſſe repertus non fuerit, excommunicetur.

CAPVT XV.

SImiliter & de ſinodochiis (xenodochiis) ſtatuimus, vt quæque in Epiſcoporum ſunt poteſtate, ſecundum diſpoſitionem eorum, *quia inſtuerunt, gubernentur. Quæ autem ſub defenſione quidem ſunt Eccleſiæ, ſed iuxta *inſtitutum decreta per hæredes vel pertinentes, qui religioſam vitam duxerint, regi debent: procuret Epiſcopus, vt ab eis non negligantur: & ſi in aliquo malæ tractationis obnoxii reperiuntur, eccleſiaſticæ ſubiaceant diſciplinæ. Quod ſi hæredes ſiue clerici ſiue ſæculares adeò importunè contra maiorum ſuorum decreta ire tentauerint, vt teſtatoris inſtitutionem ſupprimere vel obſcurare nitantur, & inter ſe ſinodochii ſubſtantiam diuidere, nuncietur ſacratiſſimo Imperatori, vt eius auctoritate huiuſmodi tranſgreſſorum nequitia coërceatur.

** qui inſtituerunt.*
** inſtitutorum.*
xenodochii

CAPVT XVI.

SVggerendum eſt beatiſſimis Imperatoribus, quia hi qui monaſteria & ſinodochia ſub defenſione ſacri palatii poſuerunt, ideò feciſſe probantur, quod à nullo melius, quàm à ſummis poteſtatibus protegenda crediderint; & ſi ea contra decreta inſtitutorum perſonis quibus non licet dederint, ipſi impugnatores efficiuntur, qui propugnare debuerunt, & cauendum ſummoperè principibus, vt quia minimè nunc iudicantur, ne in futuro iudicio ab omnipotenti Deo grauius iudicentur, ſecundum Apoſtolum. Etenim horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. Nos verò qui debitores ſumus, vt fideliter annunciemus, idcirco humiliter ſuggerimus, quod ſilere non audemus.

CAPVT XVII.

OMnes Chriſtianos ſcire oportet, qui omnium rerum ſuarum decimationem Deo fideliter reddere debet, & ſecundum Epiſcoporum diſpoſitionem ſacerdotum & reliquorum clericorum vſibus,

cæteriſq; eccleſiaſticis vtilitatibus diſtribuendæ ſunt. Qui verò eas ſuo arbitrio, & non ſecundum diſpoſitionem diſpenſare conatur, duplicem reatum incurrit: vnum quia dominicam ſubſtantiam impiè ſubtrahit: alterum, quia rem ſacrã ſacrilega temeritate violare præſumit. Quiſquis igitur poſt ammonitionem Epiſcopi & ſacerdotum decimas dare contempſerit, pro ſuo arbitrio quibus dandæ non ſunt, dare præſumpſerint, tanquam diuinarum ſanctionum contemptor & temerator ſacerdotali eſt vigore plectendus, & ſacræ communionis participatione remouendus.

CAPVT XVIII.

NVlla ratione Clerici aut Sacerdotes habendi ſunt, qui ſub nullius Epiſcopi diſciplina & prouidentia gubernantur. Tales .n. Aceſalos, id eſt, ſine capite priſca Eccleſiæ conſuetudo nuncupauit. Docẽdi ſunt igitur ſeculares viri, vt ſi in domibus ſuis myſteria diuina iugiter exerceri debeant, quod valdè laudabile eſt, ab his tamen tractetur, qui ab Epiſcopis examinati fuerint, & ab ordinatorib' ſuis commendatiis litteris comitati probantur, cùm ad peregrina fortè migrare eſt. Si quid ergò contemptores Canonum extraordinariè & illicitè miniſtrantes, & diuina ſacramentaliter violantes inueniuntur, primùm ab Epiſcopo vterq; * amoueatur, & vagans ſcilicet Clericus vel Sacerdos, & is qui eius vſurpatiuo fruitur officio, & ſi noluerint ſe ab hac temeritate compeſcere, excommunicentur.

CAPVT XIX.

SEd & ille exceſſus omninò inhibendus eſt, quo quidam ſæculares viri presbyteros, aut alios clericos conductores, vel procuratores, ſiue exactores fiſcalium rerum vel redituum aut vectigalium conſtituunt. Si quis igitur deinceps huius exorbitationis rerum inuentus fuerit, vterque excommunicetur tàm ipſe qui conſtituit, quàm ille qui indignè paruit.

CAPVT XX.

OMni ratione caret, & religioni Chriſtianæ noxium & cõtrarium noſcitur, vt Iudæi à Chriſtianis vectigalia exigant, aut vllas ciuiles aut criminales cauſas inter Chriſtianos iudicandi locum habeant. Quicunque igitur iudiciariæ poteſtatis ſuper Chriſtianos aliquã adminiſtrationem iudicio tractare permiſerit, à Chriſtiana communione pellantur.

Digitized by Google

CAPVT XXI.

QVia terribiliter Propheticus ſermo minatur ad vſuram dantem & amplius accipientem, in æternum non eſſe victurum, & non habitaturum in tabernaculo altiſſimi, nec requieturum in monte ſancto Dei, cenſemus vt quiq; hoc perpetraſſe inueniuntur, ſi ſuperſũt, à quibus vſuras exegerunt, ipſis reſtituant, quæ ſuperabundantius abſtuliſſe probantur. Si autem deceſſerint, hæredibus eorum ſaltem medietatem refundant, aut eleemoſynis redimant, quod cupiditate deliquerunt. Deinceps verò qui hæc ſectari inuentus fuerit, ſi laicus eſt, excommunicetur: Sacerdos autem vel Clericus, ſi ad Epiſcopi ammonitionem, ab hoc turpi & peſtifero negotio ſe non cohibuerit, proprii gradus periculum ſuſtinebit.

CAPVT XXII.

COmperimus, quod ab his, qui ſecundum mundanas leges viduarum & orfanorum tutelam ſibi vindicant, non ſolum nec regantur, verum etiam aliquoties opprimantur, * qui ſibi Eccleſiaſtica ſollicitudine ſuccurrendum cenſemus: Et ſi huiuſmodi ſuppreſſores ad Epiſcopalem ammonitionem corrigi voluerint, gratulandum his eſt: ſi autem in obſtinationis impietate durauerint, ſuggerendum clementiſſimo Imperatori, quatenus ipſe efficacem tutorem eis tribuat, vt & illi remuneratio reddatur à Deo & de inutili ſilentio ſacerdotalis ordo non damnetur.

ſ. quibus.

CAPVT XXIII.

QVidam Clericorum vel Monachorum peregrinantes per diuerſas vagando prouincias & ciuitates, multiplices ſpargunt errores, & inutiles quæſtiones diſſeminant decipientes corda ſimplicium, de his decreuit ſancta Synodus, vt ab Epiſcopo loci detineantur, & ad Metropolitanum deducti diſcuſſione Eccleſiaſtica examinentur, & ſi vanitatis atq; iactantiæ, non autem vtilitatis aut doctrinæ cauſſa, has inquietudines ſerere reperiuntur in populis, velut Eccleſiaſticæ pacis perturbatores congruenti diſciplina macerentur.

CAPVT XXIV.

INuenti ſunt multi, & maximè de ruſticis, qui adultas feminas ſub paruulorum filiorum nomine in domibus ſuis introduxerint: & poſtmodum ipſi ſoceri nurus ſuas adulteraſſe conuicti ſunt. Idcirco inhibendum decernimus, vt nulli deinceps imperfectæ ætatis puero adul-

adulta fæmina iungatur, ſed cum ad ætatē idoneam adoleſcentes venerint, tunc legitimo poſſint coniugio copulari.

CAP. XXV.

QVia peſtiferas adhuc ſtirpes & reliquias artis magicæ in tantum vigere ad nos perlatum eſt, vt quædam maleficæ illicitum amorem aliorum mentibus, aliis verò odium immittere dicantur, quædā etiam ita venenariæ ſunt, vt quoſdam peremiſſe multo populi rumore deferantur, huiuſmodi diaboli miniſtras diligenti examinatione ꝑditas, ſub acerrima pœnitentia redigendas ſtatuimus, & in ipſo tantum exitu, ſi tamen prius digna pœnitentiæ opera fecerint, reconciliandas eſſe permittimus.

De rebus vero ſæcularibus hæc ſtatuit piiſſimus Imperator HLudouicus, quæ glorioſi quoque genitoris eius HLotharii Sereniſſimi Augusti auctoritate firmata ſunt.

CAP. I.

PEruentum eſt ad nos, quod eos, qui Romam orationis cauſſa pergunt, vel qui negotiandi cauſſa per regnum noſtrum diſcurrunt, collecti latrones diripiant, eosq; aliquoties vulnerent vel occidant, & eorum bona diripiant, ideo volumus, vt Comites noſtri eorū *ſcudaſſii adiunctis ſecum vaſallis Epiſcoporum, ſi neceſſitas fuerit, vbicunq; tales fuerint, ſtudioſiſſimè perquirant, vt eos capiant atq; diſtringant. Et ſi huius criminis reos inuenerint, pœnas in legibus poſitas erga eos abſq; vlla neglegentia exequantur: vt ab his malefactoribus regnum noſtrum purgetur, & qui in noſtra fiducia huc veniūt, ſiue orationis ſiue negotiandi gratia ſalui eſſe poſſint. Sciat autem vnuſquiſq; fidelium noſtrorum, quia quiſque Comes, & quilibet publicus miniſter huiuſmodi malefactoribus aut aſſenſum præbuerit, aut eos qui perſequi neglexerit, noſtræ indignationis motum ſentiet, & proprio honore priuabitur.

CAP. II.

SEd & hoc comperimus, quia ex diuerſis locis huiuſmodi noxii hoīes inter ſe conſpirent, & diuerſos comitatus circumeuntes ꝑdas & rapinas ꝑ villas ſeu ꝑ vias, vel ꝑ ſiluas faciant; & innocētes hoīes depdētur & ſpoliēt, & hi quoq; ſimiliter volum⁹, vt diligēti ſtudio ꝑquiſiti capiātur & diſtringātur, & ſi obnoxii huius ſceleris inuēti fuerint,

Digitized by Google

legalibus pœnis abſq; ne vlla dilatione ſubiiciantur, vt huiuſmodi inquietudo, & iniuſta direptio à populo noſtro auferat, & liceat omnibus ſub noſtra ditione degentibus cum ſaluatione ac pace viuere, vt ordo reipublicæ ſecundum iuſtam amminiſtrationem prorſus ſaluus & quietus permaneat.

CAPVT III.

AVdiuimus quoq; quod quidam domos & poſſeſſiones habētes, concilient ſibi atq; conſocient latrones aliunde venientes, eoſq; occultè foueant & ſolacientur ad tale facinus perpetrandum, vt quidquid ipſi ex pernicioſo opere adquiſierint, cum eius partiantur, quod genus malefactorum peſſimum iudicamus, quia non ſolum ipſi mala peragunt, ſed etiam aliorum opere & officio ad ſcelera vtuntur. Vbicunq; igitur in tali ſuſpicione quilibet venerit, & rumor in populo diſperſus fuerit, quod hæc facinora exerceat, ſi adhuc prolatum eſt, cùm duodecim ſe purget: ſi autem in aliquo manifeſtatus aut deprehenſus eſt, ſtatim capiatur & diſtringatur, & damnationē legibus præfixam ſuſtineat. Vbicūq; verò ſiue manentes ſiue vagantes latrones comprehendere publici muneris amminiſtrator voluerit, & ille ſe defenſare conatus fuerit, ſi inter hæc fortè eundem latronem occidi contigerit, nulla is, qui eum occidit, damnatione mulctetur, neque vllas inimicitias à parentibus, aut vllam perſecutionem ab vllo eius amico vel propinquo ſuſtineat. Quod ſi aliquis eius ſenior aut propinquus propter hoc vindictam facere conatus fuerit, & iudex publicus eum compeſcere non potuerit, per fideiuſſores idoneos talis perſona ad noſtram deducatur præſentiam, vt complices & fautores ſceleratorum noſtra animaduerſione plectantur. Vbicunque autem fama eſt tales habitare, inquiſitio per ſacramentum, per omnem populum circa manentem fiat, & cuiuſcunq; gentis aut conditionis fuerit, per quos hoc inquiri meliꝰ potuerit inſiurandum dare, cùm à Comite conuentus fuerit, recuſandi non habeat poteſtatem.

CAPVT IV.

SEd & hoc peruenit ad notitiam noſtram, quod quando potentes & honorati ſiue eccleſiaſtici ſiue ſæculares ad nos veniunt, à populo, in quorum domibus manſiones accipiunt, ſuis vſibus ſuorumque equorum neceſſaria per vim tollant, & hac occaſione

popu-

Digitized by Google

populus noſter affligatur: Idcirco præcipimus, fidelis noſter, quicunq; ad noſtram præſentiam properat, nihil inueniendo aut euertendo ab aliquo violenter tollat, ſed ſuis hominibus & equis, niſi fortè ab amicis ſtipendia acceperit, ab hoſpitibus ſuis pretio iuſto comparet. nam quicunq; huius mali famam habuerit, cum ad nos venerit, veracem hominem volumus vt det, qui pro ſuis omnibus iuret, nihil eos in itinere tuliſſe, & ſi fortè in aliquo ſe ſuosq; obnoxios recognoſcit, donet idoneum hominem, qui iuret, aut cuncta reſtituat his, à quibus abſtuliſſe viſus eſt.

CAP. V.

HOc etiam multorum querelis ad nos delatum eſt, quod potentes & honorati viri locis, quibus conuerſantur, minorem populum depopulentur & opprimant, eorum prata depaſcant, manſiones etiã cõtra voluntatẽ priuatorum hominum ſiue pauperum domibus ſuis.

Cætera deſunt in Codice.

CONVENTVS TICINENSIS.

Ex eodem m. ſ. Codice S. Galli.

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Incarnationis Domini noſtri Ieſu Christi annis DCCCLIIII, anni Imperii domini HLudouici Imperat. Auguſti VI. Indict. IIII. dum conuentum fidelium noſtrorum palatio noſtro Ticiniæ ciuitatis *conuacarentur, & ſimul eorum & noſtrorum nobilium conſultum, non ſolum Eccleſiaſticam vtilitatem, & populi ſaluationem, ſed etiam totius regni ſtatum perquirere ſtuderemus, inter reliqua populus noſter nobis quaſdam petitiones obtulit, quas nos Dei amore & eorum fidelitate ducti libenter ſuſcepimus, atque ideo ſubter annotata capitula ad eorum vtilitatem ſubſcribi fecimus, quas in futuro pro lege tenenda firmamus. *conuocaremus.

CAP. I.

DE fæminis, quæ defũctis viris lex LONGOBARDORVM prohibet ante anni ſpatium veſtem religionis mutare, *velamq; ſuſcipere petierunt, vt noſtra licentia eis mox diuina pietas inſpirauerit, eas indemnes licere ſuſcipere. Nos autem eius conſiderantes, quia opto pro ipſa dilatione multæ etiam raptu intra *eundem ſpatium ad aliam partem diſtractæ fuerunt; ideò & eorum petitionem, quam iuſtam cenſuimus, ſuſcepimus, & eis ita fieri concedimus. *velumq. locus corruptus. *idem.

Digitized by Google

CAP. II.

NOſtræ maieſtati reclamauerunt patres noſtri, vel noſtri ſuper* eas ſuperfluas factas inquiſitiones, ideo eis concedimus ab hinc in futurum nullas alias ſuper eos fieri inquiſitiones, niſi vnde KAROLI proaui, & aui noſtri tempore factæ fuerunt.

*eos.

CAP. III.

DE liberis hominibus, qui ſuper alterius res reſident, eiuſq; nunc amminiſtris Reipublicæ contra legem ad placita protrahantur, & ideo pignerabantur, conſtitutum eſt, vt ſecundum legem patroni eorum eos ad placitum adducant, & ſi quis eos contra hanc noſtram auctoritatem, & eorum legem pignerare aut diſtringere præſumpſerit, patronum eius omnia cum lege commendet, & inſuper præſumpione bannum noſtrum conpt.

CAP. IV.

DE homicidio, vnde lex pro ſimplicitate probationem trium teſtium quærit, & teſtes habere non potuerit, concedimus, vt cũ XII. iuratoribus iuret ab eadem ſimplicitate abſolutus proprium non admittat.

CAP. V.

DE cartis, quæ à quibusdam perſonis Falſæ appellantur, conſtituimus, vt ſi notarius ſuperfuerit, & teſtes, qui eam veram & idoneam faciant; & ſi teſtes mortui fuerint, & notarius ſuperfuerit, cum XII. iuratoribus veram & idoneam eam faciat. conceſſas deniq; petitiones veſtras conſiderauimus etiam ea, quæ ad nos * in pridem peruenerunt ad reſerandas malorum inſidiationes iiſdem adiungere capitulis.

*iam pridẽ.

FINIS.

Sche-

GENEALOGIA CAROLI MAGNI,

Auctore Anonymo,

ſcripta

ANNO DOMINI 867.

Nunc primùm ex m. ſ. S. Galli edita.

Ad Lectorem.

NON magni momenti dices eſſe hanc ſchedam genealogicam tam breuem, tam nullo autore præſignē. Ita eſt. Attamen non digna eſt perire: quippe quæ ſe ſua antiquitate commendet, ſcripta anno 867. ab interitu hic vindico. hoc vnum in hac editione conſilium. Quod autem Carolus Magnus hic mortuus dicitur anno 815. eſt plane contra ſententiam communem, quæ in annum 814. conſentit.

INCI-

Digitized by Google

INCIPIT COMMEMORAtio Genealogiæ Karoli Imperatoris.

ANSPERTVS, qui fuit ex genere ſenatorum, præclarus vir atq; nobilis, in multis diuinis pollens, accepit filiam HLOTHARII REGIS FRANCORVM ad coniugẽ, nomine BLICHILT, & habuit ex ea filios tres, & filiã vnã. primogenitus ipſius ARNOLDVS nominatus eſt: Secundus FERIOLVS, tertius MODERICVS: & filia ipſius TARSICIA, FERIOLVS qdẽ EPISCOPVS effectus eſt In VCECIV ciuitate MARTYRIO coronatus eſt, ibiq; requieſcit in pace. MODERICVS vero in HARISIO EPISCOPVS eſt ordinatus, ibiq; CONFESSOR CHRISTI requeſcit in pace. vbi DEVS per eius meritis multa miracula operatur. TARSICIA VIRGO CHRISTI in Virginitate ſua perſeuerans, in RODINIS ciuitate requieſcit: pro cuius meritis ibidẽ CHRISTI virtus cottidie oſtẽditur: quæ etiã fertur mortua mortuos ſuſcitaſſe. ARNOLDVS primogenitus ipſius genuit Domnũ ARNVLFVM, Domnus ARNVLFVS genuit FLODVLFVM & ANSKISVM, FLODVLFVS diuina annuente gratia Epiſcopus ordinatus eſt. ANSKISVS genuit PIPINVM. PIPINVS genuit KAROLVM. KAROLVS vero genuit Domnũ Regem PIPINVM. Domnus PIPINVS genuit Cæſarẽ glorioſum, ac Principem nobiliſſimum KAROLVM.

Anno Incarnat. Domini noſtri Ieſu Chriſti D CCCXV. KAROLVS omnium AVGVSTORVM optimus, ad AQVASGRANI V. Kal. Febr. hora diei tertia, de hoc ſæculo migrauit: qui regnauit annos XLVII. Deceſſit autem anno ætatis ſuæ LXXII.

Et ſuſcepit HLVDOVICVS filius eius eodem anno imperium, qui regnauit annos XXVI. id eſt, vſq; ad annum Incarnationis Domini noſtri IESV CHRISTI D CCCXL. Deceſſit autem XII. Kal. Iul. in Inſula RHENI, iuxta palatium in INGILINHEIM.

Poſt quem HLVDOVICVS filius & æquiuocus eius in orientali Francia ſuſcepit imperium: Qui anno præſente, id eſt, Incarnationis Domini noſtri IESV Chriſti DCCC. LXVII. XXVII. annos regnare videtur.

FINIS.

Digitized by Google

Acta

SANCTI CVTHBERTI

Lindisfarnenſis

EPISCOPI.

A

Venerabili

BEDA

Heroico carmine conſcripta.

Nunc primùm ex membranis m.ſ. celeberrimi Monaſterij S. Galli edita.

Digitized by Google

MARTYROLOGIVM ROM.

20. Martij.

IN *Britannia depoſitio S. Cuthberti Epiſcopi Lindisfarnenſis, qui à pueritia ad obitum vſq; ſanctis operibus & miraculorum ſignis effulſit.* Hæc Mart. Rom. vbi notas has addit Illuſtriſſimus Baronius: *De eo Beda, Vſuardus, Ado. Eius acta Beda exactè cõſcripſit. habentur tom. 3. qui & in præfatione hiſt. de geſt. Angl. fatetur ſe ſcripſiſſe vitam ipſius, non tantum ſoluta oratione, ſed etiam verſu heroico. Idem de eo lib. 4. hiſt. Angl. c. 27. 28. & 29. Sedere cœpit anno Domini 685. Migrauit è vita anno 688. Sigebertus autem anno 687. diem obiiſſe affirmat.* Hæc Baron.

Beda ad finem hiſtoriæ Anglorum, *Vitam S. Patris, Monachi, ſimul & Antiſtitis Cudberti, & prius heroico metro, & poſtmodum plano ſermone deſcripſi.* Hæc Beda. Vbi notat Molanus ad Viuardi Martyrolog. 20. Martii. in codice m. ſ. ita legi: *heroico metro capitibus quadraginta ſex.* Quæ lectio ſanè probatur mihi. Nam m. ſ. membranæ habent expreſsè 46. capita.

Beda in præfatione vitæ S. Cuthberti, quæ extat tom. 3. Bedæ; *Vitam eiuſdem Deo dilecti Patris noſtri, quam vobis proſa editam dedi, aliquanto quidem breuius, ſed eodem tamen ordine, rogantibus quibuſdam è noſtris fratribus, heroicis dudum verſibus edidi.*

Hæc Beda.

Vene-

Venerabilis BEDA,

DE VIRTVTIBVS S. CVDBERTI LINDISFARNENSIS EPISCOPI.

Incipit Prologus.

Domino in domino dominorum dilectiſſimo Ioañi Presbytero Beda famulus Chriſti ſalutem.

DIci non poteſt, dilectiſſime in Chriſto Domine, *in quantum tua charitate afficiar, tuaq; ſi fieri poſſet præſentia ſemper delecter: tuæ quoq; ſanctæ dulcedinis, etiam inter longi itineris, quod inire cupis, anguſtias, perenni memoriæ ſtimulo compungar. Vnde tibi vel ad memoriam meæ deuotionis, vel ad tuæ peregrinationis leuamentum, beati Cudbrethi Epiſcopi, quæ nuper verſibus edidi, geſta obtuli. Abſq; vlla enim dubietate confido, quod tanti viri comitatus, multum felicitatis conferat. Nam illius & mœrentem dulcedo conſolatur affabilis: & deſidem compunctio cordis feruens excitat, & periclitantem interceſſio firma defendit. Scire autem debes, quod nequaquam omnia geſta illius exponere potui. quotidie namq; & noua per reliquias eius aguntur, & vetera nouiter ab his, qui ſcire poterant, indicantur. E quibus vnum eſt, quod in meipſo, ſicut iam tibi dixi, per linguæ curationem, dum miracula eius canerem, expertus ſum. Si vero vita comes fuerit, & noſtræ diſpoſitioni ſuperna voluntas fauendo annuerit, ſpero me in alio opere nonnulla ex his, quæ prætermiſeram, memoriæ redditurum.* Obſecro *cum ad limina beatorum Apoſtolorum,* DEO *protegente, perueneris, pro me intercedere memineris.*

Explicit præfatio.

INCIPIT DE MIRACVLIS S. CVDBERHTI PROOEMIVM.

MVlta ſuis Dominus fulgeſcere lumina ſeclis
Donauit, tetricas humanæ noctis vt vmbras
Luſtraret diuina poli de culmine flamma.
Et licet ipſe DEO natus de lumine Chriſtus,
Lux ſit ſumma DEVS, ſanctos quoq; *iure lucernæ ſ. iure.
Eccleſiæ rutilare dedit, quibus, igne Magiſtro,
Senſibus inſtet amor, ſermonibus æſtuet ardor,
Multifidos varium lychnos qui ſparſit in orbem,
Vt cunctum noua lux Fidei face fuſa ſub axem
Omnia ſidereis virtutibus arua repleret.
Roma Petri, Pauliq; iubar mirata gemellum,
Gaudet Apoſtolicis ſemper victura tropæis:
Aſt Aſiæ lucem Verbi ſerit ore Ioannes,
Hauſerat è Domini quæ pectore myſtica ructat.
Bartholomeus Eoa volat per regna triumphans,
Indomitoſq; armis lingua domat inclytus Indos.
Tu quoq; Niliacos componens Marte furores,
Sicca Euangelicis ſatias de nubibus arua.
Africa Cypriani dictis, meritiſq; refulget.
Spernere delicias fuſo qui ſanguine ſuaſit.
Pictauis Hilario multum radiata Magiſtro,
Diſcutit annorum vera iam luce tenebras.
Conſtantinopolim Chryſoſtomus ille Ioannes,
Aurato nitidæ luſtrat fulgore loquelæ,
Nec iam orbis contenta ſinu, trans æquora lampas
Spargitur effulgens, huiuſq; Britannia conſors
Temporibus genuit fulgur venerabile noſtris,
Aurea qua Cudperhtus agẽs per ſidera vitam,
Scandere celſa ſuis docuit iam paſſibus Anglos.
Hunc virtutis honor iam primo à limine vitæ,
Ætheriumq; decus ſignis comitatur apertis.

Cuius

Cuius cuncta licet nequeam, tamen vltima malim
Commemorans operum veſtigia tangere verſu,
Quîs pateant interna ſacræ fundamina mentis.
Tu, rogo, ſumme, iuua, donorum ſpiritus auctor,
Te ſine nam dignè fari tua gratia neſcit:
Flammiuomiſq; ſoles dare qui noua famina linguis
Munera da linguæ, verbi tua dona canentis.

Quomodo puer Dei Cudperhtus per infantem ſit prædicto Epiſcopatu admonitus. 2.

ALma Deo cari primo cœleſtis ab æuo
Vita micat, famuli lator quem muneris alti,
Vera vocat Chriſtus ſpeciali ad gaudia dono,
Auriuagaſq; feri pompas contemnere ſecli,
Corq; polo ſtabilire docet, quem denique dulci
Prima magiſterio per tempora dirigit æui,
Quandoq; prouectum ſublimibus inferat aſtris.
Fortè vago gracilis dum gramine luderet ætas,
Intererat vacuis ſimul indoles alma palæſtris.
Subq; leui lætas ſumpſit luctamine palmas.
Sed Dominus digno puerilia ſenſa magiſtro
Correxit, tenero nam de grege paruulus infans,
Viribus admonuit dubiis ne fidere mallet:
Et feſtina breui conſumere tempora luxu:
Sed ſtabilem Domini mentem firmaret amore.
At puer infantis riſit ſacra famina nolens,
Octennis trimum deſpectus habere magiſtrum,
Qui gemit, & luctu faciem perfundit amaro.
Soluitur in lachrymas luctus, cunctiq; viciſſim
Vnius incertos ſatagunt abſtergere fletus:
Nec valuêre tamen ſolatia rapta * nouari: ** m ſ. moneri in marg.*
Hunc pia complexum Cudperhtus ad oſcula mulcet,
Obſecrans ſiccare genas, deponere luctus.
Excipit & mœſto iuſtas de corde querelas;
Quid te, care, leui ſubdis per inania ludo,
Quem Deus ætherio ſublimis honore ſacrauit,
*Præficiens populis, cœli quibus atria pandas? ** m. ſ. marg præſpiciens*
Ingenuum ſtadio numquid concurrere ſeruis

Fas erit, aut vulgi antiſtes ſimilabitur actis.
Linque tuis ergò tàm diſſona friuola factis,
Deuotuſq; DEO ſacrum coniungere pectus.
Hæc ait, & pueri grandæuum in pectore ſenſum
Spiritus inſtituit cunctum comes almus in æuum.
Nec mirum, infantes myſteria pandere Chriſti,
Lactentumq; ſacer repleat ſi viſcera flatus,
Qui facit humanas aſinam reboare loquelas.

Quomodo genu dolenti claudus effectus ſit, & Angelo medicante curatus.

PAruulus interea ſubiti diſcrimine morbi
Plectitur, atq; regit veſtigia languida pino.
Cumq; die quadam ſub diuo feſſa locaſſet
Membra dolens ſolus mitis puer, ecce repente
Venit eques niueo venerandus tegmine, nec non
Gratia cornipedi ſimilis, recubumq; ſalutat,
Obſequium ſibi ferre rogans. cui talia reddit:
Obſequiis nunc ipſe tuis adſiſtere promptus
Vellem, ni *diro premeretur compede greſſus. *dira.
Nam tumet ecce genu, nullis quod cura medentûm
Tempore iam multo valuit mollire lagonis.
Deſilit hoſpes equo, palpat genu ſedulus *ægrum, *al. ægra.
Sic fatus ſimilæ nitidam cum lacte farinam
*Olla coquat pariter feruenti .... *al. ova.
Hocq; iſtum calido ſanandus inungue tumorem.
Hæc memorans conſcendit equum quo venerat, illo
Calle domum remeans. monitus medicina ſecuta eſt;
Agnouitq; ſacer medicum veniſſe superni
Iudicis à ſolio ſummo, qui munere clauſos
Reſtituit viſus piſcis de felle Tobiæ.

*Quomodo ventis oratione mutatis *Oceano delapſa ratis reuocarit ad litus.*

*Beda in proſa S. Cudberti ca. 3. rates Oceano delapſas re

HInc ſacra maiori firmatus robore corda,
Celſithronum didicit precibus pulſare tonantem.
Eſt locus inſignis fluuii ſuper oſtia Tini,
Eximie iam tunc monachorum examine pollens:

Digitized by Google

Qui veherent dum ligna ſeri per terga fluenti,
Fluminis & venti ſubito feriuntur ab ictu:
Quinq; fuêre rates, rapido quæ gurgite cunctæ
Oceani canum pronæ labuntur in æquor,
*Iam oculis abſtracta procul, velut aliger, vndis *ſ Iamq;
Mergulus innaret, paret per cærula puppis.
Egreditur fraterna cohors, & poplite flexo
Æthera ſuſpiciunt, vitam, pacemq; precantes.
Seruatur ſed *hoc puero victoria lecto,
Qui tum fortè aliæ iam ſtabat in obice ripæ, *hæc.
Vulgus & innumerum, grandiſq; caterua ridentum.
Gaudia nam reprobis ſunt triſtia fata proborum.
Noxia, qui dixit, linquamus gaudia fratres:
Condoleamus & his, quos verbera mœſta fatigant,
Vel Dominum potius, qui flabra creauit, & vndas,
Oremus, dignetur iter donare ſalutis.
Ruſtica ſed iuſtis diſſentit turba ſuadelis
Ille, genu flexo, vultu mox preſſerat arua:
Mutantur venti, ratibuſq; in littora iactis
Erubuit lætum viſo pro numine vulgus,
Glorificatq; DEVM, firmet qui vota ſuorum.

Quomodo cum paſtoribus poſitus animam ſancti Aedani Epiſcopi ad cælum ferri ab Angelis aſpexerit. 5

HÆc inter, teneros lætis dum collibus agnos
Paſceret, ecce vigil nocturnis cernit in hymnis,
Ignea ſidereis fulgeſcere caſtra maniplis,
Atq; polis ſanctum rutilæ per gaudia pompæ
Ferre animam, ſociiſque ſopor, quos preſſerat, inſit:
Heu miſeri lento premimur qui pectora ſomno,
Cernere nec vigilum cœleſtia facta meremur.
Peruigil en modico magnalia tempore cerni
Tanta DEI, bifores portæ reſerantur Olympi.
Inditur ætheriæ felix qua ſpiritus aulæ,
Angelicis comitatus ouans, qui ſidera flammis
Tranſit, & altithronum gaudet modò viſere regem:
Antiſtes fuit iſte reor, plebiſue ſacratæ,
Summus in arce nitens, comitum quem flammea tantis

Exci-

Digitized by Google

Excipit æthra choris, luciſq; ad limina vexit.
Diſcite paſtores vigili tutamine mandris
Inſidias noctis, furuoſq; cauere leones,
Vobis vt angelicę pateant ſacra carmina laudis,
Bethleaq; Deum cernatis in arce potentem.
Hæc memorans trepidas ſocio ſub pectore laudes
Accendit. miranda fides rerum. Aëdanus ille
Tempore deceſſit Domini orans lætus ad aulam.

Quomodo idem Aedanus tempeſtatem nautis prædicens, Oleum quo mitigaretur, dederit.

6. Geſta ſacerdotis huius veneranda per orbem,
Et doctrina nitet, memori narranda relatu.
Tangere ſed breuiter exemplis ſufficit vnum.
Presbyter vndiſoni quidam vada cœrula ponti,
Scandere iuſſus adit ſupplex oracula vatis,
Seq; ſuoſq; rogans precibus tutarier almi,
Antiſtes cui celſus ait; Petis æquor vt altum,
Obuius aduerſo inſurget ſeptentrio flatu.
Venti ſed fremitus, tempeſtateſq; ſonoras
Chriſmate, quod dederim promptim lenire mémento.
Vnguine tunc ſumpto nautæ præpinguis oliuæ,
Æquora conſcendunt, veliq; patentibus alis
Sulcabat media puppis ſecura profundum.
Cùm ſubitò grauis inſtat hiems, furit vndiq; pontus,
Tardans abreptæ veſtigia cœpta carinæ:
Immiſſo tandem pinguis medicamine guttæ,
Manſuefacta feros componens vnda tumores
Pandit iter lætum. Virtus ſic vna gemello
Effulget radio. dictis qui triſtibus ante
Terruerat, prompto releuat ſolamine mœſtos.
Quiq; prophetali præfatur mente futura,
Ipſe elementa ſuis refrenat turbida iuſſis.

Quomodo Cudberhtus iter faciens cibum caballo indice repererit.

7. RVrſus caſta Deo Cvdberhtvs pectora plenus,
Ingrediens itiner, pluuio concluditur Euro,
Frigora quaq; volans percurrit ſidera nimbus,

Diuer-

Diuertitq; rigens veteris ſub tecta tabernæ,
Condiderat pecorum qua * ſolo per auia cuſtos, *f. ſola.*
Parieti & adnectit, quo venerat ipſe, caballum,
Exſpectanſq; vdos Dominum componere flatus,
Diuinis horam dum ſacrat laudibus almus,
Cernit equum ſubitò ipſius decerpere morſu
Tecta calæ, feniq; fluunt in faſce cadentis
Miſta pio iuueni ſummo conuiuia dono;
Qualia ſiccato meruiſti gramine quondam
Flammeus ætherias vates qui ſcandis ad auras.
Ergò ſacer calidi panis, carniſq; ſuperna
Iam dape paſtus agit grates, poſitiſq; procellis
Carpit iter gaudens Chriſto comitante ſerenum.

Quomodo Angelum hoſpitio recipiens, dum panem quærit miniſtrare terrenum, cæleſti ab eodem remunerari meruerit. 7.

HInc maiora petens monachis hrypenſibus, almus
Corpore, mente, habitu, factiſq; adiungitur, & mox
Ponitur hoſpitibus famulus, iuſtoq; libenter
Subditus obſequio celſæ de mœnibus aulæ
Cernere promeruit gaudens, & paſcere ciuem.
Hoſpitis hic habitum mediæ ſub tempore brumæ
Aduenit, vatiſq; humili de more receptus,
Aptos abluitur ſacros, quiq; algida blando
Palmarum adclinis mulcet veſtigia fotu;
Subnixuſq; rogat dignetur vt vſque morari
Defeſſus lætis dapibus, quo membra nouentur,
Ne friguſq; fameſq; niuoſaq; flabra Decembri
Ingeminent itener longo ſub calle rigentis,
Qui matutinis aduenerit algidus auris.
Atq; reluctantem, ſummi per regna tonantis
Adiurans tandem ſiſtitq;, famemq; repellit,
Digreditur cupiens panem deferre calentem
Heſternæ * quod tantum ſupereſſent fragmina cœnæ. ** ſic M.S. cum nota, . . fort. leg. Quæ heſternæ,*
Conuiuam rediens quærit, ſed nulla viantis
Signa pedum niueo quoquam conſpexit in aruo.
Interiora petens roſeo nidore referta

Repperit hæc, mirum dictu, pariterque tuetur
Tres inibi è nitido fulgentes polline panes.
Talia dum pauido Cudperhtus pectore fatur:
Cerno quidem, ætheria deſcenderat hoſpes ab aula.
Cognatiſque leuis ſe reddidit aliger aſtris:
Paſcere, non paſci veniens, & fercula portans,
Qualia non ſurgunt noſtræ de germine meſſis:
f. fragrat. Lilia nec candent, nec ſic roſa fulgida * flagrat.
Noſtraque mannifluo ſpernuntur mella ſapore.
Non hæc ergò meus toſto de viſcere fornax,
Sed paradiſe, tuus gignit ſacra munera fructus.
Nec mirum noſtras diues quod reſpuit eſcas,
Perpetuum vitæ fruitur qui pane per æuum.
Nam vir mente Deo deuotus, & ore iocundus,
Sanctificos patrum Domini ſub laudibus actus
Commemorare ſolens, proprios quoq; ſæpius infert,
Egerit ætherios tantum quos teſte triumphos.

8. *Quomodo animalia maris, in quo pernox orauerat, illi regreſſo præbuerint obſequium, & frater, qui hæc videbat præ timore languescens eius ſit oratione recreatus.*

INterea iuuenis ſolitos nocturnus ad hymnos
Digreditur: lento quidam quem calle ſecutus,
Illius incertos ſtuduit dinoſcere greſſus.
Ad mare deueniunt. collo tenus inditus vndis
Marmoreo Cudperhtus agit ſub carmine nocte
Egreditur ponto, genibusq; in littore fixis,
Expandit geminas ſupplex ad ſidera palmas.
Tum maris ecce duo veniunt animalia fundo,
Vatis & ante pedes fulua ſternuntur arena.
Hinc gelidas villu, flatuq; fouentia plantas,
Æquoreum tergunt ſancto de corpore frigus:
Supplice tum nutu ſeſe benedicier orant.
Qui parens votis verbo, dextraq; miniſtris
Impendit grates, patriaſq; remittit ad vndas,
Ac matutino tectis ſe tempore reddit.
Hæc comes vt vidit perculſus corde pauore,

* Semia-

* Semianimam curuo flatum trahit abditus antro. * Semianimem fortè Bed. ſcripſerat.
* Ad reuoluta dies noctis cum pelleret vmbras, * At, fortè.
Aeger adeſt vati ſupplex genibusq; volutus,
Se poſcit Domino prece commendare profuſa,
Inciderit mœſtam ſubito quod pondere noctem.
Num noſtrum è ſpeculis, dixit, tentando latenter
Luſtrabas itiner? ſed nunc donabitur error
Iam tibi poſcenti, retices ſi viſa quouſq;
Decedam mundo? ſummiq; exempla magiſtri
Exſequitur, miſſo renouans qui lumine cæco
Præcipit auctorem reducis celare ſalutis.
Tum prece languorem pellit, culpamq; relaxat.
Inq; dies meritis creſcendi ſumma Tonantis
Gratia teſtis adeſt: pandunt miracula mentem;
Iamq; prophetalis ſtellanti è culmine virtus
Candida prærutilo irradiat præcordia flatu.

Quomodo nautis tempeſtate præcluſis ſerenum mare ad certum diem prædixerit, & orando cibos impetrauit. 9.

PIctorum interea puppi defertur ad oras:
Sed reducem rigido tardant freta clauſa Decembre,
Cumq; fames, friguſq;, mariſq; pericla furenti
Nubila cum tonitrus, cum grando, poliq; micantes
Externo trepidos quaterent ſub littore nautas.
Venerat alma dies, natus qua corpore ſignis
Enituit Chriſtus cœlorum gloria terris.
Ille, vt erat placidus, blando ſic pectore fatur:
Quid rogo, tanta tenet noſtras ignauia mentes,
Tam fera quin vllo ſcindamus vincula niſu?
Cernitis æquoreo caneſcat vt aggere tellus,
Aër aquas manat; glacies mare, nox tegit æthram:
Corda fame tabent: hominumq; iuuamina deſunt.
Ergò DEVM reſtat precibus pulſare ſupinis,
Rubra ſuis quondam pelagi qui limina pandit,
Nube domum, nimbo panem dat, pocula ſaxo,
Noctis & horriferas flamma duce diſcutit vmbras.
Tanta dies præſens cuius de munere donó
Promeruit, quaterna magi theſaura ferentes,

Mortalem, regemq;, Deumq; tuentur, & orant,
Quo lauat ipſe ſuo Dominus baptiſmate mundum,
Clauſa diu reſerans credentibus æthera ſeclis,
Dulcia qua fontes flagrant de gurgite vina,
Munere deq; rubent Domini per pocula lymphæ:
Sic quoq; noſtra Deo remeant duce proſpera credo,
Illum ſi rogitans firmet fiducia pectus.
Hæc vbi dicta, freti ſocios ſub litore ſiſtens,
Suêrat vbi vigiles ſupplex iam ducere noctes,
Ceu deciſa videt piſcis tria viſcera fruſta,
Et genibus Dominum poſitis veneratus adorat,
Laudibus accummulans fidei venerabile donum,
Tot * ſuperant, vates, conuiuia ſolibus, inquit,
Conditor æquauit: quibus actis, æquora placans
Nauigero patrium nos calle reducet ad aruum.
Tum laribus torrent epulas, gratesq; gerendo,
Exhibita triduo recreant dape cœlitus artus,
Quæ noua mellito teſtantur dona ſapore.
Iamq; die quarto lætis ceſſantibus auſtris
Blanda ſalutiferum capiunt trans æquora portum.

*M. S, Et ſuper vt vatu. forte leg. Tot ſuper, vt vates. Beda in Cudberto proſa ſcripto tom. 3. cap. 11. ait: Quot diebus hic reſidendum ſit, nobis oſtendit.

Quomodo iter faciens, aquila miniſtra, viaticum & percepturum ſe eſſe, prædixerit, & perceperit,

10.

INde ſacerdotis meritoq;, graduq; potitus,
Tendebat populos vitæ renouare fluentis.
Forte viæ comiti, ſed præſcius ipſe futuri;
Fare ſodalis, ait, quo fercula ſumere mens ſit:
Hæc & ego, dixit, dubio ſub pectore mecum.
Prandia non tulimus vaſis, domus hoſpita * iam,
Ieiuni, feſſiq; itener complere nequimus.
Reſpondit ſenior: Domino * ſi fidere dic......
Prouidet ille dapes, vatem qui paſcere coruos
Iuſſit: iam adſpectas aquilam Ius vaga flabra......
Nos valet hac etiam omnipotens ſatiare miniſtra.
Dumq; iter inceptum peragunt, venere ſub amnem
Et volucrem rubro quæ celſa ſub axe volarat,
Marmoris in ripa reſidere tuentur, vt altus,
Cernis, ait, vates, noſtram ſuper æquora ſeruam?

*f. nulla.

Leg. ſic fidere diſce.

Curr.

Curre rogo; & Dominus miſit quæ munera, defer.
Attulit at piſcem. medium ſecat, atq; miniſtræ
Parte famem pellit; firmant ſua pectora parte.
Vtq; viam ſuperant iuſſis, lymphiſq; * ſalutis
Pandititer populis cœli per regna vocandis.

* M.S. Salitis.

Quomodo prædicans populis phantaſticum ſubito ignem Diaboli & prauiderit venturum, & venientem exſtinxerit. II.

Leg. non alio. In Proſa Beda ca. 13 Eodem tempore.

TEmpore ñ alio pandens cœleſtia terris,
Impia iam pulchre ludibria prodidit anguis.
Namq; repente ſacris immiſcet talia dictis:
Panduntur quoties vobis myſteria regni,
Cor decet attentum, ſenſuſq; adhibere benignos,
Ne vaga peſtiferi ludat vos aura chelydri,
Qui ſacra peruerſus conamina vertere nitens,
Gaudet vel modica turbari nube fideles:
Vt nos alloquio regis, viſuq; ſuperni
Abducat fallax, vilis quaſi ſeruulus hoſtis.
Hos inter monitus vacuo de fomite ſurgens
Vicinas rapit ignis edax ſine viribus ædes:
Quaq; faces volitant, ventus iuuat, it fragor aſtris.
Exilit eluſum trepidum phantaſmate vulgus
Feſtinum, igniuomis vnda ſuccurrere tectis.
Neſcia ſed fuſis fallacia cedere lymphis,
Ipſa ſui leuitate perit, patriaſq; ſub vmbras
Pompa redit, vanuſq; vagis dolus abditur antris.
Confuſi rediêre domum, veniamq; precantes
Exorant proni vatem, fragileſq; ſuperbi
Se gaudent agnoſſe dolos, ac tela tyranni,
Spiritus exſtinxit ſacri quæ præſcia virtus.

Quomodo flamma domus cuiuſdam ardentis oratione exſtinxerit. 12.

QVin etiam veri, flammis crepitantibus, ignes
Arida deriperent tecti dum culmina quondam,
Inualuit precibus, ventoſq; lareſq; retorquens,
Voce pericla fugat, iuuenum quæ dextra nequibat,

Nec mirum vati fragilem ceſsiſſe caminum,
Igniferis ſatanæ qui ſpicula torta pharetris
Ætherios fuerat vmbone relidere Chriſti.

13. *Qualiter dæmonium ab vxore cuiusdam necdum adueniens eiecerit.*

VIr venit ad procerem, trepidiſq; precamina ſupplex
Vocibus ingeminat: leti ſub limine coniunx
Cara iacet: iam artus ſenſu fugiente rigeſcunt.
Vita tremens tantum ſub pectore feruet anhelo.
Mitte precor Chriſti modò qui myſteria portet:
Spiritus antè fugax quàm pallida membra relinquat.
Dumq; parat iam vatis iter quem mittat in iſtud:
Tempore namq; ...... Lindisfarnenſis in illo
Præpoſitus celſe ſecreto numine diſcit,
Non leti commune genus, ſed dæmonis atri
Sæuitiam miſeræ diris incumbere pœnis:
Se magis exhibuit: ſubeunt iter, ecce repente
Soluitur in lachrymas ductor, & pectore triſti
Sedulus horreſcit, veniens ne * vates amatam
Dilectamq; diu væſano corda furore
Preſſam ſi cernat, priſcæ ſuſpicio vitæ
Surgat, & antiquam lædat nota improba * famam.
Namq; miniſteriis aſſiſtere ſedula vatis
Conſuerat, bibulaſq; aures præbere docenti.
Ille pio tetricas releuat ſolamine curas.
Quid gemis, & taciti liquefactus ab igne camini
Ablueris triſti iam pectoris indice lympha.
Anne putas adeam caræ cum tecta ſodalis
Illam poſſe capi nexu bacchante chelydri;
Vinci qui crebris ſolitus conflictibus, & nunc
Victrici fidei gladio ſuperabitur hoſtis.
Femina quin potius venientibus obuia nobis,
Iſtas excipiet ſanæ iam mentis habenas.
Dicta fiunt; venêre domum: fugit efferus anguis;
Occurrit mulier ſoſpes, dextraq; prehendens,
Frena rogat vatem deſcendere, adireq; tecta
Dignetur famulæ, pandens noua dona ſalutis,

* M.S. rector.
* M.S. ſermonem.

Eius

Eius ad aduentum fugiens vt ceſſerit* hydros. ** hydrus ſcilicet inſernus.*

Qualiter Anachoreſin meditatus apud Lindisfarnenſes Monachos vixerit.

TAlia mirantum fragili ne laude, ſupernæ 14.
Cœleſtiſq; exſors famæ foret, abdita mauult
Secreti luſtrare, DEO qua teſte valeret
Laudis ab humanæ liber munirier aura.
Cumq; ſui primo iuſſis Antiſtitis actus
Fratribus exemplo virtutis pandere callem,
Fit monachis ſocius, quos Lindisfarnea glauci
Inſula clara maris, refluis circumfluit vndis.
Inq; breui quā plura nitens per ſigna coruſcus,
Erigit innumeros pulſis languoribus ægros.
Hoſtis & atra crucis rutilo fugat arma tropæo:
Quæ facie quamuis abſens, ſed pectore præſens
Conterit, & fœdo Chriſti domum ab hoſpite mundat
Internam quid enim coner deſcribere vitam
Quam dulcis ſermone, grauis ſit & actibus, & quàm
Accenſam lacrymis leuarit ad æthera mentem.
Cum decus extremum puri ſit pectoris index?

Qualem ſibi in inſula Farne pulſis dæmonibus Habitationem fecerit.

TAndem Farne petit ſenior, cupitiſq; potitur 15.
Sedibus, indigenas patria fugat impiger atros. *ſ. larualibus,*
Illa prius nam horrens lauaribus inſula flabris
Arcebat humana minis conſortia cœcis,
Quàm Domini mox ſeruus adit cruce: territus atrox
Turbo fugit per inane vagi quaſi portio fumi.
Ille ſerena tenens, pereunte tyrannide, regna.
Terreſtri ætheriam ſacer aggere condidit vrbem,
Atq; humiles celſis ſtatuit ſub mœnibus ædes.
E quibus aſtriferum tantum adſpectare cacumen
Poſſet, & à celſo ſecretus rege tueri.
Hæc & vt in cunctis diuina pateſceret almi
Virtus, miſſilibus firmauit mœnia ſaxis,
Vix quæ bis terni ceruice ſubire potentes:

Ille

Digitized by Google

Ille ſed aſportans muris imponere ſolus
Sufficeret ſummi dextra comitante tonantis.

16. *Qualiter precibus aquam de arida produxerit, qui etiam bibendo quondam in vinum conuertit.*

FOntis inops fuerat locus hic: ſed ſanctus amœnam
Excutit inſolita precibus dulcedine lympham:
Hæc ſacri media Cudperti nata ſub aula
Præbet adhuc cunctis ſuauem potantibus hauſtum.
Nec mirum, hoc Domini famulum potuiſſe mereri,
Qui quondam ſaliente ſitim dum pelleret vnda
In meracum latices valuit conuertere nectar.

17. *Qualiter à meſſe, quam ſua manu ſeuerat, verbo volucres abegerit.*

QViq; ſuis cupiens victum conquirere palmis
Incultam pertentat humum proſcinderere ferro
Et ſator edomitis anni ſpem credere glebis:
Dumq; ſeges modico de ſemine ſurgeret ampla,
Tempus adeſt meſſi: rapidæ ſed forte volucres
Flauentes prædare ſenis nituntur ariſtas.
Talia qui placidus ſæuis prædonibus infit:
Quid precor illicito meſſem contingitis auſu,
Quæ voſtro ſulcis non eſt inſerta labore?
Pauperies an veſtra meam tranſcendit, vt iſtud
Incuruam meritò falcem mittatis in æquor?
*Quaſi ſi fortè DEVS iubet his inſtare rapinis, *fort. Quod ſi.*
Non veto: ſin, alias vos finibus indite veſtris.
Dixerat, & ceſſit mox plumea turba, nec vltra
Militis audebat Domini iam lædere rura: *m ſ. militibus. m. ſ. iura.*
Quin potius dulci pacis quaſi fœdere nexum,
Vnanimemq; ſui generis redamabat amicum.
Nam teneras ceu paſtor oues hanc ipſe regebat.

18. *Quomodo corui noxam, quam viro DEI intulerant, precibus, & munere purgarint.*

DEſcendunt corui nigro ſub crimine pactum
* Effringuntq; domus, ruptoq; è culmine culmos *m. ſ. effringuntq;*
In propriæ gaudent transferre cubilia prolis.

Hos

Hos vates ceſſare monet, ſpretisq; ſuadelis,
Hoſpitium Fratrum quid, ait, laceratis? abite,
Huius & extorres patriæ durate per æuum.
Dixerat, & triſtes abeunt, biduoq; peracto,
Alter adeſt vati, pedibusq; volutus, & alas
Lugubres ſparſus, veniam, reditumq; precatur.
Patrata qui pace redit, ſociumq; reuiſit.
Tandem ambo veniunt alacres, adipemq; ſuillam,
Se condigna, ferunt vati dona, vnguine cuius
Calciamenta pius mollire valeret, & extunc
Innocuo condunt illic ſua tecta paratu.
Quid fera prætumida ceruice ſuperbia ferues?
Cerne viam corui, & cœcum depone furorem,
Qui precibus noxam, fletuq; & munere purgat,
Nec pudeat vitæ volucrum de pectore formam
Sumere, cum moneat ſapientia: reſpice calles, Prou. 6.
Quos formica terat, ſenſumq; addiſce ſagacem.

Qualiter eidem mare ſeruierit. 19.

QVid referam æquoreas iuſto famuliarier vndas,
Obſequiumq; illis elementa impendere, qui ſe
Imperiis ſubdunt deuota mente ſupernis?
Namq; ſuis caſulam ſtructurus ibi vſibus aptam,
Quam baſes à ponti fulciret parte, rogabat,
Conueniens operi fratres adducere lignum,
Qui obliti redière maris, ſed proximus æſtus
Attulit, & mirum dictu, iam limine in ipſo,
Quo fuerat corde illius, fundamina tecti
Pandere, depoſuit, hominumq; obliuia pontus
Increpat, & nautas ſua concutit vnda pudore.

Quomodo multis ad ſe venientibus, monita dans ſalutis, fragiles expoſuerit Antiqui hoſtis inſidias. 20.

FAma citat multos vatis pia quærere dicta:
Et bibulas adhibere ſonis cœleſtibus aures,
Quos varia cordis feſſos à clade leuaret.
Mitis at ille ſacro renouans ſolamine mœſtos,
Gaudia ſumma poli cunctis fluxosq; caduci
Commemorat luxus ſecli variasq; malignum

Digitized by Google

Tendere decipulas, Domini qua nudus amore
Labatur miſerè ſenſus, ſed tela fidei
Perrumpant vacuas nullo diſcrimine fraudes.
Me quoties, inquit, celſa de rupe nefandi
Præcipitem mittunt? quoties ad pectora ſaxa
Alta rotant? nullo noceor ſed hoſtis ab ictu,
Credite nec læſit ſummas offenſio plantas,
Nec modicus ſaltem tetigit præcordia terror.
Nec quaſi ſumma meæ ſtupeatis culmina vitæ,
*Blanditas quod ego luxu fallente ſuperbas
Calce terens Domino cupiam ſecretus adeſſe,
Ardorem Monachi cui ſemper ſubdita iuſſis
Vita ſub imperio ſeruit deuota parenti,
Excubiasque, famemque, preces, manuumque laborem
Ad votum gaudent proni frenare regentis,
Me quorum multos vitæ per culmina noui,
Perq; Prophetales radios præire ſophiæ,
Boſilus è quibus eſt, Mailroſi gloria cœtus,
Quem totam memini quondam mihi pandere vitam,
Quæ me venturi reſtabat in ordine ſecli,
Vnius & ſolum ſuperat ſententia verbi,
Quam cuperem nunquam faciat DEVS arbiter orbis.
Hæc ſacer aiebat ſenior: quia præſcius ipſum
Pontificem altiloquo prædixerat ore futurum.

*Blanditias fortè.

Prophetia eiusdem de vita Eggfridi Regis, & Epiſcopatu ſuo.

21. DVmq; pium cuncti *gauderent viſere vatem,
Eius & hortatu cordis componere fluctus,
Ecce alios inter ſignis ſublimibus acta
Regia virgo venit, regis quæ ſponſa perennis,
Virgineos, paradiſe tui ſua gaudia regni,
Mater caſta choros generat, vatemq; precatur,
Dignetur famulam monitis firmare ſupernis.
Annuit pelagi ſuperato gurgite puppi.
Progreditur, dictisq; illam dum affatur amicis,
Femineis ſubitò rogitat ſic anxia curis.
Iam claret meriti te præ fulgore nitentis

*al. granderent.

Præſcia

Digitized by Google

Præſcia venturis intendere lumina ſeclis.
Dic ergo, adiuro ſummi per regna Tonantis,
Ecfridus imperium quod ſit recturus in æuum.
Vera cui dubio pandit ſermone Prophetes.
Regna vocas longæua virûm, quæ, quamlibet annis
Centenis extenta breui claudentur in hora,
Et nihili vnius luxus reputabitur anni,
Mors vbi languentes diffunditur atra per artus.
Quæ gemit & lacrimis prę ſagia triſtia deflens,
Quem, rogo, linquet, ait, regni qui ſceptra gubernet,
Cum fratre, & nato careat. Cui talia vates:
Cernis vt hoc pelagus latè vaga regmina findant.
Forſan hæc inter Dominus ſibi * ſeruat huius
Qui regat imperij lectus moderator habenas,
Ecfridus, vtq; tibi fratres nectatur amore.
Audet adhuc ſupplex virgo pulſare Propheten:
O variis hominum finduntur pectora curis;
Pars nancto * gaudet mortalis culmine pompæ, *ſ. nacto;
Pars cupiens gazas luxu populante fugaces:
Pauperiem nullo deponit fine perennem.
Tu licet oblatum mundi contemnis honorem,
Vilibus & mauis ſecretus condier antris,
Pontificis ſummi quamuis potiundus honore,
Quondam veſtra geret merito ſacratius ætas. M.S: Quond. n[illegible] geret.
Non ego, reſpondit, dignum me tanta ſubire
Culmina iam fateor; Domini ſed dextera nullis
Effugitur cœli, terræue, mariſue latebris,
Qui, ſi tanta gradus iubeat me pondera ferre,
Credo breuì laxet tranſacta ſorte duorum
Curriculo annorum abſoluar, rurſumq; adunatis
Gaudens ſecretis reddar: ſed tu quoq; noſtrum
Aelffeda colloquium perpes reticere memento,
Abſoluar donec vinclis, & carcere carnis.
Nec mora, veriloqui complentur in ordine dicta;
Eccleſiæ iuſſis precibus, lacrimisq; coactus
Vatis & ipſe genas luctu perfuſus amaro,
Dulcibus extrahitur latebris, populisq; regendis
Præficitur, modio lateat ne tecta lucerna:

Sed iubar alticomum Domini diffundat in ædem,
Eccleſiam gemino qui rexit Epiſcopus anno.
Priſcis deproperauit ouans ſe reddere luſtris.
Vtq; ſatis fieret vatis per ſingula dictis,
Sol magnum expleuit ſolitis ſub menſibus annum.
Pictorum infeſto dum concidit Ecfridus enſe,
Et nothus in regni frater ſucceſſit honorem,
Scottorum qui tum verſatus incola terris,
Cœleſtem intento ſpirabat corde ſophiam.
Nam patriæ fines, & dulcia liquerat arua,
Sedulus vt Domini myſteria diſceret exul.
Huius nunc Tyrio venerabile pignus in oſtro
Iure datas patri, ſceptri iam tractat habenas.
Vtq; nouus Ioſia, fideq;, animoq; magis quam
Annos maturus noſtrum regit inditus orbem.

22. *Quomodo in Epiſcopatu Monaſticam non reliquerit vitam.*

ERgò ſacerdotis ſummi faſtigia nactus,
Mente, manu fulget Cudpertus, & ore coruſcus,
Commiſſoq; greges precibus, monitiſq; tuetur.
Pauperibus qui diues, inops ſibi, blandus amaris,
In turbis monachus; neq; enim vel ſueta........
Arida vel heremi mutari fercula curat.
Virtutum titulis auget miracula mentis,
Quæ lyrico liceat curſim contingere plectro,
Ne potior laſſis generet* faſtidia verſus.

* M. S. faſtigia mōdoſè.

23. *Vxorem comitis per presbyterum ſuum aqua Benedicta ſanauit.*

DOctor vbiq; pius, cœleſtia dona miniſtrans,
Per comitis tulit arua gradus, quem languida coniunx
Triſtauit perpeſſa luem, lethoq; propinquans
Alma ſalutiferæ cui vatis munera lymphæ
Preſbytero famulante dedit, tabemq; remouit:
Moxq; illi obſequium præbebat femina ſoſpes.

24. *Puellam Chriſmate perunctam à dolore capitis, laterisq; curauit.*

TEmpore non alio laterali tacta dolore

Virgo

Digitized by Google

Virgo premebatur, capitisq; grauedine feſſa
Ægra diu gemuit, ſacro quam chriſmate tinctam
Antiſtes rediuiua nouat per dona ſalutis.

Pane à viro Dei Benedicto ſanatur infirmus.

VIr, pater ipſe domus morbo depreſſus acerbo 25.
Cogit amicorum ſuprema ad fata cohortes.
Conueniunt plures, cui fortè ibi protulit vnus,
Quem ſibi quondam almi doctoris dextra roganti
Sacrarat, dederatq; pio pro munere panem.
Intingunt lymphis: potandum ſuſcipit æger,
Moxq; medelifero morbi ceſſere ſub hauſtu,
Laxatosq; ſalus rediuiua ſubintrat in artus.

Oblatum in itinere iuuenem moriturum oratione reuocat ad vitam.

IAm commiſſa vigil dum luſtrat ouilia paſtor, 26.
Ecce iteris medio iuuenis torpentia lecto
Membra ferunt ægrè ſuſpiria ſæua trahentis,
Vtq; iuuet miſerum rogitant; qui protinus omnes
Eiecit precibus languentes impiger artus
Erigit, & comitem ſociis mirantibus addit.

Tempore mortalitatis morientem puerum matri ſanum reſtituit.

TEmpore quo peſtis vaſtabat dira Britannos, 27.
Dona ſacer cellæ dum ſpargit vbiq; ſalutis,
Ferre videt mœſtam nati moritura parentem,
Funera ſeminecis, compaſſus & ipſe dolenti,
Baſia dat puero, matremq; affatur amaram.
Linque metum lacrimasq; puer ſanabitur iſte:
Et tua tota domus mortis hac ſorte carebit.
Cuius dicta ſalus pueriq;, domusq; ſecuta eſt.

Quod omnia geſta illius enumerari non poſſint.

DIcere quid coner, quæ nullo edicere verſu 28.
Sufficiam? quoties languorum tabe pereſos,
Inualidosq; potens iam verbo erexerit artus,
Quotq; foços febris ſacra repreſſerit vnda:

Qualiter egeſtas fontano è gurgite lymphas,
Fecerit in lætum vini tranſire ſaporem:
Spirituum quoties per deuia fugerit horror,
Cudperhti conſueta minis ſe linquere faſſus
Pectora, & igniuomas baratri ſub cogier vmbras,
Abſentisq; etiam pœnis ſe plectier atris.
Virtutesq; ſacri numero quid prendere certem?
Tanta Prophetalis quem gratia fulcit honore,
Iam puroq; poli qui peruolat æthera viſu,

Interitum Ecfridi regis, & militiæ ipſius, quem prædixerat futurum, in ſpiritu vidit abſentem.

29. PIctorum interea premeret dum regna duello
EGFRIDVS atroces miſero iam fine furores
Cædere: mente vigil vatis proſpexit, & ore
Perfuſus lacrimis ſuſpiria fundere crebra
Ingeminat; nunc arua tremens, nunc æthera cernens;
Forſan, ait, noſter confecto miles agone
Sortitur Domino decretum iudice finem.
Planius hunc rogitant euentum edicere pugnę,
Agnita qui dubia ſic celat voce pericla:
Cernite filioli nouus vt ſtupor aëra turbet.
Nam Domini ſecreta latent, arcana nec vllus
Sufficit altithroni veſtigia prendere regis.
Non multi fluxere dies, cum dira nefandam
Fama necem caneret, plebis, procerisq; ſub illa
Confectam mœrens, qua vatis dixerat, hora,
Abſentem cernens, quam creuerat ante futuram,
Rectoris cum virgo rogans perquireret æuum,

Quomodo vir Dei Hereberegto anachoretæ obitum ſuum prædixerit, comitatumq; illius à Domino precibus obtinuerit.

30. TVm venit Hereberectus, erat qui nexus amore
Præcipuo vati, illiusq; per auia cellam
Edoctus monitis vitam ſecretus agebat.
Se cupiens ſolitis ſacri firmarier hortis.
Qui dum ſidereis verbi deuota viciſſim
Corda rigant dapibus, Cudperhtus talia iungit:

Vel

Vel nunc hunc decet hunc epulis linguæ ducere feſtis
Frater amate, diem, ſemper quia pectora nexos
Nos genitor rerum facie coniunxit, & ante
Viſere nos tribuit lethi quàm iure reſolui.
Idcircoq; poli callis nunc ore petendus: M. S. reſolui
Toto nunc animo pulſanda eſt ianua vitæ,
Dum licet ætheriis ſuccendere mutua flammis
Pectora, nam properans lethi me tempus adurget.
Ille vbi percepit venerandi dicta Prophetæ,
Corruit, obſecrat, mœret, lacrimatur, & infit:
Me rogo ne linquas; cariq; memento ſodalis:
Aurea ne rutili penetres cum limina regni,
Carnis ego tenear ſolus ſub carcere . . . . . .
Dignius alta poli famulo comitatus adibis
Regna libens, ideo ſupplex depoſce Tonantem,
Vt parili terris premimur qui mortis in vmbra,
Æternæ pariter lucis migremus ad oras.
Incubuit precibus vates, ſociumq; gementem
Exorat ſiccare genas, deponere fletus,
Se precis auditu Domino miſerante potitum.
Quid morer? vnius ambo ſub lance diei
Decedunt mundo, Dominiq; feruntur ad aulam.
Longo ſed torrens Hereberhtus membra camino,
Ignea decoctum tandem ſuper æthera flatum
Emiſit. credo flammis vt mundior illis
Æquaret ſocium, iuncto qui ſidera paſſu
Scandentes iuncta mercede fruuntur in æuum.

Animam cuiuſdam, qui de arbore cadendo mortuus, ad cælum ferri conſpexit.

SEderat ad menſas epulis ſed paſtus olympi 31.
Vatis, ab humanis ſubitò ſecernitur eſcis.
Concutit oſſa pauor, tremefactaq; dextera cultrum
Linquit, & adtonito vibratur corde dolore.
Ælfleda perquirit, quæ fortè aſſederat illi,
Fortè recens veniat tanti quæ cauſa tremoris
Venerat angelicus reſpondit ab æthere cœtus,
Deq; tuis ſecum prælecto milite caſtris,

Aurea

Aurea dulciſonis remeabat ad aſtra triumphis.
Inquirit nomen: cras myſtica dixit ad altar
Obtulero cum ſacra, mihi nomenq;, modusq;
Quo petit aſtra tuis pandetur in ordine dictis.
Quæ miſſo feſtina ſuos curſore per omnes
Iam tandem mane ediſcit, vatiq; ſacrandis
Intento votis, precibusq; renarrat ad aras,
Frondiferi aliquem nemoris dum ſcanderet alta
Cederet vt pecori arboreo de pabula cono
Deciduum membris animam poſuiſſe ſolutis,
Illoq; humanis ablatum in tempore rebus,
Quo ſacer ætherias raptum cernebat ad auras.

Poſt duos annos Epiſcopatus repetit ſolitariam vitam.

32. ECcleſiam gemino qui poſtquam ſedulus anno
Pontificis de iure regit, verbiq; fluentis,
Viuida prata rigat tanti venerandus honoris,
Linquere ceſſat onus, eremiq; recluſus arena
Malebat Satanæ tetris pulſarier armis,
Quàm imperio vacuos vulgi captare fauores.
Deſidiam generat quia laus blandita clientum,
Perpetuis at lucta beat perfecta coronis.
Maximè præſagio admonitus, cùm ſpiritus orſis
Mortis adeſſe ſibi gauderet tempus, & almam
Secretus cuperet mentem renouare, priusquam
Fluctiuagis ſecli curis defeſſus obiret.

Quomodo languens in ipſa inſula corpus ſuum poni præceperit, ſimul & de gloria poſtuma commemorans illius.

33. QVem dilecta ſacris reddit mox Inſula muris,
Tangit ingenito ſenſim pia membra dolore,
Inq; dies inſtans cum increſceret oſſibus ardor,
Dulcibus egreditur caſtris, ſociamq; cateruam,
Qua feſſo gaudebat ouans ſeruire parenti,
Blandiloquis ſtuduit creber firmare ſuadelis.
Diſcite filioli fragilis retinacula ſecli
Rumpere, & æternas animo condere gazas.
In dubio pendet contemptus, honosq; caducus,

Sta-

Stamine quo diſcunt meritis pia pectora iuſtis,
Haudquaquam volucri ſub tempore quærere laudem,
Quo nemo latebras clauſi vel noſcere cordis
Præualet, inuentis vel digna rependere geſtis,
Puro ſed viſu portam ſpeculantia regni,
Quod dabit ætheriæ dignis rex inclitus aulæ,
Condere * oliuiferis malunt ſua lumina vaſis.
En me ſiderias animo ſpiraſſe ſupino
Iam ſtupuiſtis opes, ſed pectoris abdita ſoli
Clauſtra patent Domino, carnis quæ pondere rupto
Incipient certis iam credo pateſcere ſignis.
Sed precor inſiſtens pulſat quia lumina lethum,
Hos vt in his tumulo mandetis mænibus artus
Spero, licet flabris, gelidiſue abſumar in vndis,
Obuius in puncto, Chriſto veniente reſurgam,

* M.S. oliferis.

Grauiora ſe dicit in extremis ſuperaſſe certamina. 34.

Talia dum ſenior ſocias iteraret in aures,
Præcipit ad tempus redeant qui cœrula puppi
Exſuperant, fratrumq; trahentes agmina ſecum,
Quinq; dies poſtquam clauſi feruentibus vndis
Tardarant, tandem redeunt, ac ſupplice fletu
Impetrant cari ſecum genitoris vt artus
Condere iam liceat: vates quibus & ſupperaddit:
Qui cupit altithronum victor conſcendere regnum,
Turpiter infecto deuitet cedere bello,
Et magis extremi ne vi ſuperatus agonis,
Iam propè perceptis fraudetur ab hoſte coronis.
Qui longe nitens vacuare labore fideles
Vltima iam maiore quatit ſub tempora pulſu.
Deniq; me crebris primæuo à flore nefandus
Inſidijs agitabat, & hæc modò quinq; dierum
Pugna dolos ſuperat tranſacti temporis omnes.
Sed facilè infandi Chriſto duce, tela repreſſi:
Cum nec parua cibi, potuſue alimenta darentur
Tabenti licet iſta loco nec membra mouerem.
Vos quoq; celſa precor ſeruetis iura perennes,
Cœleſtis patrum vobis quæ regula canit,

leg. canit.

Digitized by Google

Ipſe vel exiguis ſuetam quæ promere dictis,
Dum ſata quæ proceres ſummi ſeruêre rigarem.
Quamlibet & rabidis adſurgat turbo procellis,
Omnia ferte; fide regni vi quæritur aula,
Fundatiq; petra grauibus ne cedite nimbis,
Torrentum furias, aquilones temnite ſæuos.
Vltima iamq; patris maneat ſententia cordi:
Expedit iſtius patriæ vos linquere fines,
Limite quam trepidos mentem deflectere ab illo
Quem ſacra diuinis depinxit litera chartis:
Nec quia multorum cineres locus iſte ſepultet,
Aurea flagranti peterent qui ſidera curſu,
Vos fauor, aut vacuæ tentet noua gloria laudis.
Illi nam meritis gaudent ſuper aſtra coronis.
Haud aliter noſtris ſtudio nos currere plantis
Conuenit, & propriis brabium comprendere palmis:
Nec loca propter, homo meritò venerabilis exſtat:
Sed locus ob homines exſtat venerabilis almos.
Meq; meæ rogito nunc indite mœnibus vrbis.
Inſtat enim tempus, carnis quo debita ſoluam.

25. *Quomodo miniſtrum ſuum à profluuio ventris ſanauerit ægrotus.*

TAlibus attoniti lacrymant, rogitantq; gementes,
Saucia ſecretis condat ne membra latebris:
Sed læti & vitæ confinia ſumma tenentem
Fraterno coram releuet ſolamine flammam,
Vel ſacra ſuſcipiat ſaltem ſub tecta miniſtrum,
Qui obſequio fragiles procuret ſedulus artus.
His motus vertit dum lumina blanda per omnes
Adſpiciens fratrem longa cui clade grauato,
Tabida marcebant exhauſto viſcere membra.
Hic, ſi vultis, ait, ſubeat mea tecta, mihiq;
Labe ſub hac feſſo ſolamina præſtet amoris.
Qui vatem comitatus adit mox limina ſacra,
Occurrens inopina ſalus amplectitur ægros
Depulſo languore ſinus, dignumq; ſalutis
Cedere non auſos penetrare ſub edita morbos.

Nec

Nec mora, ſoſpes abit, qui intrauerat æger, & illic
Preſbyterum immittit digne Cudperhtus, vt illo
Sidera teſte petat, vitam * .... egebat.

** teſtator forte legendum.*

Percepto viatico inter verba orationis ſpiritum reddit. 36.

IAmq; ſoporata torpebant omnia nocte,
Excubiis vigiles premeres dum, ſomne, tenebras,
Quaq; preces reſonant modulis, fremit inſula pſalmis,
Vatis & ipſe ſuę prægustans gaudia palmæ,
Ætheriis expendit ouans ſub laudibus vmbras.
Aſt vbi flammicomos ardeſcens lucifer ortus
Attulit, ecce ſacer reſidens antiſtes ad altar,
Pocula deguſtat vitæ, Chriſtiq; ſupinum
Sanguine munit iter, vultusq; ad ſidera, & almas
Suſtollit gaudens palmas, animamq; ſupernis
Laudibus intentam lætantibus indidit aſtris.

Quomodo iuxta prophetiam Pſalmi quem eo moriente cantauerant Lindisfarnenſes ſint impugnati, ſed Domino iuuante protecti. 37.

PReſbyter egrediens, vatis pia funera mœſtis
Depromit ſociis, dum forte canentibus hymnum
Hunc querula ſub laude: DEVS nos alme repellens,
Deſtruis iratus, ſaluasq; miſertus ab hoſte,
* Arua moues turbasq; potens, & territa ſanas,
Propinasq; tuis prætriſtia muſta; ſed hoſti
Te duce bellarunt: tu noxia comprimis arma,
Libera vt electi potiantur luce per æuum.
Indice tum flamma Lindisfarnenſibus illam
Qua vigil e ſpeculis pernox ſeruauerat horam,
Ætherias pandunt vatem penetraſſe ſub auras.
Qui iam nocturnæ tum forte ſub ordine laudis
Ipſi etiam mirum eiusdem modulamine pſalmi
Verbera mœſta ſequi Domini pia dona canebant.
Nec ſuſpecta diu tardant præſagia: nam mox
Vatis honorifico mandantur vt alma ſepulchro
Altaris dextro ſub condita marmore membra.
Inſiſtens Aquilo niueis confiſus in armis
Hinc atq; hinc adeo Lindisfarnenſe nerosis

** Arma legendum.*

Digitized by Google

Tecta quatit flabris, vt nobilis alma parentum
Progenies feſſo titubaret ſtamine rerum.
Cedere iamq; loco, quàm extrema ſubire pericli
Eligeret, nec iam lõgum manet ira, ſed almam
Eadpertus renouat ſedato turbine pacem,
Diſperſosq; ſacrum reuocat ſub ouile bidentes,
Præſcius & lyrico reſonâbat vt ordine Pſalmus,
Pontificale decus, plebisq; inſtaurat honorem.

38. *Quomodo corpus ipſius poſt XI. annos ſit ſine corruptione repertum.*

Conſpicuiq; ſacer ſolio patris inditus hæres,
Vndecimi poſtquàm curſum tranſcenderat anni,
Complacuit cineres tumuli de ſede beati.
Elatos coram gremio leuis inderet arcæ,
Sed canit vt pſalmus, quia mors pretioſa piorum
Ante Deum, retinent calicem qui haurire ſalutis
Non trepidant celſi tutati nomine regis.
Rurſus & vt ſummo reſonat lyra myſtica cantu,
Nec ſanctum dabis, alte, tuum corrupta videre,
Aurea luciſluæ pandis cui lumina vitæ:
Humanis diuina nitent miracula membris,
Et Domini celſo fulget quæ iure poteſtas,
Participi fidis donatur munere ſeruis:
Intemerata ſacro promuntur membra ſepulcro,
Neſcia quàm noxæ, tam diræ immunia labis,
Nec durum, ac rigidum ſæua ceu morte grauatum,
Sed veluti placidum capiunt dum pectora ſomnum,
Flexile iam tota corpus compage videtur,
Nec minor eximiæ renitebat gratia veſtis,
Incorrupta ſolo ſanctos quæ texerat artus:
Hanc findi placuit, medium pia membra receptant,
Seruatur medium ſigni memorabilis index.

39. *Quomodo corpus Eadperbti Epiſcopi in tumulo viri DEI ponentes ſarcophagum illius deſuper poſuerunt.*

Eâdpertus poſtquam rerum miracula dignis
Laudibus extulerat, verſu memorabat vt olim

Illius

Illius egregios referens antiſtitis actus,
Febribus excoquitur, placidumq; ad ſidera flatum
Emittens, patriam conſcendens corpore ſedem,
Deſuper at cellæ ſplendor componitur arcæ,
Immortale decus cohibens quæ martyris almi
Præfulget mirum cœleſtibus inclyta ſignis.
Morborum fugiunt labes, furor impius atri
Dæmonis abſiſtit, viuenſq; ſolebat vt ante
Signorum monſtrare iubar, modò ſic quoq; paſſim
Spargitur & functos virtus miranda per artus.

Puer Dæmoniacus, humo, cui lauacrum corporis eius infuſum eſt, in aquam miſſa, ſanatur. 40.

Vir quidam nati, miſero quem cœca furore
Dæmonis ira terens, ſæuas effundere voces
Compulit, & proprios conſumere morſibus artus
Membra per almorum rogitans ſacra buſta ferebat;
Reddere nec petitam ſancti voluere ſalutem,
Cudperhti potior virtus vt celſa micaret.
Tum pueri quidam fletus, vagitumq; perhorrens,
Ad patris auxilium fidus concurrit amati.
Nouerat alma ſacri functos quæ lauerat artus
Patroni quondam, terris vbi reddita lympha eſt.
Inde rapit grandem modica de rupe ſalutem,
Immiſcet latici, dictis ſacrauerat almis,
Dat potum puero, ſtridor mox cedit amarus.
Nec mora; plena ſalus redit: ipſe ſuprema veretur
Munera, collaudat, lætoq; per omnia paſſu
Cudperchti cunctis donum venerabile pandit.

Ægrotus ad tumulum eius orando curatur. 41.

Alter morbigeni conſumtus ab igne camini,
Vix famulis manibus ſanctam deducitur alti
Martyris ad tumbam; genu ponens obſecrat, illis
Eripiat vinclis tanti mox alma patroni
Surgit, & ætherij firmatus munere doni,
Libera ſoſpitibus ponit veſtigia plantis,
Perq; dies priſcæ recipit iam dona ſalutis.

Digitized by Google

42 *Oculos quidam languentes orario illius adtactus ſanauit.*

TEgmina quin etiam conſortia corporis almi
m. ſ. memere.
Munere participi medica virtute redundant.
Lumina nam cuidam dolor, & caligo pererrans,
Dum premeret, ſancti accipiens oraria vatis.
His orbes tangit geminos, reducemq; ſaluti
Mox aperit callem venerandæ gratia veſtis.

43 *Paralyticus calceamentis eius ſanatur.*

Aſt alius reſoluta graui cui pondere membra
Officiis iacuere ſuis deſerta, cuiq;
Irrita longæuos auxit medicina dolores.
Calciamenta ſacros tandem quæ martyris almi
Veſtierant plantas, plantis cirundedit ægris,
Mox primas ſuauis tenebras miteſcere ſomnus.
Sanus enim celſæ induerat ſacra dona medelæ,
Fecit & interno firmatis robore neruis,
Palpitat alterno læto inter ſomnia greſſu,
Æquore deſerti ludant ceu litore piſces.
Euigilans baculo rediuiuos erigit artus,
Ac matutinas ſtando perſoluere laudes
Incipit, & priſco ſolidatus membra vigore
Diuinam collaudat opem, iuſtusq; Tonanti
Offert ſidereo ſanus pro munere grates.

44 *Quod tegmine parietis eius infirmi curentur.*

NEc ſanctum ætherio vacuatur munere tectum,
Quo ſacer aſtra petens corpus exſangue relliquit.
Nunc quoq; ſed ſolitam pariter vbiq; medelam,
Altaq; mirentur proles Dauidica templi
Tecta ſui gemmis quoniam ſtellantibus æthram
Aequiparens, fuluisq; micent redimita figuris.
Plus ſed ego vatis ſub domate mirer....
Pelliculam, ſanctus fragilem qua texerat anglum,
Ne pluuia, aut Boreæ penetrabile frigus adurens
Irrueret paſſim, precibusq; ardentia caſtis

Corda

Corda fatigaret. nec me ſententia fallit.
Namq; opus hoc Salomon, fuluo quod fecerat auro,
Chaldea petrarum obtexit, heu, flamma ruinis.
At ſacra Cudperti appendit dextera, vela
Munere Felgeldi patulum diuiſa per orbem,
Latius ingeniti fundunt medicamina doni.
Clareſcitq; .... pretioſior auro
Pellis, & Eois præcellit fulgida gemmis.
Tertius hic proceris ſeruat nunc caſtra, beatum
Alta ſecuturus hæres ad regna parentem.

Quantum Odiluualdus ſucceſſor viri DEI *virtutes ſuas celare ſtuduerit.*

HOſnam inter medius ſociis non ſegnior almis 151
Odiluualde ſacras rexiſti prouidus arces,
Quem raro proprias aiunt voluiſſe cuiquam
Pandere virtutes, toruiue cruenta chelydri
Tela quibus victor confregerit obuius armis.
Vnde manet longùm memorabilis illa beatis
Incautè prolapſa ſemel ſententia lapſus.
Fortè ſacer fidam monitis cœleſtibus aurem
Dùm rigat, accipit has ſocio de pectore voces.
Quæ rogo cauſa tuo, toties quod ab ore fluentem
Perrumpant, varientq; ſilentia crebra loquelam,
Et mediis ſtatuat metas obliuio dictis?
Cui reſponſa pius, paucis ita reddidit heros:
Hoc te dulcis amor fixo, memoriq; perennem
Corde tenere decet, ſtudeat niſi quiſq; bidentum
Funditus alloquiis auertere ſedulus aures.
Non queat ætherias inter dare verba cateruas,
Pandere nec lætis cœli concentibus aures.
Dixerat, & trepido perculſus corda tremore
Singultù afficitur feruens, ac pectora pugnis
Caſta ferit, tandemq; gemens erumpit in iſtam
Perfuſus lacrymis poſt mœſta ſilentia vocem:
Obſecro te ſupplex ſummi per ſceptra Tonantis,
Hæc cunctis vt dicta tegas, moribunda quouſque
Membra ſolo reddam, gradiarq; in calle parentum.

Digitized by Google

Sic ſua ſumma ſacer conclauibus abdere quamuis
Mallet, ab ætherio panduntur munera teſte.
At pia Cudperhtus memorans ſæpe acta priorum
Ætheria ſub laude ſui quoque Chriſtus agonis
Vt fuerit ſocius ſuerat ſubnectere paucis:
Sicq; duos vario iam munere ſpiritus idem
Luſtrauit per dona viros, atq; ætheris alti
Tramite diuino regnum perduxit ad vnum.

45. *Qualiter Anachoreta Felgendus ibidem ſit à vultus tumore mundatus.*

ERgò agè Felgeldus largitor muneris almi
Prima ſalutiferi ipſe capit documenta vigoris:
Cui pridem facies informi tacta tumore eſt,
Squalens, ac rigido dum ſolus in abditus antro
Latior ingenito ſurgit de fomite flamma,
Atq; genas maculis liuor reſperſit adurens:
Qui noua pro veteri dum culmina panderet æde,
Illud ouans feſſo direptum à pariete velum,
Partiri docuit fidæ ſpes certa ſalutis,
Primaq; dum lymphis corrigia tinguitur almis,
Peruia cornigero pateat quo ſemita ferro,
Exſiliens laſciua ſacro de gurgite gutta,
Lumina reſperſit ſancti, vultumq; rubentem.
Ille citus dextra lymphas abſtergere curans,
Miratur peſtem ſtupefactus abiſſe, foreſq;
Pandere iam reduci ſana ſub fronte medelæ.
Et ne fortè putet mendum me dicere quiſquam,
Teſte Deo dicam, quia preſbyter iſta fidelis
Pandebat vatis fidam cui fatus in aurem:
En, inquit, noſti faciem, quia preſſerat olim
Labes acerba meam: ſed iam modò gratia Chriſto,
Cudperhti meritis placauit triſtia flagra.
Mitte manum, & tangens me dicere vera, probato.
Clauſus namq; oculus non quibat acumine cerni.
Fecerat & priſcam morbo fugiente ſalutem.
Ad fore temporibus perſenſit ab æthere ſanctis.

Conclu-

Digitized by Google

Concluſio libri.

Hæc tibi cunctorum largitor Chriſte bonorum
Dona tui obtulimus ſummo de munere doni.
Magnaq; præ modicis libantes gaudia dictis,
Sanctorum attigimus certamina celſa tuorum,
Sperantes illis exoratoribus, vt tu
Siderio dignos qui iuſtus in axe coronas,
Indignis meritis, laxes vel debita nobis,
Vltima ſufficiunt illius in ædibus aulæ,
Præmia, qua cunctos tua viſio Chriſte beabit,
Vita manet caſtis lumenq;, ſalusq; per æuum.

Bedæ famuli Chriſti, & presbyteri explicit liber de virtutibus ſancti Cudperti Lindiſfarnenſis Eccleſiæ Epiſcopi.

Digitized by Google

EPIGRAMMATA

Seu

HYMNI SACRI

ILLVSTRIVM

Virorum,

Antiquorum

PATRVM

MONASTERII

S. GALLI.

Bernardi Abbatis S. Galli carm. 58.
Columbani 56.
Eckerardi 28.63.64.
Hartmanni 1.2.3.4.19.25.34.74
Notkeri Balbuli 9.14.17.18.31.49.50.51.52.53.54.55.57.73.
Notkeri Medici 27.30.
Ratperti 8.10.11.12.13.15.16.22.23.
Strabi Galli Fuldensis 62.
Tutelonis 42.43.44.
VValdrammi 20.21.
Anonymorum 5.6.7.24.25.26.29.32.33.34.35.36.37.38.39.40.41.42.43.44.45.46.47.48.59.60.61.65.66.67.68.69.70.71.72.

Omnia nunc primum ex vetuſtiſſimis m. ſ. Codicibus S. Galli edita.

Digitized by Google

Ad Lectorem.

ILluſtrium virorum Monaſterij S. Galli ſacra carmina vbi vidi, digna cenſui luce, tum ob eruditionem, tum ob pietatem, & vel maxime propter venerandam antiquitatem. Eiusdem iudicij fuit nobiliſſimus Marcus Velſerus, qui in literis quibusdam ſcribit, hæc ſacra carmina ſibi apprimè placuiſſe, *ita vt interdum pæne lacrimas excuſſerint, antiquam pietatem cum noſtris temporibus conferenti*, ita enim lopuitur Velſerus. Debemus hæc carmina R. P. Iodoco Metzlero, Monaſterij S. Galli Profeſſo, & SS. Canonum Doctori, qui miſit libellum m. ſ. quem ſtudio & amore antiquitatis conſcripſit; vocatque Memoriale Illuſtriũ virorũ S. Galli, in cuius prima parte illuſtres, ſanctosq; viros eiusdem monaſterij, in ſecunda Abbates compendio deſcribit ex variis autoribus, nec non ex m. ſ. antiquis monumentis, cuius libelli beneficio vſi, hinc inde quædam excerpſimus, & addidimus, vt quis quisq; fuerit, facilius pateret. Tertia vero Pars continet ſacra carmina, quæ quanta fide ex m. ſ. codicibus deprompſerit, patet ex præfatione illius, quam præmiſit, ideoque hic eam ſubiunximus:

In hymnos ſacros D. Galli patrum.

Præfatio Iodoci Metzleri.

M*Inimam hanc & veluti extremam partem, hymnos videlicet ſacros ex innumeris, quæ antiqui Patres S. Galli Monachi ſapienter dixerunt, & ſuauiter decantauerũt, vel ideo deſcripſi vt & mihi mnemoſynon aliquod conficerem, & vt, quæ ob edacem temporis iniuri-*

iniuriam ſaltem ſecundũ aliquam ſui partem videbantur breui quaſi peritura, ea hac opera mea vel aliqualiter ſeruarem; & demum, vt quæ adeò erant diſiecta & diſperſa, in vnum quaſi corpus redigerem atq; adeo hunc libellum tertium veluti in exemplum ſtatuerem eorum, quorum ſuperioribus 2. ſæpius memineram. vnde nihil penitus huc intromiſſum eſt, quod non eſſet iam olim venerationis titulos conſequutum, vel ex authoris ſui fama, vel ex bonitate & antiquitate ſua. Certè ipſos codices, ex quibus deſcripta ſunt iſta, ante annos 500. 600. 700. & 800. eſſe deſcriptos ſcimus, & ex ipſis codicibus, & ex antiquiſſimis librorum indicibus ſeu (vt appellant) Regiſtris, quibus certiſſimum teſtimonium tulit magnus ille Tergeſtinus præſul Æneas Syluius, qui poſtea Pontifex Maximus renunciatus, nominatus eſt Pius. II. dum ad Greg. Hamburgenſem Iuriſconſultum epiſtolam CXX. lib. I. ſic ſcribit: Iuueni apud S. Gallum, quod Sueuorum eſt oppidũ, in veteri Monaſterio Bibliothecam peruetuſtam, vbi & libros reperi ornatiſſimè conſcriptos, quorum authores fuerunt Theutones. Hæc igitur cum ita ſint, non offendetur lector quædam minus ſubtilitate leuia, cum conſpicit, rerum pondere eſſe grauia ea ipſa tam vbiq; mirabitur verò aliquos ſaltem ex illis in ætate tam barbara tam bene luſiſſe & tam latinè. & vbiq; meminerit idem lector, cum omnia iſta ad cultum diuinum fuerint à PP. dictata, magis ſpectari res quam verba, tantum Muſicam, quantum proſodiam. Etſi verò integra ſcripſerunt aliqui huius generis volumina, & adſint ſeorſim etiam multi alij & hymni, & epigrammata, illa tamen deſcribere non ſtatui, hæc autem quod nec ſcirem fuiſſent ne Authores ipſorum Monachi S. Galli nec ne, huic opuſculo inferre nolui. Ex S. Gallo 1600. die 4. Aug. Hæc

Metzlerus.

Digitized by Google

Epigrammata

SEV HYMNI SACRI &c. ANTIQVORVM PATRVM MONASTERII S. Galli.

Verſus Hartmanni Monachi S. Galli. Ante Euangelium canendi.

1. Sacrata libri dogmata
Portantur Euangelici,
Cunctis ſtupenda Gentibus,
Et præferenda laudibus. Sacrata.
Mundemus omnes corpora,
Senſusque cordis ſimplici
Purgantes conſcientia,
Verba penſemus myſtica.
Vultu declini pariter,
Clauſa tenentes ſtomata,
Stemus intentis auribus,
Vt decet ante Dominum. Sacrata.
Nec ſat videtur ſonitus
Auditu ſolo corpore,
Ni cor purgatum teneat
Factisq; iuſſa compleat, Cunctis:
Sic mandat ipſe maximus
Magiſter, ſummi filius,
Senſus noſtrorum pectorum
Aruis diuerſis comparans.
Sunt, ait, rura plurima
Queîs ſemen frugis ſpargitur;
Cenſu ſed multum diſpari

Red-

Reddunt accepta fœnora. Sacrata.
Quædam ſaxorum ſtramine
Replentur nimis peſſimo:
Frugemque necat maximus
Ardor ſolaris luminis. Cunctis.
Quædam ſiccato germine
Replentur ſpinis horridis.
Viarum ſtrata plurimis
Officiunt ſeminibus. Sacrata.
Aſt qui felices fertili
Glebas fœcundat germine,
Illum lætantem cumulat
Fructus laboris centuplex. Cunctis.
Sic voluntatis integræ
Perfecta nitent opera,
Terraque cordis optimi
Centenum refert numerum. Sacrata.

NOTÆ.

QVis fuerit Hartmannus, quem alij Hartmundum vocant, patet ex Trithemio, qui de luminaribus ſiue de illuſtrib. viris Germaniæ hæc habet: *Hartmundus monachus eiuſdem monaſterii S. Galli ordinis beati patris noſtri Benedicti, Rabani Mauri quondam auditor atque diſcipulus (ad quem Otfridus VVijſſenburgenſis monachus multis Epiſtolis exercitauit ingenium) vir vndecunque doctus, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus, vita & conuerſatione deuotus, Græcæ, Latinæ, & Hebraicæ peritus, adde & Arabicæ non ignarus: ſcripſit tam metro, quàm proſâ multa præclara opuſcula, ſed nihil eorum ad notitiam noſtræ lectionis memini perueniſſe. Feruntur autem ſuper quibusdam Bibliorum libris commentarij eius non abiiciendi, item Epiſtolarum ad diuerſos lib. I. ſermones quoq;, cantus, hymni, & varij in ſcripturis ſanctis tractatus, quos ſtudioſus quisque inquirat. Claruit temporibus Lotharij & Ludouici filij eius imperatorum, Anno Domini 870.* Hæc Trithemius. Ex libro epiſtolarum Abbatis Caſpari, quem Metzlerus n. ſ. legit, item ex vita S. Galli quam S. Notker⁹ carmine ſcripſit, patet Hartmannum fuiſſe diſcipulum S. Notkeri, qui ibidẽ Hartmannum inter-

interlocutorem introducit. Meminit item Hartmanni Eckerhardus iunior monachus S. Galli m. ſ. Teſtatur autem Metzlerus ſe hunc Hartmanni, ceteroſq; 23. hymnos tranſcripſiſſe ex vetuſtiſſimo codice m. ſ. qui fuerit ſcriptus ſub Conrado I. II. vel III. non autem ſub quarto. Quoniam iam multis ſeculis ante illum (circa annum nimirum 1012.) Guido Abbas Aretinus, excogitauerat illas, quibus hodie vtimur Notas Muſicas, quas & Eccleſia vbique receperat: quas tamen m. ſ. codex noſter nondum habet, inquit Metzlerus. De inuentis autem notis illis Muſicis vide Trithemium de viris illuſtrib. Ord. S. Benedicti lib. 2. cap. 74.

Eiusdem Hartmanni de Natali Innocentium.

Ad proceſſionem.

2. SAlue lacteolo decoratum ſanguine feſtum,
Saluete innocua corpora fuſa neci.
Concinit, ecce, Deus tibimet, grex iſte puſillus,
Feſtiuum laude præueniendo diem. Salue
In qua morte pia puerorum maxima turba
Occidit, & victrix Regna ſuperna capit. Conc.
Nam quod terrenum metuit diſperdere regnum
Impius immani Rex feritate furit. Salue
Audierat Regem, quem cuncta oracula dudum
Spondebant vatum virgine matre ſatum. S.
Iudaicæ Gentis quem debita regna manerent,
Hocq; Magos ſtella teſtificare noua. C.
Nec mora peſtifera ſuccenditur efferus ira,
Dum ſibi præripier Regia iura timet. S.
Mox iubet innocuam ferro proſternere plebem,
Deſtinat atq; neci corpora lacteola. C.
Perderet vt Chriſtum, dum nemo euaderet ipſum;
Inter & innumeros perderet hunc puerum. C.

Eiusdem Hartmanni de eadem Feſtiuitate.

3. CVm natus eſſet Dominus,
Turbatur Rex incredulus;
Magi tulerunt munera,
Quos ſtella duxit præuia.

Herro-

Digitized by Google

Herrodes Rex interogat,
Quo Chriſtus naſci debeat,
Locumq; dici flagitat,
Vt hunc necare valeat.
Adorant Magi Dominum,
Viamq; carpunt aliam,
Nec ſæui Regis impiam
Vltra vident præſentiam.
Tunc Rex Herodes feruida
Succenditur inſania,
Mandatq; ſterni millia
Lactentium innumera.
Completur ſæua iuſſio,
Mactatur omnis puſio,
Ætatis bimæ paruuli,
Vel infra ſubduntur neci.
Mas omnis infans occidit,
Quem nouus partus protulit;
Scrutatur, ah, cunabula,
Ac ipſa matrum vbera.
Quid furis crudeliſſime
O carnifex & peſſime?
Hic ſolus qui requiritur,
Impunè Chriſtus tollitur.
Pectus tenellum rumpitur,
Matrum ſinus perfunditur;
Sed lactis plus quam ſanguinis
De loco ſtillat vulneris.
Salue lactens exercitus,
Flores ſanctorum Martyrum,
Ad aram ſummi Numinis,
Qui læti ſemper luditis.
Nos vos laudantes pueros
Semper iuuate precibus,
Vobiſcum vti iugiter
Poſſimus læti pſallere.

Digitized by Google

Eiusdem Hartmanni Litaniæ.

Ad proceſſionem diebus Dominicis.

Has litanias canonizauit etiam Nicolaus III. Pont. Max. & noſtri in Rogationum diebus publicè canunt, inquit Metzlerus.

HVmili prece, & ſincera deuotione
Ad te clamantes ſemper exaudi nos.
Summus & omnipotens GENITOR qui cuncta creaſti
Æternus CHRISTVS, filius atq; Deus.
Nec non ſanctificans, dominator, SPIRITVS almus,
Vnica Maieſtas, trinaq; ſola Dei. Ad te
Ipſa DEI GENITRIX, reparatrix inclita Mundi
Quæ Dominum caſto corpore concipiens,
Perpetua radias cum virginitate pudoris,
Indignos famulos Virgo MARIA tuos.
ANGELICI proceres, cœlorum exercitus omnis,
Æterno ſemper lumine conſpicuus,
Agmine ter trino ſupero per ſydera Regno
Laudibus æternum concelebrans Dominum.
PETRVS cum PAVLO, THOMAS cum BARTHOLOMÆO,
Et IACOBVS ſanctis nos releuent precibus.
ANDREAS, MATHÆVS, BARNABAS, atq; IOANNES,
MATHIAS, LVCAS, MARCVS & altiſonus.
Cœtus APOSTOLICVS duodeno ſidere comptus
Propitius cunctos protege nos famulos.
Et quos multiplici lacerant per crimina peſtes
Peccata abſoluens, fac bona cuncta ſequi.
Nunc STEPHANVS, LINVS, CLEMENS, ANACLETVS & almus
XISTVS, ALEXANDER, CORNELIVSQVE pius,
HIPPOLYTVS, VITVS, LAVRENTIVS, atque MODESTVS,
CHRYSOGONVSQVE pius nos miſerando iuuent.
O vos MARTYRIO decorati in nomine CHRISTI
Coſpnicui teſtes, purpurei proceres.
Qui bello inuicti ſuperaſtis dæmonis iras,
Conſpirata manus vincere morte minas.
SILVESTER, DAMASVS, GREGORIVS, AMBROSIVSQVE,
HILLARIVS, ZENO, MAXIMVS, atq; LEO.
MARTINVS, PROCVLVS, CÆSARIVS, EVSEBIVSQVE
Orent pro noſtris criminibus variis.
Ordo ſacratus CONFESSORVM præcipuorum,
Auxilio tutos vndique redde tuos.

Atq;

Digitized by Google

Atq; tua noſmet prece, dimittendo reatum,
Nos fragiles multum cladibus omnigenis.
PAVLVS & ANTONIVS, MACHARIVS, ARSENIVSQVE,
PACHVMIVS, BEDA, ATTALA, PAFNVTIVS.
BERTOLFVS, LIBERTINVS, BASILIVS, atq;
HIERONYMVS Doctor, nos miſerate precor.
GALLE Dei ſummi miles fortiſſime Chriſti
Nobis nunc famulis auxiliare tuis.
Nil ſic perſpicuum poterit nos clara referre,
Vt decet in tali nunc patris obſequio.
Hic tibi perpetuis reſonent concentibus ædes;
Oſſibus & ſacris ſemper habetur honos.
Cum læti famuli celebrant hîc feſta benigni,
Laudibus inſtantes nocte, dieq; tuis.
Dirige corda pius, & tempora dirige noſtra
Atq; dies lætos ducere da famulos
Vt ſemper valeant tibimet cantare quieti,
Te quoq; cœleſti cernere luce poli.
O dilecte Dei radians virtute coruſca,
Sancte OTHMARE pater, iunge preces pariter;
Intercede pius, veniam poſcendo miſellis,
Aureq; iam blanda carmina percipiens.
Summe Dei cultor, Monachorum Rector, & Abba,
O BENEDICTE, ſacer, atq; benigne pater.
Iſtud Cœnobium, cœtumq; tibi famulantum,
Noſtraq; ſanctificans cuncta tuere ſimul.
FELICITAS, FELIX, EVLALIA, DIGNA, VERENA,
PETRONELLAQVE cum * pia PERPETVA
AGNES, atq; AGATHES, CHRISTINA, EVPREPIA, TECLA, M. S. perpte.
EVPHEMIA, REGVLA, EVGENIA atq; BONA.
Virginitate chorus reſplendens candidularum
Turba puellarum integritate nitens.
Quæ geminis gaudes pulchrum decorata coronis
Laude pudicitiæ, Martyrijque ſimul.
Omnes nunc ſancti noſtris ſuccurrite lapſis
Et veniam cunctis ferte inuando malis.
Nam veſtris precibus, petitis quæcunq; rogantes,
Annuit ipſe pius, nilq; negat Dominus.

Pacem perpetuam rogitamus proſpice Chriſte,
Et ſanæ vitæ gaudia longa diu.
Temperiem cœli tribuens, vt copia frugum
Omnibus exundet, vbere lætitia.
Agne Dei patris, qui Mundi crimina tollis
Optatæ pacis munera dona tuis.

Carmen ſapphicum cuiusdam Monachi S. Galli Anonymi.

CHriſtus ad noſtras veniat camœnas,
Chriſtus & vocem tribuat ſalubrem,
Chriſtus & vitam vehat ad perennem
Se modulantes.
Audiat noſmet chorus Angelorum,
Protegat nos plebs & Apoſtolorum,
Patriarchæ Dei, ſimul & Prophetæ
Vice perenni.
Martyrum turbas petimus ſerenas,
Sanguinis palma, pretioq; claras,
Vocis vt noſtræ modulis receptis
Gaudia præſtent.
Nunc ſacerdotes, Monachosq; claros
Ad preces noſtras cupidi vocamus,
Noſmet vt ſemper foueant, & noſtra
Pace ſuaui.
Virginum dulces, nitidosq; flores
Semper in noſtro petimus fauore
Eſſe præſentes ſimul & fugantes
Noxia quæq;.
Omnium ſanè rutilus piorum
Cœtus ad noſtram vigilet ſalutem,
Inuidum pellens rabidumq; furem,
Munere Chriſti.
Chriſte nos ſeruos miſerare fidos,
Ob precem ſanctæ nitidæq; plebis,
Inter hos Magni meritum recordans
Maxime Iudex.
Per crucem ſanctam, moderare noſtram
Conditor vitam, tribuens quietem

Perdi-

Perditis culpa veniam rependens
Luminis author.

Pacis augmentum tribuas rogamus,
Vtq; ſaluemur pariter precamur,
Ac remittendi decus exhiberi
Te miſerante,

Ætheris blandos facilesq; motus,
Frugis & largos remeare quæſtus,
Regibus vitam, populisq; pacem
Da Pater orbis.

Præſuli noſtro dominans faueto,
Huicq; cœleſtem tribuens honorem
Poſthumum Petri facito perenni
Laude beari.

Agne qui tollis facinus reorum,
Conditor lucis miſerere nobis,
Chriſte nos audi patris alme Fili
Kirie eleyſon.

Litania Anonymi cuiusdam P. S. Galli.

AVxilium noſtrum,	XRS	Vincit.
Fortitudo noſtra	XRS	Vincit.
Prudentia & temperantia noſtra	XRS	Vincit.
Liberatio & redemptio noſtra	XRS	Vincit.
Murus noſter inexpugnabilis	XRS	Vincit.
Victoria noſtra.	XRS	Vincit.
Defenſio & exaltatio noſtra	XRS	Vincit.

Ipſi ſoli imperium, gloria, & poteſtas, per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.
Ipſi ſoli laus, honor, & iubilatio per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.
Ipſi ſoli virtus & fortitudo, & victoria per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.
XRS Vincit. XRS regnat, XRS imperat. *3. vicibus.*
Chriſte audi nos. *tribus vicibus.*
Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Item etiam Anonymi.

Alia.

7. HVnc diem.	℞.	Multos annos.
Hunc diem.	℞.	Multos annos.
Hunc diem.	℞.	Multos annos.
Iſtam congregationem.	℞.	Deus conſeruet.
Iſtam congregationem.	℞.	Deus conſeruet.
Iſtam congregationem.	℞.	Deus conſeruet.
Annos vitæ	℞.	Deus multiplicet.
Annos vitæ	℞.	Deus multiplicet.
Annos vitæ	℞.	Deus multiplicet.
Feliciter.	Feliciter.	Feliciter.

Verſus Ratperti de Feſtiuitate S. Galli.

8. ANnua, ſancte Dei, celebremus feſta diei,
Qua pater è terris ſydera, GALLE, petis.
Ecce dies populis micat hæc ſanctiſſima noſtris,
Quorum tu princeps auctor ad aſtra meas.
Finibus OCCIDVIS abiens, ſuccedis EOIS,
Dans lucem plebis dogmatis igne tui.
Quæ tenebroſa fuit fidei nec luce refulſit,
Per te cœleſtem cœpit habere diem
Hic vbi nocticolæ tenuêre cubilia laruæ,
Ad laudem CHRISTI pſallit vbiq; chorus.
Hic fuit ecce feris ſtatio gratiſſima ſæuis;
Nunc ſedes ſanctis te * reſonante manet.
Tu pater huc veniens, fers tecum pacis honores,
Hinc totum pellens quicquid adeſſe nocet.
Expuleras nocuum, complens dulcedine totum,
Quo corpus linquens, Spiritus aſtra petit.
En hodie meritum tu poſt certamina palmam
Sumpſiſti, GALLE, protege nos hodie.
Iam ſuper aſtra nitens famulorum ſuſcipe laudes,
Qui tibi deuoto nunc iubilant modulo.
Aſpice propitius venerantes nobile pignus,
Corpus præclarum, GALLE BEATE, tuum.

M. S. vitiosè: reſuenante.

Aſpice

Digitized by Google

Aſpice quæ canimus, expugna corda benignus,
In rebus cunctis rector adeſto tuis.
Hinc Domino trino læti pangamus & vno,
Qui nos nunc talem fecit habere patrem. Amen.

NOTÆ.

PLacet hic verba Metzleri adſcribere, quæ de Raperto & S. Gallo obſeruauit: Rapertus vir vndequaq; doctiſſimus, grauis & prudẽs, ſcholæ præfuit in multos annos, adeo diligenter, vt nonnunquã Miſſas & curſum negligeret, dicens: Bonas Miſſas facimus, ſi eas docemus facere. Doctor planꝰ & beneuolus; diſciplinis aſperior. Corrigendi facultatẽ tenuit in Capitulo. Diſciplinæ & regularis vitæ tenax. Tantæ ſtabilitatis & ſolitudinis, vt toto anno non niſi vnũ par calceorũ tereret. Excurſus, mortẽ; labẽ maximã clauſtri, impunitatem vocitans. Raro & præter fratres nunq̃ clauſtrũ eſt egreſſus. Edidit litaniã carmine: Ardua ſpes mundi, q̃ Papa Nicolaus III. canonizauit, & noſtri patres ſollenniter in diebus Rogationũ non ſine affectu cantare cõſueuerunt. Fecit etiã verſus ad Proceſſiones, quorũ aliquos vidi in bibliotheca. Hymnus de S. Gallo: Annua ſancte. De S. Othmaro: Feſtũ ſacratũ. Laudes Omnipotẽs ferimus. Dictauit etiã varia ad ſuſcipiẽdos Reges, & alia multa. Scripſit & chronicõ Monaſterij grauiter & eruditè, q̃ à S. Gallo vſq; ad Bernardũ 1. q̃ præfuit an. 883. ſua videlicet tẽpora perduxit. q̃ m.ſ. adhuc in bibliotheca quater ſeruatur minimũ. Cõpoſuit etiã rithmicè lingua Germanica vitã S. Galli, q̃ dedit populo publicè in eccleſia cantandã: quæ per Eckerhardũ iuniorẽ tranſlata Latinè extat in vetuſto m.ſ. codice, & à nobis nuper tranſlata eſt in Iambos. His igitur & ſimilibus doctrinæ & virtutũ ſtudiis inuigilans, tandem & ipſe ſanctꝰ circa clauſtrũ S. Galli cùm languidus iret, nec tamẽ docere deſineret, 40. diſcipulis quondã ſuis Canonicis, tunc qdẽ presbyteris, loco ꝓpter feſtũ aduenientibus, animã ſuã ſingulis cõmiſit: quorũ quiſq; 30. Miſſas obituro promiſit. Sicq; ille lætiſſimꝰ Deum, vti ſe diutius morbo coqueret, rogans, panis nitidus factus, inter diſcipulorũ manꝰ in paradiſum, vt credimꝰ, tranſiit, anno, vt ego conijcio, 883. eò enim vſq; ſcripſit. ꝓ quo Notkerus, cui cognatus fuit, & Tutelo, plus aliis dolentes, multa fecerunt. Eckerhardus vtrobiq;. Bruſchius, Stumphius. Hunc Rapertum Thuregienſem appellãt qdã. Fuit aliꝰ itẽ hìc Rapertꝰ nepos huiꝰ, S. Notkeri diſcipulus, & in dialogo de vita S. Galli poſt Hartmannũ mortuũ eius interlocutor. Hæc Iodocꝰ Metzlerus, qui de S. Gallo etiã hæc habet: S. Gallus electus & dilectus Dei famulus, primus terræ huius & loci incola, multorũ ſanctorũ Monachorũ pater hic extitit. Qui adoleſcens ſub obediẽtia & regula S. Columbani,

in

Digitized by Google

in a Scotia, ſpretis nobilibus parentibus, mundique pompis, vitam pauperum elegit, & vt ipſe fatetur, humilitati & obedientiæ, perfectæq; ſubiectioni indefeſsè ſemper ſtuduit. Venit tandem cum Magiſtro ſuo & vndecim aliis fratribus per Britanniam & Galliam in Germaniam, & aliquandiu ſub eodem abbate degens, tandem abeunte illo in Italiam, febre correptus ipſe cum duobus ſociis in Germania relinquitur: ex qua vt conualuit, in hunc locum, tunc deſertum penitus, Deo liberius vacaturus, ſeceßit. Quem vbi triduano ieiunio, & multis orationibus conſecrauit, extructis cellulis & paruo oratorio, & olerum horto excitato, cœpit viuere farinula, panibus, oleribus & piſciculis, in magna quidem paupertate, ſed multa patientia, & ſpiritus iucunditate in iugi orationis & vigiliarũ inſtantia, corpus caſtigans non modo inedia, æſtu & frigore, ſed & cilicio & ferro. Ambitionem & vanam gloriam adeo caute declinans & fugiens, vt vſq; ad obitũ eius nullus diſcipulorũ de cilicio & cathena, quibus ſe affligebat etiam vſq; ad ſanguinem, aliquid cognoſceret. Seruabat enim ea in capſella ex corio facta, quam quocunq; iret, in humero ferebat, clauem ad zonam ſuam ſuſpendens. auctor primus vitæ eius, qui ſcripſit eam ex ore SS. Magni & Theodori, ſeu vt ipſe ait Theodeoderi. Cum ad Principem vocaretur aliquando, clam ad tempus, longius à ſua cellula diffugiens, Quid mihi, ait, cum Principibus huius ſecli? Et quia in Grammaticis, poëticis, & ſcripturis S. Canonibusq; bene inſtructus fuit, multa cum ſapientia & authoritate oblatum ſibi Epiſcopatus Conſtantienſis honorem, quin & Abbatiæ Luxouienſis dignitatem ex ſuis humeris excuſsit S. Columbani, cuius animam cælum petentem vidit ſuper montem S. Notkeri vbi riuus Steinaha per rupis concaua deſcendit, vt ait Ecker. lib. Benedictionum, & Rapertus in carmine. Aliquando à principe multo argento & auro donatus, totum quod accepit, antequam ad cellam rediret, in pauperes diſtribuit. cumq; aliquando non niſi dimidium ſextarium farinæ in promptuario haberet, & ſex fratres de Luxouio aduenissent, ait cellario, quid nam eſſet ipſis in cibum. Et vt omnẽ ſubſtantiam, quæ præfata tantum farina fuit, indicauit, ait illi, vt inde panem coqueret. potens eſt enim Deus parare menſam in deſerto. Et abiens ad gurgitem ad Auſtralem plagam Monaſterij cepit piſcem in fluuiolo 12. pedes longum 1. & 4. latum, ſuperueniensq; homo quidam deuotionis cauſa obtulit duos cados vini &c. Latinè, Scoticè, & Germanicè loqui ſatis doctus. Vnde etiam ſcripſit orationem & gubernandæ Eccleſiæ formam. Cum Arbonæ in feſto S. Michaëlis poſt ſacrum, vt ait Eck. vbi ſupra, concionem habuiſſet, febre ibidem corripitur, quæ etiam eum per dies 14. magis ingraueſcens, plenum ſanctitate, innumeris clarum miraculis, inter diſcipulorum manus in parochiali domo extinxit,

a In margine hæc etiam adſcripſit Metzlerus: Didici hoc ex noſtrorum hominum traditione, & ex quodam viro non illiterato, qui ſe id audiuiſſe ait, & legiſſe (Sicut & parentis vtriuſque nomen) ex illuſtri & religioſa Domina comitiſſa Montis ſancti, Friderici moderni matre. Et tradit cum Walafrido communis opinio.

Ein Lachs ait Ecker. iunior lib. Benedictionum.

tinxit, anno ſuæ ætatis 95. Chriſti vero 640. incolatus eremi 10. aduentus ſui in Germaniam 26. vel quod magis credo 13. aut. 14. Nec enim lego eum diu hæſiſſe vel Tuconiæ, vel Arbonæ; Brigantiæ vero per triennium, &c. Habes de eo grauiſſimum, meo iudicio ſermonem ſuper Euang. Ecce nos reliquimus omnia. qui & homiliæ loco legitur in feſtiuitate eius ſub nomine Bedæ; quod tamen vix videtur admittendum, niſi dicas eum mutuatum, mutatis mutandis. Beda tamen, nequaquam indignus eſt ſermo. Scribunt de eo Hermannus Contractus, S. Notkerus 3. libros. VValafridus Strabo Augiæ Abbas, qui eſt apud Surium tom. 5. Marcellinus in vita SVViberti. Author vitæ S. Burchardi, Ionas in S. Columbano, Beda, noſter pater Theodorus in S. Magno, Rapertus item pater noſter & Ekerhardus Iunior lib. benedictorum, & alibi. Trithemius, Baronius, Ioannes Vaslæus lib. 4. in Chenneto rege. Martyrologia pæne omnia. Quem merito Alemanni ſuum Apoſtolum vocant. Hæc Iodocus Metzlerus.

Notker Lantberto Fratri ſalutem. Quid ſingulæ litteræ in ſuperſcriptione ſignificent Cantilenæ, prout potui iuxta tuam petitionem explanare curaui. 9.

A. Vt altius eleuetur admonet.

B. Secundum litteras, quibus adiungitur, vt benè, id eſt, multum extollatur, vel grauetur, ſiue teneatur, belgicat.

C. Vt cito, vel celeriter dicatur, certificat.

D. Vt deprimatur, demonſtrat.

E. Vt equaliter ſonetur, eloquitur.

F. Vt cum fragore ſeu frendore feriatur, efflagitat.

G. Vt in gutture gradatim garruletur, genuinè gratulatur.

H. Vt tantū in ſcriptura aſpirat; ita & in nota idipſum habitat.

I. Iuſſum vel inferius inſinuat, gratitudinemq; pro g. interdum indicat.

K. Licet apud Latinos nihil valeat. apud nos tamen Alemannos pro χ. græca poſitum chlenche. i. clange, clamitat.

L. Leuare lætatur.

M. Mediocriter melodiam moderari mendicando, memorat.

N. Notare, hoc eſt, noſcitare, notificat.

O. Figuram ſui in ore cantantis ordinat.

P. Preſſionem, vel prenſionem prædicat.

Quæ ſint illæ litteræ Cātilenæ, non capio ego. fideliter tamen deſcriptæ ſunt, quæcūq; ſequebantur. præcedit autem Litania, Auxilium.

Digitized by Google

Q. In ſignificationibus notarum cur quæratur? cum etiam in verbis ad nihil aliud ſcribatur, niſi vt ſequens v. vim ſuam amittere quæritur.

R. Rectitudinem vel raſuram non abolitionis, ſed criſpationis rogitat.

S. Suſum vel ſurſum ſcandere, ſibilat.

T. Trahere vel tenere debere, teſtatur.

V. Licet amiſſa in ſua, veluti valde Vau græca, vel hebræa, velificat.

X. Quamuis latina verba per ſe inchoet, tamẽ expectare expetit.

Y. Apud latinos nihil hymnizat.

Z. Verò licet & ipſa merè græca, & ob id haud neceſſaria Romanis, propter prædictam tamen. r. litteræ occupationem ad alia requirere. In ſua lingua, zitiſſe require.

Vbicunq; autem duæ, vel tres, aut plures litteræ ponuntur in vno loco, ex ſuperiore interpretatione, maximeque illa, quam de B. dixi, quid ſibi velint facilè poterint aduerti. Salutant te Ellinici fratres; monentes te fieri de ratione embolismi triennis, vt abſq; errore gnarus eſſe valeas biennis contempto precio diuitiarum Xerxis.

NOTÆ.

Vt intelligas quis hic Notkerus, & quæ ſint hæ muſicæ literæ, ſubiungam, quæ habet Iodocus Metzlerus: S. Notkerus vocatus Balbulus, Magni Ottonis nepos, natus in caſtro Heiligôun, Abbati Grimaldo oblatus eſt iuuenculus, voce balbulus, corpore gracilis, ad repentina timidulus, ſolis dæmonibus exceptis, quibus ſe audacter, occulte & manifeſte infeſtantibus opponebat. Auditor ſtudioſus fuit Iſonis & Marcelli. In orando, legendo, dictando creber, & vt verbo dicam, verè S. Spiritus fuit vaſculum, fuit etiam Prophetiæ Spiritu plenum. Neſcias an magis mireris genus, an doctrinam, an virtutem. Primus adinuenit Iubilos ſeu ſequentias modulatas, quas ipſe ad diſtinctionem Metenſium appellabat Frigdoræ aut Occidentanæ, quas & inter S. S. myſteria toties Eccleſia repetit. Dilucidauit etiam amico cuidam literas Alphabeti, quas quibusdam notulis Antiphonarum affinxerat Romanus quidam, qui ab Adriano Papa ad inſtantiam Caroli Magni Cantor Eccleſias Galliarum in cantu ad primæuum modum Gregorianum reducebat aberrantes. Qui Romanus poſteà in Monaſterio morbo primum detentus, omnino etiam iubente Carolo ibi hæſit.

ſit. Præter illa quæ hic edita ſunt, ſcripſit de expoſitionibus S. ſcripturæ lib. 1. Cum prudens. De Muſica & ſymphonia lib. 1. Epiſtolarum ad diuerſos lib. 1. De vita S. Fridolini Abb. lib. 1. De vita S. Galli. lib. 3. Martyrologium, & alia nonnulla. Ex Græco vertit libros perihermenias Ariſtotelis. Per literas ſciſcitanti Abbati Augienſi, qualis eſſet in hac regione terra, reſpondit:

Dura viris, & dura fide, duriſſima gleba. Cum ſuper quibusdam cauſis Imperator nuntium & literas quadam vice ad eum dediſſet, ille quaſi nihil illud reputans, nuncio abituro noluit regi reſpondere ſcripto: ſed tantum iuſſit dicere, vt quod ſe videbat nuncius facere, idipſum etiam Imperator faceret. laborabat autẽ in horto, & radicum alias inſerebat, alias euellebat. Poſt multa cum carne, mundo, & diabolo, qui eum plerumque viſibiliter appetebat, patrata certamina, ſenio, & vt creditur, litterarum & lacrimarum ſtudio cæcus effectus, multa Sanctitate obiit in monaſterio S. Galli, ſepultus in Eccleſia S. Petri ad ſiniſtrum altaris cornu, vti adhuc videre eſt. Vbi, ſicut etiam ante obitum ſuum; innumeris propemodum claruit miraculis; maxime in variis languoribus & doloribus tollendis. Floruit anno 850. & eſt canonizatus intra Monaſterij ſepta & eius totam ditionem ſubiectasque Eccleſias omnes, iuſſu variorum Pontificum, maxime vero Leonis X. ab Epiſcopo Conſtantienſi Imperante Maximiliano Auguſto, & Abbate S. Galli Franciſco anno 1514. Cuius feſtiuitas translata eſt ad Dominicam Iubilate, quotannis ſolenniter celebranda, licet ipſe obdormierit 7. Aprilis anno 912. De Notkero Contractus, Eckerardus iunior in caſibus Monaſterij & lib. Benedictionum. Trithemius, Stumphius, Vadianus, Bruſchius, codex noſter ante annos 800. deſcriptus, Stephanus Durantes de Miſſa.

Vitam S. Fridolini ſcripſit Baltherus Seckingenſis, eamque S. Notkero dedicauit, cuius hoc eſt initium: Notkero doctrina ſophia famoſiſſimo, meritorumque ſanctitate beatiſſimo Baltherus infimus ſeruorum Dei ſeruulus. Fatetur author ſe in Monaſterio (vtar verbis eius) S. Galli, iuxta pedes Notkeri & ceterorum magiſtrorum ſcholaſticæ diſciplinæ vacaſſe. Forte hæc vna eſt vita S. Fridolini, & non ab ipſo Notkero, ſed ad Notkerum ſcripta. Sed veteres & recentiores omnes à Notkero ſcriptam aſſerunt, ex quibus etiam Petrus Caniſius prologo in eandem vitam. Hæc Iodocus Metzlerus.

10. *Litania Ratperti ad proceſſionem diebus Dominicis ex M. S.*

Si opinari liceret, crederem eſſe Raperti iunioris Interloquutoris & diſcipuli I. Notkeri, non autem ſenioris propter ſtylum. Et hanc litaniam à Nicolao III. eſſe canonizatam ait Metzlerus.

Ardua ſpes Mundi, ſolidator & inclyte cœli,
CHRISTE exaudi nos propitius famulos.
Virgo DEI genitrix rutilans in honore perennis,
Ora pro famulis ſancta MARIA tuis. XRE.
Angele ſumme Dei MICHAEL miſereſcito noſtri,
Adiuuet & GABRIEL, atq; pius RAPHAEL. ARDVA.
Aſpice nos omnes clemens Baptiſta IOANNES,
PETREQVE cum PAVLO nos rege doctiloquo. X.
Cœtus APOSTOLICVS ſit nobis fautor, & omnis,
Ac PATRIARCHARVM, PROPHETICVSQVE chorus. ARD.
Poſcere nunc STEPHANVM ſtudeamus carmine ſummum,
Vt cum Martyribus nos iuuet ipſe pius. XRE.
Inclyte LAVRENTI qui flammas exuperaſti,
Victor ab æthereo nos miſerate choro. A.
Splendide SILVESTER, GREGORI ac ſancte Magiſter,
Nos quoq; cum ſociis ferte iuuando polis. X.
O Benedicte pater Monachorum, Galleq; frater
Cum reliquis ſociis nos refouete polis. X.
Maxime de SVEVIS, ſuperis coniuncte cateruis,
Sancte OTHMARE tuum lætifica populum. X.
Inclyte MAGNE tuam clemens nunc reſpice plebem,
Auxilio tutos vndique redde tuos. A.
Virgineos flores, AGNES AGATHESQVE ferentes
Auxilio veſtris addite nos ſociis. X.
INNOCVOS PVEROS reſonemus laude peractos,
Qui modo nos pueros dant reſonare melos.
Omnes ô SANCTI noſtræ ſuccurite vitæ,
Perq; CRVCEM ſanctam ſalua nos CHRISTE redemptor.
Ira deque tua clemens nos eripe Chriſte,
Nos peccatores audi, te Chriſte rogamus. X.
Vt pacem nobis dones, te Chriſte, rogamus.
Crimen vt omne tuis ſoluas, te Chriſte, rogamus.
Auræ vt temperiem dones, te Chriſte, rogamus.
Vt fruges Terræ dones, te Chriſte, rogamus,
Vt populum cunctum ſalues, te Chriſte, rogamus,

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiamque tuam firmes, te Chriſte, rogamus.
Fili celſithroni, nos audi te te rogamus.
Agne Dei patris nobis miſerere puſillis.
Chriſte exaudi nos, O Kyrieleyſon ελεισον

Eiusdem Ratperti ad Euchariſtiam ſumendam. 11.

LAudes omnipotens ferimus tibi, dona colentes
CORPORIS immenſi, SANGVINIS atq; tui.
Tangimus ecce tuam, rector ſanctiſſime, Menſam,
Tu licet indignis propitiare tuis. LAV.
Propitiare pius, peccata abſolue benignus,
Poſſit vt inuictis apprópiare ſacris. Co.
Angelus æthereis ſanctus deſcendit ab aſtris,
Purificans corpus, cor pariterq; pius. L.
Hæc medicina potens cœli nos ducat in arces,
Interea terris dans medicamen opis. CORPORIS.
Quod colimus fragiles Saluator reſpice clemens,
Summeq; paſcentes, protege paſtor oues. LA.
Protege quas recreas, hoſtis ne proterat illas;
Conſolidans dono nos ſine fine tuo. Corp.
Nam ſumus indigni, quos omnes munere tali
Tu pietate tua rex rege caſtra tua. LA.
Hoc pater omnipotens cum Chriſto perfice clemens,
Spiritus atq; potens, trinus & vnus apex. COR.

Verſus ad regem ſuſcipiendum, vt arbitror eiusdem Ratperti. 12.

SAlue proles regum inuictiſſimorum:
Dominus DEVS exercituum memoriale tuum. Salue.
Et tu ad Dominum DEVM tuum conuerteris. Salue.
Miſericordiam & iudicium cuſtodi. Salue.
Et ſpera in Domino DEO tuo ſemper. Salue.
SALVE PROLES REGVM INVICTISSIMORVM.

Item de veteri Teſtamento. 13.

BEenedictus eris ingrediens, & benedictus egrediens; *Deut. 28.*
Benedictus in ciuitate, & benedictus in agro:
Benedictus fructus ventri tui, & fructus terræ tuæ

Benedicta horrea; & benedicta cellaria tua.
Dabit Dominus hoſtes tuos corruentes in conſpectu tuo.
Faciat te Dominus excelſiorem cunctis Gentibus.

Notkeri Magiſtri.

14. AVe beati germinis
Inuicte Rex & inclite.
Omnis tibi militia
Occurrat ouans cœlitum.
Intacta Chriſti Genitrix
Mater honora virginum,
Chorum pudicum ſocians,
Tibi procedat obuiam.
Agonothetæ Apoſtoli,
Victorioſi Martyres,
Omnesq; ſancti ordines,
Semper vocent te laudibus.
Nos pro ſtatu parui loci,
Reiq; modo pauperis,
Lætantes pio Domino
Occurrimus in omnibus.
Hæc ipſa gaudent tempora,
Floreque verno germinant
Aduentus omni gaudio,
Quando venit optatior.

Ratperti ad Reginam ſuſcipiendam.

15. AVrea lux terræ, dominatrix inclita, ſalue,
Quæ domibus noſtris nunc benedicta venis.
Larga maneto tuis ſemper clariſſima ſeruis,
Qui tibi mente canunt, carmen & ore ferunt. A.
Plus hodie ſolito radiat ſol clarus in alto,
Cumq; ſerena venis nubila cuncta teris. Q.
Floribus arua nitent, quia te nos viſere cernunt,
Fœtibus atq; ſolum germinat omne bonum. A.
Gloria magnificæ rutilans celſiſſima Romæ,
Atq; ITALOS radiis comis amœna tuis. Q.
At tibi ſe famulam præbet GERMANIA fidam,

Sæpius

Sæpius & facie te cupit aſpicere. A.
Cæsaris ipſa decus, populorum corrigis actus,
Pluribus & validis imperitans populis. Q.
Nunc ſine fine vale, miſerans & noſtra tuere,
Sit tibi magna ſalus, laus, honor, atq; decus.

Ad deſcenſum fontis.

REx ſanctorum Angelorum 16.
Totum Mundum adiuua.
Ora primum tu pro nobis
Virgo mater germinis;
Et miniſter patris ſummi,
Ordines Angelici.
Supplicate Christo Regi
Cœtus apoſtolici;
Supplicetque per magnorum
Sanguis fuſus Martyrvm
Sancte Galle pater alme
Tuo fac oramine,
Quo dignetur his feſtiuis
Intereſſe gaudiis.
Implorate Confessores,
Conſonæque Virgines,
Quod donetur magnæ nobis
Tempus Indulgentiæ.
Omnes ſancti atque iuſti
Vos precamur cernui,
Vt purgetur crimen omne
Veſtro ſubleuamine.
Huius Chriſte rector alme
Plebis vota ſuſcipe,
Quis plaſmaſti protoplaſtum
Vt genus gignentium.
Fac in terra fontis huius
Sacratum myſterium,
Qui profluxit cum cruore
Sacra Chriſti corpore
Mitte ſanctum nunc amborum

Digitized by Google

Spiritvm paraclitum
In hanc plebem, quam recentem
Fons Baptismi parturit.
Præſta patris atque Nati
Compar ſancte ſpiritus,
Vt te ſolum ſemper omni
Diligamus tempore.

Rex sanctorvm angelorvm totvm mvndvm adivva.

---

17. ## *Notkeri Magiſtri cognomento Balbuli Litania rythmica.*

Votis ſupplicibus voces ſuper aſtra feramus,
Trinus vt & ſimplex nos regat omnipotens. Ky.
Sancte Pater adiuua nos. Sancte Fili adiuua nos.
Compar his & Spiritvs vngue nos intrinſecus. Vo.
Sancta virgo virginum Stella Maris Maria
Tu pro nobis Dominum Ora Christvm filium. Trinus.
Summæ ſedis miniſter, Quis vt Devs Michael?
Cum ſupernis ciuibus, ſit nobis propitius K. L. Trinus.
Præco Chriſti Ioannes, Agni Dei oſtenſor
Redemptoris Baptista, Tu nos Deo commenda. Vo.
Sancte Petre, & Pavle, cunctiq; Apostoli
Vos orate pro veſtris Chriſtianis populis. Trinus.
Iuncti ſancto Stephano, vniuerſi Martyres
Eſtote auxilio populo catholico. V. L. K.
Sancte Galle ſuccurre, ſancte Othmare ſubueni,
Nos cum Confessoribvs, Adiuuando precibus. Trinus.
O Martyr Felicitas, Cohors atq; virginum
Poſtulate pro nobis, Maieſtatis Dominum. Vo.
Omnes ſancti Domini, Angeli & homines,
Vos ad aures diuinas, ferte preces ſedulas. Trinus.
Vt nobis remiſſio peccatorum donetur,
Aëris temperies, Terræque fertilitas. Ky.
Pacem nobis imploret veſtra interceſſio,

Sanc

Sanitatem corporum, Et perenne gaudium. Ky.
Vt famem & morbi vim, Amouere dignetur
Omnipotens Dominus, obtinete precibus. Votis.
Vt ſæuiens gladius, Et paganus populus,
Depellatur à nobis, Te rogamus Domine. Trinus.
Vt paſtorem tueri, Noſtrum velis & clerum,
Omnes ſimul oramus, Ieſu CHRE, audi nos. K.
Vt rex noſter Chuonradus, Eius & exercitus
Hinc & inde ſeruetur. Oramus CHRE, audi nos. Votis.
Vt cruore redemptum Precioſo populum
Conſeruare digneris, Oramus Chriſte, audi nos. Trinus.
Animas Catholicas, In æterna requie
Confoueri iubeas, Oramus Chriſte, audi nos. K.
Omnes tibi canimus. Vniuerſi clamantes,
Vocibus & cordibus, Oramus Chriſte, audi nos. Trinus.
Oramus Chriſte audi nos, Chriſte, Chriſte, audi nos.
Kyrieleyſon canimus, Chriſte eleyſon pſallimus. Votis.

Hymnus Notkeri Magiſtri cognomento Balbuli de S. Columbano ad vtraſque Veſperas & ad laudes. 18.

NOſtri ſolemnis ſæculi
Refulget dies inclyta,
Quo ſacer cœlos COLVMBA
Aſcendit ferens trophæa
Sed priuſquam eum mater
In auras lucis ederet,
E ſinu ſolem proſpexit
Terris lumen diffundere,
Qui poſt altus HYBERNIA,
Sacro edoctus dogmate,
GALLICA arua adiens
Plebi ſalutem tribuit.
Ægri ſonantur ocyus,
*Nautis producit latices,
*Piſcis in vſum præbetur,
Cedit imber à ſegete.

*m. ſ. S. acutis.
*m. ſ. priſtcis.

Digitized by Google

Prolem capit ſterilis,
Ales rapinam reddidit,
Fanis horrea augentur,
Abſciſſa caro ſoſpes eſt.
Tactus vidit, nec cernitur,
Sentit damna ergaſtulum,
Fugit peſtis ab homine,
Quam dæmon ſæuus miſerat.
LIGERI ſcapham retinet,
Ablato furto prodeunt,
Cœcusque lumen recipit,
Præbendo cibus augetur.
In eſca ſalis veniunt,
Feræ iuſſis obediunt,
Fides patrari conſcia,
Nouit quod poſſit omnia.
Deo patri ſit gloria
Eiusque ſoli filio,
Cum Spiritu paraclyto
Et nunc & in perpetuum. Amen.

Verſus HARTMANNI ad ſuſcipiendum Regem.

19. SVſcipe clementem, plebs deuotiſſima, REGEM,
Ducq; canens GALLI tecta ſub alta pij.
Iam benedicte veni, rector digniſſime Mundi,
Dextera te CHRISTI, protegat arce poli.
Actibus in cunctis tibi proſpera cuncta ſupernè
Proueniant, votis & ſine fine piis.
Hoc nos inſtanter rogitamus pectore fido,
Hoc petimus omnes, nocte dieque ſimul.
Te nobis blandum dederat dilectio CHRISTI,
Qui noſmet tanta ſedulitate foues.
Inſita te nobis bonitas & ſancta voluntas
Ante dedit charum quam quoque viſus eras.
Cernere nunc faciem liceat virtute nitentem,
Optio quod noſtra ſæpè cupita fuit.
Rex Dominus Regum factor, Rectorq; potentum

Qui

Digitized by Google

Qui te terreno prætulit imperio.
Hic te confortet ſemper, virtute polorum,
Et ſecum regno lætificet ſupero.

VVALDRAMMI, Decani. 20.

REx benedicte veni viſens habitacula GALLI
OTHMARI tectis accipienda ſacris.
Iſtud ſanctorum concludit millia templum,
Quam ſubiens ædem, experiaris opem.
Iugiter iſta ſuis te ſeruet turba ſub alis,
Cuius RELLIQVIAS hæc tenet aula pias.
FRANCIA te SVEVIS, ô REX, direxit alendis,
Iam pecuare tuum paſce diu viduum.
NORICVS, & SCLAVVS, BEMANVS, SAXO, TORINGVS,
Corde manent alacri te dominante ſui.
Occiduæ gentes, HYSPANIA, GALLIA triplex
Se ſtudeant properè ſub tua ſceptra dare.
Italiæ populus diuerſo ſanguine mixtus
Ad te pigmentis, palliolisq; ruat.
Ebrus, Thermoodon, Trax, Nuchul, Boſforus, Vfens,
Sumant maxillis iam tua frena ſuis.
Hos inter populos noſtri miſerere Monarcha.
Commonitus fido à Salamone tuo.
Fias placatus nobis, maneasq; miſertus,
Quos ſtirps SCOTTORVM ſuaſit in hanc eremum.

Item, de quo ſupra.

IMperatorum genimen potentum, 21. *Eiusdem forte. immediate enim in m. ſ. ſequitur.*
Macte regnorum nouitate mira,
Semper antiquis famulis benigne
Rex miſerere.
FRANCIÆ Regis micuêre, patres
Fulgidi regis KAROLI, per orbem
Nec minus matres ALEMANNA tellus
Miſit honoras.
Hic domus, hac eſt patria creatus
Fautor OTHMARVS, BENEDICTVS abba,

Gallvs è Scottis veniens beauit
Omnia noſtra.
Barbaros terrens, proprios foueto,
Cum quibus omnes Orientis artes
Immo quadrati ſuperabis arui
Summa vel ima
Iuris & pacis moderator æquus,
Temperas, fortis vigeas per omne
Tempus, hic degens, ſuper aſtra cœli
Hinc abiturus.

Verſus Raperti de S. Magno.

22

Habemus vitam S. Magni ex m. ſ. monaſterii S. Magni in pede pontis Ratiſp. ſcriptam à Theodoro ſocio S. Galli & S. Magni, quã Theodorus in ſepulchro S. Magni ad capus depoſuit.

Mire cunctorum Devs & creator,
Mitis & fortis, ſolidator orbis.
Vota ſeruorum tibi ſubditorum
Aſpice clemens.
Pangimus clarum cupidi triumphum,
Mente gaudentes, ſimul & precantes,
Sanctus vt præſens ſuper aſtra gaudens
Nos benedicat.
Ille dum vita fruitur caduca,
Lucis æternæ radios videre,
Viſibus cordis ſtuduit ſub imis
Fretus ab altis.
Nomen hîc Magni reſerando plebi
Viribus magnis, colitur celebris,
Auctus à Gallo ſuperis amando
Dogmate largo.
Hoſtis immitem domuit furorem,
Pacis authorem comitando ſuauem.
Omnibus ſanctę, placidæque vitæ
Normula factus.
Ille poſt clarum remanens Magiſtrum,
Eius exemplis inhians beatis
Turbidum Mundi reprobans honorem,
Terrea ſpreuit.
Spiritu pauper fuit hic miniſter
Hinc & in regno micat ille dexter,

Mitis

Digitized by Google

Mitis exſtabat, tenet atque terram
Viua gerentem,
Feruido planctu ſimul hîc dolebat
Inde ſolatum Dominus coronat,
Triſtibus ſpretis, lachrimiſque terſis
Perpete regno. Mire.
Famis en iuſtæ, pariter ſitisq;
Damna perpeſſus, fuit hic beatus,
Vnde diuinis dapibus repletus
Gaudet in aſtris. Mire.
Hic fuit clemens, miſerans miſellos.
Eius & iudex miſeretur altus
Tota cum Mundi ſpecies abibit,
Fine ſub vno. Mire.
Corde nam mundo fuit atq; puro,
Hinc Deum clare meruit videre,
Filius ſummi ſimul & vocari
Pacifer ipſe. Mire.
Perſecutorem tolerauit iſte,
Iuſta dum vouit, dominoque reddit,
Inde cœleſtem meritò decorem
Poſſidet ipſe. Mire.
Bis quater ſummis ſpeciebus ecce
Prędítus ſplendet pater hic beatus
Omnibus nobis veniam benignus
Conferat idem. Mire.
Inde nunc cœli rutilans in aula
Cuius æternæ ſociusq; turmæ
Noſtra placatus pius & benignus
Crimina tergat.
Præſtet hoc nobis genitor perennis
Natus, & plenus patrii vigoris
Spiritus ſancti moderante noſtros
Lumine ſenſus. Mire.

Digitized by Google

Verſus ad ſollemnem, per campos & montes proceſſionem de reliquiis S. GALLI, ibi tum præſentibus ex eodem.

23. IAm fidelis turba fratrum voce dulci ſonet,
Hymnum dicat, & ſerena partiatur dragmata,
Dulce pondus & beatum in lectica deferens.
Scandens & deſcendens inter montium confinia,
Siluarum ſcrutando loca, valliumque concaua,
Nullus expers vt locus ſit iſtius ſolaminis.
Iamque cœlum iamque Terra, iamque Pontus laudibus
Plaudat, atque circumquaq; vox emiſſa plebibus,
Auctorem patremque tanti tamque clari luminis.
Hinc exultent Aſtra cœli, lacteusque circulus,
Signa tum biſſena ſaltent, & corona nobilis
Ornatusque totus ſoli Conditori cognitus.
Nos iſtorum ſemper clara ſequuti munia
Sanctitati tantæ cantu perſonemus bombico,
Exaudire quod delectet cuncti plaſten ſęculi.
His inceptis aſſit alma FELIX & THEOTOCVS.
Aſſit PETRVS, hunc ſequatur omnis atq; APOSTOLVS.
MARTYR & CONFESSOR, atq; turba ſancta VIRGINVM.
Nunc Redemptor & Creator, auctor veri gaudij,
Largiatur aptam vobis virtutis fiduciam,
Vt ſibi volendo digna, captemus perennia.

Item de quo ſupra Anonymi &c.

24. O Rector inuictiſſime,
Regumque ſator inclite
Noſtras preces cum carmine
Intende nunc piiſſime.
Timenda res eſt denique,
Præſumimus quam tangere
Artus eſt horum pangere
Quos tu beaſti in æthere.
Abſterge noſtra quæſumus
Peccata, quæ commiſimus,
Vt ſancta membra tangere

Digitized by Google

Non pœna ſit, ſed præmium.
Adeſt fides promptiſſima,
Spondens per iſta munia
Nos adiuuari certius
Diſcedat hinc iam perfidus:
Nam Spiritus ex ſydere
Hæc creditur reuiſere
Gaudens honorem prouehi
Quandoque reddendum ſibi.
Nunc MAGNVS iſte nomine,
Maiorque Chriſti munere,
Defendat alma gratia,
Plebis viantis pectora.
Portamus ecce cernui,
Pignus decoris ſplendidi,
Nunc plane nunc per ardua
Ad ſedis apta culmina.
Hic ciuium cœleſtium
Lux clara ſplendet obuia,
Ac compares fidiſſimi
Iunguntur ore nobili.
Illinc parentis gloriam
Summique Nati gratiam
Cum claritate Spiritus
Lætis canamus vocibus. A.

De S. MAGNO.

25. *Incerti autoris, monachi tamen S. Galli, atq; vt videtur Hartmanni, propter quoſdam eius verſus quos habet etiã in Litania Humili prece.*

CArmina nunc feſtis pſallamus rite choreis,
Obuia lætantes pectora qui ferimus.
Aurea iam reſonent redimitis carmina bombis,
Quæ variis mixtim vocibus aura ferat.
Nil ſic perſpicuum poterit vox clara referre,
Vt decet in tali nunc patris obſequio.
Sic deuota tamen pandamus ora, canentes,
Pectore de puro hos referendo ſonos.
Iſtuc iam properans Domini dilecte propinquas,
Quo tibi condigna corporis Aula nitet.
Hic tibi perpetuis reſonent concentibus ædes

Oſſi-

Digitized by Google

Oſſibus & ſacris ſemper habetur honos.
Dum læti famuli celebrant hic feſta benigni
Laudibus inſtantes nocte, dieque tuis.
Lætus ob hoc noſtros blandusque inuiſito fines,
Atque pius ſeruis auxiliare tuis.
Iam nunc ſeruitiis famulûm conſueſce tuorum
Proſper & hunc vultum flecte ſerene tuum.
Dirige corda pius, & tempora dirige noſtra,
Atque dies lætos ducere da famulos.
Vt ſemper valeant tibimet cantare quieti,
Te quoque cœleſti cernere luce poli.
Sternere ſupplicibus iſthæc modo patria notis,
Et venerans tanti ſuſcipe membra viri.
Ipſas omnigeno decorans cum flore plateas
Lumina perpulchris obuia lampadibus.
Adueniunt pariter, nec non comitantur eundem
Perſpicui fratres, angelici proceres.
Qui ſancti feretrum circumuolitando beatum
Alarum expanſu vndique membra tegunt.
Inde COLVMBANVS noſter pater atque Magiſter
Alpibus excurſis aëriiſque viis.
Hic aderit præſens, alacriſq; ad gaudia tanta
Agmina coniungit conſociata ſimul.
Coniunguntur ei celeres, greſſusque fatigant,
Tres quoque Francorum Scotigenæ pariter.
Quos volitans fama aſciſcens ad gaudia tanta,
Vnitos tulerit dulcibus obſequiis.
Obuius hinc proprios GALLVS producit Alumnos,
Longius occurſu approperans rapido.
Hunc circum medium numeroſis cœtibus auctus
Denſatur nitidus Cœlicolum populus.
Omnes qui pariter ſancta de voce ſalutat
Et proprios Lares MAGNE ſubire rogat
Vt quos ætherei retinet communio templi,
Hic quoque conſortis iungat honoris amor.
Interea OTHMARI præſtabit cura Beati,
Manſio conſtructa quoque parata fiat.

Digitized by Google

Vt nil diſpliceat venietis hoſpitis ori,
 Omnia ſplendenti ſed niteant facie.

Inuitatio S. MAGNI,

Anonymi.

MIles ad caſtrum properes nouellum, 26.
Pridem & notos repetas locellos,
Poſſide terram tibi præparatam
Iam comes GALLI, ſociare illi,

Nos ſua, MAGNE,		Pignora GALLVS
Miſerat ad te		Tequè venire
	Oppido poſcit.	Miles,
Nunc ſtudet ille		Rus laquearquè
Te veniente		Comere lautè,
	Nil remoreris.	Miles.
Sexus vterquè		Vir, mulierquè,
Turba pedeſtris,		Cœtus equeſtris,
	Vociferantur	Miles.
Te, pater, ætas		Expetit omnis,
Vt veniendo		Cuncta mederis;
	Et modulantur.	Miles.
Quando parata		Ingrediaris
Tecta Patrone.		Nos famulantes
	Ipſe tuere.	Miles.
Ad tua quiſquis		Limina ſtratus
Te ſibi poſcat		Sancte fauere
	Eſto miſertus.	Miles.
Igne nociuo,		Grandine, morbo,
Dæmonis aſtu,		Marte, fameque
	Protege ciues.	Miles.
Corporis vt qui		Relliquiarum
Condere partem		Promeruerunt,
	Iuueris illos.	Miles.

Haſtenus ex m. ſ. codice qui fuit ſub Conrado cæſare exaratus.

Notkeri phyſici, ſeu zabionis. hymnus de vna virgine. 27.

HYmnum beatæ virgini
Dic turma voce ſupplici,
Lauda Deum per omnia,

Digitized by Google

Eius canens miracula.
Infirma mundi eligit,
Et magna ſpernens proiicit,
Infirmat idem fortia.
Confortat autem vilia.
Quod nunc in alma virgine,
Palam valemus cernere,
Sexum domans quæ labilem,
Vitam gerebat cælibem.
Pompoſa mundi gaudia
Contempſit vt ludibria
Soli Deo ſe ſubdidit
Illique totam tradidit.
Deo patri ſit gloria &c.

Eckerardi Decani. Hymnus de ſimplici confeſſore.

28. Confeſſor æterni patris
Inuicte miles filij
Athleta fortis Spiritus.
Nobis faue poſcentibus.
Crucem Chriſti tu baiulas,
Chriſtoq; confixus cruci
Iocunda ſpernens ſeculi
Gaudes modo in regno Dei.
Nunc ergo nobis quæſumus,
Præſens adeſto cominus.
Omne impetrando commodum.
Atq; perenne gaudium. Præſta. p.

De eodem S. GALLO Anonymi hymnus quotannis in eius ſolemne cantari ſolitus.

29. Vita ſanctorum, via, ſpes, ſaluſque,
Chriſte, largitor probitatis, atque
Conditor pacis, tibi voce, ſenſu
Pangimus hymnum.
Cuius eſt virtus manifeſta, totum
Quod pij poſſunt, quod habent, quod ore,
Corde vel factis cupiunt amoris
Igne flagrantes.

Digitized by Google

Qui tua ſanctum pietate GALLVM
Indicem lucis ſuperæ dediſti
Eius vt docti monitis tenebras
Mente fugemus.
Hic ad exemplum volucris canoræ
Actibus ſeſe prius excitauit,
Vt quod ingeſſit vigor inſtruentis
Vita probaret.
Qui potens verbo, venerandus actu,
Semper æternis inhians lucellis,
Plura virtutis meruit ſupernæ
Signa patrare.
Quæſumus Mundi ſator & Redemptor
Vt ſacris eius meritis tueri,
Hanc velis plebem, tribuens quod optat
Corde benigno.
Temporum pacem, fidei tenorem
Languidis curam. veniamque lapſis
Omnibus præſta pariter beatæ
Munera vitæ,
Ne quibus tanti dederas patroni
Prima prouiſor documenta clemens,
Illius ſacram patiaris vnquam
Deſore curam.
Huius obtentu licet actitari,
Iſte ne laudem tibi ſumme rerum
Rector acceptam, locus expedire
Ceſſet in æuum.
Hoc patris proles, pater hoc benigne.
Spiritus præſens, hoc vterq; compar,
Nunc & æterno facias perenni
Pariter ſeclo.

NOTKERI Medici doctoris (vt eum antiquiſſimus defunctorum liber appellat) excellentiſſimi Hymnus de S. OTHMARO vſitatus etiam.

REctor æterni metuende ſecli, 30.
Auctor & ſummæ bonitatis ipſe,

Quas tibi laudes ferimus canentes,
Accipe clemens.
Feſta quæ ſanctis colimus tropheis,
Nomen OTHMARI reſonant beati,
Cuius optandis meritis Creator
Illa dicaſti.
Qui patrum normas imitando ſacras,
Victor in duro validus duello,
Hoſtis atrocis rabiem ſubegit
Belliger audax.
Principum ſæuas doluit rapinas,
Inde raptorum ſtudiis grauatus,
Martyris palmâ meruit ſuperna
Scandere regna.
Eius ad ſanctum tumulum pateſcit
Quanta ſplendoris teneat perennis
Dona, cum ſemper capiant ibidem
Laſſa vigorem.
Caſſus auditu, vacuus loquela,
Captus & greſſu, capiunt ſalutis
Munus optatum, releuante ſancto
Languida quæq;.
Quæſumus nobis Dominator orbis,
Huius obtentu veniam miſertus
Confer indignis, tribuens manentis
Gaudia lucis.
Hoc Pater ſummus, patris atq; Natus,
Præſtet & clemens vtriusq; Flatus.
Trinitas ſimplex, & vbique Princeps
Omne per æuum.

S. NOTKERI cognomento BALBVLI ad LVITVVARDVM Abbatem Bobienſem, Archicapellanũ. Cæſaris prolectorem (vt ipſe loquitur) mitiſſimi GALLI, Concluſio dedicatoria Prioris partis ſacrarum ſequentiarum. Habentur in ipſo opere.

31. PArs LVITWARDE prior finitur calle ſub arto.

Com-

Commotam cane poſt terram, miſerumquè profundum,
Lætitiæq; melos, ſanctique decens habitâclum,
Atque oculos Regi meditare intendere cœli;
Hieruſalem donec merearis ſcandere celſam,
Qua deridebis quondam cedentia flagra.
Et cum Rege tuo gaudebis hic crucifixo,
Poſterior pratis renitet cum floribus amplis.

De Spiritu ſancto ANONYMI.

PNeumatis æterni Deus adſit gratia nobis 34. Ex vetuſtiſſimo codice.
Et tibi deuotos ſanctificet famulos.
Purgator idem ſordium,
Diſcretor & ornatuum
Cunctis in ſe fidentibus
Aſſit protector ſedulus.
Sanctorum cogitatuum
Suaſor & meditatuum
Vnguento tuo quæſumus,
Vnge nos ſancte Spiritus:
Spirando ſuaue ſenſibus
Infunde lumen cælitus
Poſſint vt merè ſplendidum
Contemplari principium.
Ex priſcis quondam vatibus
Diuerſis ænigmatibus
Clauſurum matris vterum
Promiſiſti Dei filium.
Electi gregis Principes,
Et bellatores milites,
Donaſti forti pectore
Neſcio pœnis cedere.
Intende votis ſupplicium
Tibi nunc ſpirantium,
Per quem deuoti gemitus
Parantur Dei auribus.
Dignatus idem hodie
Terreſtria inuiſere,
Formaſti mores hominum

Digitized by Google

Exemplar ad cœleſtium.
Splendor, virtus, laus tibi ſit,
Cum patre par & filio
Sacrato ſancte Spiritus
Per ſæculorum ſæcula. Amen.

Carminis de S. STEPHANO fragmentum. ANONYMI.

33. PRimus init STEPHANVS mercedem ſanguinis imbre
Afflictus lapidum, Chriſtum tamen ille cruentus
Inter ſaxa rogat, ne ſit lapidatio fraudi:
Hoſtibus ô primæ pietas miranda coronæ!
En vice nos Stephanum Dominum pulſando canamus.

Agite. Iam ſequitur cantus ſoluta oratione.

Fragmentum Carminis S. Tutelonis.

Rex pie, Rex Regum, regnans ô Chriſte per æuum
Qui mare, qui terras, cœli qui ſceptra gubernas,
Noxia depellens, culparum debita ſoluens,
Qui ſuper aſtra ſedes, patri Deitate cohæres,
Es quoq; ſermo patris ſummi, reparator & orbis,
Lux, via, vita, ſalus, ſpes, pax, ſapientia, virtus,
Hic tibi laus reſonet, chorus hic in laude reſultet.

De Epiphania.

34. TRibus ſignis DEO dignis
Dies iſta colitur,
Tria ſigna laude digna
Cœtus hic perſequitur,
Stella Magos duxit vagos
Ad præſepe Domini.
Congaudentes omnes gentes
Eius pſallant nomini,
Nouum mirum, aqua vinum
Factum eſt ad Nuptias,
Mundus credit, CHRISTVS dedit
Signorum primitias.
A IOANNE in Iordane

Metzlerus putat eſſe Hartmanni, nam in m. ſ. erant annexi verſibus Hartmanni.

CHRI-

CHRISTVS baptizatus eſt,
Vnde lotus Mundus totus
Et purificatus eſt;
Lector lege. A ſummo Rege
Tibi benedictio
Sit; in cœlis plebs fidelis
Pſallat cum tripudio. Amen.

Fragmentum de Natiuitate.
ANONYMI.

LAudemus omnes Dominum, 35.
Qui virginis per vterum
Paruus in Mundum venerat
Mundum regens quem fecerat.

Aliud de S. Agnete.

INclita virgo DEI ſancto coniuncta pudori 36.
Agnes accenſa ſtudet obuia lampade CHRISTO
Virginibus comitata piis, queis carmine laudes
Concinit iſte chorus recolens pia facta benignè.

Item Tropus alius de Reſurrectione Domini.

EXurge Rector Gentium, 37.
Nec moriturus amplius,
Orbemque totum poſſide
Tuo redemptum ſanguine.

Item Verſus alij vetuſtiſſimi de S. NOTKERO.

OPtans miſceri NOTKERVS in æthere plebi, 38.
Cuius dulciſonis nox nunquam ceſſat ab hymnis,
Gaudia dum licuit crucis hoc in carmine luſit
Quod Domino laudi, GALLOque ſtudebat honori.

Et.

PLurima falſidicis indulſit flens inimicis. 39.
Pluraque pandebat fore quæ ventura videbat.

De S. IOANNE EVANGELISTA.

AD laudem Regis gloriæ 40.

Digitized by Google

Vox intonet Eccleſiæ,
Propter IOANNIS merita
Hæc recitans præconia.
Proclamat ſaluberrimè
Spiritus ſancti carmine,
Quam fideles perpendite.
Vt percipiat gaudia
Eccli. 15. Conditoris perennia:
Et qui continens eſt &c.
Quia dulcis eſt gratia,
Suauis miſericordia,
Mirabilis in gloria.
Cibauit illum pane &c.
Dum ſupra pectus Domini
Recumberet altiſſimi.
Et aqua ſapientiæ &c.
Vt paradiſi fluminis
Totum orbem cœleſtibus
Irrigaret dogmatibus.
Et firmabitur &c.
Vt arce ſion poſitus
Præmineat virtutibus.
Et exalt. illum &c.
Cum æquo Mundi Iudice
Throno ſedentem gloriæ.
In medio Eccleſiæ &c.
In voce euangelica,
Ad diuina præconia.
Et impleuit illum Spiritu &c.
Vt more volans Aquilæ,
Solem ſpectet Iuſtitiæ.
Et ſtola gloriæ &c.
Inter ſanctorum agmina
Coronis rutilantia,
Et luce ſolis candida.
Iocund. & exult:
In Angelorum curia
Perfecta immortalia.
Et nomine æterno.

Quem

Digitized by Google

Quem dilexit præ omnibus
Vnicus Dei filius:
Dominus DEVS noſter.
O IOANNES Theologe,
O CHRISTE dilectiſſime.
Tuis lætos ſolemniis
Cœli coniunge gaudiis.

ANONYMI de Epiphania exponens lectionem Iſaiæ ſurge, illum.

PRæſentis Feſti gaudia, 42.
Æterna luce ſplendida,
Ita pandit Eccleſia,
Sub Ieruſalem ſpecie.
Quæ iacebat in tenebris
Per primi culpam hominis.
Surge &c. gloria Domini ſuper te orta eſt.
De virginali vtero,
Obumbrante paraclito,
Teſte vatum præconio.
Quia ecce tenebræ operient &c.
Iudæa enim perfida,
Peccatis obſcuriſſima,
Contempſit hæc præſentia,
Cœleſtis Regni lumina.
Super te autem orietur DEVS.
Cuius ortu tripudians
Angelorum ſymphonia
Sub noctis canticinio
Dulci deprompſit organo.
Et ambulabunt &c.
Stella ducente præuia
Ad pueri cunabula,
Vbi lactat puerpera,
Ipſum, qui regit ſæcula.
Leua &c. venerunt tibi.
Vt fidei per gratiam
Prouehantur ad gloriam,
Filij tui de longe &c.

Digitized by Google

Supremi, Regis gratia
Qui præconum inſtantia
Ex quadro Mundi latere
Intra ſinum Eccleſiæ
Multos in fide colligit.
Et cœli ciues efficit.

Tunc videbis &c. omnes de Saba venient.

Cum myrrha imputribili
Ad ſepulchrum Domini,
Cum Devs & rex gloriæ
Adoratur in homine.

Tropus de Natiuitate.

42. LAudemus omnes Dominum,
Qui virginis per vterum
Paruus in Mundum venerat
Mundum regens, quem fecerat.

Alius de S. IOANNE Euangeliſta.

43. DIlectus iſte Domini
IOANNES eſt Apoſtolus,
Scriptis cuius & monitis
Pollet decus Eccleſiæ.

Alius de Epiphania Domini.

44. FOrma ſpecioſiſſimus,
Manuq; potentiſſimus,
Ex Dauidis origine
Natus Maria Virgine

Huiusmodi, vt appellãt, tropos plures dictauit S. Tutelo, quos vbiq; ſequuntur grauiſſimæ antiphonæ: vtrum vero etiam hos fecerit, mihi incompertum, ſed valde credibile eſt.

NOTÆ.

QVia hos, vt appellant, tropos, Iodocus Metzlerus putat à S. Tutelone conſcriptos, volui, vt ſciatur quis Tutelo ſit, ſubiungere, quæ Metzlerus habet lib. de illuſtr. viris S. Galli. B. Tutelo (qui olim vulgo Sanct Gütli) magnorũ & nobilium parentum filius, Monachum in S. Gallo Profeſſus, pictor, poëta, orator, muſicus & egregius ἀναγλύπτης. in vtraque lingua potens, promptus natura, ſerio & ioco, feſtiuus, voce clarus, cælatura elegans. Pingebat aliquando in Metenſium

Digitized by Google

ſum vrbe imaginem D. Virginis, & ecce duo angeli ad ipſum in habitu peregrinorum accedentes eleemoſynam petunt, qua accepta ad quendam clericum ſeſe conuertunt, & aiunt illi: Domina illa, quæ illi radios ita ad manum dat, nunquid illius ſoror eſt? Stupens clericus (quia ibi conſiſtens nihil ſimile viderat) appropinquat, & quod antea latuit, etiam illi fit palam. Vnde ſe cohibere non valens, ait illi: Benedictus tu Domine pater, qui tali Magiſtra vteris ad opera? Qui cum ipſos quid dicerent neſcire aſſereret, vehementer in illos inuectus, ne cui tale quid dicerent, interminatus eſt. Statim peregrini tranſeuntes diſparuerunt. In craſtinum autem cum gloriam talem de ſe plures audiret dictitare, occulte ſeſe ſubtrahens, ceſſit è medio, neq; iam vltra in vrbe illa operari volebat. In planitie autem ipſa aurea cùm reliquiſſet circulum vacuum; neſcio cuius arte tales cælati ſunt apices:

Hoc panthema pia cælauerat ipſa Maria. Et imaginem quidem quaſi ſedentem cunctis adſpicientibus mirè venerandam tanquam viuam reliquit. In reditu autem ad monaſterium (dicebant patres) cùm ſignum ad Miſſam daretur, in villa quadam per inuocationem S. Galli dæmonium eum eieciſſe ex quodam in templo illo tunc debacchante. Erat in publico lætus, in angulis lachrimoſus, in choro ſtrenuus, honoris Dei Zelator mirus. Et cum egregiè doctus eſſet, edidit non pauca ingenij & deuotionis ſuæ monumenta, ex quibus ſunt multi tropi & melodiæ, quarum etiam in S. Miſſa vſus eſt. Cuius vniuerſa dictata ſingularis & agnoſcibilis melodiæ ſunt, quia per pſalterium ſeu per Rotam (textus habet Rottham) qua potentior ipſe erat, neumata inuenta dulciora ſunt, vt apparet in: Hodie cantandus eſt. Et: Omnium virtutum gemmis. Quos quidem tropos Carolo Regi ad offerendum, quum ipſe Rex fecerat, obtulit canendos. Qui rex etiam: Viri Galilæi, cum dictaſſet, Tuteloni verſus addere iniunxit, vt aiunt: Quoniam Dominus Ieſus cùm eſſet. Omnipotens genitor, fons, & origo, cum ſequentibus. &c. hos enim ſolos libuit adferre, vt ſi muſicus ſis, quam diſpar eius melodia ſit, videas. Mortuus eſt opinione omnium ſanctus, & ſepultus in Monaſterio in ſacello S. Catharinæ (quod ſicut & cœmiterium illi contiguum S. Tutelonis vocatur) ad dextrum altaris cornu, hoc epitaphio.

Virginis almificæ pictor egregius Tutelo
Excellens meritis & pietate potens.
Nemo triſtis abit, qui te colit & veneratur,
Fers cunctis placidam quippe ſalutis opem.

Floruit tempore S. Notkeri ſub Bernardo Abbate circa an. 883. De eo Eckehardus in libris caſuum & Benedictionum, & codex ante 800. annos ſcriptus. Bruſchius &c. Hæc Metzlerus. qui diligentiſſime ex antiquis monumentis collegit.

Digitized by Google

Verſus in Natiuitate Domini, canendi in proceſſionibus.

45. *Habentur, ſicut & tres ſequẽtes hymni in vetuſtiſſimo m.ſ. ebore, argento, gemmis, auro olim veſtito.*

Salue mirificum ſemper Devs in patre verbum,
Mirifico partu iam caro carne ſatum.
Veniſti Mundo noua gaudia condere mœſto,
Et tibi deuotis pandere te famulis.
Perſultent noſtræ tibi Virgo Maria camœnæ,
Quæ rutilas tantis congrua myſteriis.
Sed quæ condignas tibi lingua rependere laudes
Præualet, extollens nomen ad aſtra tuum?
Quem non immenſi capiat teres orbita Mundi
In tua ſe clauſit viſcera factus homo.
Cœlum curuauit, ſola fecit, & æquora fudit,
Principij princeps, omne quod eſt faciens.
Excreſcens lapis, abſq; manu de monte reuulſus,
Mole ſui Mundum obtinuit ſtupidum;
Semper cum Patre cui virtus & gloria, ſorsq;,
Æquiparet regnum, ſplendor, honor, ſolium.

In Epiphania.

46. Salue mirificum ſemper Devs in patre verbum,
Mirifico partu iam caro carne ſatum.
Hoc fœcundata, & cœleſti ex rore rigata
Florueras Virgo tu benedicta Deo,
Natum lactaſti, gremioq; fouendo locaſti,
Qui tuus eſt Auctor, filius & Dominus.
Ingratus noxæ timor omnis abeſto veternæ,
Iam nouitas regnat, totus & orbis ouat.
En Ieſſe Virgam decorat, benè floſculus illam,
Vatis vt èxorſa præcinuère ſacra.
Ad S. Othm. Excreſcens lapis, abſque manu de monte reuulſus
Mole ſui mundum obtinuit ſtupidum.
Ad crucem. En nunc impleuit quod ea per enigmata clauſit,
Pandit & obſcura gratia luce noua.
Teſtatur fidis gregis angelus ipſe magiſtris,
Eius in exortu luce micans rutilus.
Ad crucem. Hoc feſtum tanti canit hæc pia vota diei,
Stella recens clamat, aucta dies iubilat.
In choro. Semper cum patre cui virtus &c. vt ſuprâ.

In

In feſtiuitate S. Othmari,

Verſus ad proceſſionem.

FEſtum ſacratum pſallimus, 47.
CHRISTO canentes laudibus,
Qui dat coronam teſtibus,
Nobis det indulgentiam
OTHMARVS Abbas vocibus
Orandus eſt concordibus,
Quem factor ipſe cœlitus
Donauit hic virtutibus.
Hunc eſſe patrem patriæ
Lætetur omnis Sueuia,
His natus, hos nunc confouet,
Placando CHRISTVM plebibus.
Hic dona ſancti SPIRITVS,
Accepit annis paruulus,
Ipſum datorem munerum
Spargens in oras exteras.
Omnes gradus hic preſbyter *Ad S. Othma.*
Orant beatis moribus,
Patri preces cœleſtium
Votis litando munerum.
Communis hic vitæ ſator
Seu magnus extat conditor,
Prælatus Abbas incolis
Huius loci prænobilis.
Fit pauper hic pro paupere,
Cunctos egentes confouens,
Dum quod dat eis paruulis,
CHRISTVM reſpectat, fratribus.
Nunc gaudet in regno DEI
Functus corona præmij,
Quam Chriſtus illi reddidit,
Pro quo labores ſuſtulit.
GALLO patri laudabili
OTHMARVS Abbas iungitur,
Iſtum locum qui iugiter
Tuentur, & nos ſupplices.

Virtute ſemet viuere
Demonſtrat hic credentibus,
Certum fide quod quærimus.
Præbet pater ſanctiſſimus.
Effunde voces plebs Dei,
Commiſſa defle noxia,
Aſtat rogator gratiæ,
Reddens æquum quod ſuſcipit,
Abſolue clementiſſime
Nexu ligatos criminis,
Delens malum quod reſpuis,
Addens bonum quod reſpicis.
In choro. Laus ſempiterno ſit patri
Nec non perenni filio,
Sanctoque ſit ſpiramini,
Per ſæculorum ſæcula.

In ſuſceptione Principis.

48. SAlue feſta dies, laudabilis, atque beata,
Qua Devs in ſeruum vidit ab arce ſuum.
Ecce redit princeps laudandus carmine noſtro,
Gaudia ſint, populo quod redit ille ſuo.
Viue diu Princeps, poſt plurima prælia victor,
Vndique deficiunt, qui tua damna petunt.
Virtutum meritis tua vita refulget honeſta,
Hinc te laude frui fecit in orbe Devs.
Infula ſincerum nunc ornet ſplendida vultum,
Omnipotens tibi laus detur ab inde Devs.
Inuidia magna correptus præſul iniquus
Inuidet, atque gemit quod Devs iſta facit.
Nequiter intendens te vincere vincitur ille,
Concidit in foueam cuius & auctor erat.
Defenſus meritis, in honore manens bone Princeps,
Digne ſuſciperis; pſallimus inde tibi:
Nos tuus aduentus condigne pſallere cogit,
Sit tibi pax requies, ſit benedicta dies.

D.P.N.

Digitized by Google

D. P. N. NOTKERI BALBVLI hymnus de omnibus ſanctis cantari ſolitus.

OMnes ſuperni ordines,
Quibus dicatur hic dies,
Mille milleni millies,
Veſtros audite ſupplices.
Primum virtutes igneæ
Mox repletę ſcientiæ
Exin iuuate nos prece
Seſſiones Dominicæ.
Dum nos cœleſtes Domini,
Et principes prævalidi,
Potentiaque præditi
Eſtote nobis placidi.
Hinc ditati virtutibus,
Vosque tremendi nutibus
Et fulguroſi vultibus,
Chriſti fauete plebibus.
Omnes quos Dei gratia
Ab hac exemit patria,
Bona donate cœleſtia,
Noſtra laxate crimina.
Tu pater aſſis Abraham,
Claram regens proſapiam,
Cum ipſis neceſſariam
Nobis precando veniam.
Tandem Dauid hymnidicis
Hinc inde ſtipatus choris,
Pulcher coronis regiis,
Cunctis ſuccurre miſeris.
Sacer adeſto flagitans
Cœtus futura prædicans,
Nobis Chriſtum concilians,
In cœlo iam tripudians.
Omnes, dum carnem induit,
Quos CHRISTVS præſens docuit,
Quosque abſentes imbuit,

Digitized by Google

Erigite, qui corruit.
Noſtros ſupreme clauiger,
Et nouæ pacis legifer,
Omniſque CHRISTI crucifer,
Actus mundate pariter.
Nunc omne ſacerdotium
Primus ordo Pontificum
Clerum ducendo ſubditum,
Fletum tergite ſupplicum.
Nunc poſce nobis Genitrix
Omniſque carnis domitrix,
Vt ceſſet culpa perditrix.
Et plebs ſoluatur debitrix.
Iſtud concede Trinitas,
Et indiuiſa vnitas,
Domus regens pacificas
Ætates per interminas. Amen.

50. Sequentis Lamentationis proſam fecit S. NOTKERVS, cum in Martins dobel, pons in loco præcipiti & periculoſiſſimo ædificaretur. Quis autem verſus adiecerit, neſcio. Deſcripſi ex vetuſtiſſimo codice. Vbi cum modernis etiam notis eſt.

Media vita in morte ſumus, quem quærimus adiutorem, niſi te Domine, qui pro peccatis noſtris iuſtè iraſceris.

Ach.

HOmo perpende fragilis,
Mortalis, & inſtabilis,
Quod vitare non poteris,
Mortem quocunque ieris.
Aufert te ſæpiſſime.
Dum viuis libentiſſime.

Sancte Deus.

Væ.

CAlamitas inediæ
Vermis fremit inuidiæ,
Dum audit flentem animam
Mortalis eſſem vtinam,
Nec Chriſti fortis gladius,
Tranſiret, & non alius,

Sancte fortis.

Heu.

NIl valet nobilitas,
Neque ſedis ſublimitas.
Nil generis potentia,
Nil rerum affluentia,
Plus pura conſcientia
Valet mundi ſcientiâ.
Sancte & miſericors ſaluator amaræ morti ne tradas nos.

Eiusdem S. NOTKERI ad Ruodbertum Epiſcopum Met: hymni 4. de vita & miraculis protomartyris STEPHANI.

Hymnus primus de paſſione S. STEPHANI.

PRimus ex ſeptem niueis columnis,
A Petro electus STEPHANVS beato,
Voce, vel ſignis medicans miſellis,
Claret in orbe.
Qui breui verbo replicans priora
Perſequutores docuit piorum,
Eſſe Iudæos, probitate caſſos,
Felleque plenos.
Nec nouum quid, quod Dominum furore
Impio, ad pœnam crucis impulerunt,
Cum Prophetas, vel Patriarchas ante
Sæpè necarent.
Hiſce prædictis, licet angelorum
Ille fulgeret facie decorus,
Ceu prophanum mœnibus vrbis altæ
Eiiciebant.
Saulis & curæ induuia calentes,
Ne piger forſan furor impeditus
Tardius ſanctum lacerare poſſet,
Depoſuerunt.

Ipſe Notkerus in vita. S. Galli refert hoſce verſus ad Ruopertum Epiſcopum Metenſem ſcripſiſſe.

Tum volant crebri lapides per auras,
Inſtar ingentis pluuiæ, vel imbris,
Vineæ tandem ſterili negandi
Atque nociuæ.
Sed tamen ſanctus pietate plenus,
Perſequutori veniam precatur,
Atque pro crudis lapidum pruinis
Pronus adorat.
Huic ad exemplum DEVS ipſe magnum,
Præſtitit ſeſe conſpiciendum omni
Sæculo, quod protuerit caput ceu
Martyriorum.
Nam quis audebit dubitare, ſeſe
Quod Deus ſeruet pius in futurum?
Quando in præſenti STEPHANO videndum
Præbuit ipſe.
Vt fides iam conſpicuè vireret,
Viſibus noſtris propiante cœlo,
Vel patri ſummi renitente Nato
Æthere aperto.
Spiritu vel ſe manifeſtè in ipſo
Eſſe prodente STEPHANO benigno,
Talibus ſignis, pia trinitatis
Queis bona fulgent.

Hymnus ſecundus de Reuelatione corporis S. STEPHANI.

52 CVm S STEPHANVS necis petrinæ
Multatus miſera iacere ſorte
Compertus fuerit Gamaliheli,
Compaſſus bonus ille non nocenti
Poſcit Chriſticolas, pia rapina,
Corpus tollere dentibus leonum:
Vectum nauicula quod ipſe ſumit,
Conditumque ſuo locat ſepulchro,
Et planctu nimio ſequente curat.
Ac poſt mortuus, applicatur illi:

Digitized by Google

Et poſt tempora valde multa, ſeſe
Pandit presbytero, docetque clauſa:
Ioanni ſtudet ille nunciare
Sancto Pontifici ſimulque ſumptum
Theſaurum STEPHANI, SALEM ferebant:
Et tunc arida vel ſiti peruſta,
Accepit pluuias diu negatas
Tellus, germinibus ſoli creandis.
Hoc teſtem decuit honore tolli,
Imbrem qui lapidum ferebat vltro;
Orans impia ne manus periret.

Hymnus tertius de miraculis ipſius in Africa oſtenſis.

VT reuelatus STEPHANVS micabat, 53.
Oſſa ſunt eius celeri meatu
Africanorum ſteriles per agros
Sparſa ferendo,
Flore de quorum mulier medelam,
Dante præiecto, meruit, patrono,
Quos tenebratis oculis propinquans
Vidit apertos.
Meſſe de quorum medicina dulcis
Deuehenti Pontifici fidelis
Venit, vt nec fiſtula parua morbo
Iam ſupereſſet.
Calculi morbus nimius, vetusque,
Quo laborans Eucherius periret,
Temperamento Stephani ſalubri
Eſt ſuperatus.
Mortis & ſæuum Stephanus periclum,
Veſte ſignata ac citius remiſſa,
Sic repreſſit, presbyter vt ſalutis
Munera ferret.
Martialis tu, Stephani gemella
Soſpitans cura, Dominum potentem

Mortis

Digitized by Google

Mortis & vitæ celebrare CHRISTVM
Sæpe ſolebas.
Stephanus quondam podagram remouit
Cœlitus latis precibus benignis
Vel reuelato medicantis vſu
Blandus Iatri.
Cum puer, ſueto pueris iocandi
More, inter boues tereret terendus;
Stephano, extinctus, medicante ......
Eſt reuocatus.
NONNA deſperans reditum de arta
Fauce mortis, mox tunicam beato
Stephano miſit. moritur, reducta
Qua reuiuiſcit.
BASSVS & NATAM ſimili medela
Mortuam, vitæ reuocauit, horis
Stephanum multis lachrymis miſertum
Mollificando.
Filius paruus, patris omne charum,
Spiritus iam iam vacuus calore,
Stephani tactus oleo reuixit
Morte remota.
Hæc ELEVSINVS Stephanum patrare
Audiens, natum exanimem ferebat,
Martyrum Chriſti manibus medendum.
Eſtque ita factum.
Æmulans PETRONIA quem miſella
Stephanum pernix medicum requirit,
Faſcino ſpreto, celerique gaudet
Munere ſancti,
Paulus autem, Palladia ſorore,
Se per orbem comitante latum
Stephani nutu caruit tremore,
Ac ſoror ipſa.
Hæc mihi Doctor retulit peritus, Auguſtinum,
Nomen Auguſti meritò retentans,
Quæ tibi præſul venerande Ruodbrecht
Pango tenenda.

Hym-

Hymnus quartus de miraculis eiusdem in Ciſmarinis partibus.

ORdinis ſacri Stephanus honore
Partibus pollens Asiæ calentis,
Finibus tandem occiduis roſarum
Sparſit odores.

Quos volens plantare beatus ille
Verna Martini, vigilans in omni,
De ſera accepit ſine claue, clauſit
Et ſine claue.

Qui precabatur veniam imperitis,
Ipſe proteruum Stephanvs repreſſit,
Innocentes eripiens, reumque
Fune retentans.

In mari nauis propior periclis,
Per manum ſancti Stephani retracta,
Aut canes Scyllæ, aut rabiem Charybdis
Salua refugit.

Eſt Domus Mettis Stephani cruore
Sacra, quæ tantum ſupereſſe diris
Poſſet Hunnorum gladiis, rogiſque
Sanguine tuta.

Quæ Ducis Natam, medicante Gallo
Liberatam dæmonio furentem,
Regis abſtraxit thalamis, amore
Integritatis.

Fontis Hiſpani Stephano patrante,
Munus æternum memorare dignum
Qui lauandis profluit, atq; lotis
Conditur alte:

Sed cum hoc Baptiſterium, caballis
Improbus quidam ſtabulum pararet,
Febre correptus, Dominum præibat
Ad phegethonta.

Hoc loco, cultrum ſocio retraxit
Impudens quidam, vacua ſed vrna

Mente

Mente præcepta, Stephano iubente
Reddidit ipſum.
Æger & * balbus, vitiisque plenus,
Ore polluto Stephani triumphos
NOTKER indignus cecini, volente
Præſule ſancto,
Flore RVODBERTVS iuuenale qui nunc
Cor ſenum geſtans, ſenium beatus,
Ac piis plenus meritis, videre
Promereatur.
Pacis optata potiens quiete,
Hoſtis & diros ſuperans mucrones,
Quem furens miſit Boreas, fugandum
Vel perimendum.
Vt Trinitatis benedicta virtus
Ædibus cunctis, domibusque cunctis
Per preces magni STEPHANI, canatur
Tempore longo. Amen.

Hinc patet cur dictus ſit Notkerus Balbulus.

55\. *Hæc in m. ſ. annotata erant.*

Si mihi non vultis, oculis vel credite veſtris.
Vos ſaltem binas piſcis mihi mittite ſpinas.

HOs *duos verſus* NOTKERVS BALBVLVS *fratribus Augienſibus miſit cum fungo, quem Morach vocant, in angulo apud* S. GALLVM *Fratrum Pyralis in hyeme naſci aliquot annis ſolito loco ſuo. Nam cum ipſi aſſererent, in Alaſpach, piſcem quem Alandt vocant* XII. *palmorum apprehenſum, loco nomen dediſſe; ipſe incredibilia narrantibus, etiam de* S. GALLI *loco ſe mira eſſe dicturum reſpondit. & ſupra dicti nominis Fungum in Ianuario ibi natum ſe vidiſſe ſubiunxit. idque ipſum illico quaſi falſo loquutum pari voce dicentes, deriſui habebant. ſed ipſe, vt dixi, ſequenti anno itidem ibi Fungo nato, dicta factis compenſauit, Fungum mittens, & ſcribens hoc diſtichon. Cauſa tamen erat Fungi in angulo illo pyralis naſci ſoliti, quod aquæ ductus eundem angulum præterfluens rigauit; & calor pyralis non nimius, ſed caumate aquæ mixtus illum attigit, & fotu tali parere pratoquam terram fecit; & fungos quidem primitus, mox etiam & gramina quædam virentia, ſtiriis & glacie foris ſub diuo rigentibus, vapor idem produxit.*

Di

De S. Columba ad FETOLIVM.

ACcipe quæſo,
Nunc tripedali
Condita verſu
Carminulorum
Munera parua.
Tuque frequentes
Mutua nobis
Obſequiorum
Debita redde,
Nam velut æſtu
Flantibus auſtris
Arida gaudent
Imbribus arua;
Sic tua noſtras
Miſſa frequenter
Lætificabat
Pagina mentes.
Non ego poſco
Nunc periture
Munera gazæ;
Non quod auarus,
Semper egendo,
Congregat aurum,
Quod ſapientum
Lumina cæcat,
Et velut ignis
Flamma perurit
Improba corda.
Sæpe nefanda,
Crimina multis
Suggerit auri
Dira cupido:
Ex quibus iſta
Nunc tibi pauca
Tempore priſco
Geſta retexam.
Extitit ingens
Cauſa malorum,
Aurea pellis;
Corruit auri
Munere paruo
Cœna Deorum,
Ac tribus illis
Maxima lis eſt
Orta Deabus.
Hinc populauit
Troiugenarum
Ditia Regna
Dorica pubes,
Iuraque legum,
Faſque nefaſque
Rumpitur auro.
Impia quippe
Pigmalionis
Regis ob aurum
Geſta leguntur.
Sic Polydorum
Hoſpes auarus
Incitus auro
Fraude necauit.
Fœmina ſæpe
Perdit ob aurum
Caſta pudorem.
Non Iouis aurum
Fluxit in Imbre:
Sed quod adulter,
Obtulit aurum,
Aureus ille
Fingitur Imber.
Amphiaraum
Prodidit auro,
Perfida coniunx.
Hectoris heros
Vendidit auro

S. Columbanus fuit magiſter S. Galli & Norkerus vocat S. Columbanũ protectorem cellulæ S. Galli. Erat hic in m. ſ. carmen quoq; S. Columbani de auaritia; quod edidi tomo 1. antiquæ lect. in appendice: hoc titulo: Ad Hunaldũ. Sed m. ſ. codex hic vocat Sethum, & primus verſus ita legitur: Suſcipe Setho libens, & perlege mente ſerena Dicta Columbani.

Cor-

Corpus Achilles
Hoc reſerari
Munere certò
Nigra feruntur
Limina Ditis.
Nunc tibi poſſem
Plura referre,
Ni breuitatis
Cauſa vetaret.
Hæc tibi frater
Inclite, parua
Litterularum
Munera mittens
Suggero vanas
Linquere curas.
Deſine quæſo
Nunc animoſos
Paſcere pingui
Farre caballos;
Lucraq; lucris
Accumulando:
Deſine nummis
Addere nummos.
Vt quid iniquis
Conſociaris,
Munera quorum
Crebra receptus,
Odit iniqui
Munera Chriſtus:
Hæc ſapienti
Deſpicienda,
Qui fugitiuæ
Atque caducæ
Cernere debet
Tempora vitæ.
Sufficit autem
Iſta loquaci
Nunc ceciniſſe
Carmina verſu.
Nam noua forſan
Eſſe videtur
Iſta legenti
Formula verſus;
Sed tamen illa
Troiugenarum
Inclita vates
Nomine Sappho
Verſibus iſtis
Dulce ſolebat
Edere carmen.

Si tibi cura
Forte volenti
Carmina tali
Condere verſu,
Semper vt vnus
Ordine certo
Dactylus iſtis
Incipiat pes:
Inde ſequenti
Parte trochæus
Proximus illi
Ritè locetur.
Sæpè duabus
Claudere longis
Vltima verſus
Iure licebit.

Tu modo frater
Alme FEDOLI,
Nectare nobis
Dulcior omni,
Floridiora
Doctiloquorum
Carmina linquens,
Friuola noſtra
Suſcipe lætus.

Sic

Sic tibi CHRISTVS Gaudia reddat;
Arbiter orbis, Qui ſine fine,
Omnipotentis Numine Patris
Vnica proles, Cuncta gubernans
Dulcia vitæ Regnat in æuum.
Hæc tibi dictaram morbis oppreſſus acerbis
Corpore quos fragili patior, triſtiq; ſenecta:
Nam dum præcipiti labuntur tempora curſu,
Nunc ad Olympiadis ter ſenos venimus annos.
Omnia prætereunt, fugit irreparabile tempus.
Viue, vale, lætus, triſtiſq; memento ſenectæ.

Fragmentum Carminis S. NOTKERI de Pſalmodia. 57.

SI quod voce ſonat, fido mens pectore promat,
Nec clamor Domini tantum ſublimis ad aures,
Quantum vox humilis, placido de corde propinquat.

Memoriale Reuerendiſſimi D. BERNARDI Abbatis ſecundi, quod dedit cuidam fratri Monacho, cùm eum ad Academiam litterarum cauſa mitteret. 58.

1. Studium pietatis ſit tibi inprimis commendatum.
2. Cognitionem Domini Creatoris, Redemptoris ac Seruatoris tui feruentiſſimo animi deſiderio appetas; adque eam peruenire, quãtum fieri poteſt, contendas.
3. Te ipſum, atq; defectus tuos & malas conſuetudines, diligenter inſpicias, & cognoſcas, emendareq; omni conatu ſtudeas.
4. Habitum virtutis fac acquiras.
5. Difficultates occurrentes viriliter vincas.
6. In bonas litteras ſedulò incumbas.
7. A nimio vino, tanquam à veneno, abſtineas.
8. Vocationem ac profeſſionem tuã ſæpius in animũ tuum reuoces.
9. Verum amorem monaſticæ diſciplinæ imbibas, ſtatumq; tuum fac optimè cognoſcas.
10. Omni obedientia Patribus ac Magiſtris tibi præpoſitis te ſubiicias.
11. Inobedientium, ac irreligioſorum conſuetudinem deuites.
12. Tempus benè colloces, ac cum fœnore redeas.

Ora pro me.

F. Bernardus Abbas S. Galli.

Extat in bibliotheca S. Galli Tabula quædam ſeu (vt vocant) mappa ſanè per quam vetuſta & ampla ex pergameno ad GOZPERTVM *Abbatē, in qua etiam totum monaſterium ſecundū omnes etiam abiectiſſimas officinas deſcriptū eſt (vt quidē ego colligo ex eo, quod ibi appellat author* GOZBERTVM *filium) ab Epiſcopo aliquo, qui fuerit vel Monachus, vel ſtudioſus, vel certè aliàs demum Monachis & Monaſterio familiaris. Eam tabulā index quidam centenarius nominat* S. MARTINI *Monaſterii, ex eo, vt arbitror quod aliquid in tergo ipſius eſt de vita S. Martini, ſed vt ex titulis & ſitu manifeſtum eſt, non eſt, niſi* S. GALLI *Monaſterii, prout fuit* GOZBERTI *temporibus Monaſterium. Epigraphen inſigniorum manſionum ſic author carminicè dicit.*

Oratorium S. Petri.

Hic PETRVS Eccleſiæ paſtor ſortitur honorem.

59. Diſticha 7. columnarū, quæ ſunt in externa parte ſummi Templi, quod habet in longum pedes CC. in latum autem XL. quo ad interiorem ſui partem.

Latitudo vtriuſque porticus.

Biſſenos metire pedes interq; columnas;
Ordine quas iſto conſtituiſſe decet.

Baptiſterium.

Ecce renaſcentes ſuſceptat Chriſtus alumnos.

Altare S. Saluatoris. Ad Crucem.

Crux, via, vita, ſalus, miſeriq; redemptio mundi.

Analogium Euangelii.

Hic Euangelicæ recitatur lectio pacis.

Super Cryptam S. Columbani, Altare SS. Mariæ & Galli, in quo eſt ſarcophagus S. Galli.

Sancta ſuper Cryptam ſanctorum ſtructa nitebunt.

A tergo Altaris.

Hic Pauli dignos magni celebramus honores.

Extra Templum ad Orientem.

Hic ſed domatibus paradſi plana parantur.

Ad Occidentem.

Hic paradiſi acum ſed tecto ſternito campum.

In eodem Campo diſticha 7. Columnarum.

Has interq; pedes denos moderare columnas.

Digitized by Google

Murus.

Hic muro tectum impoſitum patet, atque columnis.

Porta in muro.

Adueniens aditum populus hic cunctus habebit.

Via ad portam.

Omnibus ad ſacrum turbis patet hæc via templum,
Quò ſua vota ferant. vnde hilares redeant.

Ad Auſtralem viæ plagam,

Ouile.

Hic caulas ouium cautè diſpone tuarum.

Cubile famulorum.

Hic requiem inueniat famulātum turba viciſſim.

Stabulum caprarum.

Iſta domus cunctas nutrit, ſeruatq; capellas.

Stabulum ſuum.

Iſte ſues locus enutrit, cuſtodit adultas.

Stabulum armentorum.

Hic armenta tibi lac, fœtus atque miniſtrant.

Domus Equaritiæ.

Hic fœtas ſeruabis equas, teneroſque caballos.
Hæc omnia cis viam verſus Orientem magis.

Ibidem porta famulorum ad Templum.

Tota Monaſterio famulantum hic turba ſubintrat.

Stabulum boum & equorum.

Iſta bubus conſeruandis domus atque caballis.

Hoſpitium peregrinorum & pauperum.

Hic peregrinorum lætatur turba recepta.

Alibi.

Hic habeat fratrum ſemper ſua vota miniſter.

Porticus ante Eccleſiam.

Hic pia conſilium pertractet turba ſalubre.
Porticus ante domum ſtet hæc fornace calentem.
Hæc domui adſiſtit cunctis qua porgitur eſca.
Huic porticui potus quoque cella cohæret.

Innuit Dormitorium ſubtus habens calefactoria eiuſdem domus.

Officina variorum artificum ad meridiem.

Hæc ſub ſe teneat fratrum qui tegmina curat.

Ibidem Horreum.

Frugibus hic inſtat cunctis labor excutiendis.

Item adhuc ad Orientem magis.

Cœmiterium fratrum, cuius in meditullio crux.

Inter ligna ſoli hæc ſemper ſanctiſſima crux eſt,
In qua perpetuæ poma ſalutis olent.
Hanc circum lateant defuncta cadauera fratrum,
Qua radiante iterum Regna Poli accipiant.

Paulò exterius, Hortus.

Hîc plantata olerum pulchrè naſcentia vernant.

Gallinarium.

Pullorum hîc cura, & perpes nutritio conſtat.

Anſerum locus.

Anſeribus locus hîc pariter manet aptus alendis.

Ad Orientem templi. Domus Nouitiorum.

Hoc clauſtro oblati pulſantibus adſociantur.

Ibidem verſus Meridiem. infirmarium.

Fratribus infirmis pariter locus iſte paratur.

Eſt etiam aliud infirmarium pro valdè ægrotis, a libi, ad læuam Templi ſeu Aquilonem.

Sæpius in gyrum ductis ſic cingitur aula.

Ibi eſt Bibliotheca. Manſio Abbatis &c.

Schola cum horto ſuo.

Hæc quoque ſepta premunt diſcentis vota iuuentæ.

Ibidem ſed magis ad Templum, eſt ſuſceptio fratrum ſuperuenientium,

Magis ad occidentem eſt hoſpitium aliud.

Hæc domus hoſpitibus parta eſt quoque ſuſcipiendis.

Ibidem ad ipſum Templum eſt ingreſſus hoſpitum & iuuentutis.

Exiet hîc hoſpes, vel Templi tecta ſubibit,
Diſcentis ſcholæ pulchra iuuenta ſimul.

GRIMALDO *Abbati, inquit Iodocus* Metzlerus, *primum extructa Abbatia eſt, quæ iam dicitur* die Pfaltz. *Eam ſcribit* ECKERHARDVS *& alii elegantiſsimis tunc fuiſſe picturis ornatam, quas quidem picturas fecerunt diuitis Augiæ Monachi fratres noſtri, & à noſtris* S. GALLI *patribus hi, qui ſequuntur verſus dictati, & infra picturas illas ſcripti ſunt. Qui dum iā* cum

cum ipſa pictura inciperent ob antiquitatem ſuam aboleri à PP. noſtris NO-TKERO *Phyſico, & aliis deſcripti, ſuiſq; ipſorum libris commendati ſunt.* Hæc Metzlerus.

In pariete.

Splendida marmoreis ornata eſt aula columnis: 60.
En GRIMVVALDVS ouans alto fundamine ſtruxit,
Ornauit, coluit, HLVDOVICI principis almi
Temporibus, multis lætus feliciter annis.

In alio pariete.

Aula palatinis perfecta eſt iſta Magiſtris,
Inſula pictores tranſmiſerat AVGIA claros.

Templum S. OTHMARI *pingi fecit* HARTMOTVS *Abbas, atq; in pariete vno pingebatur Sapientia, cum hoc Patrum elogio.*

O Generoſa parens, cunctis gratiſſima doctis. 61.
O decus Imperii, Rectrix digniſſima Mundi,
Soleq; ſplendidior, fuluo pretioſior auro,
Quam præclara nites toto Sapientia Mundo.
Aſpice quam pulchro decorata eſt ordine mater
Natarum, clarè diues Sapientia fulgens.

In pariete altero ſeptem Sapientes.

Continet hic paries veterum monumenta ſophorum,
Claro qui totum docuerunt tramite Mundum.

In alia parte turba Beatorum DEO *aſſiſtentium.*

Agmina Sanctorum laudantia voce ſerena
Ante thronum Domini ſiſtunt per ſecula cuncta.

In pariete ſuper oſtium.

Hic Deus eſt præſens puro poſcentibus ore,
Dans miſeris veniam, contritis corde medelam.

STRABI *Galli Monachi Fuld. Diſcipuli Rabani dedicatoria Hortuli ſui, ad Grimaldum Abbatem.*

HÆc tibi ſeruitii munuſcula vilia parui 62.
STRABO tuus, GRIMALDE pater doctiſſime ſeruus,
Pectore deuoto, nullius ponderis offert.

Vt cum conſeptu viridis conſederis horti,
Subter opacatas frondenti germine malos,
Perſicus imparibus crines vbi diuidit vmbris,
Dum tibi cana legunt tenera lanugine mala
Ludentes pueri, ſchola lætabunda tuorum,
Atq; volis ingentia mala capacibus indunt,
Grandia conantes includere corpora palmis,
Quo moneare habeas noſtri pater alme laboris,
Dum relegis, quæ dedo volens, interq; legẽdũ,
Vt vitioſa ſeces depoſco, placentia firmes.
Te Devs æterna faciat virtute virentem
Immarceſſibilis palmam contingere vitæ,
Hoc pater, hoc natus, hoc Spiritus añuat almus.

Ymmoni fratri, poſtea Abbati Eckirardvs *de lege dictamen ornandi.*

DIctamen verbis aſſueſce polire ſuperbis,
Quæ ſibi cognata, pare fonteq; ſint generata.
Pro binis geminos, pro pulchris pone ſerenos,
Pro pulchris lætos: pro lætis corde quietos.
Pro Iuſto, gemmam: pro Nobile, ſit tibi ſtemã.
Da viti gemmas, Botros tibi dicito Mammas.
Fluctus da ſegeti: portum ſimulato quieti.
Remigio alarum volucris ſecat aëra ſuarum.
Qui pulcher viſus locus, effice ſit paradiſus.
Delitiis plenus locus appelletur amœnus.
Sic etiam prata, ſyluæ, pomeria, ſtrata,
Hortus & hic riuo propior, fonti quoq; viuo.
Verbaq; cognata ſociabis & ante locata.
Thevtonicos mores caueas, noua nullaq; ponas.
Donati puras ſemper memorare figuras,
Rem pulchrã viſam non ſemper dic ſpecioſam.
Sit ſale conditum, quicquid dicendo cupitum.
Florida vernabunt; fabri & arte polita micabũt.
Pulchra quidem mulier formoſa ſit, & ſpecioſa.
Aurum ſit purum, ſit mundũ, ſit rubicundum.
His quoq; Germana tamen haud poterũt fore vana,
Quærenti verba florum ſplendore ſuperba,

Site-

Digitized by Google

Si teneant puram, non degeneremq; figuram.
Sit cibus & potus noſter ſaturatio totus,
Simplex eſt prorſus, ſed currit commodè verſus.
Sit fomes vitæ cibus hic, nectarq; cupitæ,
Iſte figuratus facundior & mage gratus.
Simplicitas pura: generoſior ergo figura.
Neutra ſpernenda propriiſq; locis retinenda.
Arte loqui imbutos imitare ſapore loquutos.
Ore diſertorum rape tu quodcunq; decorum.

Item aliâs eidem aliqua.

CVr geminũ fratris, valeas, flos ſplendide matris? 64.
Tecum in floretis liceat mihi ludere lætis,
Quæ cruce recluſus vernans fundit paradiſus,
Sydera per meritum cor, Elyſioq; petitum.
Te ſpes, atq; fides ſolident, quæ maior & his eſt.
Sic tibi per trinum ſit pax, ſit vita per vnum,
Cum quo ridebis, ſpecie ſed quando videbis
Ipſum perfectè, trahe me tecum prece macte;
Quem nimis optamus, facie ſimul vt videamus.

In Nolam Capituli verſus antiqui.

PRæceptor fratres hoc ſigno conuocat omnes, 65.
Exemplo Domini cum lauat vnda pedes.
Nec non conſilium conſtat ſi forte gerendum,
Hoc moniti ſigno conueniunt ſubito.
Laudibus & noctis interdum ritè peractis,
Captamus ſomnum, ſi dederit ſonitum.
Cœperit at radiis Phœbus conſpergere lucem,
Hoc reſonante ſopor ocius omnis abit.

In codice vitæ SS. GALLI OTH. *&* VVIB. *quem* HERIMANNVS *(vt autumo) Abbas, vel per ſe, vel per alium, multo cum auro parauit, habentur hi verſus.* 66.

SEruum Galle tuum, Libri decus hoc, HERIMANNVM
Diuite cum voto tibi perfeciſſe memento.

In calce codicis, ſed alia manu ſunt ſequentes.

GALLE tuos famulos magna pietate reſerua.

Turpia

Turpia verba loqui dominabus, turpia clero.
In laico ſignum perditionis erit.
Dat probitas ſpeciem, ſed non ſpecies probitatem,
Qui probitate caret, nil ſibi forma valet.
Omnia naturæ præpoſtera legibus ibunt,
Floribus & linguis quod tàm mirabile ſignum.

In Theſauro Eccleſiæ ſunt duo cornua ex ebore miræ magnitudinis, olim argento, gemmis, & auro decorata. Ex quibus vni hi verſiculi ſunt inciſi.

67. MVnus *a* BVRCHARDI patris hoc ſeruetur honori.
Auferat hoc ullus, huic non ſit portio GALLVS.

Et alteri.

NORTBERTVS donum dedit hoc tibi GALLE decorum,
Huic ob mercedem, paradiſum da fore ſedem.

a Burchardus cognomine Ingenitus, quod ex vtero matris exciſus, & arvina porci, vbi incaleſceret incluſus, filius Vlrici comitis de Linzgau, Buchorn, & monte forti, VVendelgardæ Comitiſſæ de Buochorn, Henrici Aucupis ex ſorore Hedvvige pronepos, anno 959. creatur Abbas S. Galli. Imperatori Ottoni Magno ita carus fuit, vt eum filium appellaret. Scripſit Ottoni Epiſtolam pro confirmando Notkero, quē propter diſciplinæ ſeueritatem, piperis granum vocabant, in hæc verba: Summæ poſt Deū Maieſtatis Dominis meis, Burchard Abbas ſeminiuus. Annis meis & ſenio finem mihi vitæ in ianuis habentibus; ne paſtor oues, pater filios improuiſos relinquam, Domini mei, priuilegium gratiæ veſtræ me ſollicitauit. Miſi itaq; vobis fiduciam veſtri habens, dilectum meum, mihi adhuc viuo ſufficiendum, à viris virtutum optimis moribus aſſuefactum, S. Gallo, vt confido, vobiſq; placiturum. Miſi autem vobis & teſtes meos ter tres idoneos, qui cum coram vobis ferula mea reddita, & indulgentia mihi petita, ſinguli eligant. Valeat Regnum veſtrum & imperium in Domino Dominorum. Amen. Neque enim dubito donum, de quo hic mentio, fuiſſe Burchardi primi. niſi quis malit referre ad Burchardum II. qui Monaſterii legitur theſaurum ditaſſe, cappis, caſulis, albis, palliis, libris, &c, qui cum Henrico Bauaro contra Saracenos in Campaniam profectus obiit, in Franckenmunſter ſepultus anno 1034. hoc epitaphio.

Angelicis comitatus ouans quæ ſidera flammis,
Præſulis vicem flammis Burchard geſſit plebi ſuæ ſanctæ,
Celſithronum didicit precibus pulſare tonantem,
Induitur ætheræ felix qua ſpiritus aulæ
Tranſit, & altithronum gaudet modo viſere regem.

In quodam vetuſtiſſimo opere biblico, quod pinxerat MARCELLVS *Monachus, &* GISALBERTVS *ſubdiaconus, eſt ſermo ad Clericos. Prouerbia &c. Heroico verſu, cuius tamen ſint, neſcio. In eodem Bibliorum armario habes itidem heroico verſu va-*

Digitized by Google

rios variorũm Bibliorum partium inſcriptiones HARTMVTI *Abbatis. In antiquiſſimo item codice, vbi pictus eſt* HARCKERVS, *ſuperſunt hi verſiculi;* 68.

Auferat hunc librum nullus hinc omne per æuũ,
Cum GALLO partem quiſquis habere cupit.
Et infra.
Iſtic perdurans liber hic conſiſtat in æuum,
Præmia patranti ſint vt in arce poli.

Olim in quodam clinodio templi hi erant verſus:

Tertius hæc ἁγίῃ Salomon dat dona Mariæ. 69.
Et.
Tertius hæc almo Salomõ dat munera GALLO.
Cui ſubiunxit ex Patribus quidam:
Tantis pro donis ſit pax animæ Salomonis.

Rex CAROLVS per eundem SALOMONEM capſam aliam reliquiarum miſit, cui inſcripti erant iſti.

En crucis atq; piæ cum Sanctis capſa Mariæ, 70.
Hanc CAROLVS ſummã delegit habere capellam.

In opus quoddam S. Auguſtini.

Biſſenos magni Doctoris in ordine libros
Auguſtini in hoc corpore, Lector habes. 71.
Cum quibus inuictum ſtabili fundamine caſtrũ
Conſtruit, & Sanctos Sanctus in arce locat.
Item in eius ipſius volumen de decem chordis ſic:
Exuperat auri pretium ſeu topaziorum
Hic AVGVSTINVS quod parat AVRELIVS.
Tange decem chordas; Dño tres tange ſonoras. *3. prima præcepta Decalogi DEO. Septem poſteriora proximo ſeruanda.*
Septem dilecto diſcrimina tange propinquo.
In aliud ſic:
Hunc librum GALLO NOTKER patrauit & Año.
In opus Ambroſii.
Nectaris Ambroſii redolentia carpito mella.

Digitized by Google

In Ambro.

Hanc partem GALLO patrat VODALRICVS & VTTO.

In Bedam.

Quam clari Abbates GOZPERTVS & YMMO operantes.

Alibi leguntur iſti.

In mundo duo ſunt, quæ nil abſcondita pſunt:
Foſſus humi cenſus; latitans ſub pectore ſenſus.

Et iterum alibi.

Exitus acta probat, finis non pugna coronat.

Et hic in Boetii opere Philoſophico.

Explicat egregiæ memorandum dogma ſophię,
Non Iouis hanc tactam generaſſet barba Mineruam.
Hoc opus Authorem guſtando ſapit meliorem,
Sed riuum clauſit, qui fontē pneumatis hauſit.
Dicamus læti, requieſcas ſancte BOETHI,
Qui Bibliothecas veſtiſti lumine cæcas.

Papienſes aiunt, illum morbo ſuo obiiſſe in ergaſtulo.

Idem codex m. ſ.

In opere Hieremiæ, Abdiæ, Zachariæ, Malachiæ, & Abacuc hi leguntur.

Sors ſignatur in his populi partitio virgis
Cornua regnorum ſignāt hæc vim variorum,
Ciues angelici ſunt hi ſub nomine Fabri.
Impietas immerſa malis monſtratur iniquis.
Gentibus errorum defertur ſumma malorum,
In quo quæſiſti Iacob, quem ſemper amaui,
Eſt Aries victus: victor ſupereminet hircus.

Alibi iſti.

Rumor de veteri faciet ventura timeri.
Omnibus oīa non mea ſomnia dedere primùm.
Dedecus eſt nulli decies os rodere pulli.

In Hieronymo ſuper Ezechielem.

Bis ſeptem libris HIERONYMVS Ezechielem
Explanat. bis quattuor hic lege poſteriores.
Quos te difficilè nimis explanaſſe fatetur.

Ibidem.

Ruben, & Simeon, Leui, Iudam, Iſacharq;
Cum Zabulon, Dinam generat Zia, Zetpha, Gat, Aler.

Bon

Beniamin, & Ioſeph, Rachel, Bala, Neptalin, & Dan.

De S. VVyborada Sanctimoniale Virgine prophetiſſa, Martyre.

Feſtum diem Wiboradæ
Virginis & Martyris,
Geminantem tripudium
Cum coronis geminis,
Vna omnes veneramur
Vocibus cum conſonis.
Iſthęc poſtquam diu vita
Deſudauit practica,
Deſiderans iam quieta
Vacare theorica,
Sedem ſibi eligebat.
Clauſulæ ergaſtula.
In qua perfruens ſæpè
Viſione cœlica,
Diuinitus deuaſtandam
Ab Vngeris Alemanniam
Suæ quoq; paſſionis
Præcognouit gloriam.
Huius paſſionis die
Gratulamur annua,
Poſtulemus vnanimes
Illius ſuffragia
Mereatur conſolari
Vt noſtra miſeria:
Amiſſæque diu lumen
Reintrare patriæ
Quam lilio virginali
Intrauerat hodie
Redimita, proprioque
Roſeata ſanguine.
Quod dignare nobis ſimplex
Trinitas concedere
Ne pretium quod profluxit,
CHRISTE tuo latere

Canonizata eſt ſub Abbate Nortperto.

Digitized by Google

Annuletur iam redemptis
Ad perenne viuere.

Diuus P.N. NOTKERVS, *inquit Metzlerus, edidit poſt* WALEFRIDVM *vitam S.* GALLI *metricè 3 libris. de quo opere, quod hactenus non vidi, niſi pauca hæc, ea ſubiiciam. Notandum ſcripſiſſe* NOTKERVM *noſtrum ſtylo & modo dialogi, vbi quidem interloquutore vſus eſt primo* HARTMANNO *Iuniore diſcipulo ſuo S.* VDALRICI *poſtea præceptore, deinde reliquum cum Raperto Iuniore patruele ſuo, Ratperti autem ſenioris Nepote, quē ipſe quoq; docuit, abſoluit. Vt habet liber M.S. ex quo ſequentia à me ſunt deſcripta.* Hæc Metzlerus.

73\. VLtima ſæcli generate meta
Vincis antiquos lyricos Poetas,
Pindarum, Flaccum, reliquoſq; centum
Carmine maior.
Tu Prophetarum celebres camœnas
Dauid, Eſaiæ, parili decore
Æmulans, tempus ſine laude nudum
Schemate veſtis.
Geſta tu GALLI Domini beati
Pange, decanta, modulare, pſalle,
Munus hoc mandat tibi CHRISTVS author
Arripe lætus.
Forſan & laſſus titubas, vel erras,
Curro feſtinans, celerans leuabo,
Et pedes firmans teneros præibo
Calle modeſto.
Spiritus ſummi, Patris, atq; Nati,
Vnctor, adiutor tibimet reuoluat
Quidquid eſt huius memorare Sancti
Carmine dignum.
Chare quid linguam taciturnus abdis,
Laudibus GALLI neque lætus inſtas
Cuius es victu ſpoliiſq; factus
.... Virilis.
Quid prodeſt temet ſtudiis librorum,
Tam breuis vitæ morulas dicaſſe,
Corpus ac fractum maceraſſe tantum
Si nihil audes,

Videtur alludere ad aliquam hiſtoriam, quā Hartmannus ſcripſerit, vnde fortè quod tribuit Hartmanno Abbati ipſius.

Sic

Sic ocellorum potiaris vſu,
Organo vocis careas nec vnquam,
Munus & gaudens manuum retentes,
Scribe quod hortor.
Si times ſolus graue ferre pondus,
Colla nec multum reprimantur arta
Faſce tàm magno releuabo temet:
Pſalle viciſſim.

Reſcripta Hartmanni ad Epiſtolam Notkeri ſibi prolatam. 74.

QVid eſt pater dulciſſime,
Strictum iubes quod currere
Artis metrorum vinculis,
Laxis timentem greſſibus.
Inſtas precum certamine
Iuſſu perurges iugiter,
Nec paſſus vllam protinus
Cogis, moram, reſcribere.
Tecum iubes colludere,
Dulci viciſſim carmine,
Cum vate tàm prænobili
Rudem poëtam & ruſticum.
Taurum cupis fortiſſimum
Buclæ tenellæ iungere
Vinumque mite diſparis
Guſtu saporis tingere.
Si quid tamen tu virium
Tractu pari remiſeris,
Vtcunq; iam ſubdor iugo,
Nec ferre tamen renuo.
Aſſit pii ſanctiſſima
GALLI patris clementia
Mî iam tuis promptiſſimè *prò mihi.*
Iuſſis volenti cedere.

Principium libri ſecundi de vita S. GALLI,
Quod ideò adſcribo, quod tantùm adhuc vidi.

NOTKERVS.

CIrcuitu longo vitans contingere limen
Quo caleat pariter diues, inopſque ſimul.
Vt cecinit ſenſu verax Horatius iſto,
Cætera vitandus lubricus atque vagus.
Pallida mors æquo pulſans pede, ſiue tabernas,
Aut Regum Turres; viuite, ait, venio.
Ac veluti Dauid ſermone probatus & actu,
Quis mortis valuas effigiet patulas?
GALLE tuam mœſtus cogor deſcribere mortem,
Quem cuperem noſtris viuere temporibus.

Digitized by Google

HARTMANNVS.

Poſco Magiſter
Inclite NOTTER,
Vltima GALLI
Verba renarra.

Non ego tanta
Tam puerilis
Dogmata promam
Tàm ſenis alti.

Habes in hoc prototypo, oratione ſoluta prolegomena NOTKERI in vitam eandem lectu digniſſima, & ſequentes verſiculos:

NOTKERVS.

SIdonius de Conſtantis, quam nomine dicunt
Vrbe, volens Gallum pellere ſede ſua.
Horribili ſtrepitu cunctas gallire coëgit
Matres cum pullis, à quoque Galleruis.
E trabe concuſſa ceu fit qua ſylua mouetur
Ad iuuenum tremula, ſeu tremuli folia.
Infrendens animo Gallus, calcaribus illum
Percutit, ac miſeri viſcera fudit humi.
Vt pernicem Aſahel háſta grauis impulit Abner,
Aut Aoth Eglon interiora tulit.
Gallus vt ad culmen ſedit, cantumque peregit,
Huic alacri famulæ garrulitate fauent.
Vt Salomone pio in ſolio reſidente paterno
NATHAN cùm populis laudibus inſonuit.

Ibidem ſequitur origo nominis Conſtantia & CHRONBERG, quem Cornelium appellant per fibulas ibi repertas frequentatum: & Githeræ.

Et NOTKERVS.

CVmque pro Chriſto patriam, parentes,
Rura, cognatos, genus, & caducam
Gloriam mundi, ſimul abdicarent,
Pergere certant.
Corde lætantes, alacres & omnes,
Orbe iam toto celebrata ſeſe
Cominus gaudent adiiſſe tecta
Plena ſalutis.

Cætera deſunt.

SAN-

SANCTI
ALTHELMI
SCHIREBVRNENSIS
APVD
OCCIDENTALES
Saxones
Epiſcopi
LIBRI DVO
Carmine deſcripti
PRIMVS
DE
Laude Virginum,
ALTER
DE
Octo principalibus vitiis.

Nunc primùm ex membranis m. ſ. celeberrimi Monaſterii S. Galli editi.

Ad

Digitized by Google

Ad Lectorem.

V. Beda lib. 5. hiſtor. Angl. cap. 19. Anno Dominicæ incarnationis ſeptingenteſimo quinto, Rex NordanHumbrorum, defunctus eſt, cui ſucceſſit in imperium filius Oſredus. Huius regni principio antiſtes occidentalium Saxonum Heddi cæleſtem migrauit ad vitam. Quo defuncto Epiſcopatus prouinciæ illius in duas parochias diuiſus eſt, vna data eſt Danieli, altera Aldbelmo, cui annis quatuor ſtrenuiſſime præfuit; ambo & in rebus Eccleſiaſticis, & in ſcientia ſcripturarum ſufficienter inſtructi. Denique Aldbelmus cùm eſſet adhuc presbyter & Abbas Monaſterii, quod Maildui vrbem nominant, ſcripſit iubente Synodo ſuæ gentis, librum egregium aduerſus errorem Britonum, quo vel Paſcha non ſuo tempore celebrant, vel alia complura Eccleſiaſtica caſtitati & paci contraria gerant: multoſque eorum qui occidentalibus Saxonibus ſubditi erant Britones, ad Catholicam Dominici Paſchæ celebrationem huius lectione perduxit. Scripſit & de virginitate librum eximium, quem in exemplum Sedulii geminato opere, & verſibus hexametris, & proſa compoſuit. Scripſit & alia nonnulla, vtpote vir vndecunque doctiſſimus. Nam & ſermone nitidus, & ſcripturarum (vt dixi) tàm liberalium, quàm eccleſiaſticarum erat eruditione mirandus. Hæc Beda. Qui plura ſcire volet de S. Althelmo, is legat Epitomen vitæ apud Sur. tom. 3. 25. Maii. Molanus in notis ad Vſuard. Martyrol. hæc ex Catalogo Britannico. Sanctus Eguinus (ſunt qui Eugenium vocent.) VVicciorum Epiſcopus, ſeu, vt vocant, Vigornienſium, compoſuit vitam Aldhelmi Epiſcopi Schireburenſis, quæ nunc Saliſburia dicitur; obiit anno 716. Sanctus Oſmundus Neuſtrius, Epiſcopus Sariſburienſis, ſcripſit eiuſdem vitam; deceſſit anno 1099. Faritius Ibu-

ſcus

ſcus victuris chartis commendauit Aldhelmi vitam. Claruiſſe fertur anno 1110. Et Guilhelmus Malmesburia Benedictinus ſcripſit vitam Aldhelmi Durotelli, ſeu Bladunii (Malmesburiam oppidum nunc vocant) Epiſcopi Sarisburienſis, quæ incipit: Beatus Aldhelmus Saxonica. Hæc apud Molanum. Trithemius libro 2. de viris illuſtr. Ord. S. Benedicti. cap. 33. Adelmus Abbas Maildubenſis in Scotia, & poſtea Epiſcopus Occidentalium Saxonum ſub Cantuarienſi Archiepiſcopo, vir deuotus & ſanctus, atque in diuinis ſcripturis, ſecularibusque doctrinis valdè eruditus, proſa & carmine valenter excellens: cùm adhuc eſſet Abbas, iubente Synodo gentis ſuæ, ſcripſit aduerſus errorem Britonum, quod vel Paſcha ſuo tempore non celebrarent, vel alia plura agerent, paci & conſuetudini Eccleſiæ contraria: quo volumine multos ad concordiam Eccleſiaſticæ vnionis reduxit. Scripſit etiam inſigne volumen de Virginitate Sanctorum metro lib. 2. & quaſdam ad diuerſos Epiſtolas &c. quæ ibidem Trithemius, quæque fuſius repetit lib. de ſcript. Eccleſ. vbi itidem Adelmum vocat, quem alii Aldelmum, Aldhelmum, & Althelmum. Aldhelmus ipſe in fine libri proſaici de laude Virginitatis (qui extat tom. 3. biblioth. PP. edit. 2.) promittit hoc carmen his verbis: Quemadmodum intactæ virginitatis gloriam rhetoricis relatibus fauorabiliter venerari nitebar, ſic identidem, ſi hoc carneum animæ ergaſtulum, ante fatis, vt dicitur, crudeſcentibus, caſſabundum non obierit, ac duræ Parcarum quies ac ferreus lethi ſomnus palpebrarum conuolatus non tricauerit, heroicis Hexametrorum verſibus eiuſdem præconium pudicitiæ ſubtiliter comere, Chriſto cooperante, conabor, & velut iactis iam rhetoricis fundamentis, ac conſtructis proſæ parietibus, cum tegulis trochaicis, & dactilicis tegularum imbricibus, firmiſſimum culmen cœleſti confiſus ſuffragio imponam. Hæc Aldhelmus. Qui item carmine ſcripſit ænigmata, quæ Martinus Delrius ſocietatis IESV, vir erudititiſſimus publicauit, vnà cum monoſticho, quod per coniecturam etiam S. Althelmo tribuit, de qua tamen coniectura, quid

Digitized by Google

ſentiam, dixi tomo 1. Antiquæ lectionis in appendice fol. 2. Delrius teſtatur in eodem m. ſ. codice Leodicenſi extare hoc carmen:

De laude virginum & octeno calculo vitiorum,

(ſic enim ait appellari in calce operis) atque dicatum eſſe Maximæ Abbatiſſæ, præfatione illa, quæ incipit: Metrica tirones nunc promant carmina caſtos. Quod commodùm monuit. Nam in noſtro m ſ. codice hæc præfatio, ſine vllo titulo, à reliquo carmine S. Altbelmi ſeparata fuit, quibuſdam aliis interiectis. Eſt autem huius præfationis acroſtichis, & teloſtichis, ſicut & primus & vltimus verſus antiſtrephon: ita, vt ſiue ſurſum ſiue deorſum & quocunque retrogrado ordine decurras, ſemper hi duo verſus redeãt, primus nempe & vltimus, qui & ipſi retrogradi ſunt. Et ad hoc quadratum retrogradum alludens, ait:

Et laudem capiat quadrato carmine virgo.

Primæ enim literæ, ſi decurrendo perlegantur, efficiunt primum hunc verſum:

Metrica tirones nunc promant carmina caſtos.

qui verſus ſi antiſtrephon ſeu retrogradis literis legatur, dabit verſum vltimum:

Sotſac animrac tnamorp cnunſe norita cirtem.

quem item verſum ſiue aſcendendo ſiue deſcendendo, ſicut & primum; item & acroſtichin & teloſtichin decurras, ſemper exibit verſus antiſtrephon, mirabili ſanè euentu & ingenio: ſi quis tamen in his ingenium miratur. Ego miror laborem. De reciprocis huiuſmodi verſibus Sidonius lib. 9. Epiſt. 14. Interrogas per pugillatorem, quos recurrentes aſſeram verſus, vt celer explicem, ſed ſub exemplo. Si nimirum ſint recurrentes, qui metro ſtante, neque literis loco motis, vt ab exordio ad terminum, ſic à fine releguntur ad ſummum. Sic eſt illud antiquum.

Roma tibi ſubito motibus ibit amor.
Sole medere pede, ede, perede melos.

Hæc Sidonius, & plura alia quibus varia antiſtrephonta exequitur.

Digitized by Google

tur. Publilius Optatianus Porphyrius (quẽ aliqui perperam pro illo impio Philoſopho Porphyrio acceperunt) in Panegyrico, quem Conſtantino M. ſcripſit, vſque ad ſtuporem habet huiuſcemodi antiſtrephonta. Neque non mirari poſſum Rabani de S. Cruce labores huius generis. Extant Fortunati tria eiuſcemodi acroſtichidum laborioſiſſima ſchemata de S. Cruce, quæ doctiſſimus Brovverus primũ publicauit. Vide quæ de retrogradis notauit Matthæus Raderus in optimis commentariis in Martialem, libro 2. epiſt. 86.

Vide de S. Althelmo Baronium tom. 8. annal. & tom. 9. Item in notis ad Martyrol. Rom. 25. Maii.

S. ALTHELMI PRÆFATIO

Ad Maximam Abbatiſſam.

METRICA TIRONES NVNC PROMANT CARMINA CASTO S
E t laudem capiat QVADRATO CARMINE virg O
T rinus in arce Deus, qui pollens ſecla creaui T
R egnator mundi, regnans in ſedibus alti S
I ndigno conferre mihi dignetur in æthr A
C um Sanctis requiem, quos laudo verſibus iſti C
A rbiter altithronus, qui ſeruat ſceptra ſupern A
T radidit his cœli per ludum ſcandere lime N
I nter Sanctorum cuneos, qui laude perenn I
R ite glorificant moderantem regna tonante M
O mnitenens Dominus, mundi formator & aucto R
N obis pauperibus confer ſuffragia cert A
E t ne concedas trudendos hoſtibus iſtin C
S ed magis exiguos defendens dextera tanga T
N e prædo pellax cœlorum claudere lime N
V el Sanctos valeat noxarum fallere ſcen A
N e fur ſtrophoſus foueam detrudat in atra M
C onditor à ſummo quos Chriſtus ſeruat Olymp O
P aſtor ouile tuens ne poſſit rabula rapto R
R egales vaſtans caulas bis dicere pup pu P
O mnia ſed cuſtos defendat ouilia iam nun C
MAXIMA præcipuum quæ geſtas Numine nome N
A ddere præſidium mater dignare precat V
N am tu perpetuum promſiſti lumine lume N
T itan quem clamant ſacro ſpiramine vate S
C uius per mundum iubar alto ſplendet ab ax E
A tque polos pariter replet vibramine fulme N
R ex Regum & Princeps populorum dictus ab æu O
M agnus de magno, de rerum regmine recto R
I llum nec terræ, nec poſſunt cingere cœl I
N ec mare nauigerum ſpumoſo gurgite valla T
A ut Zonæ mundi, quæ ſtipant æthera celſ A
C larorum vitam, qui caſtis moribus iſti C
A uxiliante Deo vernabant flore perenn I
S anctis aggrediar ſtudiis edicere paupe R
T anta tamen dignè ſi pauper præmia proda T
O mnia cùm nullus verbis explanet apert E
SOTSACANIMRACTNAMORPCNVNSENORITACIRTE M

Digitized by Google

INCIPIT LIBER ALTHELmi de laude Virginum.

Omnipotens genitor mundum ditione gubernans,
Lucida ſtelligeri qui condis culmina cœli,
Nec non telluris formans fundamina verbo:
Pallida purpureo pingis qui flore vireta:
Sic quoq; fluctiuagi refrenas cærula ponti.
Mergere ne valeant terrarum littora lymphis,
Sed tumidos frangunt fluctus obſtacula rupis:
Aruorum gelido qui cultus fonte rigabis,
Et ſegetum glumas nimboſis imbribus auges;
Qui latebras mundi geminato ſidere demis;
Nempe diem Titan, & noctem Cynthia comit.
Piſcibus æquoreos qui cãpos pinguibus ornas.
Squamigeras formãs in glauco gurgite turmas:
Limpida præpetibus ſic comples aëra cateruis,
Garrulaquæ roſtris reſonantes cantica pipant:
Atq; creatorem diuerſa voce fatentur.
Da prius auxilium, clemens, vt carmina poſſim
Indita Sanctorum modulari geſta priorum:
Vt prius & proſa laudabat litera caſtos;
Sic modò heroïcam ſtipulentur carmina laudẽ
Vt * faſti ſeriem memini dixiſſe priorem, *m. ſ. in marg. id eſt, libri.
Et dudum promſit voto ſpondente libellus.
Non rogo ruricolas verſus, & commata Muſas,
Non peto Caſtalidas metrorũ cantica Nymphas
Quas dicunt Helicona iugum ſeruare ſupernũ,
Nec precor, vt Phœbus linguã ſermone loquacẽ
Dedat, quem Delo peperit Latona creatrix
Verſibus infandis nonum quem dicere dignor,
Vt quondam argutus fertur dixiſſe Poëta,
Pandite nunc Helicona DEÆ, cantuſq; mouete,
Sed potius nitar precibus pulſare Tonantem,

Qui nobis placidi confert oracula Verbi,
Verbum de verbo peto, hoc Pſalmiſta canebat,
Corde Patris genitum, quod proles vnica conſtat,
Quo pater omnipotẽs per mundum cũcta creauit.
Sic patris, & prolis dignetur Spiritus almus
Auxilium fragili clementer dedere ſeruo.
Eſt namq; in deitate manens ſubſtantia ſimplex,
In deitate manet, & ſubſiſtentia triplex,
Proprietas ergo credatur nomine trino,
Maieſtas vero dicatur nomine ſimplo.
Namq; fides cogit perſonas credere ternas:
Sed natura Dei, cœli pręclara creatrix,
Omnia regnando diſpenſat ſecula ſimplex.
En promiſſa nouo ſcribantur carmina verſu,
Garrula virgineas depromat pagina laudes,
Colaq; cum pedibus pergant, & commata ternis:
Dactylus excepto decurrat fine metrorum,
Spondæi quintam contemnat ſyllaba partem:
Vltima ſic trochei concludat litera verſum,
Extremus iugiter qui gaudet calce teneri.
Sic ternis pedibus properent epigrammata metri.
Nec tibi difficile prorſus quidquam arbitror eſſe,
Qui crebris vicibus naturæ iura relaxas,
Nam nobis rudibus veterum monumẽta librorũ
Vocibus humanis fantem teſtantur aſellam,
Garrula quæ pridem bombos à fauce rudebat,
Deuotaturus populum cum pergere vates
Vellet, & inſontem verborum ſternere telis.
Plus igitur conferre mihi te poſſe fatebor;
Quin me terrenam dignaris condere formam,
Et brutum inſpiras vitali flamine pectus,
Qui corda ingeniis ornas, & labra loquelis,
Nec quidquã vt nullus ſermonũ plectra reſoluat,
Et fidibus citharæ moduletur carmina Chriſto:
Si verò quiſquam chordarum reſpuit odas,
Et potiora cupit, quam pulſet pectine chordas:
Quis Pſalmiſta pius pſallebat cantibus olim,
Ac mentem magno geſtit modulamine paſci,
Et

Et cantu gracili refugit contentus adeſſe:
Maxima millenis auſcultans organa flabris,
Mulceat auditum ventoſis follibus iſte,
Quamlibet auratis fulgeſcant cætera capſis.
Quis poterit dignè rerum myſteria noſſe,
Aut abſtruſa DEI gnaro cognoſcere ſenſu?
Torridus altaris nî ſumptus forcipe carbo,
Calculus aut ardens emundet ſpurca labella,
Quo Cherubin quondam purgauit labra Prophetæ,
Vt merito deinceps cœleſti famine flagrans
Egregius doctor Verbi cluſtella reſoluat,
Et noxas populi ſcripturæ torribus vrat,
Quatenus ad Chriſtum conuertat dogmate plures,
Ruricolas mutans ad cœli regna phalanges.
Humani generis triplex diſtantia fertur,
Quæ modò per mundum triquadro cardine degit,
Et ſtudet in terris mercari regna Tonantis.
Deniq; nonnullos ſortitur vita iugalis,
Qui rectè viuunt conceſſa lege tororum,
Et præcepta DEI toto conamine mentis
Conſeruare ſtudent thalami ſub iure manentes.
Poſthæc caſtorum gradus alter, & ordo ſecundus
Subſequitur nupti, qui iam connubia ſpernunt,
Ac indulta ſibi ſcindunt retinacula luxus,
Lurida linquentes ſpurcę conſortia carnis,
Vt caſtis proprium conſeruēt moribus æuum:
Dum connexa prius thalamorum vincula rumpunt.
Tertia virgineis fulgeſcit vita lucernis,
Cuius præcellit præfatos infula ritus,
Mundani luxus calcans ludibria falſa
Virginitas ſummo virtutum vertice * paret, al. floret:
Dum ſoror Angelicæ conſtet caſtiſſima vitæ:
In qua non regnat fallax petulantia ſæcli:
Sed potius certat carnem frenare rebellem,
Spiritus, vt tetras poſſit compeſcere noxas,
Et facinus ſcelerum ſuperans explodat * inorme, * anorme, fortè leg. vt ap. Hor in Sat,
Quæ plerunq; ſolent ferratas vincere mentes:
Quamlibet exiſtant præduræ cotis adinſtar.

Digitized by Google

His igitur gradibus pandit regnator olympi,
Aulæ cœleſtis valuas, & limina vitæ:
al. terno. Quos numero ſupra * ternos iam diximus antè.
His quoq; fœcundas largitur ſemine fruges,
Quas pia perpetui prædixit gloria regni,
Gliſcere ſulcati per ſqualida iugera ruris,
Sanctis centenos meritorum iure maniplos,
Virginibus iugiter fecunda ſorte ſpopondit,
Qui falſas mundi contemnunt pectore pompas:
Fœtida calcantes ſpurcę contagia carnis.
At verò decies ſenas de ceſpite ruris
Fruges deprompſit cœlorum gaudia Chriſtus,
Quos propriè caſti carpunt de rore maniplos,
Qui modo diſrumpũt connubia nexa thororũ,
Et demunt proprias deuota mente lecebras,
Mundanæ licita ſpernentes gaudia pompæ.
Sic demum decies metens ex æquore garbas,
Ternas accipiet, qui vincla iugalia nectit,
Nec penitus calcat licitæ commercia vitæ:
Sed magis in mundo ſobolẽ generare nepotum,
Progeniemq; libens exoptat gignere ſtirpis.
Quapropter cũcti quos flammat cura pudoris,
Et quorum integritatis amor præcordia pungit
Spiritus, ac caſta coniungunt fœdera carnis:
Dum diuina docet duplam ſententia vitam.
Corporeis nam anima præfertur geſtibus alma.
Idcircò iugiter mentis monarchia regnet,
Vt non inſultent animam phantaſmata carnis,
Nec vincat dominam ſtolido vernacula geſtu;
Aut vnquam regnet contemptu ſerua ſuperbo.
Nunc igitur raros decerpant carmina flores,
E quîs Virgineas valeant fabricare coronas,
Quid, plures cœlicolas iuuat in certãine noſtro,
Quàm integritatis amor regnãs in pectore puro
Namq; pudicitiæ ſuperos præconia paſcunt:
Cui licet in terris, ſtirpis generamina ſurgant,
Attamen in cœlis virtutum culmina ſcandit,
Virginitas caſtam ſeruans ſine crimine carnem.

Cæte-

Digitized by Google

Cætera virtutúm vincit præconia laude:
Spiritus altithroni templum ſibi vindicat almus.
Taliter immunis flagrat ſi corde voluntas:
Sanctus Apoſtolicæ cecinit dum ſermo loquelæ:
Neſcitis quod templa Dei ſint ilia veſtra?
Spiritus in vobis habitat iam iure Tonantis:
Quæ temerare nefas eſt, & maculare piâclum.
Virginitas fulget lucens, vt gemma coronæ,
Quæ caput æterni præcingit ſtemmate regis:
Hæc calcat pedibus ſpurcæ conſortia vitæ:
Funditus exſtirpans petulantis gaudia carnis
Auri materiem fului, obrizumq; metallum;
Ex quibus ornatur præſentis machina mundi,
Glarea de gremio producit ſordida terræ,
Si caſta integritas auri flauentis imago
Gignitur è ſpurca terreni carne parentis,
Vt roſa puniceo tincturas murice cunctos
Coccineoſque ſimul præcellit rubra colores.
Pallida purpureas vt gignit glarea gemmas,
Puluerulenta tegit quos ſpurci glebula ruris:
Vt flos flaueſcens ſcandit de cortice corni
Tempore vernali, dum promit germina tellus:
Dactylus vt dulcis frondenti vertice palmæ
Truditur ex ſicco, prȩſtabit ſtipite proles:
Vnio de concha vt ponti ſordente niteſcens
Naſcitur, & proprio matrem præcellit honore,
Squalidus vt ſablo ſpreti ſub ceſpite ruris,
Bractea flauentis depromit fila metalli.
Vt bino ſena cludam paradigmata verſu:
Sic ſacra Virginitas cœlorum grata colonis
Corpore de ſpurco ſumit primordia vitæ.
Vinea frugiferis vt conſtat gloria campis,
Pampinus immenſos dum gignit palmite botros,
Vinitor exſpoliat frondentes falcibus antes:
Sidera præclaro cedunt vt lumine ſolis,
Luſtrat dum terras obliquo tramite Titan,
Cuncta ſupernorum conuincens aſtra polorum:
Sic quoq; Virginitas quæ ſanctos indita comit,

Omnia ſanctorum tranſcendens præmia ſupplex.
Integritas quoq; virtutum regina vocatur,
Iungitur angelicis dum caſta ſponte maniplis,
Hæc, inquam, virtus cœleſti munere pollens,
Aurea flammigeris præſtat crepundia gemmis,
Virginitas fulget veluti rubra purpura regum,
Qua regnatores funguntur iure togati.
Integritas animæ regnans in corpore caſto
Flos eſt virgineus, qui neſcit damna ſenectæ.
Nec cadit in terram ceu fronde liguſtra fatiſcunt. *m. ſ. faleſcunt.
Cernite fœcundis vt vernent lilia ſulcis,
Et roſa ſanguineo per dumos flore rubeſcat.
Ex quibus ornatus qui vincit forte palæſtris,
Accipit in circo victor certamina, ſerta.
Haud ſecus integritas deuicta carne rebelli,
Atq; nefandorum proſtratis ſtrage cateruis,
Pulchras geſtabat Chriſto regnante coronas.
Quamuis integritas ornetur laude metrorum,
Atq; pudicorum crebreſcat vita per æuum,
Non tamen æterno fraudantur munere Chriſti,
Qui conceſſa colunt licitæ connubia vitæ.
Non ergò argenti ſqualeſcit ſpreta libella,
Vncia bis ſenis quam penſat lancibus æqua,
Quamuis auratis præcellat fibula bullis:
Amplius aut certè flaueſcant petala fulua.
  Nec laterna tibi vileſcat vitrea, virgo,
Tergore vel * raſſo, & lignis compacta ſalignis. *ſ. raſo.
Seu membranarum tenui velamina facta,
Quamlibet ęrata præcellat fortè lucerna.
Aut furuas lichnus illuſtrans luce latebras,
Pallida nec Lunæ ſpernātur lumina noctu,
Cœrula dum fuſcat tenebris nox ſecula furuis
Plus licet ex centro Titan fibramina fundat:
Cum nimbi fugiunt, & feruet torridus æther,
Nec putei laticem ſpernendum ducimus altum,
Antlia quem ſurſum ſolet exantlare ciſternis,
Quamuis pręcipua præcellant flumina fontis.
Frigida quem gelidis progignit glarea lymphis,

Margu-

Digitized by Google

Mergula nec penitus nigris contemnitur alis,
Ingluuiem ventris ſquamoſis piſcibus implens.
Garrulus aut etiam vileſcit graculus ater,
Qui ſegetum glumas, & læti ceſpitis occas
Depopulare ſtudet, carpens de meſſe maniplos.
Quanquam verſicolor flaueſcat penna pauonis,
Et teretes rutilent plus rubro murice cycli,
Cuius formoſa ſpecies, & fulua venuſtas
Omnia fabrorum porrò molimina vincit.
Sic caro, mirandum fatu, pulueſcere neſcit,
Vt referunt nobis veterum documenta virorum:
Quod ſignum, & ſpecies eſt virginitatis amandæ,
Quæ calcare ſolet deuotâ mente nefandas
Spurcitias mundi ſpreta putredine carnis.
Punica* neu granis temnuntur mala rotundis,
Quæ circum ſimplo cortex velamine cingit.
Quanquam palmeti præcedant dulcia pomi
Nectaris, & mellis mulſos imitantia guſtus,
Sic inquam integritas fama veneretur in æuum:
Vt tamen electos, qui nectunt fœdera nuptis,
Et iuſtè viuunt caſtorum iure thororum,
Carpere non cupiat ſcrophoſo pagina rictu:
Præſertim antiquæ cum narrat litera legis,
Illuſtrem Patres vitam duxiſſe priores,
Qui ventura Dei prompſerunt flamine ſancto,
Dona ſalutaris dum Chriſtus ſecla beauit.

Helias vates, quem *tetra volumina regum
Inſignem memorant virtutum ternia fretum,
Virgo ſacer fuerat fama per ſecula notus.
Plurima quapropter terris miracula geſſit,
Atq; arcana Dei verbis oracula prompſit.
Quæ ſeries libri promulgat famine claro.
Nam geminos quondam cœleſti fulmine fretus,
Iuſſerat arſuros flammas perferre focorum,
Penticotarchos atq; viros, ad funera centum
Truſerat implentes pariter præcepta tyranni,
Quiq; quater denis, & binis menſibus actis,
Aſtriferum clauſit quadrato cardine cœlum,

Helias. * m. ſ. gloſſator, interpretatur in margine, quatuor,

Digitized by Google

Aridus vt nullis roraret nubibus æther,
Atq; negarentur latices morientibus herbis,
Nec ſitiens pratum caperet nutrimina lymphæ.
Tunc iterum nutu nimborum obſtacula rupit,
Vt fluerent imbres vbertim ex æthere furuo,
*Gliſceret & rurſus fœcundo germine tellus, *m.ſ. gleſceret.
Pabula denſa ferens vulgò vernantibus aruis.
Arbiter æternus quem iuſſit ſcandere bigis
Aurea cœlorum penetrantem culmina vatem.
Soſpes qui nũquam ſenſit diſcrimina mortis.
Cætera per mundum ceu geſſit turba parentum,
Atq; futurorum geſtura eſt turba nepotum,
Sed manet in templis paradiſi hactenus heros.
Heliam colit, vt ſuperis in ſedibus Henoch, Henoch.
Quem rapuit quondam diuina potentia cœli,
Lurida ne mundi pateretur damna nefandi.
Idcirco ſimul ad belli certamina cruda
Contra Antichriſtum geſtant vexilla Tonantis.
Omnia de nigris ſurgent cum corpora buſtis
Clauſæ per campos & tumbæ ſponte tabeſcunt,
Dum *ſalpix crepat. & clangit vox clara tubarum: *ſ. ſalpinx
Aduentante Deo, qui cunctis præmia penſat,
Seu pia perfectis, ſeu certè ſæua profanis.
Sic quoq; famoſis decorauit ſecula ſignis l. Heliſeus
Virgineo flagrans Heliſeus flore Propheta.
Aurea hunc bombis naſcentem bucula vatem
Signauit; quoniam deſtruxit ſacra Deorum:
Munere quem duplo ditabat Spiritus almus:
Lauta ſupernarum qui confert munia rerum,
Singula per ſanctas cumulans chariſmata mentes,
Excitat horrenda conſtrictum morte cadauer,
Quamuis iam lethi ſopitus ſorte fuiſſet.
Aſt pueros ſtolidos, ſanctum qui carpere vatem
Et laniare ſtudent bomboſa voce frementes,
Tradidit vrſorum mandendos rictibus vltrò,
Caluitiem capitis ſcurrarum more loquentes.
Sic Deus horrifera Sanctos vlciſcitur ira,
Et meritò plectit peccantes verbere ſæuo.

Hiere-

Digitized by Google

Hieremias bino pollebat munere clarus, 2.
Quamlibet innumeris eſſet ditiſſimus heros Hieremias
Virtutum donis, quas Chriſti gratia confert.
Hunc pia virginitas ornabat flore pudoris,
Sed tamen, vt dixi, duo maxima munia conſtant.
Integris totum ſeruantem legibus æuum,
Atque ſuperna Dei vatem præſagmina ditem,
Cœlitus implebant, vt noſſet clauſa latebris,
Et reſerare poli poſſet penetralia ſenſu:
Quem Devs ex vteri ſacrauit matrice mundum
Antè, præſentis quàm noſſet lumina vitæ,
Vt foret affatim promens oracula vatis:
De quo cœleſtis fatur ſententia patris;
Quod dudum, quàm naſcatur de viſcere matris,
Sanctificaretur præſtanti munere virgo.
Mittitur interea mox vaticinare Propheta,
Dæmonis vt regnum, nec non & ſceptra tyranni
Diruat in mundo fretus virtute Tonantis,
Et regnum cœli deſtructa faude maligni,
Ædificet, plantetque, reſtaurans ſceptra polorum.
Conſpicit & geminas vernanti culmine virgas,
Quæ ſignant ſpeciem populorum fortè duorum:
Nec non & totidem corbes ex ordine cernit:
Sed tamen æquiparans interpretatio plebes *f Portendit.
*Protendit geminas per ſacramenta vetuſtas.
Scriptorum veterum liquidò monumenta teſtantur, 3.
Quod Daniel ſemper virgo floreſceret almus, Daniel.
Qui nobis normam ſacratæ virginitatis
Imbuit, & ſpeculum vitæ monſtrauit alumnis,
Certius idcirco promulgat tempora Chriſti
Omnibus antiquis præſaga voce Prophetis,
Annorum numeros, & planans ordine recto
Nuntiat in mundo noſtri cunabula regis,
Iam quadringentis annorum curſibus, atque
Bis nouem ſcribens ætatum luſtra fuiſſe,
Donec prodiret Chriſtus regnator in orbem,
Porrò diſſeruit verax ſermone futura:
Quatuor in mundo regnorum ſurgere ſceptra,

Digitized by Google

Vt prius in ſtrato truculentus imaginis altæ
Diuerſis vidit iam * præſagire metallis.
Deniq; frondoſo regnator ſtipite robur
Imperio fretus vidit de ceſpite creſcens,
Cuius tangebat præcelſa cacumina nimbos,
Et ſub qua volucrum turmæ, & genus omne ferarum,
Dulcia de ramis carpunt alimenta ciborum,
Arbore ſed procera ſignatum iure tyrannum
Mox intellexit præſago pectore vatis,
Cuius cœleſtis contriuit ſceptra poteſtas,
Tempora torquerent, donec ſeptena ſuperbum,
Vt meritò fugiens dumoſis ſaltibus erret.
Et dum deſpexit terrentis flagra tonantis,
Squalidus hirſutus peteret myrteta luporum,
Quadripedum ſocius factus ſine mente tyrannus.
Hic quoq; deſtruxit Beli delubra nefandi,
Flaminibus ſcelerum mortis diſcrimina paſſus,
Atq; ſacerdotes populo ſub fraude ſacelli.
Tempore ſic alio vincens virtute draconem
Horrendus atram iactabat faucibus offam,
Dum glutit piceam crudelis beſtia maſſam,
Ilicò rumpuntur multatæ viſcera beluæ.
Hunc Devs horrenda ſemper tutatur ab ira,
Quamlibet expertus toleret tormenta malorum.
Denique non trepidat fretus cœleſtibus armis,
Sæuos * beluarum rictus, morſuſq; leonum,
Quamuis incluſus ſæuis tortoribus eſſet,
Egregius vates foueam retruſus in atram.
Virginitas caſtum ſic ſeruat ſemper amicum,
Tetrica contemnens millenis damna periclis.
4. Tres pueri
Sic quoque tres virgineis redolentes floribus olim
Tres pueri pariter ſeruarunt iura pudoris,
Aurea ſpernentes ſtolidi ſimulacra tyranni.
Qui turmas vulgi ſurdum, mutumq; metallum
Imperio terrente iubet venerarier omnes.
Tum tuba rauciſonis reboat clangoribus altè;
Fiſtula cum citharis reclamans æthera pulſat,
Sambuca ſalpicibus reſpondet muſica crebris.

* m. ſ. præſagara.
* m. ſ. beuuarum.

Vt genibus flexis,& curuo poplite plebes,
Aurea per campos orarent idola regis:
Sed tamen Hebræa ſpernens ludibria pubes
Cernua non flectit ſimulacris colla nefandis:
Impius idcircò fornacis torre minatur
Puberibus caſtis,vt cultum ſuggerat ardor,
Dum furibunda pios nodarent vincla lacertos,
Extemplò nexus combuſſit flamma feroces,
Sed ſacra ſanctorum non quibat membra cremare.
O mirum dictu! pueros quod flamma camini
Torribus innocuis diro ſub carcere coxit.
Verùm virginitas ſpreuit tormenta* rogorum, * gloſſator ad marg. pyrarum.
Scintillante fide dum feruent corda virorum,
Angelus ignicomis nam ſanctus ſcandit ab aſtris,
Torrida cum gelidis ſedans incendia flabris.
Carbonumq; globos exſtinguens imbre ſuperne.
Sed priſcos tantum cur Patres pagina prodat, 5.
Limpida quos celebrant veterum monumenta librorum, s. Io. Baptiſta.
Cum rudis antiquam præcellat gratia legem,
Saluator clemens quia ſecula cuncta beauit?
Virginibus vates tum primo exempla Ioannes
Edidit affatim ſacro ſpiramine plenus,
Qui Dominum* obtruſus ſenſit genitricis ab aluo * ſ. abſtruſus.
Pignus cœlorum terris geſtante Maria.
Hic erat in ſaltu ſilueſtria pabula mellis,
Atque locuſtarum mandens corpuſcula frugi,
Cætera nec terræ contempſit fercula pompæ.
Hunc Gabriel patri ſanctus prædixerat antè,
Dextris altaris promens oracula vati,
Turibulum aurato cùm ferret ſorte* ſacello. *m.ſ. ſacellos. fortè ſacerdos.
Sed cùm fortè foret felix præcurſor adultus,
Atq; prophetali iam matureſceret æuo,
Prædicat aduentum Chriſti paranymphus in orbe,
Plures conuertens ſacro ſermone cateruas.
Namq; ſalutiferum mundus Baptiſta Tonantem,
Diluit æquoreis mergens in gurgite limphis.
Accipit inde latex mox munera ſacra ſalutis,
Plurima quadratum quæ nunc ſparguntur in orbem,

Dum

Digitized by Google

Dum populi paſſim baptiſmi dona capeſſunt.
Sic fulſit felix virgo Baptiſta Ioannes,
Nuntius & Domini dictus præcurſor in æuum.
Quem genuit ſerò patris veneranda propago,
Quam fœcundo caruiſſet corpore mater,
Iam dudum & ſterili matrix algeſceret aluo.
Nullus erat potior muliebri viſcere natus,
Ni medicus mundi, proles generata Tonantis,
Idcirco mundus mundum ſine labe piacli
Abluit, & laticis Chriſtum ſub flumine tinxit.
Humida fluctiuagis ſacrantem cærula ponti,
Fontibus & vitreis donantem munera patris
Dum vetuli redeunt iterum ad cunabula vitæ
Tunc linquente Deo torrentum marmora glauca,
Ac ripas luſtrante piis cum paſſibus amnis
Alta ſupernorum patuerunt clauſtra polorum.
Æthera celſa tonant dum fatur Rector Olympi,
Compellans ſobolem verbo currente per æthram:
Hic eſt ecce meus dilectus filius, infit:
Qui mihi complacuit totum regnare per orbem.
Cœlitus ad Chriſtum deſcendit ſpiritus almus
Præpetis adueniens iam per ſimulacra columbæ.
Hæc auis idcirco confertur flamine ſacro.
Sola caret quoniam crudelis felle veneni,
Cætera quarum ingens ſtomachatur turma volucrũ,
Mitia ſed geſtat candeſcens ilia præpes.
Plurima pro Chriſto patiens tormenta prophetes
Carceris illuuiem, & furuas ſine luce latebras
Pertulit atroces damnans connubia regis,
Qui conſanguinei diſrupit fœdera fratris,
Germani thalamum inceſtans ſine iure thororum.
Acriter idcirco compeſcit voce tyrannum:
Non metuens furibunda necis tormenta nefandæ:
Protinus effuſo rubuerunt ſanguine lances,
* ſic m. ſ. ſcribit. Dum caput * abſciſſum populi ad conuiuia vectant.
Quod regina ferox per natam fraude popoſcit:
Scenica virgineo monſtrantem ludicra ſaltu.
Sic igitur Chriſtum ſignauit ſanguinis oſtro,

Hor-

Horrendum ..... medicantem vulnere vulnus,
Dum crucis in patulo ſuſpenſum ſtipite pœnas
Cogeret inſontem violentia ferre reorum:
Sed tamen optatam ſenſerunt ſecla ſalutem.
Dum DEVS ad Herebi vagas deſcenderet vmbras,
Ferrea vectiferæ fracturus limina valuæ
Aerea portarum quaſſauit clauſtra tetrarum
Vt Pſalmiſta prius præſaga voce canebat,
Paſſurum mundi promens in calce tonantem.

Promere nunc nitor ſacrum ſermone Ioannem, 6. S. Ioannes Euang.
Qui fuit accubitor Chriſto gratiſſimus almo,
Pectore de ſacro ſorbebat flumina doctor:
Imbribus æternis ſitiens ingurgitat aluum:
Florida qui caſtè ſeruauit tempora vitæ,
Horreſcens penitus falſæ commercia carnis,
Plurimis idcircò deuulgans ſemina famæ
Virtutum rumor latum crebreſcit in orbem.
Non igitur ſpeciem per ſingula ſermo retexit,
Sed genus explanat ſalebroſo pagina verſu.
Suſcitat interea ſopita cadauera letho,
Quæ gelidæ ſtrictim nodabant vincula mortis,
* Dedidit obtutum cœcorum lumina tangens. *m. ſ. dedit
Claudos firmatis mox iuſſit pergere plantis:
Harmoniam ſurdi ſumpſerunt aure ſonoram:
Nec non & muti ſoluebant labra loquelis:
Sanatis manibus conceſſit viuere mancos:
Atra venenorum non ſenſit damna nigrorum:
Quamuis lethiferos ſorberet faucibus hauſtus.

Sic legimus priſco vulgatum tempore Saulum, 7. S. Paulus.
Imperiis procerum qui Chriſti dogmata * tempſit, *m. ſ. dempſit mendosè.
Alma beatorum contorquens membra virorum,
Dum priſcæ voluit legis regnare latebras,
Et Chriſto patrios veterum præponere ritus.
Vertitur interea mutato nomine ſanctus
Paulus Apoſtolicæ meruit præconia famæ,
Infula virgineo * quem floret ſacta pudore, *f. cui.
Quamuis iam dudum damnaret carcere tetro
Membra cateruarum ſeruantûm fœdera Chriſti,

Digitized by Google

Sed Devs excelſus qui mutat corda reorum,
Traxit ouem egregiam ſæua de fauce lupotum,
Qui plerunque tetros furua nigredine coruos
Veſtit in albentes glauco ſine felle columbas,
Dum ſceleratorum clementer crimina laxat,
Candida virtutum concedens dona ſacrarum.
Quem pater ingeminans clamat alta bis clamat ab arce,
Tunc ruit in faciem proſtrato poplite Pavlvs,
Stipatus tenebris, & clari luminis expers,
Quamuis cæcatus ſentiret damna pupillæ:
Aſt tamen è cœlo vidit fulgeſcere ſolem,
Pectora qui ſemper luſtrauit luce ſerena.
Hic erat egregius doctor, mundiq; magiſter,
Barbara conuertens doctrinis agmina ſacris.
8. S. Lucas. Quadrupedis vituli Lucas formatus ad inſtar,
Lucida diuino ſcripſit qui dogmata libro,
Septuaginta patrum ſcribens & nomina ſeptem,
E quibus omnipotens regnorum gloria Chriſtus
Gignitur, & noſtræ ſumpſit cunabula carnis.
Quem ſacra virgineis ornabant ſerta coronis,
Quatuor & decies cùm ſeptem degeret annos,
Progeniem Domini narrans ab origine prima.
Dum chaos abſtruſum, & torpens confuſio rerum
Tetrica terrificis texiſſet ſecla latebris,
Theſauroſq; poli reſeraret claue paternos:
Donec quadrati præpollens conditor orbis,
Florida ſub nimbis formaſſet ſecla ſupernis.
Hic medicus dudum ſanabat vulnera carnis,
Putrida fibrarum procurans vlcera fotu.
Vberius deinceps animarum crimina ſontûm,
Et ſcelerum facinus, quæ mentis vulnera patrant,
Diſcipulus Pauli ſcripturæ dogmate dempſit.
Denique poſt mortem ſacratis oſſibus ornat
Sedem Auguſtorum, qua nunc monarchia mundi
Poſt Romæ imperium ſub cœli culmine regnat.
9. S. Clemens Roma ſacerdotem Clementem tempore priſco
Edidit, & meritò cui dat clementia nomen;
Quem Devs æthrali ditauit gratia gratis,

Digitized by Google

Dum ſe virgineo ſeruaret munere mundum:
Hoc genuit pignus cœleſtis ſemine verbi:
Et baptizandi tribuit cunabula ſacra,
Petrus Apoſtolicæ qui culmen præſidet ædis:
Nam ſacrum iugiter doctorem dogma docentem,
Atq; ſuperna Dei crebro præcepta ſerentem
Diſcipulus fidis deuotus paſſibus æquat.
Contigit idcircò longæuos fortè parentes,
Et proprios pariter germanos viſere fratres.
Quos Petrus Chriſti clarus piſcator in orbe
Retibus angelicis raptos ex æquore mundi
Secum felices ad cœli ſidera vexit.
Tempore quo clarus fulſit regnator in orbe
Cui Conſtantinus cenſebant ſecula nomen: 40. S. Syluester
Syluester Romana degebat Præſul in vrbe
Sanctus, Apoſtolicæ qui rexit culmina ſedis.
Plurima hic fecit virtutum ſigna ſacerdos,
Quæ modò per mundum chartis inſerta leguntur.
Denique ſquamigerum vinxit virtute draconem
Fortia ferratis conſtringens vincla catenis:
Qui prius è crypta funeſto flamine ſpirans,
Romani regni vexabat iure cateruas;
Dum contempſerunt Chriſto famulariet vni,
Natricis horrendi cultum præſtare putantes:
Sed cùm ſtrinxiſſet beluam collaribus arctis,
Morbida peſtiferi compeſcens flabra draconis,
Ciuibus exoritur mox exultatio lætis:
Beſtia * deliquit quæ pridem ſæuire ſolebat, * m. ſ. diliruit,
Idcircò ſtatim baptiſmi gratia fulgens
Cœlitus illuxit Romanis arcibus vt ſol.
Hic Conſtantini curauit lurida membra,
Horrida lepròſis explodens vlcera ſquamis:
Dum regnatorem Chriſti ſub gurgite tinxit.
Quapropter Roma fregit delubra ſacelli
Priſca nefandorum contemnens fana Deorum,
Et potiora rudis ſectatur culmina templi,
Qua Saluatoris ſignata cruore coruſcant,
Perpetuoſq; Dei produnt per ſecla triumphos.

Digitized by Google

Sic mundum propriis ornabat moribus amplum,
Dum regem Romæ correxit dogmate Chriſti.
Porrò conflictum geſſit* didaſcalus idem
Contra bis ſenos certantes arte Magiſtros,
Qui pignus mundi fallaci voce negabant.
Dum mediatoris ſpernebant vota vocantis,
Lucida perpetuæ qui pandit lumina vitæ.
Quapropter cunctos fretus cœleſtibus armis
Vicerat extemplò voti certamine compos:
Ac velut aduerſus frendentes ore* moloſſos
Fruſtra qui ſuperas implent latratibus auras,
Ferrea ſcripturæ direxit ſpicula miles:
Dum conſternata mox omnes terga dederunt,
Excepto Zambri, qui tunc* necromantica fretus,
Ignarum populum ſcrophoſa fraude fefellit,
Dum magus in taurum pellax ſine voce ſuſurrat,
Corruit in terram quadrupes ſpiracula linquens.
Vaſtus tum vulgi clamor ferit æthera nimbi.
Sed tamen intrepidus Dominum Sylueſter adorat,
Vt plebs quam Chriſtus precioſi ſanguinis oſtro
Reddidit immunem ſublata fraude maligni,
Tetro haud fallatur falſi phantaſmate Zambri.
Mox igitur tauri proſtratum morte cadauer
Suſcitat exſertis abſoluens vincula nodis,
Et mitem armento fecit ſuccedere taurum.
Tunc populi paſſim clamabant voce Tonantem,
Laudantes Dominum cœperunt dicere grates.
Hic fuit, vt fertur, comes integritatis adeptus,
Donec* ſupremam claudebat tempore vitam.
Rex Conſtantinus quondam præſagia certa,
Atque futurarum rimatur ſomnia rerum
Culcita dum plumis Auguſti ſterneret artus,
Cernens matronæ rugoſæ fortè figuram:
Vidit in extaſi deformem fronte vetuſta,
Cernua quæ graditur tremulis agitata lacertis.
Inſuper hanc mortis iam ſors mulcaret acerba,
Imperat illuſtris regni ſermone ſacerdos
Silueſter Conſtantinum decrepita membra

* m.ſ. dedaſculus.

* m.ſ. moloſus.

* m.ſ. nicromantia

* m.ſ. ſuperna.

Suſcie-

Suſciet, vt vetulæ rurſus cum ſoſpite vita.
Tunc Regis precibus ſurrexit bella puella,
Quam prius effigies turpabat torua ſenectæ.
Et licet antè ſitu torperet morte cadauer,
Fit tamen extemplò formoſa puerpera vultu:
Quam rex contemplatur ouans cum ſtemate comit
Tempora præcingens* aura flauente coronat, *f. aura.*
Et peplo chlamydis, nec non cycladibus ornat:
Vt regina* gerit rubicunda crepundia collo. *m. ſ. geſtat.*
Talis erat ſpecies formoſę Virginis almæ.
Tunc Helena docens regem ſermone futura,
Sic ait Auguſto, depromens omina ſomni.
Hæc tua ſemper erit, lethi calceq; carebit,
Vltima in diris cum flagrent ſecula flammis.
Cumq; tyro foret Auguſtus perterritus alto,
Pallidus euigilat ſomni formidine captus.
Conglobat in cœtum diſertos arte ſophiſtas,
Gymnica qui iactant ventoſo dogmata fatu:
Quos rogat vt rerum ſibi fata latentia ſoluant,
Quæ dudum in ſtratis ſignant arcana futura:
Sed cum fortè nihil ſtolido ſermone referrent;
Plurima ſed falſis finxiſſent friuola verbis:
Tunc rex frugales ieiunans caſtigat artus,
Atq; dies ſeptem declinat ſecula pompæ,
A Chriſto Domino poſcens oracula pandi.
Nox ruit, & tetro mundum velamine vallat,
Nec non & furuis terrarum complectitur alis,
Tum ſopor in ſtrato regales occupat artus.
Cui ſilueſter, ait, pandens myſteria rerum.
Femina, quam torua creuiſti luce vetuſtam,
Quæ tibi horrebat multum ſqualente ſenecta,
Vrbs eſt quam vulgò Byzanti nomine dicunt: *Eand. viſionem refert Guntherus Pariſienſis in hiſt. Conſtantinop. ſ. c. 16 ſupra fol. 378.*
Conſtantinopolis poſt hæc vocitetur in æuum.
Nomine nempe tuo geſtat per ſecla triumphos:
In qua murorum præcelſa cacumina quondam,
Nunc proſtrata ſolo veteraſcunt arce ruenti
Mœnia marceſcunt, & propugnacula nutant,
Quæ quaſſat caries, & frangit feſſa vetuſtas.

 Sed

Sed te conſeruare mea præcepta iubebo.
Cornipedis ſpina vectus per ſqualida rura,
Cuſpide vexilli ſcrobem ſulcare memento,
Labara ſic equitans per terram trudito dextra,
Quatuor infindens directo tramite ſulcos,
Per quos erectis caſtrorum turribus altis,
Mœnia murorum reſtaures imbrice rubra:
In qua regnabit proles, proleſq; nepotum,
Sicut regnabat Patrum numeroſa propago,
Quorum progenies, & aui glomerantur auorum.

11. S. Ambroſius.

Iam fuit Heſperiæ famoſus laude ſacerdos
Ambroſius Chriſti complens præcepta benigni,
Spiritus, & caſtæ ſeruauit fœdera carnis,
Qui nomen gerit Ambroſiæ de nectare ductum:
Hic tener in cunis quondam dum paruulus eſſet:
Magna futurarum geſſit ſpectacula rerum.
Namq; examen apum numeroſis fortè catervis
Contexit faciem pueri, mirabile fatu:
Quæ licet horrenda ſtiparent labra cohorte,
Non tamen infantis ſenſit diſcrimina corpus.
Sic crebris vicibus replebant ora iacentis,
Atq; cateruatim rurſum remeare ſtudebant.
Poſthæc ætherias repetentes agmine nimbos
Viſibus humanis certant abſcedere porrò.
Hæc pater Ambroſius ſtupuit miracula cernens,
A quo ſortitur nomen ſic inclyta proles:
Hoc nempe examen quo Sancti labra redundant,
Dulcia mulſorum portendit verba fauorum,
E quibus affatim dulceſcunt pectora plebis.
Lucida digeſſit venerandus opuſcula doctor,
Cum ratione pia pandens ab origine prima,
Qualiter hunc mundum ſumma prudentia patris
Tempore præſentem tunc per bis terna dierum
Fecerit æterno diſponens ſecula nutu.
Hæc inquam docuit ſermone crebro ſacerdos,
Plures perducens ad cœli regna phalanges.

12. S. Martinus.

Garrula Martini nunc prodat litera laudem,
Quam celebrat totus quadrato cardine mundus.

Hunc

Digitized by Google

Hunc pater omnipotens nondum baptiſmate lotū
Nec balſamorum ſacris chriſmatibus vnctum,
Tempore nocturno cœleſti laude beauit,
Dum ſtipem *mantis, & peplum ferret egenis;
Chriſto deuotus cum iam *catechumenus eſſet.
Quis vero ſtudeat diſerto famine fretus,
Omnia virtutum chartis deſcribere ſigna,
Quanta Deus dederit deuoto dona clienti?
Sæpe ſalutifero correxit dogmate pagos,
Vt ritus vellent magis exſtirpare nefandos,
Atq; creatorem regnantem credere Chriſtum.
Nam paganorum deſtruxit fana profana,
Iure tyrannorum ſternens delubra reorum:
Et mox antiqui confracta fraude ſacelli
Fabricat altithroni venerandus templa ſacerdos.
Sic quoq; famoſam frondentis ſtipite pirum,
*Qua proceres ſtolidi tunc turificare ſolebant.
Heu ſcelus, in veribus torrentes exta bidentum,
Diruit, vt populum non fallat cultibus error.
Surgere ter fecit defuncta cadauera letho.
Tetrica terrentis diſrumpens tartara mortis:
Nec non ægrotis impendens munia vitæ.
Lurida debilium fomentat membra virorum.
Quamlibet expertus non eſſet vulnera ferri
Vnquam, nec rubro roraret ſanguine martyr,
Aut etiam diris arſiſſet torribus ignis:
Attamen illuſtrem meruit confeſſio palmam:
Dum mens parata fuit mortis diſcrimina ferre.
Hic præſul iugiter permanſit virgo perennis,
Donec ætheriam miles migraret in aulam,
Angelicis vectus cœli ad conuexa cateruis,
Temporibus priſcis venerandos Græcia Patres
Edidit, ex quorum numero celeberrimus extat
Gregorius felix, fama ſuper æthera notus:
Quem Devs edocuit mundum ſeruare pudore
Corporis, & caſtæ coniungens fœdera mentis.
Tempore nam quodam geminas per ſomnia cernēs
Virgineo vidit fulgentes flore puellas,

m. ſ. manſit
m. ſ. cata-
cuminus
m. ſ. legi

13.
S. Gregori-
us, Nazi-
anzenus.

Quas

Quas ille aſpiciens toruis obtutibus horret,
Femineas quoniam non geſtit cernere vultus.
Tum Sanctum placidis compellant vocibus ambæ:
Ne, grauiter iuuenis deuotas ſperne puellas,
Neuq; indignatus vultum contemne ſororum,
Dum tibi perpetuo fratris copulamur amore.
Nam nobis mundum tribuiſti in corde ſacellum,
Quo iocundantes ſemper lætabimur ambæ.
Frater amicitia nunquam fraudabere noſtra.
Altera virginitas fœcundo, flore vocatur:
Altera geſtabit ſollers ſapientia nomen,
Et ſumus angelicis miſſæ de ſedibus iſthuc,
Vt tecum maneant noſtræ conſortia vitæ.

14. S. Baſilius.

Baſilius quondam doctorum maximus auctor
Condidit egregiam diuino dogmate legem:
A qua proceſſit libratæ normula vitæ,
Vergere quæ nullum laxat ſub pondere læuo,
Trutinat electos, ſed iuſtæ lance libellæ, *m. ſ. libelli.*
Vocibus alternis reddens oracula ſanctis,
Qualiter ornetur verax concordia fratrum.
Et iuſtè iugiter fulgeſcant fœdera mentis.
Nec non diſerto digeſſit famine librum,
Prima * creatarum pandentem ſemina rerum, *m. ſ. creaturarum.*
Atq; potentatu quadratum conderet orbem,
Materiam mundi diſcernens ordine recto.
Aurea * deuexi dum format ſidera cœli. *m. Cdiuexi*
Hinc nobis oritur mundi naſcentis origo,
Cuderet vt ſummus rerum molimina princeps.
Hic ſe virgineum prodit ſeruaſſe pudorem,
Taliter affirmans perfecto famine præſul.
Feminea præceps cognoui corpora nunquam,
Nec tetigi penitus muliebres turpiter artus.
Non tamen immunis vocitabor nomine virgo.

15. S. Antonius.

Edidit inſignes tellus Memphitica patres,
Lucida perpetuæ mercantes munera vitæ.
Equorum numero pollebat ſorte beata
Nomine famoſo felix Antonius auctor.
Summa ſupernorum conquirens regna polorum.

Hic

Digitized by Google

Hic primus docuit cultores ordine ſanctos
Squalida per ſaltus peterent vt *rura locorum *m.ſ.ſpara.
In quîs contemplatiuos decerpere fructus
Poſſent, & iugiter Domino famularier alto.
Hic inquam monuit cœlorum regna merentes,
Spernere delicias, & mundi linquere gazas:
Ardua ſectari, nec non *deuexa caueri, *m ſ.diuerſa.
Dum calles gemini diſpari tramite tendunt;
Vnus in æthérios per cœli culmina campos;
Alter ſic Herebum luſtrat ſine fine profundum.
Cuius clarificam qui malunt noſcere vitam,
Qualibus in mundo ſignis effulſerit almus:
Quoq; modo ſpurcas curarit corpore clades,
Dira ſalutifero reſtaurans vlcera fotu,
Qualiter vt medicus populorum peſtibus obſtans
Morbida ſanatis renouaret viſcera fibris,
Non pigeat prorſus ſeriem ſpectaſſe libelli,
In quo ſcribuntur virtutes illius amplæ.

16. S. Paulus Eremita I.

Haud ſecus & PAVLVS ſignis ſuper æthera notus,
Omnibus & regnis, *quæ luſtrant lumina Phœbi *m.ſ.quas,
Per deſerta fuit quo non præſtantior alter:
Tendit ad æterna felix habitacula miles.
Hunc gener infidus ſtrophoſo fallere geſtu
Maluit inſontem, diſrumpens fœdera pacis:
Idcirco fugiens quærit ſub rupe latebras,
Donec tortoris ſæui tormenta *fatiſcunt. *m.ſ.fati-ſcunt.
Et rurſus placido lætetur tempore mundus:
Quem nutrit in crypta palmeti dactylus arcta,
Et fruitur foliis pro aprico tegmine pepli.
Nam ſitis ardorem demebat gurgite fontis,
Quem mox, vt genuit, telluris glarea glaucum
Rurſus in obliquum latices *effuderat, antrum, *m.ſ.effu-derat,
Aliger *tum præpes gracili nutrimine farris *ſ.hunc.
Pauerat in ſpecu palmæ ſub frondibus altis;
Cui famulabantur ſpreta feritate leones,
Atq; lupi *rapidos iuſſit miteſcere rictus. *ſ.rabidos
Vixerat in terris cœleſti munere fretus,
Vndecies denos, & tres feliciter annos.

Tum demum æthereis ſtipatus iure cateruis,
Iuit ad æterni caſtus conſortia regni,
Percepturus in excelſo noua gaudia victor.
17. S. Hilarion. Nec non eximia virtutum gratia fretus
Plurima patrauit deſerto ſigna ſtupenda
Hilarion felix famoſo nomine dictus,
Quem præſens crebro mundus rumore celebrat.
Dum cupidus geſtit normam æquiparare magiſtri,
In m.ſ. per deſiderabatur. Et ſimilare ſuam *per perpendicula patris.
Hic ſtricta corpus frenabat lege petulcum,
Torrida laſciuæ demens incendia carnis,
m.ſ. titulantis, mendoſe. Quiq; *titillantis ſpernit primordia luxus,
Prima iuuentutis calcans ludicra ſeueris,
Claruit Ægypto, quod ſtrictim carmine pando.
Nam gipſum miſeros quod dudum faucibus atris
m.ſ. inorme. Sorbuit indigenas flammis combuſſit * enorme,
Dum rogus ingenti lignorum fomite flagrans
Reptantem in prunas conſumpſit torre chelydrum.
Deniq; cum pelagi montanis fluctibus olim
Æquora per vitreos bullirent turbida campos,
Priſcaq; turgeſcens non noſſet littora pontus,
Cœrula fluctiuagis ſed regnant molibus alta,
Dum proprias ſpernunt ſpumoſis fluctibus oras.
Tunc omnes pariter glomerantes agmine denſo,
Contra fluſtra ſenem ſiſtebant turgida ſanctum,
Et fidum tremuli patronum ritè rogabant,
Auxilium miſeris vt ferret ciuibus vltrò.
Ille crucis pingens pariter ſignacula ſulcat,
Horridus in cumulum ſalſarum fluxus aquarum,
Concreuit porrò ſurgens ad ſydera cœli,
Mox furibunda maris co[illegible]reſſit cœrula ſæui.
Sic miles Chriſti frenabat marmora ponti,
m.ſ. fateſcat. Vt meritò ſancti non vnquam fama *fatiſcat.
18. S. Ioannes Eremita, Ægyptius. Sic quoq; in Ægypto fertur vixiſſe Ioannes,
Accola deſerti vitam ſine crimine ducens.
Qui ſtrictis proprium nodabat nexibus æuum,
Carne à laſciua vincens ergaſtula mentis,
Conſeruans geminum iuſto moderamine pondus,

Dum

Digitized by Google

Dum diuina docet duplam ſententia vitam,
Quam rector debet iuſta diſcernere lance,
Atq; gubernandum carnis cognoſcere motum.
Hunc famoſa rudem replebat gratia vatem,
Vt poſſet clauſas rerum reſerare latebras,
Clancula virginea pandens myſteria claue.
Tempore nam quodã per ſomnum femina ſenſit,
Munere virtutum quàm pleno præditus eſſet,
Scilicet optatam dum ſumpſit carne medelam,
Quamlibet ante gemens geſtaret corde querelam.
Imperium mundo florens cum Roma teneret,
Atq; gubernaret regnorum ſceptra per orbem,
Temporibus fauſtus Benedictus claruit iſdem, 15.
Quem Deus Auſoniæ clemens indulſerat auctor,
Vt populum Domini vadentem tramite recto
Ferret ad æterni ductor veſtigia regni:
Quem prius abſtruſus ſæuis anfractibus error
Traxit ad inferni torrentis tartara nigra.
Sæpe tyrannorum contriuit templa priorum,
Qui Dominum lucis tenebroſo corde negabant.
Mox ibi defigens victricia ſigna ſalutis,
Sic miles Chriſti deuicto hoſte triumphat,
Baſilicam Domino reſtaurans æde renata.
Quis modus, aut numerus, vel certè calculus index
Explanare valet virtutes illius amplas.
Quæ modulũ, & numerũ excedunt ꝓ mole geſtorũ.
Namq; cadaueribus reddebat lumina functis,
Quæ gelidæ mortis per vim fortuna necarat.
Auditu ſurdos, & claudos greſſibus ornat.
Ægrotos vegetat membrorum viribus augens.
Dæmonis arma fugans, nec nõ & ſpicula frangẽs,
Hoſtibus exploſis reſtaurat ſaucia corda.
Nam capiſterium rimarum fragmine ruptum
Innouat, vt nutrix lacrymarum flumina fudit.
Peſtiferum calicem, qui mortis pocula cinxit,
Porrecta rupit dextra per ſigna ſalutis.
Sic etiam chalybem *prolapſam gurgite, Gothi *m.ſ. prola-pſum.*
Ad proprios iterum iuſſit remeare lacertos.

*certamine.

Primo qui ſtatuit nouæ *certamina vitæ,
Qualiter optatam teneant cœnobia normam,
Quoq; modo properet directo tramite ſanctus,
Ad ſupera ſcandens cœlorum culmina cultor;
Cuius præclaram pandens ab origine vitam
Gregorius præſul chartis deſcripſerat olim,
Donec æthralem felix migraret in arcem.
Huius alumnorum numero glomeramur ouantes,
Quos gerit in gremio fœcunda Britannia ciues,
A quo iam nobis baptiſmi gratia fluxit,
Atq; magiſtrorum veneranda caterua cucurrit.

20. S.Geruaſius & Protaſius. *lacuna eſt in m.ſ. for. geminato leg.

Quid memorem geminos *.... fœdere fratres,
Reddentes animas aſtris, & corpora terris.
Purpureo paſſum venerantes ſanguine Chriſtum,
Martyres effecti rubuerunt carne cruenta:
Quiq; vicem reddunt Dño, vt Pſalmiſta canebat:
Ecce ſalutarem calicem per pocula mortis
Accipiunt pariter pergenti tramite Chriſti:
Quos ſimul inuenit ſanctus monſtrante beato
Ambroſius Paulo puſlantes carne ſepulta
Saxea quadratis quos condit tumbula foſſis.
Hoc pia virginitas comebat flore ſuperno
Angelicis ſemper quæ conſtat cara cateruis:
Vnus Geruaſius, nec non Prothaſius alter,
Imperio veterum ſortita vocabula geſtant.

21. S. Narciſſus.

Præfuerat quondam Narciſſus forte vocatus
Virtutum meritis redolens, vt nomine florens,
Quem ſimul ornabat polleſcens munere duplo
Pontificatus apex cum Virginitatis honore,
Claruit idcirco celebri rumore per orbem,
Dum vitæ meritis fulcitur dogma loquelæ.
Nam frontis laticem oleo pingueſcere fecit,

*m.ſ. graſſis. f. groſſis

Et liquida *craſſis mutauit flumina guttis:
Deniq; cum tempus feſtis paſchalibus aptum
Annua Chriſticolis renouaret vota per orbem,
Quæ ſolet vberius Chriſti celebrare triumphos,
Cætera quàm celebrent anni ſolennia feſta,
Tunc oleum in vacua defecit lampade vitri,

Et lych.

Digitized by Google

Et lychnus fumans furuis obtorpuit vmbris,
Pendula cùm nulla flammaret luce lucerna.
Mox fortuna iubet Narciſſus flumina lymphę
Fidens in Dominum, ſacros haurire miniſtros.
Et complere cauum cum glauco gurgite vitrum.
Funditur interea per cunctas vnda lucernas,
Sic exorcizans lychnos benedixit aquoſos.
Iamq; latex lucens flammas paſcebat edaces,
Papirus in medio radiabat lumine centro
Clarius, & multò quàm fomes pinguis oliui.
Aut certo in vitro ſplendens aruina* — * ſcrofa.
Mox vulgi *cuneus cernens miracula rerum, — * m ſ. cenæ
In commune Deo grates, laudeſq; frequentat.
Non tulit hanc fauſtam graſſator creſcere famam:
Qui genus humanum* ſtrophoſis* eludere certat. — * ſtrophis forſè p ſt. tētiã ἀπὸ ϛροφῆς. * elidere m. ſ.
Concilium *glomerant cum trino teſte nefandum, — * m ſ. glomerant.
Qui ſcelus horrendum concinnat crimine falſo,
Præſulis vt famam ſerpentis dente laceſſant,
Atque venenata ſanctum cum fraude ſugillent:
E quorum numero procedens primitùs vnus,
Quamuis iuraret, pellaci fraude fefellit.
Ignibus *ſic atris, & flammis fomite farſis — * ſ. hic.
*Conflagrem penitus, ſi fatu friuola fingam. — * m. l. confragem,
Alter ſubſequitur, ſtrophoſam ferre querelam:
Taliter ad turmas infit cum voce procaci:
Sic mea non pereant regali corpora morbo,
Quod veros promit iurans ſententia factis.
Tertius aſt teſtis profert è pectore queſtus,
Et iuramenti nodoſis vincla catenis
Nititur imprudens verbis conſtringere falſis.
Sic mea non tenebris nigreſcant lumina furuis,
Glaucoma nec penitus lippos ſuffundat ocellos,
Adſertor verax ſi fingam famina falſa.
Propterea exilium voluit perferre ſacerdos,
Inuidiæ maculam fugiens declinat iniquam.
Sic pater in ſaltu fertur vixiſſe remotus,
Contemplatiuos carpens ſub monte maniplos,
Dum ſolus ſoli Chriſto famularier optat,

 Lubri-

Digitized by Google

Lubrica fallentis conculcans gaudia ſecli.
Mox igitur punit præfatos vltio teſtes:
Qui ſacramentis concinnant friuola falſis,
Et temerare ſtudent inſontem crimine vatem.
* m.ſ. conflaglat. En, lare torrenti teſtis * conflagrat iniquus,
Primus qui labris contorſit tela nefandis,
Præſulis vt vitam fuſcarent verba maligna.
Culmina celſa crepant ignitis vſta fauillis,
Atq; propinquorum turmas combuſſerat ardor.
Sic quoq; crudeſcens multabat pœna ſecundum,
Morbo regali plectendo lurida membra,
Donec putreſcens prodiret pectore flatus.
Tertius orbatus geminis ſub fronte feneſtris,
Limpida dum tenebris clauduntur lumina terris.
Hic ergò aſpexit tremulus tormenta priorum,
* m. ſ. actu. Qualiter altithronus pellaces plecteret * aſtus,
Horrendi ſceleris ſcenam patefecit opacam.
* ſ. legend. fuſcis. Machina detegitur cœcis fruſtrata * ſtellis:
Et reus, in tantum lacrimarum flumina fudit,
Irrigat & ſalſis oculorum fontibus ora,
Donec ocellorum caruiſſet luce pupillæ.
Sic vindicta reos plectebat trina Tonantis,
Vſq; fugam vitæ cùm mors bacchatur acerba,
Arbiter æternus dum ſontum crimina punit,
Alma ſacerdotis pandit præconia caſti.
22. S. Alexander, & D. Athanaſius Epiſcopi. Nec minus interea ſtupuit Memphitica tellus
Rumores Patrum ſub cœli culmine claros:
E quîs ortus erat felix Athanaſius olim,
Cuius Alexander ſanctiſſimus extitit altor.
A quo victus erat toruum qui ſchiſma docebat
Arrius infauſtus ventris dum viſcera fœda
Turpiter egeſſit raptis extalibus ani,
Quæ caua per cryptas complebant antra latrinæ.
Sanctus Alexander miſſæ ſolemnibus actis,
Cùm celebrarentur ſacræ libamina menſæ,
Aſpicit infantum ponti per littora turmas,
Myſtica dona DEI ludo ſimulare ſtupendo.
Vidit nempè procul quod ſic Athanaſius ille

Tin-

Digitized by Google

Tingeret infantes baptiſmi gurgite merſos,
Ceu foret antiſtes ſacrato more dicatus.
Talia ſigna ſactum portendunt eſſe futurum,
Proſpera quod rerum liquido fortuna declarat.
Hoc geſtum ludis apicum ſed ſeria firmant,
Almus Alexander cùm vitam funere clauſit.
Poſt hæc ſucceſſit florens Athanaſius æuo:
Qui gregis excubias vt paſtor ouile tuetur:
Contra beluarum fraudes, rictuſq; luporum,
Qui luſtrare ſolent mandras, & ſepta bidentum.
Hic ergò præſul ſtolidorum dogmata demens,
Sæuos ſchiſmaticos, & mille pericula perfert.
Quem iidem ſchiſmatici ſpiſſa fallente cateruа,
Infamare ſtudent, fingentes friuola falſa,
Dum regi monſtrant euulſum carne lacertum,
Et loculo geſtant vulgi ad ſpectacula truncum,
Quod magico ſtolidi dicunt phantaſmate geſtum,
Turpiter Arſenium ſic fantes corpore mancum,
Qui dudum extiterat librorum tramite lector.
Tum iubet Auguſtus vatem Conſtantius almum
Protinus arceri porrò de finibus iſtinc.
Sed ſecus euenit, quàm machina ſtraba putabat,
* Præfatus lector dum * fraudem prodidit atram. *m. ſ. præfatos.* *Idem fraude.*
Tunc pius antiſtes detecta fraude maligna:
En, inquit, ſanam lectoris cernite dextram:
Nec non neruoſam cuncti ſpectate ſiniſtram.
Tum nouus inſonti crebreſcit laude triumphus:
Quando ſacerdotem noſcunt ſine crimine ſanctum.
Æmulus obſtupuit; fraudis dum ſcena pateſcit.
Buxeus ô quantos obtexit pallor inertes,
Seu certè quoſdam rubræ confuſio frontis.
Sic rea, ſuffragante Deo, commenta fatiſcunt.
Sed contrita rotis extollit vipera cæphal
Et rurſus ructat tetrum de fauce venenum.
Namq; alia ſanctum nituntur fallere fraude.
Femina nempe procax ſtrophis inſtructa nefandis,
Inſimulare ſtudet ſtuprorum crimine vatem.
Sed dicto citius verborum ſpicula peltis

Preſ-

Digitized by Google

Presbyter obtundit mœcham molimine vincens.
Quem probroſa manus ſtrictim fallentis obuncat.
Sed tamen antiſtes Chriſti teſtudine fretus,
Æmula ſæuorum vitat figmenta virorum,
Delituit ſenis annorum curſibus, intra
*latebram m. l. emendatius. Ciſternæ * labrum deſcendens vſq; profundam:
Quæ lymphis vacua præſtabat tecta tigilli:
Qua latuiſſe ferunt luſtris voluentibus ipſum,
Cerneret vt nuſquam radiantem lumine Phœbum,
Iuſtitiæ verò ſolem ſeptemplicis, & re
* m. ſ. piblos. Quem ſacra per * biblos deſcripſit litera lautos,
Pectoris intuitu deſiſtit cernere nunquam.

23. S. Babylas. Garrula nunc Babylæ depromat chartula palmam:
Plurima Pontificis pandens præconia clari.
Qui gregis excubias, & caulas vallare bidentum
Imbutus fuerat conſcripto dogmate bibli,
Dirorum contra morſus, rictuſq; luporum.
+ Numerianum Imp. habet gloſſator. Princeps imperium * qui Romæ rexerat amplum,
+ limite fortè leg. Imò triquadrum diſcreto * limine mundum:
Non cunctante gradu cum ſanctæ limina valuæ
Vellet adire ferox, ſtropha ſtimulante malignum,
Tum pius Auguſtum caſtigans voce ſuperbum
Increpat antiſtes contempto ſtemmate regis,
Flatu defendens ſacri veſtibula templi,
Præcipit audacter maculatum cæde cruenta,
Abſidam Eccleſiæ pullis non tangere palmis.
Ducitur auguſtam quapropter præſul ad aulam,
Vt vi ex verborum ſtrabo cum rege loquatur:
Impius extemplò venerandum cogere pœnis
Chriſticolam cœpit conſtrictum nexibus arctis,
Vt ſupplex veterum oraret figmenta Deorum,
Delubris, ſtatuis libans holocauſta litaret,
Quod flamen felix vt ſpurca venena recuſat,
Nec blandimentis inclinat colla ſacellis.
Tum tres infantes germano fœdere functos,
Quos pius imbuerat ſcripturæ dogmate Præſul,
Imperat Auguſtus lentis vexare flagellis:
Quatenus inflictis nutarent pectora flagris,

Digitized by Google

Quæ prius obſtiterant regi parere nefando.
Sed tamen infantum non cedunt corpora pœnis.
Quin magis horrendas vincunt præcordia virgas,
Quamuis ſanguineos fudiſſent verbera riuos,
Crudaq; per teneras rorarent vulnera pulpas.
Tunc demum capital perpeſſus fortè ſacerdos,
Æthera * glauca petit deuicta morte triumphans, *m.ſ.glaua
Nec non inueſtes, ſurſum migrante magiſtro:
Hoc eſt ephœbi, quos rubris ſerta roſetis
Ornabant pariter cœlorum culmen ouantes.
Angelicis cuncti penetrabant cœtibus altum.
Quis valet Vrbani laudes ſermone polito
Fari ſanctorum ſub cœli culmine clarus, 24. S.Coſmas, & Damianus.
Quà croceos Titan radios defundit in orbem,
Dum luſtrat latum reflexo tramite mundum.
Sed tamen egregios depromens garrula ſcabro
Incipiet celebrare viros nunc pagina verſu:
Quos materna ſimul matris enixa gemellos
Edidit in mundo ſortitos nomina dupla.
Quorum alter Coſmas, Damianus dicitur alter.
Imbuit hos pariter ſecli doctrina, medelam
Nec non diuina præſtauit gratia gratis,
Vt poſſent fibris putres explodere peſtes,
Atq; ſalutiferam morbis impendere curam
Artibus horrendas pellentes corpore clades.
Mutos, & mancos, claudos, ſurdoſq; repertos,
Luſcos, ac * ſtrabos, qui tortta luce fruuntur. *m.ſ. ſtrabos.
* Blæſos, ac * balbos, qui ſcæuis verba loquelis **m.ſ.bleſſos, ac balbos,
Fantes corrumpunt: &* quidquid debile fertur. *quid, mancum eſt in m.ſ.
Cœlitus inſtaurant Chriſto donante ſalutem:
* Sic lucem carnis trudunt medicamine ſpurcæ. *m.ſ.ſic q.
Nec tamen eximio virtutum munere dites,
Auri fallentis geſtant marſupia * farſa. *farta,
Sed loculos nummi calcant, vt tetra venena,
Omnia donantes gratis pro ſtipe ſuperna.
Princeps interea mundi, qui ſceptra regebat,
Martyres edictis multat crudelibus atrox.
Tum geminos pelagi prædictos gurgite fratres

Merſerat in pontum fretos virtute Tonantis:
Algida ſed vitreis miteſcunt æquora fluſtris.
Dum dicto citius ſanctos ad litora vectant.
Sic compreſſa ſali ſacra virtute poteſtas,
Turgida fluctiuagis ſopiuit cerula campis,
Dextera dum patris portum patefecit in vndis.
Impius idcircò cernens vexilla tropæi,
Altera gorgoneis molitur damna venenis.
Nam truculenta ferox flammarum pabula torret,
Et ſacramentorum fornacem fomite farcit,
* m.ſ. fraglantem. In quam * flagrantem ſacros detrudere iuſſit,
Vt rogus inſontes prunarum torre cremaret:
Artus quos dudum turgeſcens gurgite pontus
Mergere non quibat lympharum fluctibus atris.
Sic facula flammæ fornacis fomite friget:
Vt miles Chriſti neglecto turbine flammæ
Redderet ingentes pro vita ſoſpite grates.
* m.ſ. pyrorum. Ceu ſalamandra focos ſolet inſultare * pyrarum,
Quamuis congerie glomeretur forte rogorum.
Tunc crucis in patulum coguntur ſcandere robur,
Atque pharetrarum denſas ſufferre ſagittas.
Mox ſator æternus qui ſanctos iure triumphat,
Spicula tortorum confregit dira reorum.
Exin martyrii ſumpſerunt ſerta cruenta.
Ad conuexa poli migrantes culmina celſi.
25. Nec meminiſſe moror præconia clara Chryſanti,
S. Chryſantus. Quem meritò mundus famoſa laude frequentat.
Hunc igitur genitor florentem tempore puto,
Tradidit inueſtem rectorum fortè Magiſtris:
* f. indocilis. Vt puer * indolis librorum diſceret artes,
Quas mundana colit ſtolido ſapientia ſenſu,
Qui fuit, vt fertur, donatus mente ſagaci,
Ardens ingenio, & prudens pectore puber.
Poſthæc illuſtris dum ſacra volumina lector,
Auribus hauſiſſet cœleſti grammate ſcripta,
Protinus antiquæ contemnens dogmata ſectæ,
Falſa vetuſtarum calcauit friuola legum,
Et dicto citius nactus rudimenta fidei,

Flagitium ſceleris baptiſmi diluit vnda:
Mox publicè Chriſtum paganis prædicat vltrò,
Dira ſuperbatum ſpernens tormenta minarum.
Tum genitor ſobolem naturæ iura reſoluens
Truſerat in * tenebras concluſi carceris atris, * m. ſ. tenebris.
Magnoperè metuens fiſci decreta nefandi,
Inſuper & capital tremulus formidat acerbum.
Sed cùm mens viuens ferret tormenta libenter,
Mox aliam genitor concinnans machina ſcenam.
Lubrica mundanis admouit gaudia pompis,
Serica purpureis præbens velamina peplis,
Quæ moritura facit * fœtoſo viſcere bombix, * m. ſ. fœtoſa viſcera.
Induit egregium precioſa veſte nitentem.
Tum iuſſu patris conuiuia larga, puellæ
Deliciaſque ferunt, epulas, luxuſque culinæ,
Veſtibus ornatæ variis, & fronte venuſta,
Talibus vt pompis miles molleſceret audax.
Ferrea quîs crebro cedunt præcordia virûm,
Sed tamen armatus Chriſti teſtudine tiro,
Oſcula virgineis deſpexit lubrica labris,
Nec penetrare ſinit ſtuprorum ſpicula pectus.
Sed procul excuſſit * iaculatas fraude ſagittas. * m. ſ. iaculatus.
Non ſicut cecinit ſponſali carmine * vates: * vatis m. ſ.
Mellea tunc roſeis hæreſcunt labra labellis,
Dulcia ſed Chriſti lenteſcunt labra labellis.
Venit ad extremum virgo certamen adulta,
Daria veſtalis formoſa fronte rubeſcens:
Aurea cum glaucis quam comit lunula gemmis.
Nititur hæc iuuenem Veneris conſtringere nexu,
Quatenus ad thalami flectat connubia mentem.
Hæc phalerata fuit facundis freta loquelis.
Denique * diſerti ſtupuerunt fortè Magiſtri. * deſerti m. ſ.
Virginis ingenium biblorum famine cultum.
Nempe tenax ſcripti fuerat, veloxque legendi:
Sed ſecus euenit Fortunæ caſus opacæ:
Dum pius oppoſuit fatis contraria fata.
Daria quæ dudum ſeruabat numina Veſtæ,
Credidit altithronum cœli qui ſceptra gubernat,

Facundis virgo verbis conuerſa Chryſanti.
Tunc ſimulata tori fingunt conſortia fatu,
Moribus & caſtis viuunt concorditer ambo,
Vt ſpurcum penitus vitarent pectore næuum,
Et maculam Veneris pullam cum corde fugiſſent.
Poſthæc baptiſmi ſacratis tinguitur vndis,
Quatenus exuuias ſpoliaret mente vetuſtas,
Et noua de liquido ſumatur gurgite lodix.
Tum virgo veterum ſpreuit documenta librorum,
Et ſequitur Chriſti quadratis dogmate biblis.
Quis poterit vulgi tantas numerare cateruas,
Quantis exemplis egerunt credere Chriſto?
Traditur idcirco pœnis torquendus acerbis,
Septuaginta viri quem denſo milite ſeruant,
Herculis in fano, ni forſan tura litaret.
Tunc miles cœpit dirus vexare negantem,
Athletam Domini fretum virtute ſuperna,
Vdis, & crudis neruorum nexibus angens,
Torrida flammantis laturum caumata ſolis.
Sed puncto citius laxantur lora lacertis,
Omnipotente DEO reſtes ſoluente nefandas,
Et ſuras iterum cipporum vincula claudunt,
Cruraq; cum rigidis nectebant turgida lignis.
Extemplò cippum findit regnator Olympi,
Quamuis hunc ſtolidi cœcata mente ligarent.
* m.ſ. hunc
Lotia * tunc lictor crudelis ſpargere iuſſit,
Sacros humectans artus humore putenti,
Qui liquor, vt dicunt, atrum phantaſma fugabat,
Dum verna Domini ſperat necromantia fretum,
Sed putor ambroſiam fragrabat nectare ſuauem.
Exin tortores buculam deglubere birſa
Mandant, vt crudo ſtringantur tergore membra,
Martyres ardentem paſſuri lumine ſolem,
Torrida ſed Titan compreſſit fulmina frendens,
Vt nulla inſontis ferrent incendia membra.
Tunc reciproca virum claudunt ergaſtula ſacrum,
Arta catenarum conſtringunt vincla lacertos.
Nec non & collum nectunt cum crure gemello:

Ecce

Ecce repentè pios nodatos arbiter artus
Eripit è chalybis mox ſtricta ligamina rupit.
Porrò cum Sanctum nodoſo vimine miles
Cederet infauſtus, rubro qui ſanguine gaudet,
Sed mirum dictu, *ſceptrorum flagra beatus ſ. pro virgis.
Ictibus argutis Martyr non ſenſit acerba.
Quin imò vt plumæ molleſcunt vimina Sancto
Lenia ceu viridis lenteſcit papyrus amne;
Claudius his ſignis compunctus credidit vltrò,
Septuaginta viros conuertens dogmate claro.
Fecit baptiſmi purgari gurgite merſos.
Quapropter rubro perfuſos ſanguinis oſtro,
Miles ad ætherium fauſtus perduxit olympum.
Quos ſimul obſtruxit felix ſpelunca ſepultos,
Lucida perpetuæ viſuros præmia vitæ.
His conuexa poli meritò luſtrantibus alta,
Daria cum duro patitur tormenta Chryſantho.
Impiger aſt ille ſtrictus molimine ferri
Truditur in tenebras laturus carceris atras,
Lurida quo putridis fluxerunt ſtercora ripis,
Nectare ſed fœtor cedit, ceu luce latebræ.
Traditur interea ſceleratis Daria ſcortis:
Proſtibulum mœchæ penetrans ſine crimine ſæuæ,
Sed leo de claris rugibundus mittitur artis,
Virgineos artus tutos ſeruare puellæ:
Si quiſquam cuperet ſacrum temerare pudorem,
Geſtibus obſcœnis contrectans corpus honeſtum:
Arcam ceu quondam probroſus contigit Oza,
Protinus oppeteret confuſus fronte petulcus,
Rictibus & rabidis corroſus dente leonis
Vltricem pœnam ſentiret morte ferina.
Tunc demum Auguſti qui Romæ regna gerebat, ſ. inſcripto.
Decreta rubras ſumpſerunt morte coronas, ſ. ſabulone
Et ſimul *inſcripta pauſant *ſablone ſepulti,
Quos ſimul in vita vexauit pœna cruenta,
Credimus vt fauſtis glomeratos iure cateruis
De gremio tumuli, cum tellus ſponte dehiſcet,
Et genus humanum tumbis emerſerit atris

Suſcitet ad requiem, mundum dum laxat habenis.

26. *S. Iulianus*

Tempore tranſacto ſanctam gentilibus armans
Eccleſiam Chriſti tempeſtas ſæua cruentans,
Martyribus ſacris mortis diſcrimina mille
Conglobat inſontes, torquens ſine crimine, culpæ.
Vt miles Chriſti ſtricto mucrone negaret,
Impia tortorum cum ferret flagra malorum.
Hos inter, quidam Iulianus nomine Martyr,
Horrida ſanguineis * .... certamina pœnis.
Quem pater ad ſcholam, cum primo gliſceret æuo,
Prodidit, vt tomis dialectica dogmata rerum,
Et ſimul rhetoricas biblorum diſceret artes.
Mox igitur iuueni veterum documenta librorum,
Quamuis in tenero pulcher pubeſceret æuo,
Limpida diſcipulus ſcripſit ſcholaſticus *aſtu,
Cum pater ſobolem vetulus vidiſſet adultam,
Nititur *in docilem claris natalibus ortum
*Flectere cũ precibus, thalamorũ vt iura capeſſat,
Quatenus inde foret poſt ſucceſſura nepotum
Progenies, mallet ſi ditem ducere ſponſam.
Flagitat inducias ſeptem ſufferre dierum,
Quatenus hoc ſpatio pulſaret voce Tonantem,
Subnixis precibus rogitans oracula *Diui,
Certius vt quiret Chriſti cognoſcere nutum.
Deniq; tranſacto venerandus tempore pubes,
Lecto ſopitus cum ſomno membra dediſſet,
*Orama per noctem cernebat rite ſupernum,
Cœleſtes fatus ſic felix auribus hauſit:
Protinus è ſtrato feſtinat ſurgere miles,
Ne metuas iuuenis ſortiri dote puellam,
Dulcia ne rigidus frangas decreta parentum.
Sed tamen hanc ſociam ſanctam ſeruare memento,
Quæ tibi cum mero copulatur corpere virgo.
Namque pudicitiæ comes indefeſſa manebit.
Multa mihi populi ſeruibunt millia paſſim,
Quæ veſtris credent cœlorum ſceptra loquelis.
Interea iuuenis patris præcepta faceſſit,
Et ſimulata tori ſpondens connubia matri,

**ingenio, vt notat gloſſator ad marg.*
**m.ſ. indolem.*
**m.ſ. plectere.*
**ſ. Diuinum*
** ὅραμα. m.ſ. mendo. Orama.*

Acci;

Digitized by Google

Accipit ornatam gemmis, auroq; puellam.
Attamen altithronus quadrati conditor orbis,
Pacta tutatur ſponſum cum virgine caſtum,
Propria fuſcarent vt nunquam crimine membra,
Luxuriam carnis frænantes ilibus almis,
Præſertim pia cum Chriſtus præcordia pungens,
Per ſomnum moneat caſtum ſeruare pudorem.
Nam bibli ſeriem, quam rex direxit olympi,
In thalamo cernunt, aurato grammate ſcriptam,
In qua virginitas ſeruari ſancta iubetur.
Exin *vernarum fundant cœnobia Chriſti, *m. ſ. ver-narum, fundant cœnobia
Normam iuſtitiæ qui ſeruant tramite ſcripto.
Virginibus quoq; condunt gurguſtia cellæ,
Quas licet inferior ſexus diſcriminet ordo,
Non tamen inferior virtutum cardo ſequeſtrat.
In quis nempe decem monachorum millia florent,
Cantibus aſſiduis, & pſalmis carmine crebro.
Sic famulabantur *iugiter, noctesq;, dieſq;, In m. ſ. abeſt hæc vox.
Viribus infractis pulſantes atria cœli
Aſtriferi, precibus dum luſtrant limen olympi.
Interea veteris ructantur fauce draconis
Atra venena, ſacras Chriſti torquentia turmas,
Tum miles Chriſti nodoſo fuſte flagella
Suſtinet immeritò conſtrictus nexibus artis,
Flagraq; *cum crepitu præſultant cæde cruenta,
Donec purpureo rorarent ſanguine riui.
Sic ſequitur Dominum deuota mente miniſter,
Ad ſuperas arces anguſto tramite tendens,
Vt prius anguſto tendebat calle Magiſter,
Sanguine purpureo demens peccamina mundi,
Dum pius in patulum dignatur ſcandere lignum.
Tum luſcus tortor ſenſit detrimenta pupillæ,
Martyris afflictus flagris, & ſtipitis ictu.
Mox monophthalmi reſtaurat lumina martyr: m ſ. mono-pthalmi.
Quamuis Pontifices fani, ludibria paſſi
Reddere non poſſent euulſam ſtipite lucem.
Inſuper excelſum forti compage ſacellum

Simul

Digitized by Google

Mutilus verſus. fo- ſic in exemplari erat: In quo mil- le.

*- - - - - - - - - ſimul ſtabant ſimulacra metallis,
Diruit ad fundum ſternens molimina priſca.
Non Mars vulnificus, qui belli ſemina ſpargit:
Rancida gorgoneis inſpirans corda venenis
Delubri ſtatuis potuit ſuccurrere parmis:
Nec Venus, aut Veneris prodeſt ſpurciſſima ples.
Aurea ſternuntur fundo ſimulacra Mineruæ,
Quamq; deam ſtolidi dixerunt arte potentem:
Nec Bacchus valuit, cui frondent palmite vites,
Vt referunt falſo veterum figmenta librorum,
Numine nutantes fani fulcire columnas.
Sed titubant templi tremebũdis marmora cruſtis,
Et ruit in præceps teſſellis fabrica fractis.
Neptunus fama dictus regnator aquarum:
Qui regit imperium ponti turgentibus vndis,
Falſas effigies, quas glauco marmore ſculpant,
Aurea ſeu fulua quas ornant petala fronte,
Haud valuit veterum tunc ſuſtentare deorum.
Alcides fertur Centauri victor opimus,
Flammea qui preſſit latronis flamina Caci,
Quamuis fumoſis ructaret flabra loquelis.
Herculis in crypta ſed torquet dextera *clauam,
Nec tamen in templo rigida virtute reſultat,
Quę famulus Chriſti ſupplex oramina fudit.
Vulcanus * catax, quem fingunt igne potentem,
Torrida flammigeris moderantem fulmina frenis
Funditur: occubuit fraudatus torre rogorum.
Sic quaſſata ruit ſimulacris machina lapſis,
Vt veterum narrat verax hiſtoria rerum:
Cum geminam flamen prolem peccare videret,
Nec tamen aſperitas patris compeſceret vlla,
Plecteret aut ſontes crudeſcens vltio natos,
Acriter idcircò exarſit vindicta Tonantis:
Quatenus arca Dei diræ poſt funera ſtragis,
Ducta per Azotos ſimulacrum ſterneret altum:
Tunc ruit in frontem cõfracto poplite Dagon,
Et caput infandum funeſtos liquerat artus,
Quod vulſum ex humeris ciues in limine cernunt.

claua mendosè. m. ſ.

Legi debet Vulcanuſq; catax. vide Non. in catax,

Aurora in fuluis dum luxit lutea bigis,
Et croceum iubar in quadrum flaueſceret orbem,
Ac roſeos patulis radios infunderet aruis,
Spinaq; cum trunca membrorum parte remanſit,
Haud ſecus in diuos, quorum caſſata poteſtas,
Ad fundum cecidit, ſæuit regnator olympi.
Expers vt nullus diri diſcriminis eſſet,
Ceu ſtyli ſeries præſenti grammate pandit,
Sic quoq; terga dedit caſſato numine Phœbus,
Qui fuit infauſti Saturni filius atrox:
Iuppiter ingentem quem pompant carmina vatū.
Hic patris imperium, quod fantur opuſcula priſca,
Contra naturam pulſo ſpadone capeſſit.
Tum miſer in Latio demptis genitalibus exul
Delituit, nati vitans diſcrimen acerbi.
Nec Pluton prodeſt, qui tetris tartara ſceptris
Rexit, & inferni furua regnauit in aula:
Hic Cereris ſobolem nigrantes vexit ad vmbras:
Sed regina ſequi matrem Proſerpina nolle,
Fertur in antiquis falſato grammate biblis,
Nec Pan Arcadiæ, quem gens colit exta litandò,
Plurima dum veribus torrebant viſcera flammis,
Contulit auxilium fani fundamine fracto.
Machina celſa labat, dum culmina fracta fatiſcunt,
Nec glus lenteſcens*morum mœnia pangit, *f. diuorum
Nec durus ſcopulus calcis compage quadratur:
Sed ſimul exhauſta veterum virtute Deorum,
Inſuper Auguſti quaſſata mole ſacelli,
Diruit in cinerem vindex cenſura Tonantis.
Vt precibus martyr ſupplex cum voce popoſcit,
Quatenus altithronum, lauta qui regnat in arce
Poſſent clarificis pagani credere ſignis.
Vnica tunc ſoboles Præfecti credidit vltrò,
Dum pia fructiferis pandit præcordia verbis,
Martyris amplexus felix oracula puber.
Tunc ſimul in latebras truduntur carceris atras.
Quadam natorum putreſcens ſorte cadauer
Turpiter introrſus bulliret vermibus atris:

Sed tamen inſontum complentur nectare nares,
Olfactum Ambroſiæ ſpirantes fortè ſupernum.
Nec lucis radios linquens ergaſtula ceſſit,
Limpida ſed tenebras arcebant lumina furuas.
Sic DEVS in Sanctis alma virtute triumphat.
Tum cuſtos cernens rerum miracula tanta
Credidit altithronum ſaluantem ſecula regem.
Baptiſmum nactus ſtipatur milite denſo,
Qui prius excubias ſeruabant carceris atri.
Imperat interea multatum morte cadauer
Surgere, de nigris anima redeunte latebris,
Quod prius obuoluens conſtrinxit faſcia nexu:
Mortuus euigilat diſrumpens tartara tetra:
Tunc precibus turmæ vaſto crepidante tumultu
Hortantur iuuenem vero depromere fatu,
Qualiter exanimis furuæ veſtibula valuæ,
Inferniq; nigras poſſet penetrare latebras:
Et rediuiuus item ſplendentem cernere ſolem:
Edidit extemplo lethi decreta reſurgens,
Poſthumus angelica prodens ſuffragia turbis.
En iterum ſancti ſtropha ſtimulante draconis,
Martyres in cupas merguntur fomite farſas,
In quibus atra picis maſſa flagrauerat ardens,
Nec non ſulphureas ructant incendia flammas,
Et ſarmentorum comburunt pabula pagi.
Donec in ætherias flamma prorumperet oras.
Sed tamen inſontes Chriſti ſuffragia vallant.
Licia tunc digitos oleo madentia nectunt,
* Qui mox ignis edax flammis combuſſit acerbis:
Non tamen exuſſit Sanctorum torre lacertos.
En iterum * gypſas ſpiris ſinuata malignis,
Cærula peſtiferis extollit colla venenis:
Martyres ad theatrum truduntur veſte ligati,
Rictibus vt rodant Sanctorum membra leones:
Nec non mandibulas vrſorum ferre cruentas
Cogeret inſontes tortorum pœna lacertos.
Sed ſecus euenit Sanctis victoria palmæ:
Beſtia Sanctorum labris veſtigia tinxit,

*quæ f. le.

*lege dipſas pro inferno ſerpente.

Obſe-

Digitized by Google

Obſequium præbens, prædas oblita recentes.
Sic, mutante Deo, miteſcunt corda ferarum,
Quamuis ſtultorum torpeſcant corda virorum.
Vt quondam vates* cola cum comate prompſit.
Edidicêre truces prædam ſeruare leones.
Poſthæc martyrii mereantur ſerta cruenta,
Lucida ſtelligeri ſcandentes culmina cœli,
Ad quorum tumbas gelidæ poſt funera mortis
Corpore calloſo dein venere leproſi,
Qui ſimul in ſacro baptiſmi gurgite merſi,
Spiritus, & carnis ſumpſerunt corde medelam.
Antiquo fuerat famoſus tempore quidam
Legitimè Chriſto famulans vernaculus alto,
Quem genuit mundo clarum Nilotica tellus,
Sacra pudicorum quærentem lucra virorum,
Quem vocat Ægyptus crebris rumoribus Amos,
Plurima hîc geſſit virtutum ſigna ſacerdos,
Qui fuit in Nitriæ frondoſis accola dumis,
Squalida deſerti procurans iugera ruris.
Hic locus ex Nitro ſortitur Nitria nomen.
Creditur interdum quod nomen ſecula gignunt.
Cauſa fortunæ ſi his confidere fas eſt,
Si fors aut fatum, ſeu conſtellatio quidquam eſt,
Si Parcæ nulli parcentes fila gubernant,
Mortali vitæ fuſoq; rotante minantur,
Quod vehit in collo tereti vertigine* molam.
Sed magis arbitror, quod ſic errata reorum
Nitria purgauit, ſicut corpuſcula nitro,
Sordibus expurgata malis, & læta niteſcunt.
Hic quondam offendit turgentem tempore Nilũ,
Qui fœcunda rigat fluſtris Memphitica regna.
Nam tranſire volens optata lintre carebat:
Sed ſpoliare vetat carnem verecundia frontis,
Corpore ne nudo temeraret iura pudoris.
Tum dicto citius ſpumantes litore lymphas
Pinniger vt præpes transfertur cœlitus vltra,
Piſcifer vt dudum momenti tempore vates
Angelico raptu luſtrabat Chaldea regna,

* Althelm. lib. de Virgin. c. 28. Per cola & comata mellitis verſuum Epigrammatibus inculcauit 26.
§. Amos Eremita.

Vt vernam Domini nutrirent cruſtula farris.
Ecce puer quidam laceratus dente moloſſi,
Atq; venenato perpeſſus vulnera rictu,
Vertitur in rabiem fraudatus mente ſagaci:
Ferrea quem ſtrictis nectebant vincla catenis.
Bacchatur quoniam vagabundis paſſibus amens,
Idcirco prolis luxerunt fata parentes,
Et veneranda petunt flentes oracula Sancti:
Vt miſeri cladem,& vulnus ſanaret acerbum,
Quem conſulta ferunt tali cum voce dediſſe.
Reddite nunc viduæ ſublatum fraude iuuencum,
Et ſoſpes ſoboles vobis comitatur amanda.
Olli mirantur quod noſſet clancula furta,
Quæ prius abſtruſis credebant geſta latebris:
Tum genitor gaudens gratatur ſoſpita nato,
Actutum ſcæuis reddunt direpta rapinis.
Sic fors euenit, verax vt voce ſpopondit.
Tempore mox alio dolium deferre popoſcit,
Quod duo fouerunt: alter ſed vota fefellit.
Idcircò gelida conſtrictum morte camelum
m. ſ. gippũ. Perdebat *gibbum, quo vaſcula ferre pepercit.
Soſpite perfruitur ſed verax altera ſella,
Quo promiſſa ſeni compleuit vota benignus.
Hunc vidit ferri felix Antonius olim,
Linqueret egregius cum carnis vincula miles,
Angelicis turmis ad cœli ſidera vectum,
Pulchraq; perpetuæ penetrantem limina vitæ.

28. *S. Apollonius Eremita.*

Tempore iam priſco fuit Apollonius almus,
Edidit hunc ſignis clarum Nilotica tellus,
Hic erat in quadrum vulgatus laudibus orbem,
Præbens exemplum quingentis fratribus æquum,
Et pubertatis deſertum tempore quærit.
Nam ter quinquennis mortales aufugit vltrò
Gloſſ. notat 40. annos. Hic *octena ſimul conuerſans luſtra peregit.
Centies exorans nocturnis fermè latebris,
Et totidem vicibus ſic geſſit fortè diurnis:
Vt genibus flexis,& curuo poplite patrem
Cernuus oraret fretus pietate Tonantis.

Stup-

Digitized by Google

Stuppea cui fuerant pepli velamina texti,
Donec degebat nunquam paſſura ſenectam.
Claruit idcircò celebri rumore coruſcans.
Nam pagana procul vulgi cultura manebat,
Qua ſtetit antiquo delubrum more dicatum.
Inde ſacerdotes crebrò ſimulacra ferentes,
Bacchantum ritu longis anfractibus errant.
Taliter vt vidit, dementes fortè cohortes,
Fanorum ſtatuam per girum ferre nefandam,
Tum fixis genibus pulſabat voce Tonantem:
Et mox ſtare facit bacchantes agmine turmas,
Funditus vt nullus cum plantis pergeret vſquam:
Sed cuncti pariter, velut ænea ſigna rigebant,
Torrida* flagrantis perpeſſi lumina ſolis, *m.ſ. fraglantis.
Dum plus æſtiuo torrebit tempore Titan.
Interea damnum dum norunt vnde fuiſſet,
Credula doctrinæ ſpondent præcordia verbis,
Myſtica cœleſtis ſumentes dona lauacri,
Æmula ſi precibus diſrumpat vincla ſacerdos,
Paſſibus vt* properis trames per rura pateſcat, *m.ſ. proſperis,
Et poſſent ſolito pergentes calle meare.
Ille moras rupit fundens oramina ſurſum,
Dum crebris vicibus celſum pulſabat Olympum.
Sic ſator arcitenens diſſoluit compita clauſa,
In tantum, vt cuneus votorum compos abiret,
Purgatus maculis baptiſmi gurgite ſacro,
Idola fracta frians, & mox in fruſta reſoluens.
Lis quandam pacem crudeſcens rupit honeſtam,
Inter credentes, qui Chriſtum corde fatentur,
Et diffidentes, qui Chriſtum fraude refutant.
Nam Bellona ferox infecit corda venenis,
Arma cruenta ferens turbauit fœdera pacis.
Procedunt acies denſa ſtipante caterua.
Horridus exultat crudo certamine Mauors,
Cornua rauca ſonant, & ſalpix claſſica clangit,
Dum ſtimulant Martem bomboſa voce phalanges.
Tum celer aduenit præfatus forte ſacerdos,
Qui pacare ſtudens belli certamina ſæua,

m 3 Niti-

Nititur accenſam fraudis reſtinguere flammam,
Et necis horrendæ ſtolidum ſedare tumultum.
Sed quidam incentor bacchatur mente maligna,
Qui caput,& Princeps, ac pugnæ ſignifer atrox
Exſtiterat dicens,ſe nunquam pignora pacis
Malle,tetram donec perpetret funere mortem.
Tunc ait audacter depromens fata futura.
Sic tibi contingat lethi fortuna cruenta,
Ceu verbis optas,crudeli calce caſurus.
Solus nempe necem cernes moribundus acerbam,
Soſpite cùm reliqui vita funguntur ouantes,
Sed tibi poſt funus non præbet terra ſepulcrum,
Beſtia ſed rabidis diſcerpet rictibus atrox,
Et volucrum pariter truncatum roſtra * laceſſent.
Sic fuit, vt verax fatur ſermone ſacerdos:
Funere tranſacto tectum ſablone cadauer,
Rurſus manè vident, rumpente crepuſcula luce,
Beluis effoſſum funeſto corpus ab antro,
Et volucrum rictus artus laceraſſe nefandos.
Tum paſſim populi credebant eſſe Prophetam,
Dum celer effectus rerum ſpectacula pandit.
Omnes certatim qui farris tura litabant:
Lurida culturæ linquunt ſimulacra vetuſtæ,
Limpida mundantis ſectantes dona lauacri.
Hic pater illuſtris celebrans ſolemnia Paſchæ,
Vndiq; deſerti turmas adſciſcere iuſſit,
Atq; cateruatim cuneum glomerare fidelem.
Poſthæc exactis miſſæ concentibus omnes,
Fercula dum ſolitæ peterent paupercula menſæ,
Veſcuntur pariter ſicco nutrimine farris,
Nec non faſciculis,quos hortus tempore verno,
Germinat ex gremio,cùm gliſcit gramine tellus,
Tum pius alloquitur tali cum voce cateruas,
Credula ſi verè geſtamus pectora fratres,
Nunc precibus Dominum cœli qui regnat in arce,
Et regit imperium mundi dum ſceptra gubernat,
Pulſemus pariter,ſolamina digna * petentes,
Quatenus impendat iudex alimenta miſellis.

* m.ſ. laceſſunt.

* m.ſ. repetentes mendosè.

Nempe

Nempe die feſto laxantur fræna rigoris.
Ecce dapes lautas, & munera larga ciborum,
Ante fores antri cernunt, mirabile fatu.
Hæc geſtant geruli, quos vnquam nemo videbat,
Quamuis Ægypti luſtraſſet paſſibus arua.
Punica * mela vident, granis ſcitiſq; referta, *à Gr. τὸ μῆλον.*
Botros, & ficos, & plures ordine tortas:
Cernitur hîc etiam palmeti dactylus alti,
Et mel lenteſcens cerarum machina clauſum,
Atque faui croceum diſtillans flumine nectar,
Et ſimul vbertim candeſcens lacte coloſtrum.
His geſtis, geruli properant abſcedere rurſus.
Aſt olli Chriſto cœperunt reddere grates:
Fercula qui dapibus largus compleuit opimis:
Vſque diem * penti, quem dicunt nomine, coſten. ** pente forte legend.*
Sic DEVS omnipotens, qui cuncta latentia noſcit,
Deliciis proprios tantis paſcebat alumnos.
Iam famis Ægypti multauit clade cohortes;
Ecce cateruatim denſis venêre maniplis,
Vt pariter miſeri peterent alimenta ciborum.
Tum tres expendit ſportas cum pane refertas,
Quas prius exorans palma benedixerat alma.
Bis binis exin nutriuit menſibus omnes,
Vt nunquam penitus farris fragmenta negaret,
Nec tamen exhauſtis ceſſaret ſportula cruſtis.
Sic quoque naturam pinguis cumulauit oliui,
Vt quondam Helias legitur cumulaſſe Propheta,
Lenticulæ craſſum fœcundans ore * liquorem. ** m. ſ. liquorum mendosè.*
Ecce ſacerdotis pandam præconia lauti, *29. S. Hieronymus.*
Mentio dum ſancti pulſat penetralia cordis,
Cuius quadratum crebreſcit fama per orbem,
Atque per extremas fulget prudentia metas:
Qui fuit interpres, & cuſtos virgo pudoris.
Hebrea Romanis vertens oracula verbis.
Nam rudis, & priſcæ legis pateſecit abyſſum,
Septuaginta duos recludens * pagina biblos, ** m. ſ. bargina, mendosè.*
Quos nunc ſacratis deſcribit litera chartis.
Inſuper edidit tractatus iure ſtupendos,

Atq;

Digitized by Google

Atque Prophetarum commentis clancula certis,
Dicta retexebat pandens myſteria rerum.
Inclytus hic conſtat * ſcedis per ſecla Magiſter, *f. ſcidis.
Quæ nunc per mundum ſcribuntur ritè quadratum.
Et licet illuſtris lectorum turma per orbem
EVSEBIO genitore ſatus, ceu prodidit idem,
Enumerans veterum vulgata volumina patrum,
Ex quo Saluator noſtræ cunabula carnis
Sumpſerat in terris emundans crimina ſecli:
Quando crucis gabulum ſacrato corpore ſcandit,
Et genus humanum pollutum fraude maligni,
Vulnera perpeſſus purgarat ſanguine rubro.
Quis tanto ſtudio geminarum famina legum,
Aut tàm ſollerter rimari nititur vnquam?
Ceu meditatus erat ſacros didaſculus idem,
Vt Pſalmiſta canit, noctéſq; dieſq; libellos.
Æmulus idcirco pollutus peſte liuoris
Rictibus horrendis vatem laccrarat eundem,
Faucibus inuidiæ ſic gloria carpitur atris,
Et laus almorum * mulcatur fraude malorum. *ſic legẽd. vide Non.
Namq; canes crebrò ſtipant latrantibus aprum,
Vndique vallantes denſa cingente corona.
Aſt ille infeſtos diſpergit dente moloſſos,
Et voti compos ſaltu regnauit in alto.

Iam nunc almorum deſcripta laude virorum,
Candida virginitas Paradiſi cara colonis,
Quis dedit, vt mundus celebret præconia vaſtus,
Supremis donec ſoluantur ſecula flammis?
Dum colles vt cera fluunt, ſaltuſq; fatiſcunt:
Imò poſt mundum cùm eſſet cyclus Olympi,
Clarius ante thronum Sanctorum ſerta niteſcunt.
Tempus adeſt ſacras metris vulgare puellas:
Qualiter integritas virtutum culmine adeptis
Virginibus dederit nitidas geſtare coronas.
Delicias ſecli quæ temnunt corde profanas,
Fœtida pomparum linquentes gaudia ſontum,
Vt Dominum lucis deuota mente ſequantur,

Digitized by Google

Agnum, virginea ſpiſſis cum fortè cateruis
Stipat in ætherio cœlorum culmine turma,
Et grex cum paſtore pio gratabitur albus,
Purpureis vernant qua campi floribus arua,
Et lupus horrendis non frendet dentibus atrox,
Paſcua nec norunt crudelis damna latronis.
Sed paucis igitur perpes concordia regnat.

Nunc igitur caſto veneror rumore MARIAM. 30. S. Maria, virgo.
Verſibus egregiam nitor laudare puellam,
Cui mundus meritò celebrat præconia totus,
Quæ fuit Iſraël claro de germine gentis,
Deſponſata proco fœcunda puerpera virgo.
Sed DEVS omnipotens quadrati conditor orbis,
A quo proceſſit præſentis machina mundi:
Cui ſecreta patent ex alto culmine cuncta:
Quiq; abſtruſa ſuo perluſtrat lumine tetra,
Virginis intemerata videns præcordia caſtæ,
Maluit vt prolem peperiſſet virgo ſupernam,
Sordida qui veniens demſiſſet crimina mundi,
Dum delubra dedit Chriſto, atque ſacella pudoris.
Mox genuit verum lumen de lumine patris,
Exueret mundum vt furua caligine Chriſtus.
Qua genus humanum tetro torpebat in orbe,
Vſquequo clarifici luxerunt lumina ſolis,
De quo iam dudum cecinerunt verba Prophetæ.

Hæc inquam virgo cœleſti pignore fœta,
Edidit ex aluo ſaluantem ſecula regem,
Imperium mundi ſolus qui iure gubernat,
Vt dudum angelico diſcit virguncula fatu.
Cùm pater altithronus Gabrihel miſiſſet ab aſtris.
Hæc fuit, egregius quam promit carmine* vates, *al. ſ. vatis
Qui Solymis quondam diues regnauit in aruis,
Hortus concluſus floренti vertice vernans,
Fons quoque ſignatus cœleſti gurgite pollens,
Nec non & turtur tremulus, cui præſcius infit
Angelus: en ſobolem generabis virgo perennem,

Atque puerperium paritura puerpera gignes.
Filius altithroni ſanctus vocitetur in æuum.
Spiritus è cœlo veniet ſanctiſſimus in te,
Virtus ecce tuo confert vmbracula cordi:
Patris obumbrabit te virgo celſa poteſtas.
Quo dicto, matris turgeſcunt viſcera fœtu,
Qui genitus mundum miſeranda labe reſoluit,
Atque crucifixus ſcelerata piacula dempſit.

31. *S. Cæciliæ V. & M.*

Porrò Cæciliæ viuacem condere laudem
Quæ valeat dignè metrorum pagina verſu?
Quæ ſponſum proprium conuertit dogmate ſancto,
Mellea carnalis contemnens ludicra luxus.
Baſia dum potius dilexit dulcia Chriſti,
Candida præ pulcris complectens colla lacertis.
Quamuis harmoniis præſultent organa multis,
Muſica pierio reſonent & carmina cantu;
Non tamen inflexit fallax præcordia mentis
Pompa profanorum quæ nectit retia ſanctis,
Ne fortè properet paradiſi ad gaudia miles.
Taliter interea compellans vocibus infit,
Dum ſecreta petunt conceſſa lege tororum.
Angelus en, inquit, ſuperis tranauit ab aſtris:
Hic me, patronus, cœleſti fœdere fulcit,
Vt nequeam prorſus quidquam carnalis amare.
Namq; meum iugiter conſeruat corpus in æuum.
Vt nullus valeat ſpurco ſuccenſus amore,
Contrectare mea probroſo crimine membra:
Sed mox angelicis vlciſcens vindicat armis,
Qui me pollutis nituntur prendere palmis.
Sic deuota Deo conuertit femina ſponſum:
Necnon & leuirum ſoluens errore vetuſto,
Donec credentes ſumpſiſſent dona lauacri,
Facti municipes in ſummis arcibus ambo,
Martyres effecti carnis tormenta luentes.

32. *S. Agatha.*

Sicilia tellus, quam vallant cærula ponti
Fluctibus, & rabies pulſat per ſecula ſalſis,
Edidit Agathen, Chriſti famulatibus aptam.

Accola quam Siculus famoſa laude frequentat.
Quæ ſe diuinis ſubdebat cultibus vltrò.
Namque pubertatis florebat tempore Chriſto,
Diuitias mundi conculcans mente caducas,
Omnia ſeclorum mox ornamenta relinquens,
Et ſequitur Dominum deuota iuuencula Chriſtum.
Quis verò pœnas verbis enarret acerbas?
Aut mortis valeat clades effarier acris,
Quas tunc in teneris perfert virguncula membris?
Horrida vulnifici patitur diſcrimina ferri,
Quod caſtum lacerat corpus mucrone cruento,
Pectora virgineis fraudantur pulcra papillis,
Purpureuſq; cruor ſtillans de carne fluebat.
Sic quoque carnifices torrebant igne puellam,
Virgineos artus aſſantes torribus atris.
Sic dicto citius perdebat flamma vigorem,
Ignibus innocuis exurens membra puellæ.
Nec fuit in pœna ſimplex vexatio carnis,
Sed triplex potius: torquet ſtrictura lacertos.
*Tum rogus ardeſcens, & rubræ fragmina teſtæ, *al.ſ. Deum
Nec non & rigidi crudelis ſectio ferri,
Membra cruentabat ſpurco ſine crimine culpæ.
Tum pater omnipotens deuotæ virginis altor,
Arcibus æthereis defixit lumina terris,
Femineum indolis gaudens ſpectare triumphum:
Mox dedit auxilium clemens auditor egentum.
Fortior vt fieret truciter torquentibus illam.
Poſthæc martyrii mercatur ſanguine ſertum,
Perpetuas regni ſumens ex carne coronas.
Deniq; poſt obitum, ſignorum non vacat expers,
Quamlibet in tumba pauſarent oſſa ſepulcri,
Et ſacer aſtrifera gauderet ſpiritus arce.
Tempore nam quodam feruesſcens ignibus Ætna,
Torrida flammiuomis trudebat ſulphura riuis,
Tunc ruit in præceps ambuſta cacumina linquens,
Congeries lapidum, liquefactaq; viſcera montis,
Tum Siculus cultor flammarum fulmina ſcernens,
Ignibus oppoſuit ſanctam cum corpore tumbam,

Digitized by Google

Et dicto citius ſopiuit damna focorum:
Vnde Trinacriæ tellus exultat in æuum.
Cùm ſtolidi proceres, qui mundi regna regebant,
33. *S. Lucia,* Martyres immeritò multata carne necarent,
Seu potius fuſo decorarent ſanguine ſanctos,
Paſſuros inter fuerat virguncula quædam,
LVCIA, quæ Dominũ dilexit ſedula Chriſtum,
Quam de ſtirpe bona, & claris natalibus ortam,
Nonnulli iuuenes thalamis adſciſcier optant.
Sed ſacrata DEO fœdus ſponſale reliquit,
Mores ob caſtos, & cœli regna lucranda.
Hæc matrem monuit feſſam languore cruento,
Tangeret vt tumbam, qua clauſum virginis almæ
Agatæ corpus placida ſub morte quieuit,
Femina ceu quondam fluxu vexata cruoris.
Occultè Chriſtum tetigit, quam fimbria pepli
Curauit medicans, Domino donante ſalutem.
Sic igitur genitrix ſancta virtute ſepulcri
Claudebat patulas extemplo credula fibras:
Vt nunquam flueret venarum riuulus vltrà,
Et dicto citius ſiccaret ſanguinis vnda.
Tunc proles cœpit verbis narrare parenti,
Quod vellet Chriſto iugiter ſeruire pudica,
Atque thorum ſponſi mallet contemnere virgo,
Aurea gemmatæ linquens crepundia pompæ,
** daret fortè inſerendum.* Vtque peregrinis *...... ornamenta procorum,
** Hic eraſi ſunt duo verſus in m ſ.* Pauperibus ſtipem tribuens, & munera mancis,
. . . .
. . . .
Theſauroſq; ſuos ſub cœli conderet arce.
Filia mox matrem fatu correxit amico,
Credula virgineis pandentem pectora verbis,
Vt ſimul offerrent dites patrimonia Chriſto:
Quod, dum compertum vulgi ſermone crebreſcit,
Atque fatigantur ſacris rumoribus aures,
Tetrica mox ſponſi feruent præcordia felle.
** m. ſ. mendosè, per virginea.* Gorgoneis infecta malis, * pro virgine dempta,
Quam ſibi Saluator ſponſam copularat adultam,

San-

Sanguinis arrhatam conquirens dote puellam.
Igneſcunt populi lymphatica corda furentis,
*Ringitur & conſul dira Paſchaſius ira, m.ſ. rignitur.
Dum altercaretur crudus cum voce tyrannus,
A Chriſto ſponſam nitens auferre venuſtam.
Cum nec ſermonum ſtimulis cedebat acerbis:
*Nec blanda flecti lenonum fraude valebat, m.ſ. non.
Quamlibet ad tetrum traheretur fune lupanar,
*Atq; boues pariter traxiſſent reſtibus almam. m.ſ. atq; bobes p. et uſſis reſtibus a.
Quanquam tortores aſſarent igne teniellam,
In quo nigra picis, nec non & pinguis oliui
Flumina terrifico crepitabant torre pyrarum,
Vt magis horrorem ſentiret virgo beata,
Plurima dum flammis augerent pabula pagi.
Sed citò vexantis cedebat machina pœnæ.
Innocuis prunæ coxerunt membra fauillis,
Defenſante Deo, flammaſq; fugante rogorum.
Tunc igitur morbo mentis cruciatus acerbo,
Non tulit obprobrium iudex à virgine factum:
Candida ſed rigido violauit viſcera ferro.
Purpureus cruor extemplò de carne manauit.
Nec tamen exultat ſæuus de morte tyrannus.
Nec gratatur ouans cæſa pro virgine Chriſti:
Sed ſicuti nexis ſtringebant colla catenis,
Nodatis meritò nectentes brachia vinclis.
Sic reus aduenit Romanam conſul ad vrbem,
Vt vindicta grauis noxam puniret anormem, m.ſ. inormem.
Dum cruor inſontis, cum ſontis ſanguine fuſo,
Vlciſcebatur dignè pro talibus auſibus.
Sic quoq; Iuſtinam modulabor carmine caſtam, 34. S. Iuſtina.
Aurea virgineo lucrantem regna pudore,
Quæ terrena tori diſrupit vincla iugalis.
Florida mundanæ calcans commercia vitæ.
Huic procus illuſtris prauo ſuccenſus amore,
Nectere non ceſſat verborum retia fruſtra:
Vt ſibi fortè foret dotalis virgo per æuum,
De qua poſteritas eſſet ventura nepotum.
Sed cum tale nefas *geſtaret mente malignus, m.ſ. geſtiret.

Nec tamen inſontem poſſet peruertere fallax,
Virginis aut fibras cœcis incendere flammis,
Nititur egregiam magicis maculare venenis.
Tunc famoſus erat Cyprianus fraude nugaci,
Doctus in horrenda ſceleratorum arte magorum,
Qui tunc auxilium ſpondebat ferre petenti.
Plurima ſchematiſans ſacræ molimina menti,
In tantum, vt diris certaret dæmonis armis.
Quos magus aſſiduè ſtrophoſus miſit ad almam,
Vt pia pulſarent ſtimulis præcordia ſtupri.
Sed cum virgo DEI ſpreuiſſet friuola carnis,
Lurida tetrorum confringens tela latronum,
Credidit altithronum ſaluantem ſecula Chriſtum,
Ad Dominum tota conuerſus mente fidelis.
Pœnituit tandem magus idola ſpurca relinquens,
Expertus virgo quid poſſet ferre pericli,
Quæ nunquam valuit ſuperari mille nocendi
Artibus, inceſti ſed fugit crimen iniquum.
Poſthæc imperio regeret cum Claudius orbem,
Impius edictis ſanctos crudelibus vrgens,
Heu ſcelus! vt Chriſtum damnati voce negarent,
Nolentes autem ſectari ſcita tyranni,
O quam dura necis grauiter tormenta luebant.
Tunc Iuſtina ſuum ferro ſupponere collum.
Sanguinis aut riuos non horret fundere fibris.
Sic geminis felix ornatur virgo triumphis,
Martyra cum roſeis rubuit veneranda coronis.
Candida virgineis florebat femina ſertis,
Cum qua martyrii meruit vexilla cruenti.
Crudus Athleta Dei Cyprianus fuſo cruore.
Sicque poli pariter ſcandebant ſidera Sancti,
Vt prædira necis pariter tormenta tulerunt.
  Eugeniam porrò claris natalibus ortam,
35. S. Eugenia — Gemmam virgineo rutilantem ſtemmate rubram,
Quis dignè indoctus metrorum verſibus vſquam
Ruſticus explanet? cuius præconia paſſim
Lætus concelebrat ſub cœli cardine mundus,

Atque

Atq; ſupernorum reboat concentibus aula.
Deniq; baptiſmi nondum cunabula ſacra
Suſcipiens, Chriſtum miro veneratur amore.
In tantum, vt proprios dempſiſſet femina crines,
Cæſarie ſpreta ſumens ſignacula Chriſti,
Ac ſexum ſimulans, poſſet tonſura virilis
Hac ratione rudi ſic occultare latentem.
Namq; crucem Domini ſyncera mente virago
Gratulabunda vehens *baſternam linquit inanem,
Pergere cum pueris aſtus quos arte refellit,
Vt remeare queat prudens per deuia virgo.
Paſſibus & properis Sanctorum limina luſtrat,
Pontificemq; petens baptiſmi lucra capeſſat.
Protinus ad ſedes venit baſterna relictas,
Quam vt creuerant ſimul ſpretam remeare parentes,
Pectora ferratis riguerunt marcida curis:
Plurima tunc etiam Fortunæ caſibus acta
Turma Propinquorum queſtus è pectore promit,
Salſaq; palpebris effundit flumina luctus,
Triſtia roriflui humectant imbribus ora.
Tunc bino ſpadone fuit comitata virago,
Suſpicio vt nullam poſſet generare querelam.
Hanc Deus inſontem pius auxiliator egentûm
Clementis dextræ clypeo protexit inermem,
Vt cecinit dudum famoſus carmine vates:
Nam mentita fuit ſtrophoſis lingua loquelis,
Criminibus ſtupri nitens damnare puellam;
Sed pater omnipotens, qui cuncta latentia noſcit,
Virginis intactæ noluit monſtrare triumphos.
Auctorem ſceleris populo præſente reuincens,
Sicut matrona ſtimulis agitata malignis,
Illuſtrem Chriſti famulam ſermone procaci,
Deformare ſtudet, naturæ iura *recidens;
Sic iterum infelix, plebis vallante corona,
Magna cachinnantûm pateretur ludicra, votum
Plecteret, & meritò vultus confuſio noxam:
Vt nunquam dicant gentes, vbi eſt Deus eorum.

*Gloſſator ad marg. vehiculū.

m.ſ. præſcindens.

Floru-

Floruit in mundo quædam virguncula Chriſti,
33. S. Agnes. Agnæ cûi nomen priſci dixêre parentes,
Inclyta hæc fuerat fragrans virtute pudoris,
Ætatis decimus, nec non & tertius annus
Fluxerat in terris, cum primo gliſceret æuo,
Illuuiem mundi contemnens corde nefandam.
Sed procus illuſtrem præfecti filius Agnam,
Qui famoſus erat, regali faſce togatus,
Subnixis precibus thalamis adſciſcere nitens.
Aurea cum rubris offert crepundia pennis:
Nec non argenti ſpondendo plura talenta,
Nititur intactam donorum fallere viſco,
Sicut auem nectit nodoſis retibus auceps.
Sed mox lethiferam ſenſit virguncula cladem,
Crebrius hauriret ſi ſpurcas ore loquelas,
Aut pulſaretur probroſis virgo labellis,
Muſcipulam metuens ſpreuit ſermone petulcum.
Nam ſponſam potius ſpondebat ſe fore Chriſti,
Virgineo ſemper ſeruantem fœdere corpus.
Qui ſe ritè ſubarrauit cum dote Fidei,
Annulus & cuius ſacrauit membra puellæ.
Plurima quapropter patiens diſcrimina virgo,
Pertulit in terris inſons ergaſtula tetra.
Sed pius adſpectans certantis bella puellæ,
Arbiter horrendas diſcuſſit carceris vmbras,
Et clarum è cœlo lumen de lumine fudit.
Virginis vt tenebras non ferrent lumina furuas.
Truditur ad tetrum ſcortorum caſta lupanar,
Quatenus inceſti fuſcetur crimine virgo,
vitietur. Almaq; probroſis * notetur vita loquelis,
Quæ infirmare ſtudent vernarum nomine Chriſti,
Vt lacerare ſolent latrantes fauce moloſſi.
Tunc Procus aduenit denſa comitante caterua,
Garrula verboſis contorquens ſpicula labris,
Quod ſua deſpiceret caſtis connubia votis.
Sed Devs inſontes qui ſemper iure triumphat,
Iræ cœleſtis punit mucrone reatum.
Nam dicto citius crudeli funere vitam

Lique-

Digitized by Google

Liquerat horrendi contingens tartara Ditis,
Qui ſanctam voluit maculoſo lædere geſtu.
Mox igitur precibus diſrupit vincula mortis,
Pallida purpureo reſtaurans membra colore.
Quæ multata prius torpebant frigore lethi,
Quatenus inde forent laudis præconia Chriſto,
Vnde prius fuerant ſpurcis ludibria verbis.
Nam Conſtantinam ſanauit tumba ſepulcri.
Et ſarcophagus qua pauſant membra puellæ,
Vt meritò poſſet regnantis filia Regis,
Æterno regi regum qui regnat in æthra,
Reddere magnificas pro vita ſoſpite grates.
Virgo dicata Deo florebat tempore priſco, 37. S. Thecla,
Nomine hanc Theclam veteres dixere parentes,
Quæ conuerſa fuit ſacrato dogmate Pauli,
Et Chriſtum ſequitur connubia pacta relinquens.
Virginitatis amor fragrans in corde puellæ,
Dulcia mundanæ ſpreuit conſortia vitæ,
In qua fundauit cœleſtis gratia mentem,
Secula quam penitus nunquam mollire valebant.
Durior vt ferro foret ad tormenta cruenta.
Hanc pater, & genitrix pactis ſponſalibus, ambo
Ad ſtirpem generis ſatagebant dedere *nuptis. *nuptum f. leg.
Sed mens virgineis ardeſcens torrida flammis,
Gurgite mundano perfuſa tepeſcere neſcit.
Quamuis verborum rorarent imbre parentes;
Sicut nimboſis ſtillabant æthera guttis.
Propterea focus, & flagrans accenditur ignis,
Vulcanus latè feruebat torribus atris,
Vt virgo felix ferret tormenta rogorum,
Conſumptura piam falſo ſine crimine carnem.
Tali femineam ſontes molimine ſpinam
Excruciare ſtudent, membratim quatenus oſſa,
Si fieri poſſet, vacuarent cruda medullis.
Sed Deus æterna defendit ab arce puellam,
Vt voti compos flammas euaderet ignis.
Truditur ad rictus virgo laceranda *leonum *m. ſ. leopū,
Diris verò dant muliebres morſibus artus.

Digitized by Google

Beſtia ſed ſacrum non audet carpere corpus.
Defenſante Deo deuotæ membra puellæ:
Dum teneræ carni non vſquam ſponte pepercit:
Sic ſator electis cum mundi ſcammate certant,
Aurea cœleſtis largitur præmia regni.
Hæc ſuprema ſuæ decorauit tempora vitæ,
Purpureo ſanctam perfundens ſanguine carnem,
Martyr perpetui dum ſcandit lumina cœli.

38. S. Eulalia.
Eulaliam proſæ vulgatam laudibus olim,
Metrica nunc ſtudeant venerari carmina ſanctam.
Quæ mortale nihil vano dilexit amore:
Nec quidquam in mundo ſatagit pferre Tonanti,
Sed cunctas pariter pompas contempſit opimas,
Funditus vt ſpretis cœni ſqualentis ad inſtar
Deliciis gazæ ſequeretur libera Chriſtum.
Hæc thalami luxus, & gaudia blanda tororum,
Atq; caducorum ſortem deſpexit honorum:
Quatenus in cœlis caſtæ virtutis amator
Arbiter omnipotens impendat præmia vitæ,
Qui ſolet aſſiduis caſtos *ornare triumphis. (m. ſ. armare.)
Militibuſq; ſuis portam reſerare per æthram.
Dum vincunt Sancti fallentis præmia mundi,
Atq; coronatis geſtant vexilla maniplis.

39. S. Scholaſtica.
Tempore Gothorũ fuerat virguncula quædam,
Quę propriam ex ſchola ſumpſit Scholaſtica nomẽ:
Hanc DEVS vbertim cœleſti munere ditat,
Aurea virgineo lucrantem præmia voto.
De qua hoc præcipuum vitæ rumuſculus almæ
Diuulgare ſolet, latus quà tenditur orbis,
Quod fratrem ſibimet germano fœdere iunctum,
Subnixis precibus geſtit compellere virgo,
Quatenus acciperent ſacrarum dulcia noctũm
Fercula librorum, & ſancti conuiuia verbi,
E quibus affatim ſaturantur pectora plebis,
Atq; ſaginantur ſanctorum corda virorum.
Sed fidus precibus frater non flectitur vllis,
Quin imò ſanctam contempſit voce ſororem.
Tum virgo Chriſtum pulſabat voce benignam,

Vt ſibi

Vt ſibi dignetur vulnus ſanare doloris,
Mox igitur cœlum nimboſo turbine totum,
Et conuexa poli nigreſcunt æthere furuo,
Murmura vaſta ſonant flammis commiſta coruſcis,
Et tremuit tellus magno tremebunda fragore; f. fremebunda.
Humida rorifluis humectant vellera guttis,
Irrigat & terram tenebroſis imbribus aër,
Complentur valles,& larga fluenta redundant.
Tunc manſit volens, qui pridem ſponte negauit.
Quod germana petit deplorans anxia curis.
Sic Devs auſcultat deuota mente rogantes,
Quamlibet à nullo ſolandi verba capeſſant.

40. S. Conſtantina.

Nobilis in Roma vixit pulcherrima virgo
Conſtantina, nouę præbens ſpectacula vitæ,
Omnibus integrè qui conuerſarier optant,
Lurida linquentes veteris contagia vitæ,
Hæc inquam virgo cœleſti freta patrono,
Contempſit mundum felix cum flore virentem,
Arida ceu paleæ, proiecta peripſema ſqualent.
Vtq; magis ſtupeas, rumorem aduerte parentum.
Nam pater auguſtè regnorum ſceptra gubernans,
Imperium mundi, Chriſto regnante regebat,
Qui Conſtantinus nomen ſortitur in æuum.
Hic ſobolem ſanctam miro dilexit amore,
Dum vitæ meritò latè præconia curſant,
Quam pater intactam ſummus ſub dote ſpopōdit.
Felix virgineis cum iam pubeſceret annis.
Namq; proco fuerat, quo non præſtantior alter,
Regibus exceptis, qui mundum iure gubernant,
Deſponſata probo, pactis ſponſalibus arrhę.
Sed Devs integram ſatagens ſeruare puellam,
Satrapæ mentem ſtimulis compungit acutis,
Funditus vt pompas ſæcli ſpreuiſſet opimas,
Mallet immunis regi famularier alto,
Deliciis mundi quàm opulentis degere diues.
Cui ſic euenit miranda ſalutis origo,
Tempore nam quodam diris exercitus armis,
Scythicus adueniens denſa ſtipante caterua.

Hoſtibus innumeris Thraciam vaſtabat inertem,
Tum gener Auguſti vallatur milite,* paruæ
Mœnibus incluſus, mox propugnacula ſcandit,
Armis diffuſus ſæuo graſſante tumultu,
Eſſet vt horrenda crudeſcens mortis imago,
Et deſperatus torperet miles in vrbe.
Tunc conſul Paulo, nec non hortante Ioanne,
Ocyus excelſo deuotus vota ſpopondit,
Vt Saluatori reliquum ſeruiret in æuum,
Chriſticola clarus, delubra vetuſta relinquens,
Si populi ſtrages, & ſæua pericla duelli
Protinus auferret ſolita clementia Chriſti,
Temperiem reddens diſcuſſo turbine belli.
Quæ cum dicta forent ſpondentis voce ſequeſtra,
Extemplò, Chriſti ſenſit ſolatia prætor,
Cœlicolis ſuperis mox defendentibus vrbem,
Æmula dum paſſim verterunt terga phalanges,
Pace ſalutiferis populum ſtipante coronis.
Deniq; cum voti remeaſſet compos ad vrbem
Compta triumphorum ſortitus labbara Princeps,
Inclyta Romanis reuehens ex hoſte trophæa,
Seruorum decies quingentos liberat heros,
Hoc eſt, vernarum famulantia millia quinq;,
Participes faciens Romanis ciuibus omnes.
Nec petit Auguſtum pactam ſibi reddere ſponſam,
Coniugium penitus famoſum ſponte *recuſans, m. ſ. recauſans.
Spreuit opum nodos, mundiq; reliquit habenas,
Vt pauper Chriſtum miles ſequeretur egentem,
Iam factis complens* ----- ſcripta docentis.
Tota vouete Deo reddentes debita pacta.
Sic Devs omnipotens famulam protexit amantem,
Vocibus aſſiduis pulſantem regna Tonantis,
Vt ſe ſeruaret ſator integritatis amator,
Lurida linquentem ſcæui colludia luxus.
Plures nam Chriſto conuertit dogmate turmas,
Exemplo ſimul, & celebri rumore coruſcans.
Vberius pandunt geminæ quod fortè ſorores,
Attica, & Artemia prætoris ſanguine cretæ,

Digitized by Google

Quem Gallicanum vocitabant ſecula priſca
Præfatas cuius ſoboles regina monebat,
Virgineum caſtis vt ſeruent geſtibus æuum,
Florida quæ pariter meruêre trophæa pudoris,
Dum mundum linquunt tranſacto tempore vitæ,
Et fauſtè properant ad cœli ſidera ſurſum.
Nec minus interea Romæ tiruncula Chriſti 41. S. Euſtochium.
Floruit Euſtochium, venerandæ filia Paulæ,
Infula quam nitidæ comebat caſta iuuentæ,
Legibus angelicis ſeruantem iura pudoris.
Quamuis Blæſillam ſecli fortuna ſororem
Necteret ad thalami copulam, tedaſq; iugales,
Vincula comptorum paſſuram blanda tororum.
Attamen ereptum ſic luxit ſponſa pudorem.
Cum vir mundanæ clauſiſſet lumina metæ,
Plangere ceu ſolet ablatum matrona maritum,
Anxia dum queritur ſingultu funera ſponſi.
Hos igitur threnos, quos mundi fata faceſſunt,
Lethifer & morbus crudeli calce laceſſat,
Euſtochium lacrymis virgo non ſenſit amaris,
Mellea mundani temnens contagia luxus.
Aſpidis vt morſum ſpernebat baſia buccis,
Dulcia ſed Chriſti compreſſit labra labellis,
Oſcula dum ſupero defixit limpida ſponſo,
Vt cecinit quondam famoſo carmine princeps,
Qui ſceptrum regni Solymis erexit in aruis,
Perſonam Chriſti, ſponſali dramate ſumens.
Sic inquam voti vixit virguncula compos,
Vt meritò fama reliquum celebretur in æuum,
Cùm ſacer interpres conſcripſit opuſcula plura, S. Hieronymus.
Qui rudis, & veteris digeſſit famina legis,
Hebrea Romulidis vertens oracula linguis,
Nec non Argolicas Italo ſermone loquelas,
Idem tranſlator biblis opulentus opacis
Tranſtulit in latium peregrina volumina pandens,
Theſauroſq; ſimul librorum fortè Pelaſgos
Edidit in lucem, quos pagina texerat vmbra,
Clauibus Auſonia verbis cluſtella reſoluens.

Digitized by Google

Tomum præterea comptum ſermone polito.
Ad famulam Chriſti ſcripſit didaſcalus idem,
In quo pinguntur caſtæ præconia vitæ,
Qualibus integritas ornetur candida ſertis,
Immunes artus ſeruans ſine ſorde petulca.
Sic ſoboles Paulæ degit lectiſſima virgo,
Donec ſupremam clauſiſſent ſecula metam,
Aurea tùm properè penetrarat regna polorum
Spiritus, ad ſuperas anima remeante cateruas.

42. S. Demetrias, vide S. Hier. ep. ad Demetriadem virg.

Hic quoq; metrorum crebreſcat laude per orbem,
Demetridis honor ſacratæ virginis almus,
Quam licet Europæ fauſtis natalibus ortam
Plurima cum denſis celebrarent agmina turmis,
Punica ſceptra tamen præconia ſancta ſtupeſcant,
Virginis egregiam vultu mirantia famam.
Sicut enim lychnus modii non clauditur vmbris,
Summa ſed potius fulgeſcens arce locatur,
Omnibus vt radiet clara cum luce coruſcans;
Sic ſacrata Deo, caſto virguncula ſexu,
Vixerat in terris cœleſti freta patrono.
Inclyta hæc fuerat generoſa ſtirpe parentum,
Nobilibus titulis vitæ cunabula ſumens,
Sed tamen ante Devm multo generoſior extat,
Virtutum meritis rutilans, vt gemma coronæ,
Pulcra comis, cirriſq; decens, & candida vultu,
Fronte caperrabat frugalis virgo Tonantis.
Hanc opulenta ſibi certatim turma Procorum,
Formoſam ſpecie, thalamis adſciſcere geſtit,
Plurima dum felix ditis patrimonia gazæ
Poſſidet obryzum, ac gemma fulgente metallum,
Ac ſegmentata fulgebat veſte virago.
Innuba ſed voluit dotales linquere pompas,
Et ſuperi potius ſponſi lenteſcere labris,
Suauia compreſſis impendens oſcula buccis.
Nam nuper legi facundo grammate biblum,
Virginis eximiam qui ſcribit commate vitam,
Vt precibus genitrix ſubnixis ſancta popoſcit,
Cùm pia trans pontum pulſaret certa * Magiſtrum,

* S. Hieronymum.

Sci-

Scriberet vt ſuboli doctrinam ritè ſupernam,
Qualiter in cordis theſaurum condat acerra
Virgineum, ſeruans ſtupri ſine ſorde pudorem.
Tempore quo rigidos ſæui tormenta tyranni 43. S. Anaſtaſia.
Athletas Chriſti cogebant ferre cruenta,
Tres ſimul illuſtres ſumſer..... ſorores,
Splendida purpureis plectentes ſerta coronis.
Dum ſimul integritas candens & paſſio rubra,
Virginibus Chriſti cumulabant præmia dupla,
Quarum per proſam deſcripſi nomina dudum.
Impius Auguſtus qui mundi regna regebat,
Has Chriſti famulas nuptis adſciſcere geſtit,
Plurima ſacratis promittens dona puellis:
Si mallent omnes conſortes eſſe Procorum
Nobilium pulcra fungentes dote virorum.
Si verò nollent ritum complere iugalem,
Mox tormenta iubet ſanctas perferre puellas,
Lurida paſſuras ſtrictis ergaſtula clauſtris.
In quibus exiguæ caperent nutrimina cruſtæ:
Sed tamen inſontes felix Anaſtaſia vernas
Paſcere non ceſſat præbens alimenta miſellis,
Quæq; ſtipem quæſtus, ſimul & patrimonia gazæ
Martyribus confert, mortis diſcrimina paſſis.
Illius idcircò diuulgant ſecula famam,
Et rumor laudis perpes crebreſcit in æuum,
Quæ contempta ſui ſpreuit patrimonia ſponſi.
Et ſequitur Dominum neglecta ſorte mariti.
Pertulit idcircò pœnas matrona cruentas,
Quas nunc in chartis biblorum digerit ordo,
Et legitur felix deſcriptis paſſio ſcedis,
Annua dum redeunt celebrandis tempora feſtis.
Denique prædictas germana mente ſorores,
Diri tortores ducunt è carcere cæco,
Quas ſimul adſpiciens formoſis vultibus, atrox
Præſes Dulcitius ſpurco ſuccenditur igne,
Luxuriæ ſtimulis, cæco correptus amore.
Plurima tunc pellax ſpondebat dona puellis,
Si mallent animo nutum complere nefandum.

Sed

Sed famulas Chriſti protexit parma pudoris,
Spicula luxuriæ ſpernentes corde profanæ.
Sed nocturna quies cum feſſos occupat artus,
Dulcia dum famulæ cecinïſſent carmina Chriſto,
Odis Pſalmorum pulſantes oſtia cœli,
Audet atrox ſanctam ſpurco flammatus amore,
Audacter cellam ſtolidis irrumpere plantis.
Sed præſtante DEO cœcatur corde malignus,
Baſia cacabis dum ſtultus tradidit atris:
Sic ollis niger, & furua ſartagine teter,
Per totam noctem præſes deluditur amens,
Defenſante DEO, ſacraſque tuente puellas.
Egreditur tandem infelix gurguſtia linquens,
Quem ſcelerum ſocii nequeunt cognoſcere fronte,
Sed procul abſcedunt vaſto crepitante tumultu,
Linquentes laruam, furuum phantaſma putabant.
Nam proprias acies fautor cœcabat iniquus.
Vt ſolus nebulam ſtrophæ (non) noſſet adulter,
Cernere quam reliqui quirent ſine fraude maligna.
Tum petit Auguſti demens ſuffragia queſtu,
Vindicet vt flagris vernarum crimina ſontum.
Quo viſo proceres denſa ſtipante corona,
Cum colaphis cedunt, & lento vimine flagri,
Vt procul effugeret facies laruata nefandi.
Ducitur ad propriam famulis comitantibus aulam,
Moxq; clientelæ reſonant ſingultibus ædes,
Dum cernunt dominum picea fuligine pictum.
Autumat incaſſum fretas virtute magorum
f. phaſma. Hoc ſibi * claſma tetrum ſacras geſtaſſe puellas,
Idcircò peplis iuſſit fraudare beatas,
Paſceret obſcœnos vt nudo corpore viſus.
Quos prius in latebris fraudis phantaſma fefellit.
Sic DEVS ex alto, qui ſanctos iure triumphat,
Cum forti famulas dextra defendit inermes,
Vt nullus membris poſſet auferre cyclades.
Venit ad extremum princeps Siſinnius atrox,
Vt famulas Chriſti, ſi nollent tura litare,
Nec delubrorum ritus offerre profanos,

Inſon-

Inſontes pariter crudeli morte necaret.
Sed nullus valuit ſanctas terrore minarum,
Quamuis centenis plagis incumberet atrox,
A Chriſti cultu mentes diſcludere fixas.
Tum geminas mandat flamma crepitante cremari:
Quæ ſic orantes potius, quàm damna ferentes,
Angelicis vlnis ad cœli ſidera ſcandunt.
Tertia ſed ſequitur cuneum viſura ſupernum,
Tramite diſſimili tendens ad præmia vitæ:
Spicula dum patitur longis exempta pharetris,
Vulneribus crebris occumbens ſaucia virgo,
Purpureuſq; cruor tenera de carne cucurrit.
Præterea geminas diuulgat fama ſorores,
Romæ ſortitas primæ cunabula vitæ. 44. S. Rufina, & Secũda.
Nomine nempe prior felix Rufina vocatur,
Altera poſterior floris ætate, Secunda.
His pater * Aſterius, nec non Aurelia mater, * m. ſ. Aſterim.
Nobilium pulcra Conſulum dote Procorum.
Sed tamen illuſtres ſponſalia iura recuſant,
Cunctaque fallentis mundi patrimonia ſpernunt,
Vt ſponſi thalamis, cœli qui regnat in arce,
Iungantur iugiter, quo floret pulcra iuuentus,
Et nunquam aggreditur rugis * ſulcata ſenectus. * m. ſ. cul- oaſa.
Harum igitur ſponſi, neglecto tramite Chriſti,
Errorum anfractus ſalebroſo calle ſequuntur.
Quamuis ante fidem geſtarent pectore puram,
Idcircò ſponſæ temnentes iura Procorum,
Vrbis Romanæ linquunt faſtigia celſa,
Vt tempeſtatem tranquilla mente neſcirent,
Quam rea ſponſorum concinnant famina ſponſum.
Namq; petunt pariter Baſternis prædia nota,
Quæ procul in Thuſciæ felices parte regebant.
Sed rurſus Romam ſponſis prodentibus, ambæ,
Miſſis militibus properè ducuntur ad vrbem,
Squalores pariter paſſuræ carceris atros.
Tunc Rufina ſoror dictis parere nefandis
Renuit, vt vetitum fanis offerret honorem.
Cæditur idcircò cum lentis femina flagris,

Vt ſoror adſpiciens molleſcat mente Secunda,
Verbera dira pati cum ſanctos cerneret artus.
Sed ſecus euenit, quàm tortor credidit atrox,
Dum nutabundis non fatur virgo loquelis.
Nam conſtanter ait, nunquam tremebunda Secunda:
Adfer cuncta ſimul nobis tormenta cruenta:
Ignes, & macheras, & rubras * vibice virgas,
Reſtes, & fuſtes, & dura grandine ſaxa,
Cœrula ſanguineis harpagans vulnera riuis,
Quot tu pœnarum genera crudeliter infers,
Aſt ego tanta feram victo tortore tropæa:
Quot tu concinnas crudi diſcrimina lethi,
Tot nos in ſupera numerabimus arce coronas.
Tunc iterum carcer laternæ luminis expers,
Paſſuras claudit fumoſo ſtercore pœnam:
Sed ſplendor lucis radiantis ab axe polorum,
Furuas exſtinguit latebroſi carceris vmbras,
Et fœtor fimi, vt turis fragrantia ſpirat.
Poſthæc in thermas ambuſto torre calentes,
Ambas trudebant diuino numine fretas.
Sed tamen in thermis crepitantes fomite flammas
Protinus exſtinxit cœleſti rore poteſtas.
Artus virgineos ſic texit parma pudoris,
Vt nihil innocuis læſiſſet caro fauillis,
Sed fax, & fomes, & dempto pruna vigore,
Nequidquam ardentes ſopito torre tepebant.
Tum famulas tortor ſacratas imperat atrox
Pondere cum ſcopuli collum conſtringere nexu,
Alucus vt Tiberis merſiſſet gurgite glauco,
Quas prius exuſti non audent vrere torres:
Sed famulas Chriſti nectebant cœrula fluctu,
Frigida cum vitreis ſtupuerunt flumina fluſtris,
Ad ripas remeans rurſus cum ſoſpite vita,
Corpus virgineum damnat ceu * plana carina.
Tunc iuſſu rigidi truculento principis æquè
Sanguine purpureo ſanctarum membra rubeſcunt,
Ambæ martyrii mercantes ſerta cruenti;
Nec non virgineos ſumpſerunt iure triumphos,

* m. ſ. vbice. ſ. obice,

* m. ſ. placa carina.

Rura relinquentes cœlorum regna capeſſunt.
Quamuis oſſa tegat tellus, & tumba ſepulcri
Artus includat pro Chriſto funera paſſos,
Donec ſcintillans exurat ſecula carbo.
Attamen ad cœli ſcandunt ſpiracula ſedes,
Abſque chao denſis geſtantia labbara turmis.
Quando cateruatim vallant cœleſte tribunal.
Tempore quo Decius triquadrum rexerat orbem, 45. S. Anatolia, & S. Victoria.
Militibus Chriſti mortis diſcrimina patrans;
Extitit in Roma binarum forte ſororum
Fama præcipuus, pulſans rumoribus aures;
Quas nullus poterat tormentis vincere tortor.
Quamlibet inſontes multaret cæde cruenta,
Vt vitæ auctorem reflexa mente negarent.
Altera de geminis felix Anatolia dicta:
Altera ſed geſtat verum Victoria nomen.
Has igitur ſponſis claris natalibus ortis
Ad prolem generis ſatagunt adiungere nuptas.
Sed mens virgineis ambarum torrida flammis
Stuppas luxuriæ combuſſit torre pudoris.
Spurcitias mundi contemnens corde caducas,
Diuitias ſpargunt, ſimul & patrimonia dantes
Aurea purpureis calcant crepundia gemmis,
Cunctaq; pauperibus mox ornamenta miſellis,
Nil ſibi ſeruantes, vendunt pro ſtipe ſuperna.
Nuntius è cœlo pinnatus labitur alto,
Flammeus aſpectu, niueo candore coruſcus,
Sceptrorum lumen dextra geſtabat in alma:
Ambas alloquitur tali cum voce puellas.
Nunc procul à veſtro pallorem pellite vultu,
Pectore nec pauido quatiens timor ilia pulſet,
Dum vobis thalamus paradiſi ſede locatur,
In quo perpetui nunquam conſortia ſponſi
Deficient penitus, ſed gaudia longa manebunt.
Si vos virginitas comes indefenſa tuetur.
Tunc ambæ ſeruant caſtæ conſortia vitæ,
Angelus vt dederat ſanctis præcepta pudoris,
Vſque fugam vitæ cùm mors in limine latrat.

Marcida depopulans vitali pectora flatu.
His igitur geſtis ringuntur ſcæua Procorum
Pectora lethiferó zeli maculata veneno,
Dum cernunt amplum ſponſas expendere cenſum.
Interea Romam linquens Victoria virgo,
Exul in exilium tribunali ducitur vrbis,
Quo draco funeſtus ructabat flamina ventris,
Limpida lethiferis corrumpens aëra venenis,
In tantum, vt ciues vaſto crepitante tumultu,
Linquere iam mallent pollutam flatibus vrbem,
Exoſi latebram, qua horrens belua latebat.
His igitur miſeris ſpondet Victoria virgo,
Credula ſi Domino pandant præcordia Chriſto,
Lurida peſtifero linquentes idola cultu,
Vt dicto citius truculentam flumine * gypſam,
Quæ turmas vulgi multabat ſtrage cruenta,
Pelleret è populo, dum mallent credere Chriſto.
Quod dum ſponderent concordi voce cateruæ,
Illicò ſquamigerum proturbat virgo chelydrum,
Et procul in vacuas iuſſit reptare ſalebras.
Mox draco crudelis ſermonum pondere preſſus,
Deſerit obſcurum ſquamoſa pelle ſigillum.
Sic virgo felix æthrali freta triumpho,
Ingentem explodit ſancta virtute colubrum,
Vt nunquam vlterius ſerpens irrumperet antrum.
Sed procul abſcedens incultis exulat aruis.
Iuſſerat vt * gypſam verbo torrente migrare,
Ciuibus impendens expulſo natrice palmam,
Tunc rogitat ciues felix vernacula Chriſti,
Quatenus in crypta ſibi, natrix vnde nefanda
Aufugit, pariter dignentur condere cellam:
Mox veneranda Dei ſupplex vt virgo popoſcit,
Inſuper & decies ſenas iunxêre puellas,
Quæ precibus crebris laudarent voce Tonantem,
Odis Dauidicis modulantes carmina * ſanctè.
Tunc Procus Eugenius delubri flamine fretus,
Turificare iubet, munuſq; offerre Dianæ.
Alma ſed imperium ſpreuit complere nefandum.

* dypſam pro dipſada, leg.

* ſ. dipſam.

* m. ſ. ſancta.

Idcir-

Digitized by Google

Idcirco macheram ſtricto mucrone vibrabat
Crudelis tortor fundendo fluēta cruenta,
Virgineos artus conſecrans ſanguine rubro.
Mox interfector ſenſit diſcrimina palmæ,
Arida marceſcens dum torpet dextra lacerto.
Inſuper expertus calloſo corpore lepram,
Vermibus & ſcatens, efflauit flamen in auras.
Sic quoq; famoſis, felix Anatolia ſignis
Claruit, exilium ſæui perpeſſa tyranni.
Conſulis en ſobolem conſtrictam nexibus arctis,
Expertem ſenſus cum bruta mente vagando,
Hoſtibus exploſis reſtaurat pectus anhelum,
Quorum ore rudi diuerſis peſtibus ægros
Conglomerant pariter ſtipantes agmine ſanctam.
Ollis optatam reddebat virgo ſalutem:
Nec non & morſum, qui toruam carmine gypſam
Irritat vt Sanctos crudelis belua lacertos,
Dentibus horrendis, & rictu rodat aperto,
Extemplò curat diſrumpens vincla chelydri,
Qui prius in ſpira morſum glomerauit inertem.
Idcirco curſim feſtinat credere Chriſto,
Agnoſcens propriam tanta virtute ſalutem,
Inſuper & meritum cumulauit ſanguinis oſtro,
Præmia ſumpturus cum cœli cœtibus almis.
Candida poſt ſequitur cum binis martyra ſertis,
Integritas nitidam, nec non & paſſio rubram
Plumabant pariter macta virtute coronam.

Digitized by Google

Althelmi Epiſcopi,

INCIPIT DE OCTO PRINcipalibus vitiis.

DIgeſtis igitur Sanctorum laudibus almis:
Quorum rumores ſub cœli culmine flagrant,
Reſtat, vt ingentes depromant carmina pugnas,
Ex vitiis procedentes, virtutibus atq;,
Virginibus Chriſti, quę cœli regna negabunt,
Florida luciſluæ claudentes limina portæ,
Ni virtute DEI procul elimata fatiſcant,
Et fugiant furuas Chriſto trudente ſub vmbras.
Ecce cateruatim glomerant ad bella phalanges,
Iuſtitiæ comites, & virtutum agmina ſancta.
His aduerſantur vitiorum caſtra maligna,
Spiſſa nefandarum quæ torquent ſpicula rerum,
Æmula ceu pugnat populorum pugna duorum,
Dum vexilla ferunt, & clangit claſſica ſalpix,
Ac ſtimulant Martem legionum cornua cantu.
His inquam denſo virtutes agmine plures
Occurrunt vitiis geſtantes bellica ſigna
Caſſida cum thoracis, nec non ancile duelli,
Et macheram verbi, peccati monſtra necantem,
Se in ſpatium pariter portant ad prælia mundi.
Virtutes quoq; parmarum teſtudine ſumpta,
Sæua profanorum contundunt tela ſparorum.
Virginitas igitur quæ calcat crimina ſtupri,
Quam non deturpat peccati ſæua cicatrix,
Contra bellantes ſtudeat certare cateruas,
Octenoſq; duces, quibus hærent agmina ſæua,
Viribus armatis nitatur vincere virgo.
Nec ſolum prodeſt tirones ſternere ſtupri,
Et macerare ſuam crudeli vulnere carnem,
Cætera ni fuerint vitiorum crimina ſeptem,
Ad diram proſtrata necem graſſantibus armis.

Vt

Digitized by Google

Vt populus Domini liquit Memphitica ſceptra,
Humida cum ſiccis peruadens cærula plantis,
Et quater annorum compleuit tempora dena,
Hoc eſt, octeni ſpatioſa volumina luſtri,
Vſq; quo promiſſæ telluris regna capeſſat.
Sed plebs Ægypti rubro ſub gurgite merſa,
Quæ turmas fluſtris denſas perdebat aquoſis,
Ingluuiem ventris iuſte ſignare poteſtur.
Quapropter prauas expugnans Virgo cohortes,
Hanc peſtem primò diram certamine vincat,
Quam ſequitur ſcelerata phalanx, luxuſq; ciborum,
Ebrietaſq; ſimul, nec non & crapula cordis,
Ingluuiem dapibus quæ ſemper paſcit opimis,
Sed gula, quæ dulcis lucratur fercula victus,
Et geſtit ſaturare ſui penetralia ventris,
Ac ſtomachum farcire ſtudet præpinguibus extis,
Ieiunii validis pellax proſternitur *armis. m. ſ. almis mendoſè.
Nam protoplaſtus, quem rex formauit olympi, 1.
Ruricolamq; rudem palmis plaſmauerat almis, Gula.
Pectora fœcundans cœleſti flamine vitæ,
Iam dudum cecidit proſtratus fraude guloſa,
Dum vetitum ligni malum decerperet *ambro, m. ſ. gloſſator notat, deuoratorem,
A quo peſtiferum gliſcebat ſemen in orbe,
Vnde ſeges ſpiſſa ſpurcis ſuccreuit ariſtis,
Ebrietas animos ſolet eneruare virorum.
Nam ſator & mundi regnator poſt cataclyſmum,
Cum genus humanum multarent æquora fluſtris,
Paſtinat in ſcrobibus frondenti palmite vitem,
Atq; bibens nectar nudabat turpe veretrum.
Proles vt ſtolide rideret voce procaci,
Quod probrum cupiunt fratres velare paternum,
Tertius & primus pepli ſub veſte tegentes.
Si Bacchus valuit venerandum cogere vatem,
Vt deuotaret ſobolem, & genus omne nepotum,
Dicens; Sit famulus Canan maledictus in æuum.
Nunc potius metuit defruti pocula virgo,
Æthralem linquat ne victrix forte coronam.
Ebrius ad vitæ ſe neſcit tendere callem

Loth

Digitized by Google

Loth quoq; qui largus ſceleratos vixerat inter,
Hoſpes hoſpitibus præbens vmbracula tecti,
Dapſilis & tribuens cunctis ſolamina victus,
Cum ſcortatores, & molles corde cynædos,
Qui Sodomæ facinus patrabant more nefando,
Cœrula ſulphureis torrent *flumina flammis,
Nonne ſator ſoboles ſtupro cognouit adultus,
Ebrius in thalamo natarum neſcius errat?
Quod ſcelus infandum patraret crimine nunquam,
Ni mero madidus neſciret iura tororum.
Quid memorem ſapæ temulentum nectare Nabal
Qui genus extorris, nec non & nomen auitum
Ebrius exprobrat, ſtolida cum voce cachinnans.
Et ni matrona prudens, fore damna marito
Peruigili ſenſu noſſet ventura maligno,
Heu quantos demens ſeu quales ſtragis aceruos,
A rege ſpreto pateretur lentus in aula!
Vt nullum paries mingentem lotia noſſet,
Ante Aurora rubrum quam lumen ſpargeret aruis.
Idcirco hanc beluam ſtudeat ſuperare virago.
Ne balena vorax valuas explodat olympi,
Spiritus vt nequeat paradiſi ſcandere ſceptrum.
Dura quidem iugiter virtutes bella faceſſunt,
Ingluuiem contra, vincentem ferrea corda.
Sed tamen integritas ieiunis viribus obſtat,
Frangantur dapibus ne propugnacula mentis,
Nectaris idcircò contemnit pocula mulſa,
Atq; opulenta fugit pro Chriſto fercula virgo,
Viginitas felix, queat inſeruire Tonanti.
Exin certamen ſtuprorum bella ſecundum
Blanda cient caſtè Chriſto famulantibus alto.
Verùm virginitas ſcortorum caſta lupanar
Conculcat pedibus cœni fœtentis ad inſtar.
Ex hoc naſcuntur monſtro turpiſſima verba.
Nec non ſcurrilitas, & ſcœuo ludicra geſtu,
Friuolus, & fallax amor, ac petulantia luxus.
O quantos, qualeſue viros, & laude celebres,
Hæc Bellona ferox ſub triſtia tartara truſit!

*quos f. deſideratur.

2. Luxuria.

Virgi-

Virgineum demens ſtrophoſa fraude triumphum?
Non ſic egregium virtutis perdere palmam
Forma venuſtatis valuit compellere Ioſeph,
Qui dominam ſpreuit nectentem retia luxus,
Et ſtuprum fugiens pepli velamina linquit:
Idcirco felix meruit Memphitica ſceptra,
Quem ſolus celebrem terrarum prædicat orbis.
Quid referam Iudith generoſa ſtirpe creatam,
Proſtibulum regis temnentem pectore puro,
Et ſtuprum ſceleris calcantem corde profanum?
Ciuibus idcircò mortis diſcrimina paſſis,
Caſta cruentatum geſtauit fulua tropæum,
Integrum ſeruans deuota mente pudorem.
Sic vitium carnis polluta ſorde renatis
Integritas almo contemnit caſta triumpho.
Æmula virgineis proturbans bella ſagittis,
Lurida proſtibuli ne poſſit ſerpere virus
In fibras fragiles ſuccenſis torre medullis.
Poſt philargyria producit tertia bellum, 3. Auaritia.
Interpretatur vitium quod forte cupido.
Hæc ductrix pugnæ ſtipatur milite denſo.
Non ſola graditur per publica ſtrata pedeſtris,
Arma cruenta ferens,& ſpicula lita veneno.
Hæc comites prauos, itidem mendacia mille,
Fraudes & fures, ac falſis friuola geſtis,
Appetitus turpis lucri,& periuria inepta,
Atq; rapinarum maculatos crimine quæſtus,
Conglobat in cuneum cum falſis teſtibus ardens,
Vt Pſalmiſta canit lacrymans delicta reorum,
Semper auaritiæ numis ſeruire volentum,
Theſaurizat,& ignorat, cui congreget illa,
Paulus Apoſtolico promulgat famine Doctor,
Cunctorum cauſſam conteſtans eſſe malorum.
Hoc vitium idcircò conetur frangere virgo,
Dum facinus vaſtum loculi geſtator auarus
In Dominum lucis ſtropha patrauerat atra,
Credita qui rabidis furtim marſuppia palmis
Compilat,& ſtipem cupidus clam fraudat egentum.

Digitized by Google

Vltio quapropter lethali calce reatum
Vindicat, & furem crudeli verbere plectit:
Qui regem cœli redimentem ſecla cruore
Vendidit argenti cæcatus munere demens.
Nec non Hebrææ gentis regnator auarus,
A quo florigerum fraudatur vinea Naboth
in ſ. ſcedā. Coniuge crudeli * ſcidam ſcribente nefandam,
Hoc ſcelus amborum ſtrophoſo crimine geſtum
Caſtigat ex ſuperis proſpectans arcibus vltor.
Namq; cruenta canes linxêre fluenta tyranni,
Qua dudum occubuit ſcopulorum grandine vaſta,
Innocuus princeps, qui nullum læſerat armis.
Iezabel verò quæ tomum ſcripſit ad vrbem,
Atq; probos Domini multauit dira Prophetas,
Acriter horrendi diſcerpunt dente moloſſi,
Membraq; purpureo tabo perfuſa ruebant.
Sic quoq; quaſſatis Princeps ſub mœnibus vrbis,
Perdidit aurati vitam per lucra metalli,
Tale fuit lethum miſerorum, fortè clientûm,
Quos ſimul---------ſaxorum turba terebat,
Cum Domini populus muri pinnacula ſeptem
Denſo vallaret cuneo fulgentibus armis.
Salpicis & clangor, nec non & claſſica ſiſtri
Horrendum incuſſere metum per corda virorum.
Mox euerſa ruunt vrbis faſtigia fractæ,
Quæ dudum ſteterant ſeptenis arcibus amplæ.
Aurea ſic cupidus cumulans crepundia quæſtu,
Farcit egens iugiter fuluo nummiſmate ſaccum:
Et tamen expleri rabies ambuſta negatur.
Ceu laris accenſi crepitant incendia flammis
Amplius, & quanto fuerint augmenta rogorum,
Tanto plus ſitiunt vt torris fomite flagrent.
Sic igitur cupidus nec non infernus, & ignis
Conferri poſſunt terno paradigmate rerum.

4. Ira. Aſt verò quartam trux congregat ira cateruam,
Quæ ſemper furibunda cupit diſcrimina belli:
Et ciet ad pugnam mentes diſcordia fratrum,
ſ. pie. Dum copulata * piè diſrumpit fœdera pacis.

Et

Ex hoc naſcuntur cædes cum ſtrage nefanda:
Et clamor vocis, ſimul indignatio frendens.
Sed moderata geſtat certam patientia terram,
Atq; cruentatum ferro fractura cerebrum,
Iræ bacchantis ſtrepitum compeſcit *anormem, m. ſ. inormem.
Vincere ne valeat Furiarum maxima mentes.
Quamuis Gorgoneo ſtridat maculata cruore,
Atq; venenatis mordendo ſibilet hydris,
Dum caput ex Erebo nigricantis filia Noctis
Tollit, & in mundum Stygiis emerſa latebris,
Suſcitat Alecto ſcæuas ad ſcandala mentes.
Hæc ſolet ad bellum ferratos ducere contos,
Horrida facturos animabus vulnera Sanctis.
Noſtras ni Dominus mentes defendit inermes.

Triſtitiæ quinto graſſantia bella tumultu — 5. Triſtitia ſeu deſperatio.
Virtutum muros, & propugnacula frangunt,
Tironeſq; Dei vexant crudelibus armis.
Quanquam puſillanimes trux deſperatio mentes
Opprimit incautum obtentu rancoris amari:
Bellator Chriſti ſed mox vmbone retundit,
Geſtans triſtitiæ pariter genus omne mucronum,
Quæ mentem ſtimulare ſolent, ni fortè fatiſcat.
Hunc morbum ægroti medicantur gaudia cordis
Spiritus & læto moderans præcordia geſtu,
Nec rigor, & rancor mentis penetralia turbent,
Vt nequeat Chriſti ſecurus viuere miles.
Frangatur potius mox deſperatio mœſta,
Ne ruat in præceps, mentiſq; ſtatura labatur
Si firmo careat noſtri fundamine Chriſti,
Qui ſemper tremulos tutatur gratia gratis
Et nullum patitur lethali vulnere labi,
Ne deſperatus medicantem ſpreuerit æger.
In geminas iſtud nomen ſe findere partes
Creditur, & duplici dirimuntur tramite cauſſæ.
Vna ſalutaris tendens ad limina lucis,
Altera mortalis penetrans ad tartara tetra,
De qua nos Dominus ſaluare dignetur ab arce.

Hinc aciem ſextam torpens Accidia ducit. — 6. Acedia, ſ. Accedia.

Digitized by Google

Otia quæ fouet, & ſomnos captabit inertes,
Importuna ſimul verborum friuola ſontum,
Inſtabilis mentis geſtus, & corporis actus,
Inquietudo ſimul ſtipatur milite denſo.
Peruigil hanc peſtem calcat Conſtantia mentis,
Quæ creta Chriſti geſtit defendere vitam,
Hoſtibus exploſis ſecura pace potitur.
Spirtus ille vagus cupit, vt mens otia quærat,
Occupet & ſtudium iam ſomnolentia ſenſum,
Sedula ſollicitum pulſet ne lectio pectus.
Lumina nec vigilum ſcripturæ tramite tendant.

7. *Cenodoxia ſeu vana gloria.*

Septimus inſequitur denſis exercitus armis,
Quam peſtem priſci dicunt Cenodoxia Græci,
Vana quod in Latium transfertur, gloria, nomen.
Hæc protoplaſtum pellexit fraude colonum,
Dirum perſuadente ſcelus fautore malorum,
Tales ex atro dum rupit pectore voces:
In quacunq; die vultis decerpere fructum,
Mox patefacta fiunt veſtratis lumina frontis,
Nec non diuini vobis comitantur honores.
O quam falſa latro ſpondebat friuola mendax,
Vt conceſſa rudis fuſcaret munera vitæ.
Nonne ſatis foret, vt quadro cum cardine mundus,
Quem vertigo poli longis anfractibus ambit,
Vſibus humanis ſeruiret ritè peræuum,
Inſula terrenos ni cœli comat alumnos,
Heu ſcelus, heu facinus, miſeris mortalibus ortum,
Et hoc ex vana præſertim gloria fretus,
Haud meruit princeps ſpe circumuentus inani.
Ex hoc gignuntur vitiorum fomite clades:
Lethiferi primum verbi contentio præceps.
Inde hæreſis gliſcit, necnon iactantia creſcit,
His quoq; congreditur præſumptio trux nouitatum,
Sed tiro infracta tectus teſtudine Chriſti,
Horrida vulnifici detrudit ſpicula ferri.

8. *Superbia.*

Octauam cumulat . . . . ſuperbia turmam,
Militibus Chriſti torquentem pila piacli,
Quæ glomerare ſtudet ventoſa fraude maniplos,

Et

Et graditur ſemper faſtu comitata maligno,
Dumq́; pedes pergit per mundi crimina fallax,
Sed criſtata caput quaſſat ſub nubibus atris.
Nam plerunq; probos propriis proſternere telis
Nititur, & ſtrages alienis factitat armis.
Naſcitur atra frutex ex iſta radice frondens,
Et nemus vmbroſum diro de ſemine ſurgit.
Primò, contemptus procerum præcepta docentum,
Dum mentis typhus ventoſo pectore turget,
Nec non inuidiæ peſtis progignitur inde,
Quæ ſolet æquales tumido contemnere faſtu,
Atq; ſatellitibus ſpretis regnare ſuperba.
Namq́; per inuidiam læthalia ſceptra vigebant,
Dum prædo pellax, & tetræ mortis amator,
Auctorem generis ſtropha pellexit inani,
Scanderet ad ſuperas arces ne turba nepotum.
Sic quoque ſlubris tabo corruptus inormi,
Splendida germani dirupit fœdera frater,
Pinguia qui primus *combuſſerat exta bidentum, * m. ſ. comburerat.
Deſpiciente Deo crudelis munera Cain.
Inde praua ſeges gliribus denſeſcit *acerbis, * aceruis m. ſ.
Sanguine purpureo dum ſcæuus rura cruentat;
Inde ſuperbarum naſcuntur murmura vocum,
Et crimen cordis dicto parere negantis,
Ac lacerans homines *trux detractio linguæ. * truculentus fortè.
Cætera quę dudum numerauimus agmina ſeptem,
Inter mortales terrena ſtirpe creantur.
Aſt verò monſtrum, de quo nunc pagina fatur,
Principium ſumpſit ſuper alta cacumina cœli.
Angelicus princeps, & protus lucifer æthræ,
Ex aquilone ſuum dum ſublimare tribunal
Geſtiit, & Domino ſimilem (ſe) fraude ſpopondit.
Iamq́; nouem lapidum forma phaleratus amœna,
Contra creatorem fruſtra turgeſcere cœpit,
Dum ſcelus horrendum tetro ſub pectore verſat,
Vt Dominum propriis æquaret viribus audax,
Lucifer idcircò deſerto climate cœli,
Nigra ſatellitibus ſtipatus Tartara ſarſit.

Cœlicolas iſta proſtrauit belua ſuperbos.
Qui prius angelica fulſerunt luce coruſci,
Sedibus & ſuperis florebant ſorte beata,
Tertia ſtellarum rueret dum portio præceps.
Lucida bis tantum manſerunt ſidera ſurſum.
Peſtiferum natrix ructans de fauce venenum,
Denique ſi potuit cœli mulcare cateruas,
Plus ſe terrenus mundani cultor agelli,
Hic metuat multo * gypſam lacerare ſuperbam. * gypſam.
Talia monſtra poteſt humilis ſuperare ſatelles,
Qui tumido neſcit mentis turgeſcere typho,
Atque ſuperborum conculcat crimina morum,
Nequidquam integritas famam & præconia captat,
Si cordis peplum corrodens linea ſulcat,
Si mentis gremium ventoſa ſuperbia farcit.
Fruſtra virginitas laudem rumoribus aptat.
Culmina celſa valet humilis conſcendere virgo,
Si ſequitur Chriſtum formam qui præſtat alumnis,
Et mundi maculas purgarat ſanguine fuſo.
  Sed me materiæ moles, ceu ſarcina grandis
Deprimit, vt cunctas non poſſit charta coronas
Prendere virgineas, (operis) ſed plurima reſtant
Perficienda, rudem malunt qui noſcere ſenſum,
Ingeniiq; ſui nolunt torpeſcere cotem,
Non aciem codis ſcabra rubigine perdunt,
Otia * nec propriam linquunt obtundere mentem, * nec m. ſ.
Quin potius ſacros verſant ſub pectore libros,
Crebro ſcrutantes præſcripta volumina legum,
Quæ ſuperant mellis multum dulcedine guſtum,
Flauentiſq; faui, cecinit quod carmine vates.
Sic lector libri ſolers, & gnarus amator,
Nititur electos ſcripturæ carpere fructus,
Vt pecus agreſtes ex * prauo vellicat herbas, * prato, forſan.
Nocturnis recubans, quas rurſus ruminat horis.
Sed ſus cænoſis volutabri ſordibus apta,
Dum ſtratis recubans porcaſter pauſat obæſus,
Iuncis, & ſtipulis, nec non filicumq; maniplis,
Ante dies inquam .... mihi Quintilis ardens,

Sexti-

Digitized by Google

Sextilis aut etiam procedent tempora terris
Deficiet, totam quàm poſſim pandere famam,
Virginibus caſtis ſantem præconia laudis.
Nec valet immenſum perfectè fortè pudorem,
Garrula rauciſono complecti pagina verſu:
Quamuis millenis collaudent ora loquelis,
Sicut folligenis reſpirant organa flabris,
Muſica conciſis, & clamat barbita bombis.
Vinea parua mihi flauentes protulit vuas,
Quamuis in gracili vernaret pampinus aruo,
Vnde pudicitiæ carpens de palmite botros,
Ocyus expreſſi metrorum paucula muſta,
Non tamen arbitror quod aceſcant prorſus in æuum,
Aut dentes ſtridant in potu fortè bibentûm,
Ni fallax caupo ſtrophas infundat aquoſas,
Qui ſolet interdum mercantes fallere lymphis,
Dum ſtudet in cupis defruti perdere nectar.
Taliter adſtipulans natos de vite racemos,
E quibus in prælo plantis contunditur uva.
Iam tempus cogit currentes claudere verſus,
Ruſtica magnificis condentem carmina ſanctis,
Terminus æquoreo dum venit margine metri,
Ponti ſpumoſas vt nauta transfretat vndas,
Maxima per modicam emenſus cœrula lintrem,
Attigit optatum laſſus de gurgite littus,
Turgida ventoſis deponens carbaſa malis,
Antennaſque ſimul ſoluens de parte rudentum,
Anchora fluctiuagam nunc ſiſtat metrica barcham,
Vt ſaltem in portu quaſſatus nauita fluſtris,
Ad requiem tendens, optata ſorte fruatur.
Hos igitur pauper ſupplex obſecro patronos,
Virgineis proprium comentes actibus æuum,
Et famulas Domini precibus pulſabo miſellus,
Integritate ſua quæ Chriſti regna merentur,
Limpida ſtelligeri ſcandentes culmina cœli,
Vt Dominum pulſent clamoſa voce Tonantem,
Qui ſolet indignis vltrò miſereſcere vernis,
Conuerſiſq; reis noxarum ſoluere vincla.

Quo-

Quatenus ante diem, qui vitæ lumina claudit,
Nec non ante diem qui mortis limina pandit,
Cuncta piaclorum ſoluantur geſta meorum,
Et quodcunque mali geſſit laſciua iuuentus,
Deleat æternus, cœlorum gloria, Chriſtus,
Clementer veniam tribuens, peccata remittat,
Actibus, aut dictis .... ſola noxia ſenſu,
Sic mihi dignetur Sanctorum ſumma poteſtas.
Præmium miſero deuotum ferre viciſſim,
Quos ego virgineo deſcripſi carmine metri,
Vt minimè lateant caſtorum ſerta per æuum,
Qualiter ex propria meruiſſet carne coronas.
Sed vos virgineis comit quos infula ſertis,
Hoc opus, aduerſus querulos defendite ſcurras,
Reprehenſorum claudentes labra loquentûm,
Cùm tamen haud metuam ſcurrarum dicta legentûm,
Qui malunt vatum ſcidas lacerare canentum,
Dum furuas verbi quærunt in luce tenebras,
Planaq; rimantur tortas per rura ſalebras:
Litera ſi titubet, vel certè ſyllaba nutet,
Si genus, aut numerus, vel caſus ab ordine cedat,
Si perſona triplex maneat, duplexq; figura,
Quinquies excurrant verborum tempora ritè,
Nec tamen emendant titubantis gramma poëtæ,
Sed ſemper cupiunt ſcriptoris carpere chartas,
Vt caper hirſutus rodit cum dente racemos,
Floribus euacuans frondenti palmite vites,
Qui quondam vexit populi, in deſerta, piaclum.
Sanxerum veteris quod ſcita voluminis alma.
Talia ſed timidus dicta *tortela tela paueſcat,
Qui propriis nunquam confidit belliger armis.
Caſſida nec capiti diſcit prætendere metri,
Nec ſpinam lorica noſcit defendere proſæ:
Armet ſed dextram capulus, ceu parma ſiniſtram,
Cruraq; non careant ocreis, nec femina ferro,
Ne timeat ſcriptor terrentis ludrica linguæ.
Nam tremulos terret nocturnis larua latebris,
Quæ ſolet in furuis ſemper garrire tenebris.

Sic

Sic quoque maſcharum facies criſtata faceſſit,
Cum laruam, & maſcham miles non horreat audax,
Qui proprio fretus præſumit fidere geſtu.
  Cùm ſit digeſtus ſanctorum ſexus vterq;,
Alta ſupernorum qui ſcandunt arua polorum.
Octenuſq; ſimul peccati calculus atri
Expoſitus gracili verborum claue patenter;
Quem Devs à noſtro detrudat pectoris antro
Et procul in furuas emigret luce latebras.
Nunc in fine precor, proſam, metrumq; legentes, NB. hic, & ſupra, hunc Auctorẽ proſa idem argumẽtum tractaſſe.
Hoc opus, vt cuncti rimentur mente benigna,
Dum patulis luſtrent textum ſub frònte feneſtris,
Quod geminum conſtat diſcretis fortè libellis,
Vt mihi cum precibus peccati vincla reſoluant,
Et precium libri pendant oramine crebro,
Quatenus æthèrium qui ſeruat regmine regnum,
Principio, vel calce carens, & temporis expers,
Cui dedit, aut dempſit nil, mundi longa vetuſtas,
Arbiter æternum mihi iam miſereſcat in æuum.
Qui lætabuntur per cœli culmina ſancti,
Atque cateruatim laudabunt voce Tonantem;
Patriarchæ primo, qui gentis germina ſacræ,
Et ſobolem, ſtirpemq; rudem genuère nepotum,
Per turmas pariter procedent agmine denſo,
Et regnatoris ſtipant ſublime tribunal.
Illic & vatum lætatur turma priſcorum,
Quæ quondam cecinit noſtri cunabula Chriſti,
Cùm reſtauraret labentia ſecla redemptor,
Expurgans veterum clemens monumenta malorum.
Illic Martyribus * foreſcit vita perennis, * ſ. floreſcit
Vulnere qui diro quærebant præmia macta,
Purpureo patulum mercantes ſanguine regnum,
Quo confeſſorum gaudebant agmina ſancta,
Quamlibet expertes effuſi ſanguinis eſſent.
Sed tamen egregiam meruit confeſſio palmam.
Illic virginibus, qui linquunt lurida carnis
Gaudia terrena, confertur gloria regni,
Dum decies denis modulantur millibus odas,

Et quater vndecies conclamant carmine Chriſto,
Agnum ſectantes, qui quondam ſanguine rubro
Sordida peccantis ſecli * dicta piarat.
Cum his cœlicolæ qui fauſta ſorte fruuntur,
Atque coronati geſtant vexilla tropæi,
Quiq; cateruatim denſis cœleſte tribunal
Millibus in gyro vallabant ſidera ſupra,
Vltimus in requiem diuino munere fretus,
Adduci merear, Chriſto regnante per æthram.

* maledicta.

Explicit Liber Althelmi Epiſcopi, de laude virginum.

THEO-

THEODVLPHI
ABBATIS
FLORIACCENSIS,
POSTEA
EPISCOPI
Aurelianenſis,

Elegiæ Epiſtolares.

De ſuo exilio,

AD
MODOINVM,
ET
AIGVLFVM.

Item

RESPONSORIA EPISTOLA
ELEGIACA
MODOINI EPISCOPI
Ad
Theodulphum.

Omnia nunc primum ex membranis m. ſ. S. Galli edita.

Digitized by Google

QVis Modoin⁹, quis Aigulfus, quis Theodulphus fuerit, breuiter accipe. Modoin⁹ hic eſt, qui depoſitioni Ebbonis interfuit anno 853. vnà cum Aiulfo, quem hunc ipſum noſtrum Aigulfum eſſe aſſero. *Ebbo voce propria* (inquiunt Acta Synodi Sueſſionenſis, quæ & apud Baron. tõ. 10. anno 853. num. 7. extant) *& iudicium peccatorum ſuorum, videlicet Epiſcoporum iudicio, Aiulfi ſcilicet Archiepiſcopi, Badaradi Epiſcopi, Modoini Epiſcopi, & teſtificatione teſtiũ &c.* De Theodulpho hæc Card. Baronius Tom. 9. Anno Chriſti 832. cùm Theodulphus Abbas Floriacenſis vnà cum aliis, in illa coniuratione Bernardi aduerſus Ludouicum Imperatorem fuiſſet inuentus implicitus, ob eamq; cauſam Andegaui detruſus fuiſſet in carcerem, cum poëticæ facultatis litteris præ cæteris huius temporis fuiſſet excultus, ibidem detentus ſcripſit Eccleſiaſticum carmen ad diem Palmarum in Eccleſia canẽdum accommodatum, obſeruanſq; tempus, cùm eo die Ludouicus inde tranſiret, è feneſtra carceris, vti licuit, illud cecinit in aures eius, quod cùm eidem Imperatori mirificè placuiſſet, eo permotus, ipſum iuſſit quàm primùm è carcere liberari, quin etiam prærogatiua, non ſolum ipſius ſcientiæ, ſed pietatis permotus, poſtea ad Epiſcopatũ Aurelianenſem promouendũ curauit. Eccleſiaſticum autem Melos ſic habet.

Gloria laus & honor tibi ſit &c.

Scripſit & alia plura carmina, quorum aliqua adhuc extant, nobilis ingenii monumenta &c. Extat præterea Epiſtola eius ad Clerum ſuæ Diœceſis ſcripta, cùm factus fuit Aurelianenſis Epiſcopus. Hæc Baronius, qui totam hanc Epiſtolam Annalibus ſuis intexuit. Poſt quem eandem denuo cum Hincmari Epiſtolis Moguntiæ euulgauit R. P. Ioannes Buſæus, ſocietatis Ieſu Theologus.

INCL-

Digitized by Google

INCIPIT EPISTOLA THEodulphi Epiſcopi ad Modoinum Epiſcopum. ſcribens ei de exilio.

Theodulphus Modoino ſuo ſalutem. de ſuo exilio.

HOc Modoine tibi Theodulphus dirigit exul
Summo Pontificum cernuus ecce melos.
Ito Thalia celer, celeri tranſcurre volatu.
Nec mora, nec tibi ſit vlla in eundo quies,
Donec peruenias Modoini ad tecta beati,
Præſulis eximii, Pontificisq; pii.
Ad quem mox veniens, genibus reuoluta iacebis,
Iuſſerit & ſi te ſurgere, ſurge celer.
Baſia confeſtim manibus donabis amicis,
Et ſpectans patulam, feſſa iacebis, humum,
At, ſi te rogitet, quæ ſis, & cuius, & vnde?
Fare age pro me animo ſingula dicta tuo,
Sum Theodulphi Erato, veniens de carceris antro
Eius vbi immenſus hunc tuus vrit amor.
Exul, inops, pauper, triſtiſſimus, anxius, *agens, ſ. egens.
Spretus, & abiectus eſt vbi, ſiue dolens.
Forſan & ipſe roget, quid agam? me viuere dices.
Vita, qua melior mors bona, ſorte foret.
*Haud legit, haud docet, haud laudũ pia munia cõplet ſ. Aut legit aut d. aut l. p. m. c.
Cuncti patri Domino qui regit arua polũm.
Hunc, pro ſe poſcit, pro te, ſiue ordine cleri,
Pro *poli, & regis, proq; ſalute Ducum. *pro populo.
Me, tibi tranſmiſit; huius tibi dico ſalutem,
Subdita ſunt cuius verba canenda tibi.
Obſecro frater amans noſtri memor eſſe memento, *m. ſ. mea.
Frater, pars animi portio magna *mei.
Mens tua ſemper erit noſtros miſerata labores,
Noſtræ nota tibi quod bene cauſa rei.

Quò magè res nota eſt, magis inde adhibeto dolorē;
Sic medicus morbum dum videt, arte fugat.
Fumea præſentis pereunt, ſcis, gaudia mundi:
Nunquam fraternus ſed perit almus amor.
Me modò pluris amas, quanquā me ſemper amaſſes,
Ægrum aliis natum plus pia mater amat.
Feſſis opto libens certa ſuccurrere rebus;
Et fratrum mentes ſollicitato pias.
Vnus ego quamuis ſim; non eſt vnius hæc res:
Quod factum eſt mihimet, eſſe poteſt alii.
m.ſ.cura Eſt commune malum; communis *cura petenda eſt.
Quod noſtrum eſt hodie, cras erit alterius.
Hęc non quis frater timeat contagia demens,
Ne illi, quæ nobis irrepat iſta lues?
Febre ſolet febris, ſeu vulnere creſcere vulnus:
Sic multa ex vno fonte fluenta fluunt.
Hæc mea ſi placidam ſit nacta plaga medelam,
Priſtinus & veniat, morbo abeunte, vigor.
Tale quid vlterius non pars inimica valebit
Appetere, & ſcelus hoc non leue prorſus erit.
Seruus habet propriam, & mendax ancillula legem,
Opilio, piſtor, nauta, ſubulcus, arans.
Prô dolor, amiſit hanc ſolus Epiſcopus, ordo

. . . .

Debuit & qui aliis legalia promere iura,
Officii, perdit ius, ſine iure, ſui.
Culpa facit ſæuum confeſſa perire latronem,
Non eſt confeſſus Præſul, & ecce perit.
Cumq; ſuis egeant mundana negotia rebus,
Cauſſa quibus iuſtum poſſit habere modum,
Noſtra eguit iuſto rationis pondere cauſſa.
Sæuitia excepta, nullum habet iſta modum.
Non ibi teſtis ineſt; iudex nec idoneus vllus,
Non aliquod crimen ipſe ego faſſus eram.
Eſto: forem faſſus, cuius cenſura valeret,
Dedere iudicii congrua fræna mihi?
SOLIVS ILLVD OPVS ROMANI PRÆSVLIS EXSTAT,
Cuius ego accepi pallia ſancta manu.

Mittere

Mittere, care mihi, libuit tibi carmina quædam,
Noſtra quibus luſit Muſa iocoſa parum.
Tempore præterea hoc quædam miracula viſa
Dicuntur, breuiter hæc quibus iſta canam.
Eſt fluuius, SARTAM GALLI dixêre priores;
Perticus hunc gignit, & Meduana bibit.
Fluctibus ille ſuis penetrans Cenomanica rura,
Mœnia qui propter illius vrbis abit.
Quod ciues tranſire ſolent propè lintribus illum,
Illic portentum non leue fecit eis.
Deniq; roſcidulas tenebras cum aurora fugaret,
Et ſolito peteret more fluenta homines,
Eſt propriis ſpoliatus aquis locus ille repertus,
Qui rate, ſeu remis peruius ante fuit.
Stantibus atq; vndis populus hinc, inde ſtupebat.
Alueus ac plebem ad inferiora vocat.
Nemo ratem quærit, nullus te, nauita poſcit:
Miranti populo ſic ſtat aperta via.
Et metus, atq; rei nouitas intrare vetabat:
Primitùs, & ſenſim cœpit abire metus.
Incipit eſſe vetus, noua res, intratur vtrinq;,
Alterutram ripam, plebs petit atq; pecus.
Vel pes eis ſiccus, modicum vel planta madeſcit:
Dum gradiens populus itq;, reditq; frequens.
Si olim tale vadum iuuenis Leandrus haberet,
Non foret inſignis tam tibi luctus, Ero.
Non ad piſcandum quiſquam fert rete, vel hamum;
Saltibus, atq; manu, qui volet, illud agit.
Vir tumulandus erat ripę vlterioris in agro.
Flentibus euehitur, per loca ſicca, ſuis.
Illa ſat vrbs timuit, peteret ne ſe vnda tumeſcens,
Obrueretq, ſimul compita, rura, domos,
Saxa patent ignota polo, polus ipſe pateſcit
Saxis, cum proprium linqueret humor humum.
Quod vada nulla dabas pediti illic, Sarta, dediſti:
Grande vadum caligas cum tua ſaxa ſtupent.
Sarta aliis vicibus hoc ipſum eſt paſſa duabus;
Nec hoc, nec procul hoc tempore, ſiue loco.

De ſiccitate cuiuſdā fluuii.

Quis

Digitized by Google

pro mecum

Quis neget antiqui *cum me meminiſſe tropæi.
Quo fluuium ſcindit & Ierichunta quatit.
A prima in quartam modus hic defluxerat horam,
Inde ſuas repetit poſt celer vnda vias.
Nomina non ideo narrantûm ſcripſimus iſthic,
Sunt quoniam plures, qui cecinere mihi.
At ſi noſſe rei vis lector tempora geſta:
Accipe: promemus ſub breuitate tibi.
Forſan noſſe diem vis hunc quoq;: diſce, canemus
Vt res ambigui poſſit habere nihil.
Bis partem vndenam ſolidi rota ſolis Aquarii
Scanderat in ſexta, lunaq; piſcis erat.
Tale quod aſſueuerant flumen Idonea paſſum,
At quod ab vrbe fluens ſat propè Sarta bibit.

* diei, media breui.

Quære locum ex aliis *dei tibi tempora dicam,
Craſtina præfatæ res fuit iſta rei.
Hunc quoq; defectum quod paſſa ſit Angera dicũt:
Sed locus, atq; dies ſunt mihi nota minus.
Non grandi ſtudio perquirimus iſta, quod illi
Qui narrant per me noſſe futura volunt.
Non id aperta canit, nec erit vox ſemper operta
Tempore namq; manent iſta canenda ſuo.
Rebus, & exemplis quædam benè noſſe valemus,
Cum non diuinem, hæc, ſcio, res quid agat.
Miraq; ſunt per idem tempus quàm plurima viſa,
Hoc etiam viſum eſt, quod recitare paro.

De pugna auium.

Quod mihi Gerhardus retulit, Paſchaſius illi:
Hic audita mihi, viſa ſed ille refert.
Nempe Toloſani locus eſt, rurisq; Caturci,
Extimus hoc finit pagus vterq; loco.
Illi campus ineſt; cuius ſunt extima ſiluis
Cincta, hominesq; manent non ſatis inde procul
Quem volucres magno compleruntimpete multæ;
Planitieinq; eius multa reſedit auis.
Quas fluui⁹, quas habet nem⁹, & quas ſqualida tell⁹,
Quæ ſcopulis nidos compoſuiſſe ſolent.
Quis cibus eſt varius, cantus, color, atq; volatus,
Pinna, vngues, roſtrum, mos, locus, officium.

Nam

Digitized by Google

Nam Zephyrus sparſas Aquilone aduexerat illas,
Partem & vtramq; putes ſigna habuiſſe ſua.
Sederunt campis acies altrinſecus illis,
Et ſpatium extabat inter vtraſq; aliquod.
Inter vtramq; aciem legatos ire putares,
Qui pugnæ, aut pacis iura referre parent.
Interea alterutra paucæ ex vtraq; volabant
Parte, vices complent iſta, vel illa ſuas,
Egerit illa nihil quod tunc legatio pacis,
Sorte patet, poſt hanc, grandia bella cient.
Vtq; diu Pœnos inter, populumq; Quiritûm,
Currunt legati, donec in arma ruant;
Haud ſecus inter eas, poſtquam ſat vtrinq; ....
Vi, qua quæq; valet, in fera bella ruunt.
Ardent ad pugnam volucrum* hinc, inde manipliꝰ
Cumq; ala, ala coit, cumq; cohorte cohors.
Vis eſt militiæ diuerſa, ſed vna voluntas,
Quod maior miles, vult quoq; paruus idem.
Nullũ opus, aut currꝰ, nullũ aut habet vſus equorũ,
Vſus abeſt chalybis, ſpicula nulla volant.
Pro galea, criſta eſt, pro cuſpide roſtra, vel vngues,
Et ſua pro lituis carmina quęq; ſonant.
Ala leuis parmam, volucris fert pennula ſicam,
Et thoracis habet pluma minuta locum.
Iamq; dies ſextus conuentus fluxerat huius:
Certatim in bellum parte ab vtraq; ruunt;
Inq; vicem laniant ſe hinc morſibus: ictibus, illinc.
Ingenti bellum ſurgit vtrinq; animo.
Hinc Rutulos, illinc videas conſurgere Teucros
Sæuire & Martem parte ab vtraq; ferum,
Glans cadit autumno veluti de ſtipite querno,
Maturum & folium iam venit ante gelu.
Non aliter auium moriens exercitus illic
Decidit, & magna ſtrage repleuit humum.
Nam teres æſtiuis impletur vt area granis,
Campus ita exſtincta ſic aue plenus erat.
A Borea in Boream veniens pars parua reuerſa eſt,
Tota in vtraq; cohors parte perempta iacet.

Digitized by Google

Res ſonat iſta; venit populus, factumq; ſtupeſcunt,
Mirantur variæ membra iacentis auis.
Ipſe Toloſanæ præſul quoq; venit ab vrbe,
*Mantio plebs rogat hæc, ales an eſca fiat:
Illicitis ſpretis, licitas adſumite dixit.
Plauſtra onerant auibus: In ſua quiſq; redit.
Tale quid hoc etiam patratum tempore, nobis
Fama dedit velox multa per ora volans.
Qui Romam, Romaq; meant, remeátq; canũt hoc,
Inter quos mulier hic bona teſtis ineſt.
Oratum hæc Turono Romam petit inde reuerſa,
Presbytero Arlalto rem canit, ille mihi.
Deniq; circa Ararim pigrum, Rhodanũq; rapacem
Vt ſupra volucrum, pugna peracta fuit.
Quo rigidas inter cautes, denſasq; paludes,
Pauca patent plenis obſita rura locis.
*Illic, vt perhibent, venit genus omne volantûm,
Quas *eoro patuus nutrit opimus ager.
Pars ſedet in ſcopulis, reſidet pars plana per arua,
Arboreis ramis pars quoq; multa ſedet.
Militiæ in geminam partem diſtincta iubentur,
Vtraq; conflictum pars meditatur hians.
Quattuor accipitres veniunt hinc, quattuor illinc;
Quattuor & totidem parte ab vtraq; capi.
Primo hi congreſſu perimunt ſe hinc, inde viciſſim:
Accipitrem accipiter, ſeu capus ipſe capum.
Roſtra inſtant roſtris, confligunt vnguibus vngues,
Quo paria arma vehunt, hinc magè ſe perimunt,
Egit idem *mathus populus Romanus in aruis,
Cum fera bella gerunt, hinc ſoror: inde gener.
Cum fratrem frater perimit, vel amicus amicum,
Quando pares aquilas, & paria arma vehunt.
Nempe duæ volucres magnæ vauiſſe feruntur:
Quæ non pugnarunt. cætera turba iacet.
Vt furor Annibalis compleuit funere Cannas:
Funere ſic auium hæc rura repleta patent.

*ſ. Illuc.
*ſ. Euro patulus.

Intelligit campos Aemathios

L. euaſiſſe.

Quar-

Digitized by Google

Quando erit illa dies cum noſtrum intrabis in hortū
  Atq; leges noſtras vngue libente roſas?
Et ſua magna ſitis mage ſe accreſcere gliſcet,
  Dum quod ſemper amas, carmine plenus eris.
Si qua iſtis fuerint, vt erunt vitioſa Camœnis,
  Parce precor; ſcriptor non mihi doctus ineſt.
Quæſo, tuum fidum nobis tranſmitte miniſtrum,
  Qui ſua grata mihi præferat *oſſa, vale. ſpina.

Ad Aigulſum.

HOc Aigulfe, tibi, præſul ſanctiſſimè, mitto,
  Theotulphus carmen, exul ab exilio,
Nobilis, & pulchræ fueras puer indolis olim,
  Nunc vires ornas nobilitatis ope.
Quæ fuit in puero docilis ſolertia paruo,
  Nunc manet in magno, dante Tonante, viro,
Signa puer magnæ ſemper virtutis habebas:
  Magna docens magnum te fore, ſorte, virum.
Sic ſata promittunt fœcundæ præmia meſſis;
  Sic tauri in vitulo forma patet tenero.
*Ingens ingenuas ſtudium tibi diſcere tandem
  Exſtitit, & cultum pectus habere ſatis.
At nunc diuini tibi tradere dogmata verbi
  Eſt labor, & populis iura referre poli.
Qui tunc Grammatico ſumebas pocula fonte,
  Ambroſio mentes nunc benè rore rigas.
Viuere te ſancte, rumor diſpergit vbiq;,
  Magna per ora virum ſat tua fama volat.
Cuncta quis expediet laudis præconia veſtræ,
  Iſte referre ſolet*
* vbi probitas, verumq; fideſq;,
  * Et bona cuncta ſimul conſociata manent.

Inuen. ſ. nullus titulus eſt, ſed immediatè verſus coniuncti ſunt: patet tamē eſſe aliud Epiſtolion Theodulphi.
+ Epithetō hoc deſiderabatur.

*m. ſ. mutilus hemiſtichio priore. vt ſuſpicor.

*Et hexameter claudicat, *perturbans ordinem, præibat incondite; repoſuimus ſua inſtatione.

Hunc Deus & probitas vitæ, atq; electio fratrum,
Prætulerat ſancto, me mediante, gregi.
Sed malè liuor edax, dolus & pellacia fallax,
Præſulis, à propria ſede remouit eum.
*Aſt eſt in cœlo, proprio hunc qui reddat ouili,
Cura ſit vt proprii, quæ fuit antè, gregis.

Hæc vocula in m. ſ. deſiderabatur.

Hic de parte tulit veſtra mihi verba benigna,
Et mihi *præſentem te dedit ore ſuo.

**m. ſ. præſente, creedo mendoſè.*

Dum bona veſtra mihi narrat, me perfouet ægrum
Actibus eq; tuis mens mea læta manet.
Hic *vicere ſtudet à nobis quærere quaſdam,
Veſtra, & reſponſum quod tibi portet, habet.

** m. ſ. mendoſè admodum.*

Rettulit ille mihi ſtudiumq;, decuſq;, modumq;,
Quo vehis officii pondera digna tui:
Qualiter exemplis & verbis ferre ducatum
Non ceſſas populis ad pia regna poli.
Et bona magna gerens; vt agas maiora precamur.
Poſcimus optatam vt det tibi Chriſtus opem.
Sunt exempla tibi Patrum ſectanda priorum,
A te, vt qui caput es, per pia membra * meent.

m. ſ meēt, mendoſè.

Es Patriarchalis primo prælatus honore
Sedis, & alma Patrum eſt ſubdita turba tibi.
Inde manere tibi puro ſollertia debet,
Omnibus vt ſpecimen ſis, decus, ordo, modus.
Quo magis es * celſus; humilis magis eſſe memēto.
Gratia te altithroni ditet vt alma Dei.

m. ſ. celus, mend.

Eſto bonis agnus: leo feruidus eſto malignis.
Pars amet iſta patrem, vt illa paueſcat herum.
Cumq; piis fueris pius, & diſtrictus acerbis;
Te pars hæc matrem, ſentiat illa patrem.
Sit tibi larga manus, placidum cor, dulcia verba,
Sis probus, & ſoliers, promptus ad omne bonū.
Sed quid ago? quo nunc *memet mea fiſtula ducit?
Doctori ſimilis ſum modò factus ego.
Te precor, interea noſtræ memor eſto ruinæ,
Oratu, & precibus *fors mala noſtra leues.
Forſan, te orante, fratrumq; iuuante caterua,
Omnipotens veniam det miſerando, mihi.

*in m. ſ. hāc vocem puto à librario præter miſſam. * m. ſ. fres mend.*

Et no

Et nos exilio releuet miſeratus ab iſto:
Ioſeph qui exemit carcere, ſiue Petrum.
Ipſe, Deo, fateor, peccamina multa peregi:
Quæ ſuperant numero ..... arena maris. *m. ſ. tenet arenæ.*
Et pluuiæ guttas, maris vndas, ſidera cœli,
Herbarum frutices, germina cuncta ſoli,
Hæc ſunt, ærumnas ego ſum cur miſſus ad iſtas?
Eſſe nec, vt debent, ſunt mala tanta mihi.
Non regi, aut proli, non eius credo iugali;
Peccaui vt meritus hæc mala tanta veham.
Crede meis verbis, frater ſanctiſſime, crede:
Obiecti* haudquaquam criminis eſſe reum. ** m. ſ. quā quā, mendosè.*
Perderet vt *ſceptrum, vitam, propriumq; patronum; *m. ſ. ceptrū.*
Hæc trian unquam ſum conſiliatus ego.
Addimus & quartum: mihi non fuit illa voluntas,
Vtcunq;, vt rerum hæc mala tanta forent.
Hoc ego clamaui; clamo; clamabo per æuum,
Hæc donec animæ membra liquor vegetat.
Qui modò non credit, cogetur credere tandem,
Ventum erit vt magni iudicis ante thronum.
Qui mihi teſtis erit pius, & iuſtiſſimus vltor:
Omnia cui ſemper nuda, & aperta manent.
Qui non acceptat perſonas, munera ſiue,
Diligit æquè æquum, diligit omne bonum.
Eius in adſpectu falſiſſima cuncta peribunt:
Hic meus, alterius non ope teſtis eget.
Me, tua, care, fouet dulcis compaſſio frater;
Triſtitiæq; meæ pars tibi magna manet.
Det pater altithronus cœlum, terramq; gubernans
Lætitiæ noſtræ* poſtmodò compos eas. ** m. ſ. poſt modum.*
Te, ſcio, cunctorum redimitum flore bonorum,
Lampade virtutum ſeu rutilare ſatis.
Sit tibi vita, ſalus, & Chriſti gratia regis,
Exſtet & omnipotens fautor vbique tibi.
Viue Deo felix per tempora longa, ſacerdos,
Deq; bono in melius profice ritè, vale.

Digitized by Google

INCIPIT RESCRIPTVM MOdoini Epiſcopi, Ad Theodulphum Epiſcopum.

Modoinus indignus Epiſcopus Theodulpho ſuo.

LVdere nemo poteſt verſu, ſine lege, polito,
Nempe loqui rectè nec valet, arte carens.
Sed prius accipiter nec tentat viuere in armis,
Quàm inſtructus proprii hoc more parentis agat.
Vtiliter puer in primis non militat annis,
Digna ſed expertus præmia tiro capit.
Non audet intrare ratem nauta abſque paratu:
Tentans nauigeras * Tiphis inermis aquas.
Arte rudis cùm ſim, ſic ..... me poſſe negabo,
Reſpondere tuis verſibus eximiis.
Vilis apud doctos namq; eſt mea Muſa poëtas,
Condere ob hoc nullum carmine nitor opus.
Sed me cunctantem compellit epiſtola veſtra:
Scribere diſparibus carmina nam numeris.
Et molli durum nunc ceræ inducere ferrum
Cogor, & inſueto texere verba modo.
Quin imò immodicus dicendum eſt rite libellus
Attulit emiſſus quod mihi veſter, opus.
Audiſti antiquos verbis ita ludere amicis,
Sæpe etiam didici hoc & ab ore tuo.
Muſarum quod inops norit non antra poëta;
Sed dici de me hoc quoque iure poteſt.
Nonnulli affirmant * (ſed &) inſanire poëtas:
Carmina dum ſtatuunt mente carere ſua.
Aſt nobis integra manet mens ipſa, nec audet
Longius amiſſo ordine abire ſuo.
Scandala ſed propter vitanda, nec appetit alta
Contenta eſt modico nam moderata loco.

* m. ſ. Tiphin.

* tale quid deſiderabatur in m. ſ.

Fac

Fac, Theodulphe, meos verſus aduerte benignè,
Nec ſint deſpecta carmina noſtra tibi.
Nolo venenato noſtrà vnquam dente laceſſas,
Sed ſint iudicio carmina tuta tuo.
Si qua meis fortaſſe inerunt errata Camœnis,
Cernuus hæc æquis reſpice quæſo oculis.
Sæpe queror caſum deflendo inſontis amici,
More fluunt lacrymæ amnis ab ore meo.
Sæpe tuam ingeminans luxi flens ipſe ruinam,
Pro dolor amiſſo exul honore peris.
Exilium innocuus pateris pertriſte ſacerdos,
Inclytus, expertus præſul, anorme malum.
Nonnulli prodeſſe ſolet prudentia multa,
Læſus ab ingenio es pater alme tuo.
Præcipuè tua magna tibi ſapientia ſoli
Obfuit, & quod habes triſte parauit onus.
Liuor edax petit alta fremens conſternere tentans
Id, quod ouans, ſimplex pectore turba colit.
Pertulit an neſcis quod longos Naſo labores,
Inſons eſt factus exul ob inuidiam.
Ipſe Verinus magna eſt deiectus ab vrbe,
Conſul Romana clarus ab arce procul.
Magnus ab infeſto eſt agitatus milite vates
Virgilius propriis exſpoliatus agris.
Vulnera ſæua ſuo fertur ſumpſiſſe tyranno
Seneca præcipuus * cæde Neronis obit. * *in l. ſedes*
Quid memorem ex noſtris plures ſudaſſe nefandum,
Pro noſtra exilium relligione pia?
Qui magis à magno colitur pius ipſe Magiſtro,
Ioannes durum pertulit exilium.
Hilarius ſenſiſti ergaſtula tu quoque dira:
Miſſus in ignotum rege iubente locum.
Clauiger ipſe Petrus nam, nec non & populorum,
Doctor erat Paulus, carceris in gremio.
Sed tamen hoc egit feritas inculta repugnans,
Gentilis fidei namq; inimica piæ.
Adde etiam quod adhuc rudis Eccleſiaſticus ordo,
Informiſq; ſua lege careret iners.

Depo-

Depoſita iam pace frui, feritate ſerena
   Debuit & proprium iure tenere modum.
Culpa ſacerdotum facit hoc: quod vilis habetur
   Ordo miniſterii maximus ille ſacri.
Inter eos effectus nullus fidus habetur:
   Commendat ſancto gratia quoſq; loco.
Nemo gemit miſerans alienæ incommoda vitæ,
   Pro fratris pulſans vtilitate ſui.
Vnuſquiſque ſtudet terreno incumbere lucro,
   Sectatur fragiles delicioſus opes.
Ex quorum me nolo putes numero tamen eſſe,
   Qui fucata leui pectore verba ferunt.
Sed qui ceſſabo nunquam certare precando,
   Pro reditu veſtro quiq; laboro libens.
Ergò ego ſollicito veteres tibi ſemper amicos:
   Proq; tuis damnis ambitioſus ero.
Hæc te noſſe reor; quoniam citò ſpargitur orbe,
   Fama celer toto aulica dicta gerens.
Sis quod ab infeſta hac demum regione mouendus,
   Cæſaris ad nitidum limen iturus item.
Illius ante oculos veniens, lætumq; videbis
   Iamdudum vultum, qui tibi triſtis erat.
Commiſſum ſcelus omne tibi dimittere mauult,
   Si peccaſſe tamen te memorare velis.
Nam prodeſſe tibi confeſſio pura valebit,
   Si te voce probas criminis eſſe reum.
Si te diſſimulas, de quo tibi crimine dicam,
   Scire nota pro quo huc itur ipſe fores.
Elige ſed quid agas, tibi & quodcunq; videtur,
   Conſilium melius mente teneto precor.
Sed mihi met melius viſum eſt, vt ſponte fatetur,
   Quodq; negari vllo non valet ingenio.
Nullo alio ſuperare modo puto principis iram
   Poſſe, probes niſi te criminis eſſe reum.
Promittit, ſi te peccaſſe fateberis, ipſe,
   Conſilium Cæſar dedere velle tibi.
* Non tibi promittit, redeat quod priſtina virtus,
   Amiſſum vt poſſis rurſus adire gregem.

Eſt Ludouicum Imp. vide Cæſ. Baron. tō. 9. Lud. Imp. anno 4. conſcius n. erat coniurationis Bernardi Regis Italiæ, in Ludouic. & hinc, cum aliis in exil. exactus.

* *ſic m. ſ. ſed Nam legend,*

Neſcio

Neſcio, frater amans, magè quid tibi ſcribere poſſim,
Cùm ſint hæc tota non tibi nota minus.
Luce mihi magna tu ſolis carior exſtas:
Nil, fateor quod amem te magè mundus habet.
Mohtfridum crebris appellat epiſtola dictis,
Lectaq; ſunt veſtra verba frequenter ei.
Ille valet lapſis optatam adhibere medelam.
* Naufragoq; pium ferre patrocinium.
Flebilis * exhauſto reſonat vix carmine Muſa:
Dicere quid poſſit non habet illa magis.
Sed mandare aliquid dubitaret epiſtola veſtra,
Mirabar veſtri cur mihi ſeruitii.
Nullum vnquam obſequium tibi, nam mihi crede,
Sed quodcunque iubes, ipſe libenter ago.
Idcircò hunc miſſum noſtrum direximus ad te:
Quæcunq;, vt mandas, ille mihi referet.
Quiq; procul dubio ſatis eſt, vt credo, fidelis,
Cuius ab ore mea currere verba vides.
Ipſe tibi, quæcunque roges, ſine fraude recenſet,
Abſq; dolo noſtra cuncta vice expediet.
Imber habet liquidas quot guttas, flumina piſces,
Emittit frondes quot nemus omne virens;
Area grana ſolet quot habere æſtate: ſalutes
Tot tibi mitto pater. ſemper vbiq; vale.
Serue Dei ſummi ſemper ſis, digne perenni
Tempore, quæſo mei, frater amande memor.
Nunc in calce precor ſupplex nam carminis huius,
Vt veſtris precibus tutus vbique ferar.

* naufragio, vel naufrago. * m. ſ. exhauſtro mendosè.

Explicit reſcriptum Modoini Epiſcopi ad Theodulphum Epiſcopum in exilio morantem.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERMO S. GALLI CONFESSORIS,

Dictus

CONSTANTIÆ

in templo S. Stephani.

IN CONSECRATIONE IOANNIS EPIſcopi Conſtantienſis.

Nunc primùm ex m. ſ. S. Galli editus.

Digitized by Google

WALAFRIDVS STRABVS

lib. 1. de vita S. Galli Confeſſoris. Cap. 24.

PRæmiſſis ex more diuinæ libationis initiis (*die, quo Ioannes Conſtantiæ conſecratus eſt Epiſcopus*) poſt lectionem Euangelii rogauerunt venerabilem Gallum, vt multitudini, quæ aderat, verbi officio ſacræ inſtructionis pabulum miniſtraret. Qui aſſumpto Ioanne Epiſcopo, gradum adſcendit, eo videlicet pacto, vt ipſe quidem ædificationis inſtrumenta colligeret, Epiſcopus verò ad vtilitatem barbarorum bene prolata interpretando transfunderet. Cœpit ergò verbum facere de initio creaturarum, & Adæ peccatum, pro quo depulſus eſt de paradiſo, commemorare. Tranſiens inde ad diluuium, Patriarcharum conſequenter tempora perſtrinxit & actus. Egreſſum quoq; filiorum Iſrael de Ægypto, & tranſitum per mare rubrum, legiſque lationem per Moyſen & cœleſtis alimenti miracula replicauit. Regum deinde ſucceſſiones, & tempora Prophetarum breuiter attingens, aduentus Dominici tempus retexuit. Baptiſmum etiam Saluatoris, & mirabilium eius gloriam commemorans, crucis ignominiam cum impiis inſectationum generibus veraci relatione ſubiunxit. Hæc audientes Eccleſiæ paſtores cum populi multitudine lacrymas fuderunt vbertimas, & ad inuicem dixerunt: verè Spiritus ſanctus locutus eſt hodie per os viri iſtius. Ille verò prædicationem perduxit vſq; ad Reſurrectionẽ Chriſti, & in commemoratione

gene-

generalis iudicii terminauit. Omnes ergo qui aderant, alacri mentis exultatione repleti, benedicebant Dominũ, & ad ſua cum gaudio remeabant. Doctor itaq; venerabilis manens apud Ioannem Epiſcopum ſeptem diebus, inter multa ſalutiferæ conſolationis verba, hæc ſæpius inculcauit: Quem Deus elegit, homo non deſpiciet. *Hac VValafridus: cui Hartmannus S. Galli doctiſſimus pariter & religioſiſſimus Monachus vitio vertit, quod totam orationem S. Galli hiſtoria ſua non intexuerit; vt fecit S. Notkerus, cognomento Balbulus, eiuſdem Monaſterii Monachus, & Magni Othonis nepos, qui vitam S. Galli ligata & ſoluta oratione tribus libris complexus eſt.* Porrò nobile hoc & eximium antiquitatis monumentum miſit ad nos ex S. Gallo R. P. Iodocus Metzlerus, eiuſdem Monaſterii profeſſus, & SS. Canonum Doctor, cui vnà mecum lectores gratias debent.

SERMO SANCTI GALLI Confeſſoris Domini, habitus Conſtantiæ.

SEmpiternus & inæſtimabilis Deus, cum coęterna ſibi ſapientia, hoc eſt, Filio ſempiterno, & charitate ſibi, & filio ſuo conſempiterna, id eſt, Spiritu ſancto, abſq; vlla inchoationis, vel temporis mutabilitate, vel locorum, vel miniſteriorum indigentia, ſemper in ſemetipſo beata & immortali maieſtate ſubſiſtens. Nequaquam tamen ſine congruo ſibi ſeruitorum obſequio ſolitarius manſiſſe putandus eſt, cùm manifeſtiſſimè dicat Apoſtolus: *Elegit nos in Chriſto ante conſtitutionem mundi*, prædeſtinatione ſcilicet æterna, non creatione temporaria, ſed vocatione gratuita, vel indebita gratia. Sed qui ſemper omnia futura in ſua bonitate, & maximè ſanctorum Angelorum, & hominum ſocietatem, præſentialiter contuendo quaſi facta diſponit, aliquando etiam præſcitam & prædeſtinatam immobili conſilio creaturam, ad ſe laudandum, & ex ſe, & in ſe, & per ſe beatè viuendum omnipotentiſſimo dignatus eſt opificio creare de nihilo, & ſuper cœleſtia quidem beatis ſpiritibus habitaculum fecit: terram verò futuris hominibus præparauit. Quorum creationis cauſſam noſſe nos conuenit, fratres Chriſtianiſſimi, ne viles vos & abiectos arbitrantes, pecudum conuerſatione dignitatem veſtram nullificetis.

Deus ſummè bonus, beneuolentia plenus, inuidiæ carens, malitiæ neſcius, ſpiritus Angelicos exemplo ſui rationabiles creare diſpoſuit, vt ipſum Dominum, ſuæ cognoſcentes originis autorē, dilectionis eius pinguedine referti, in ipſo delectarentur eſſe beati. Sed cū de illis aliqui nōdum de eius dulcedine deguſtata, ſeipſos ſibi eſſe principium, & caput, vitamq;, & ſuauitatē, curſu temerario & ſtultiſſimo perſuadere ſibi præſumerent: intus inanes & vacui, ſuperbiæq; pondere prægrauati, de tranquilliſſimo cœlorū habitaculo, in huius aeris tēpeſtuoſam turbulentiā, vſq; in diem generalis, & ſempiterni iudicii, repentino ſunt caſu detruſi. Sed immutabilis benigniſſimi creatoris voluntas præfinitum beatiſſimi cœtus numerum ſupplere diſponens, huma-

humanum genus in eorum locum ſubſtituit. Quos hoĩes ratione p̃ditos, præceptis inſtructos, minis coërcitos, proprio dereliquit arbitrio, vt imitatione Dei praua & iniqua contemnerent, ac recta & æqua retinere curarent. Impius autem homicida ſatanas, qui nec ſibimetipſi pepercit, tantum à Deo terrigenis honorem collatum perdolens, caſum, quo ipſe ſuperbus periit, incautis & fallaciæ neſciis inuidus perſuaſit, vt videlicet non creatorem ſempiternum pro Deo venerari: ſed creaturam temporalẽ, hoc eſt, ſeipſos ſibi pro diis habere delectatione mortifera cõſentirẽt. Quod maximum & imaniſſimum peccatum tanta flagitia & facinora, vel etiam crimina ſunt ſubſecuta, vt iuſtitia diuina mundum, quem omnimodo decorauit ornatu, cũ humano genere, quod eidẽ regẽdo præfecit, aquis diluuii delere decreuerit: Et faceret, niſi multã malitiam noſtram, eius immenſa bonitas ſuperaret.

Ergo nec tanta ſcelera inulta dereliquit, nec tamen creaturã benè conditam penitus conſumpſit. Ex oĩbus hominibus, vno delecto iuſto, per cuius prouidẽtiã, imò ſuam admonitionẽ, talis quædam archa construeretur, in qua ipſe cum domo ſua, & reliqua creatura ad reſuſcitandum ſemen competente, in ſupremis licet periculis ſe quaſi defuncti mundi ſuperſtitem remanere miraretur. Cumq; poſt totius anni penè circulum præſago nominẽ Noë nuncupatum, quaſi conſolatorem tantæ, licet iuſtiſſimæ vindictæ, de clauſtri illius ergaſtulo creator miſeratus eduxiſſet, & ipſum cum prole ſua, & ſeminarium cunctæ creaturæ noua benedictione ditauit. Iamq; renaſcentibus filiis Adam, reuixit & ſuperbia dudum in radice damnata, adeò vt Lutei mortales luteo & bitumine turrim construere molirentur, de cuius cacumine ſidereum & immortale habitaculum, Deo poſſeſſore inuito poſſent inuadere. Cuius tam inuicti (vt ſtolidis videbatur) machinamenti conſpirationem tam facile omnipotentiſſima ſapientia diſſipauit, vt linguis omnium confuſione diuerſiſſima, vel ſimilitudine diſſimillima diſparatis, nullus conſanguinei, vel fratris ſui linguam intelligere poſſet: Et idcircò vniuerſi per regiones & loca varia diſiecti, vt terris & loquela diuiſi, ita & religione, vel potius furore diſperſi, & alii quidem cœleſtem naturam hominum miniſteriis, Deo autore prouiſam, diuino cultu & ſeruitute venerati ſunt. Alii verò mortuis hominibus, ſimulacra facientes, malignos ſpiritus aſſidentes eis, quaſi tutores & fautores animæ, vel corporis viuorum, licet iuſtè mortalium dementes

Digitized by Google

tes colere cœperunt. Sed adhuc indefeſſa pietas immortalis & veræ Deitatis creaturam benignè conditam, non vſq;quaq; ſua miſeratione priuatam diſpulit, ſed de medio idololatriæ deditarum gentium Abraham patrem futurorum fidelium, ad ſe, verum & viuum Deum cognoſcendum de cœlo vocauit.

Qui incomparabili plenus obedientia diuino parens imperio, exiit de terra & cognatione ſua, neſciens adhuc quò ire deberet, dummodo Dei iuſſionem expleret. Qua de re huiuſcemodi deſuper accepit oraculum, quod & terram peregrinationis ſuæ in poſſeſſionem eſſet accepturus: quod factum eſt in Iudæis de carne eius, mortali ꝓpagine deſcendentibus: & quod in ſemine ipſius benedicerentur omnes gentes. Quod in nobis ipſis per Chriſtum, ex eius ſemine, ſecũdum carnem, procreatum per Virginem, completum eſſe gaudemus. Huius igitur fidei in præputio comprobatæ quaſi quoddam ſignaculum eidem patri Abraham circumciſionis impoſuit ſignum. Quo tàm diu gentem de eius femore propagatam oportuit inſigniri, donec ille veniret, qui omnes in ſe credentes ab omni peccato, & circũciſionis iniuria ſua paſſione redimeret. Cum autem populus de illo non modicus exortus, cauſſa famis de terra Canaan, quam incolebãt, terram ingrederentur Ægypti, quo Deus vnum de pronepotibus eius, cauſſa multorum ſalutis, direxit, per cuius prouidentiam mundus penè totus, alimentorum penuria periclitatus, aliquatenus conſeruaretur; & iuxta ritum gentis illius milleformia cœpiſſent monſtra venerari, duriſſimis etiam operibus premerentur ab Ægyptiis, recordatus Deus fidei, probitatiſq; Patrum, direxit ad eos ſeruum ſuum Moyſen, qui per multa ſigna & plagas intolerabiles, domitis Ægyptiis, Dẽi populum ad terram, Patriarchæ Abraham dudum promiſſam, cœleſti ducatu directus introduceret. Cumq; de terra illa progreſſi inter oram rubri maris, & vaſtiſſimam ſolitudinem feſſi conſediſſent, Rex Ægyptiorum damno ſeruitutis amiſſæ ſtimulatus, congregato exercitu, iunctiſq; curribus, eos ita quaſi piſces in gurguſtio concluſit. Quibus ad Deum verum leuantibus vocem, aquæ maris huc atq; illuc diuiſæ, iter ſiccum viantibus præbuerũt. Quod cernentes cultores ſimiarum, & caniformis Anubis, Neptunum iam ſuperuacuè placandum ſibi putabant, ſic vndis in partes diuiſis. Omnes igitur ſequentes veſtigia commeantium, extremò ſuorum baratrum ingreſſi, nouiſſimoque plebis Dei ad naturale littus tranſgreſſi, ita ſunt montibus aquarum inuoluti, vt nullus remaneret, qui factum, domi reſidentibus referre potuiſſet.

Cum

Digitized by Google

Cum autem expẽſæ, quas de Ægypto ſecum tulerant, Hebræis defeciſſent (quod nomen populo Dei idcirco impoſitum eſt quia tranſierant de gente in gentem, & de regno ad populum alterum) dedit eis Deus panem vel carnes de cœlo, aquam verò vel amaram dulcorauit, vel non habitam de petra produxit, & ſic eos per deſertum quadraginta annos ad terram promiſſionis circumduxit, donec deſueſcerent idololatriam, de qua erant educti, & quam vbicunque venirent, erant inuenturi, à qua, ſicut & de cæteris malis, de cœlis illos cauere monuit, & ad ſe cognoſcendum, vel alia bona & iuſta ſectanda, diligenter inſtructos, tandem in terram, pollicitationis ſuæ memor, miſeratus introduxit. Et vt pridem rubrum mare, ita modò Iordanem fluuium nauigabilem ſiccis pedibus tranſmeare præcepit & fecit. Dumque adhuc, qui hæc mirabilia viderunt, ſuperſtites in carne vixerunt, notitia & cultus veræ Deitatis & diuinæ veritatis incontaminata perſeuerauit. Illis verò ad patres ſuos repoſitis, filii de carne ipſorum propagati, non fidei bonum imitati, ſed circumpoſitarum gentium ſimulacra colendo, ſunt in præcipitium idololatriæ deuoluti. Pro quo ſcelere dati ſunt in manus inimicorũ ſuorum, circumcirca vel longè poſitorum. Et cum aliquando preſſi iuſtiſſimè, ꝑ preces ad Deũ patrum ſuorum fuiſſent reuerſi, ſuſcitauit illis aliquem de fratribus eorum, qui eis & ſaluator contra hoſtes, & ad concordiam inuicem retinendam iudex idoneus exiſteret. Cumque multo tempore influctuarent, id eſt, vt cum aliquando illis proſperitas arrideret, ad venerationes idolorum defluerent: Quum verò tempeſtas perſecutionum immineret, ad Deum verum, ad tutiſſimum portum, omni adniſu, redire conarentur.

Tandem dedit illis Regem, nomine Dauid, qui & à finitimarum gentium incurſionibus defenderet, & timorem Dei, cuius ipſe pleniſſimus erat, & iuxta nomen ſuum, Manu fortis, continuis retineret habenis. Poſt cuius mortem, cum propter peccatum filiorum eius, non amplius de duodecim tribubus filiorum Iſrael (quod nomẽ patri eorum, & ipſis idcirco impoſitum eſt; quia viſione ſua Deus eundem dignaretur) quàm duæ tantum, Beniamin ſcilicet & Iuda, à qua & Iudæi ſunt appellati, poſteris Dauid cum paucis Sacerdotibus & Leuitis adhærerent, (quo nomine omnes diuino miniſterio mancipandi, à patre ſuo Leui ſunt nuncupati) Reliquæ verò decem, vel potius vndecim tribus per Regem vnà ſubuerſorem ſuum Hieroboam nuncupatum, & peſſimã ipſius progeniem ad immunditiam idololatriæ

fœditatis à gloria ſua, Deo ſcilicet ſempiterno, immaniſſima dementia receſſerunt. Qui & tradidit eos in manus inmicorum ſuorum, quibus ſubiecti, idola, ſunt etiam qui nollent adorare compulſi. Sed & fideliſſimi Dauid propagatio ad infidelitatis malum non poſt multum temporis aberrauit, adeo vt & ipſi Reges & Sacerdotes, neglecto vnius veri Dei cultu, Saturnos, Iunones, turpiſſimumq; Priapum, in ipſa Hieruſalem, quam ciuitatem cum templo in ſanctificationem ſibi delegit, acti furore, venerarentur. Propter quod competenti ſatis talione impiè derelictus ab eis, iuſtè dereliquit eos Deus, in poteſtatem paganorum vt impleretur, quod eis antea comminabatur. Sicut ſeruiſtis Diis alienis in terra veſtra, ſic ſeruietis diis alienis in terra non veſtra, qui non dabunt vobis requiem.

Sed & tunc non oblitus Fidei Abraham, & Dauid, aliquos ex iis, pro reliquiis, in terra ſua retinuit, templumq; ſuum in Hieruſalem ad tempus aliquantulum conſeruauit, donec peccatis eorum crebreſcentibus, etiam ipſum cum ciuibus & ciuitate mereretur incendi. Sed neq: tunc eos vſq; quaq; diuina deſeruit clementia, quin imò de fauillis & ruinis vrbis euerſæ quosdam reſeruauit, quibus aptiſſimè propheticum illud conueniret: Facti eſtis quaſi torris de incendio raptus, & nec ſic rediſtis ad me, dicit Dominus. Quod quidem in eis, quos in terra ſua reſidere fecit, completum cognouimus, vt peccata peccatis addentes, & ſe mutua cæde vaſtantes vltima neceſſitate, vt ſibi videbatur, compulſi, in Ægyptum quaſi reſeruandi, contra vetitum diuini oraculi, verè trucidandi cōfugiſſent. Qui vero à Rege; qui ſuperbiam eorum Dei voluntate domuerat in captiuitatem longinquam fuiſſent abducti, ibi ad Deum Patrum ſuorum ex toto corde conuerſi, ita tribulationis igne decocti ſunt, vt nec igne materiali ab ipſius poſſent amore diuelli.

Tandem ergo miſericors & miſerator Dominus tam grañes eorum labores miſeratus, Regum adeo animos, qui eosdem in captiuitate tenuerunt, ad indulgentiam & relaxationem voluntariam illorum permutauit, vt de publicis redditibus & ærariis, plurima impendi præciperent, in adminiculum ad terram ſuam reuertendi, & templum Dei in ea demum reſtaurandi. Sed heu! prô dolor! cum legẽ Dei vel cæremonias, in quantum à finitimis, imò commixtitiis hoſtibus impediri non poterant, ſedulò curaſſent obſeruare; quod nullus vnquam vel excogitare potuiſſet, repentino caſu Rex nefandiſſimus Græcorum, vtputa, præuius & præco maligniſſimi Antichriſti, eos

ita

ta oppreſſit, vt non niſi manu cœleſtis Imperatoris ſe vllo modo vlterius crederent alleuari. Qui & tanto miraculo ab immaniſſimorum, diuerſiſſimorum atq; innumerabilium aduerſariorū eos impetu liberauit, vt pauciſſimi de Iudæis plurimis eorum interfectis, reliquis, qui manere poterant, non parum incuterent vbicunque terroris. At cum illi, qui talibus flagellis eruditi, Dominum patrum ſuorum ſimetuere noſſent diuerſis caſibus abſumpti, morte ſua mundum reliquiſſent orbatum, & propter peccata in ſeculo remanentium. Primum viles perſonæ de ſucceſſoribus eorum populo Dei præficerentur: Poſtea verò & ipſi alienigenis miſcerentur, vel potius ſeruitutis eius iugo ſubiicerentur, neceſſarium erat, vt ipſa diuina ſapientia, per quam cuncta ſunt facta, reficiendo generi humano per ſeipſam conſulere dignaretur.

Sed quia in ſua incomprehenſibili maieſtate, natura illa diuina ab infirmis, & mortalibus comprehendi non poterat, mira pietatis diſpenſatione procurauit, vt noſtræ infirmitatis mortali, manente tamen incommutabilitatis ſuæ potentia conformata, de incorruptæ Virginis vtero naſceretur, & conſueto nobis more vſq; ad iuueniles annos ætate & incrementis, gratia verò & ſapientia ſingulari perueniret. Nec tamen cum carne ſua Deitas illius eſſet obumbrata, per totum potuit humanis mentibus abſcondi, his duntaxat, qui eum cognitum ſuſcipere voluiſſent. Quando & in hora Natiuitatis illius Angelus Domini cum magna claritate paſtoribus gentis ipſius apparuit, & ortum ejus omnibus gentibus profuturum nunciauit, in quæ verba eidem Angelo multitudo cœleſtis militiæ occinuit. Sed & ipſa hora in remotioribus Orientis partibus ſapientiſſimis, & aſtrorum gnaris hominibus noua ſtella inopinatò apparens, eos ad ortum noui Regis attraxit. Nec non & quadrageſimo natiuitatis eius die, cum eum ad templum Dei, pro ſolenni eius gentis conſuetudine, Mater Virgo præſentandum deferret, ibidem à ſanctis hominibus mundi Saluator eſt agnitus, & ab eis cæteris fidelibus nuntiatus,

Duodecimo quoq; ætatis anno cum in eodem templo parentibus remaneret ignaris, videlicet æſtimantibus inter cognatos & notos eum receſſiſſe de vrbe, ſed eo non inuento, regrederentur ad templum, & ibi eum poſt triduum in medio Doctorum ſapientiſſimè ſe agentem reperiſſent, interrogante Matre, cur eam dolentem reliquiſſet: reſpondit: in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe: vtique inſinuans templum non minus ad ſe, quàm ad

Deum patrem pertinere. Trigeſimo verò, ex quo inter homines conuerſari cœpit, anno ad Baptiſma ſeruuli ſui properauit, vt ex eo ſcilicet ſequacibus ſuis exemplum tribueret, ne quis ab inferiori perſona baptizari contemneret, quando ipſum Dominum & Deum ſuum famuli ſui manibus baptizatum meminiſſet. ſed quia non aliqua ſui neceſſitate, ſed humilitatis propagandæ gratia voluiſſet in aqua lauari: Ecce Deus pater cum voce de cœlo delata, conteſtatus eſt, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt, ipſum audite. Et Spiritus ſanctus, cuius iam & opere conceptus eſt, ad declarandam ſanctitatis eius innocentiam, in columbæ ſuper eum ſpecie deſcendit.

Ita ergo CHRISTVS homo glorificatus & confortatus ad prælium cum diabolo conferēdum, quadraginta dierum ieiunium exacturus, abiit in deſertum. Quibus expletis, callidiſſimus aduerſarius, ex aliquibus, vt creditur, humani corporis geſtibus, aut habitu, illum eſurire perſentiſcens, & idcircò hominem eum tantum eſſe reputans. Sed propter vitam innocenter actam ſuper homines formidans, hac arte illum aggreditur, vt ſi quidem eſuriem ſuam pane de lapide facto, vt ipſe ſuadebat, conſolari potuiſſet, diuina in eo potentia deprehenſa, ab ei' iniuriis & inſectationibus quieuiſſet. ſi in tanta neceſſitate nec ſeipſum recreare quiuiſſet, puro tamen homine comprobato, non minus eum ſibi, quàm cæteros mortalium obnoxium conſideraret. Sed admirabilis Magiſter pietatis, ità verſutias eius eluſit, vt nec in panes lapidibus permutatis, diuinitatis in eo deprehenderet inſignia, nec impoſſibilitate confeſſa, ad noſtra animaretur infirma. Dicens, quod vita rationalis animæ non tantum in materiali conſiſtat alimento, ſed in omni verbo, quod procedit de ore DEI.

In hoc ergo conflictu certior factus, quàm ante fuerat, diabolus per oſtentationem inanis gloriæ, qua plurimum delectari mortalium mentes agnouerat, diuinitatem Chriſti ſe explorare poſſe putabat. Aſſūpto eo, & ſuper faſtigia celſiſſimi tēpli poſito, ſuaſoq;, vt inde ſi filius Dei eſſet, ſe p̄cipitē daret, & nō læderetur. Ad quē bellator inuict' huiuſmodi tēpauit eloqū, vt nec filiū Dei ſe negaret, nec diaboli ſuaſionibus conſentiendum eſſe doceret, dicens: quia ſanæ mentis non eſſet, vt quiſquam Dominū & Deum ſuū tentare p̄ſumeret. Igitur & in hoc eliſus certamine inimicus, per auaritiam

qua

qua mundum ſe peremiſſe gaudebat, & Chriſtum ſibi ſubiugare non diffidens, oſtendit ei omnia regna mundi,& gloriam eorum, eo pacto,vt ſi pro his accipiendis ipſum proſtratus adoraret, talibus ab eo donatus abiret. Quam immaniſſimam blaſphemiam magiſter humilitatis exhorreſcens,turbida indignatione monſtrum nefandiſſimum à ſe repulit,dicens:Religioſi cordis eſſe, Dominum Deum adorare,& illi ſoli ſeruire. Cuius vi fulminis attonitus aduerſarius,& ab eo receſſit vſque ad tempus. Victorioſiſſimum verò Regis noſtri triumphum admirantes angeli,debitis eum venerati ſunt obſequiis.

His ergò ita peractis, Chriſtus Dominus ad homines regreſſus, ſecundum ſcripturam,operatus eſt ſalutem in medio terræ: Cœcis viſum reſtituens,ſurdis auditum,mutis loquelam, leproſis emundationem,mancis opificia,dæmoniacis mentem,paralyticis vigorem,claudis greſſum,& mille ſine nomine morbis omnimodã impertiens medelam. Quin & ſequentum quatuor millia de ſeptem panibus, & pauciſſimis piſcibus ſaturauit. Aliquando verò de quinq; panibus & duobus piſcibus ita quinque millia virorum, excepta mulierum & paruulorum immenſa numeroſitate, repleuit, vt de fragmentis reliquarum, quæ de his pauculis rebus, inter manus & dentes conuiuantium ſuccreuerant, duodecim corbes ad teſtimonium tanti miraculi farcirentur. Mare quoque ſiccis pedibus ambulauit, & fœtentes mortuos de ſepulchro ſuſcitauit,& ad conuiuium vocatur,aquas in vina mutauit. Et ſuper hæc omnia, Pater de cœlo,quondam,diſcipulis audientibus, interdum verò turbis infinitis aſtantibus, pariter & auſcultantibus, eum filium ſuum commendauit, & ſe illum iam clarificaſſe, & adhuc clarificaturum promiſiſſe.

De doctrina verò eius quis aliquid dignè commemoret? cum & diſcipulis ſuis talia mandata proponeret, quæ vix aut nequaquam humana poſſibilitas, niſi valida Dei ipſius adiuta vel attracta poſſet exequi,& omni ſexui vel conditioni tàm leuia, & ita ſalubria ipſa monita intimare curaret, vt nullus omninò, niſi multum ignarus, & per omnia diuina gratia vel protectione indign9, à regno Dei debeat excludi. Denique ipſis Apoſtolis, & eorum ſequacibus ita bonum virginitatis arripiendum perſuaſit, vt hoc ſcirent non humanæ induſtriæ, ſed muneris eſſe diuini. Abrenuntiationem quoque omnium facultatum & affectionum ſic eiſdem aggrediendam intimauit, vt ſe cognoſcerent & in hoc ſeculo multa plura, quam reliquerant, accepturos, & in futuro vitam æternam poſſeſſuros, & in die magni iudicii cũ

Digitized by Google

ipſo iudices eſſe venturos. Cæteros autem fideles docuit, vt humilitate, manſuetudine, pace, miſericordia, iuſtitia vel patientia Deos ſuos & ſibi regnum Dei, perſecutiones etiã improborum, ſi ita neceſſitas incumberet, ſuſtinendo acquirere nõ laſſarentur. In cõmune autẽ cunctis pceptum dedit, ne fratribus nati conuitiorũ maledicta in eos iacularentur, vel his occaſionib' non amputatis, ad homicidia laberentur. Et ne qs vxorem pximi ſui impuro contueretur oculo, & idcircò maculari poſſet adulterio, & ne temere iurare præſumeret, ne fortè periuraret, nec quiſquam obſtinatè aduerſario ſuo reſiſteret, & inde non ſolùm animæ, ſed & corporis periculum incurreret.

Porrò autẽ pfectioris vitæ cupidis, & regni cœlorũ auidis, ita nuditatem & contemptũ terrenorũ indixit, vt tamen nequaquam hæc ſibi defutura confiderent, cũ cæteros Chriſtianos his abundantes ita ad illorũ accenderet obſequiũ, vt quicunq; illorũ hæc ſuis pauperibus miniſtraret, ipſi Chriſto & Deo Patri ſe impendere non dubitaret. Fictos autem Dei cultores, & de generis nobilitate gloriantes, Hypocritas & genimina viperarũ nũcupauit. Ipſos quoq; ſacerdotes, qui pietatẽ nomine ptendebant, & maliciã in corde contegebant, cœcitatis notauit, & cœcorũ duces redarguit, & multũ conuenienti cõparatione ſepulchris dealbatis aſſimiles deuicit, q̃ à foris quidẽ apparent hominibus pulchra, intus verò plena ſunt omni ſpurcitia. Nec nõ & Phariſæos, q ſibi iuſti videbãtur, & aſpernantes cæteros, pœnitentiã peccatorũ recipere noluerunt, ita confutauit, vt ſeipſum diceret ideo veniſſe, non vt iuſtos, ſed peccatores & perditos inquireret, & ſaluos faceret. Et ſe eſſe verum Dei filium, nõ ſolum atteſtatione ſignorum, & incomparabili ſapientia manifeſtauit, ſed etiam propheticis literis, ac inuictiſſimis allegationibus approbauit, ſed increduli Iudæi quotiens in Sanctis ſuis Deum contemnere non timuerunt, nec ab vnico filio eius maliciæ ſuæ machinamenta continuerunt, iniuriis eum laceſſentes & maledictis: inſuper & lapidibus eum inſectantes. Cùm ergò incorrigibiles eos peruideret, cum diſcipulis ſuis ſecedẽs ab eis ſeorſum, ruinam miſerorum iam iamq; incumbere, ſed & mundi totius finem non longè poſt futurum renunciauit: & ſe pro ſalute generis humani cito crucis patibulum ſubiturum, & die tertia ſe reſurrecturum eſſe prophetauit.

Interea gens impia vnum de diſcipulis iam dudum auaritię morbo corruptum, promiſſa pecunia, ad proditionem Magiſtri & Domini ſui protrahere curauerat: dum ille diabolo plenus, & iam vltrò inimicis

micis eum tradere paratus eſſet. Captata igitur opportunitate quādo ſine turbis, quæ illum frequentiſſimè ſequi ſolebant, ita ab aduerſariis capi, ligari, trahique potuiſſet, vt euadendi vel defendendi facultas ei, ſicut illis videbatur, non eſſet. Poſt orationem quam valdè prolixam pro ſalute noſtra Dei Patri profudit, obuiam perſecutoribus ſuis proceſſit, & quem quærerent, interrogauit. Qui cum ſe Ieſum (quod nomen eius erat propitium) quærere dixiſſent, & ille ſe eſſe reſponderet, iterum atque iterum retroacti abierunt, & ceciderunt in terram. Sed qui ad hoc venerat, vt paſſione ſua nos ab æterna damnatione liberaret, tandem aliquando, maieſtatis ſuæ potentia ad tempus abſcondita, in poteſtatem furentium ſe ſpontè permiſit, vt indebita morte ſua nos ab omnibus debitis peccatis abſolueret. Captum ergò & ligatum impii miniſtri ad Tribunal Pilati præſidis perduxerunt, quod gentem illorum ſubuerteret, & tributa Cæſari dare prohiberet, & Chriſtum regem ſe eſſe diceret, & idcircò Iudex ipſe, ſi amicus Cæſaris eſſe voluiſſet, talem viuere in ſui condemnationē capitis permittere non deberet. Tum ille neceſſitate compulſus, dedit illum militib' ſuis, ad illudendum. Qui irriſoria veſte, veluti qui Regium ſibi nomen vſurpare præſumeret, induens: Et corona ſpinea pro diademate coronatum, quin & arundine pro ſceptro imperiali dexteram completum, ſputis in faciem illius proiectis, & colaphis alapiſq; creberrimis, feruliſq; cædentibus eum iniuriantes, & regis nomine ſalutantes: inſuper & ſingulorū nomina prodere velatum poſtulantes, quaſi vile mancipium (vt interim Dei filium taceam) maximum Prophetam, & tantorum effectorem ſignorum, ſapientiſſimumq; virum turpiſſimè tractare ſtuduerunt, & ita illuſum, imò caſtigatum, & vt apertius quidem dicam, mortificatum præfecto ſuo iterato illum præſentauerunt.

Iudæi verò nec dum tātis eius iniuriis ſaturati, petiuerunt pſidem, vt eum crucifigi preciperet. Quod cum ille ſæpius abnueret, dicens: in eo ſe nihil dignum morte inuenire. Tunc impia gens, & cunctis abominanda, tali maledicto ſe damnauit, vt imprecarentur, ſanguinem eius venire ſuper ſe & ſuper filios ſuos, adiicientes q a ipſi legem haberent, & ille ſecundū legē deberet mori, qui ſe Dei filium præſumptuosè faceret, ſed ne verbo quidem ſimplici diceret, niſi eo modo, vt ipſi ex operibus, quæ in nomine Patris ſui faciebat, metirentur, aut coniectarent, vtrū tantorū mirabiliū operator, fili' Dei dici & credi meritò deberet. His igitur pſes tremefact', & maximè ppter illud cōſtrict', q quaſi maximum & intolerabile ſibi metuebat obiectum; Si hunc dimit-

dimittis, non es amicus Cæſaris, adiudicauit fieri petitionem eorum.

Tunc impoſuerunt ei crucem, quam ad locum vſque portaret, ſed tamẽ quaſi honorãtes & compatientes ei, quẽ tam indigna morte perimere ſatagerunt, coëgerunt quendam alienigenam crucem ferre poſt illum. Et cùm veniſſet ad locum, qui Caluariæ dicebatur, pro eo quod ibidem ad mortem condemnati truncari ſolebant, Chriſtum Dominum crucifigentes; vt ex hoc turpiſſima mors redderetur infamior, latrones vnum à dextris, alterum ſuſpenderunt à ſiniſtris, & his verbis irridere gaudebant: Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt faluũ facere. Vnus etiam de latronibus ſimili bacchatus inſania dixit ad illum: Si tu es filius Dei, ſaluum fac teipſum & nos: alter verò, cuius Deꝰ illuminare dignatus eſt mentem, ad cognoſcendam veritatem præſentem, increpabat ſocium, & obſecrauit Dominum pendentem, vt ſuimet in regno ſuo meminiſſe dignaretur. Cuius credulam mentem & os confitens Chriſtus approbans, eodem die ſecum in paradiſo illum ſpopondit affuturum. Dum hæc creator à creatura quam rationabilem condidit, pertuliſſet: irrationabilia & inſenſibilia maieſtatis eius nutu conterrita, defectum ſui mortalibus minabantur! Cùm & ſol in tenebras ſit conuerſus, & terra mota, & petræ ſciſſæ, & monumenta aperta, & rerum natura turbata, quæ iniuriã Dei ferre non ſuſtinebat. Poſthæc verò cùm omnia reliqua, quæ fieri oportuerat, eſſent impleta, vt conſummaretur Scriptura, quod aceto potandus eſſet: ſitire ſe dixit, & cùm accepiſſet acetum, & ſuum ſpiritum in manus patris commendaſſet, dixit: Conſummatum eſt, & ſic inclinato capite tradidit ſpiritum, & honorificè ſepultus ab amicis, cautiſſimè ſeruabatur à cuſtodibus, metuentibus videlicet, ne die tertia, ſicut ante prædixit, reſurgere potuiſſet.

Sed angelus cœlo veniens, milites ſepulchrum euigilantiſſimè cuſtodientes, mortuorum inſtar ſtupefactos reddidit, & poſt modicũ recreato animo & ſpiritu, teſtes glorioſæ reſurrectionis eius effecit. Porrò interim cùm ipſi iacerent, vt exanimes, pias cum aromatibus eius *corrumpẽdi corporis viſitatrices idem angelus* gratanter affatus, nec timerent hortatus eſt. Et quia Dominus Ieſus Chriſtus deuicto mortis imperio reſurrexit, certo patefecit iudicio, & vt locum viderent, vbi poſitus erat Dominus admonuit. Quo cùm intrarent, viderunt duos angelos in albis ſedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, quondam ibi requieſcentis, & modò reſurgentis inde autoris æternæ vitæ. Cumque pauefactæ cœpiſſent egredi, aufugere cupientes

frangendi *fort. gaudenter,*

tes

tes, occurrit eis ipſe Dominus benigniſſimè, ſalutatas ad diſcipulos ſuos deuictæ mortis nuntias deſtinauit. Et eodem die Petro ſpecialiter apparuit. Qui & duobus ambulantibus, & de ſermocinantibus cõuiator effectus, de ſcripturis aſſeruit, quia ſic oporteret Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam ſuam. A quibus etiam inuitatus ad cœnam in fractione panis eſt agnitus, cum ob cæcitatem cordis prius videretur ignotus.

Serò quoq; cùm factum eſſet, ipſa die apparuit Apoſtolis ſuis, & eis gaudia pacis mandans inſufflauit, & dixit: Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Ad confirmanda quinetiam corda dubitantium, qui ſe putarent, ſpiritum potius videre quàm corpus, oſtendit eis manus & pedes recentiſſimæ paſſionis ſigna retinentes, vt indubiè reſurrectionis eius fierent idonei teſtes. Sed illis adhuc non credentibus & mirantibus præ gaudio, vt per effectum commeſtionis veritas pateſceret carnis, interrogauit, ſi haberent aliquid ad manducandum. Cumque obtuliſſent ei partem piſcis aſſi, & fauum mellis, manducans coram illis, reliquias dedit eis, & commemorauit hæc eis eſſe verba, quæ ante paſſionem ſuam prædixerat, quomodo neceſſe eſt ſua morte mortis imperium diſſolui, & in ſua reſurrectionis agnitione pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, cunctis gentibus prædicari, nec non & ipſos adhucglorioſiſſima Spiritus ſancti miſſione roborari promiſit. Nec tamẽ ita inſtructos, & tali ꝓmiſſione conſolatos mox abſceſſu corporali diſcedere voluit, ſed per quadraginta dies in vniuerſis argumentis eos viſitauit. Nunc foribus clauſis, in medio eorum conſiſtere, nunc verò per totam noctẽ fruſtra in piſcando laborantibus, ipſe ſtans in littore multitudĩe piſcium rete eorum compleuerat, & inter prandendum beato Petro poſt claues regni cœlorũ, ac retentiones relaxationesve peccatorum, ouium ſuarum curam præcepit, & quia pro earundem cura ouium crucem ſubitur' eſſet intimauit. Deinde in mõtẽ quendam ſequutos in fide ſolidauit, & præcepit, vt irẽt docere omnes gentes, & baptiſare eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: docentes ſeruare omnia quæcunque ipſe mandauerat illis, & ait illis: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.

Et quia irritatores Dei & increduli Iudæi, & gentes Idololatriæ dediti ſignis erant ad fidem nutriendi, dedit Apoſtolis ſuis virtutem ſuper omnia dæmonia, & vt languores curarent, cœcos illuminarent,

Digitized by Google

leproſos mundarent, ipſos & mortuos reſuſcitarent, & præcepit illis, vt anunntiarent regnum Dei appropinquare. Et quia cunctis gentibus & linguis nouam hanc doctrinam prædicare debuerunt, dedit eis diuerſarum linguarum agnitionem. Quin etiam ipſis & eorundem fidei ſequacibus multo maiora promiſit & conceſſit, ita vt dum plurimarum linguarum hominibus in vna loquerentur à cunctis intelligerentur, & vmbra illorum tranſeuntium infirmi ſanarentur, & ſudariis vel cingulorum fimbriis nequam ſpiritus fugarentur. Sed cum hæc in alia regione, hoc eſt, in Galilæa, vel ante paſſionem, vel poſt reſurrectionem ſuam diſcipulis edidiſſet, vt in vicinia eius loci ad alta cœli conſcenderet, vbi crucis ignominiam paulò antè ſubiit, atq; ipſo quoque nomine diſpenſationem incarnationis, paſſionis, reſurrectionis, aſcenſionis in cœlum fidelibus aperiret, Bethaniam, quæ domus obedientiæ dicitur, vnde cœlos peteret, cum Apoſtolis inuiſit, doctore gentium, quid hæc ſignificent, exponente: Ieſus Chriſtus factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus illum exaltauit. Cumque illum, qui conuenerant, interrogarent, ſi dies iudicii & manifeſtatio regni Dei iam immineret, dicebat: non eſſe illorum, vel cuiuſquam mortalium; ſed ne ipſorum quidem Angelorum, noſſe tempora & momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate, potiuſque in ciuitate Hieruſalem aduentum ſancti Spiritus eis expectare præcipiebat. Quo ſpiritu roborati, teſtes illi eſſent primum in eadem vrbe, deinde in tota Iudæa & Samaria, ad poſtremum verò, vſque ad vltimum terræ. Et his præmiſſis, eleuatis manibus ſuis benedixit illis, & cunctis nihilominus opinantibus quaſi pennis columbæ incorruptibile corpus ſuum librauit ad cœlum. Cuius rei mox duo Angeli, hoc eſt, quia cœlum penetraret adſtipulatores adſtiterunt, & quia in eadem ſpecie, qua aſſumptus eſt ab illis, ad iudicandos viuos & mortuos venturus eſſet, dixerunt. Tunc vt ſibi à dominatore cœli præceptum erat, Hieruſalem ingreſſi, ſancti Spiritus aduentum ſuſpenſi præſtolabantur. Qui decima poſthæc die venit, & ſcientię perfectione illos edocuit, & linguarum varietate donauit, & aduerſus rabiem perfidorum roborauit. Congruentibus ad hæc ſignis oſtenſis, ſono videlicet flatus vehementis, & linguis igneis, cuius authoritate confortati, reſurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti authoritate prophetica comprobantes mille Iudæorum eodem die ad fidem conuertuntur. Et in ſequentibus aliquot millia. Quandam verò turbam Sacerdotum obedire fidei perſuaſerunt.

Interea

Interea verò dum omnia ſupra dicta fierent, dimiſit dominus omnes gentes ingredi vias ſuas, & diuerſiſſimorū errorum opinionibus impleri, ita vt quidam ſolem & lunā & ſtellas miniſteria videlicet humanis vſibus attributa diuinis honoribus celebrarent. Alii verò maiore dementia capti, non ſolum aurum & argentum, ſed & ligna & lapides, quadrupedia, ſerpentia ſeu volatilia & ipſa terræ virentia ꝓ Deo autore venerarentur. Tandem ergò pius creator omnium, quando & nos ipſos ad inuētionum & peſſimorū actuum noſtrorum pigere deberet, ac tædere, direxit ad nos Apoſtolos ſuos, qui docerent nos ab his vanis conuerti ad Deum viuum & verum: & expectare filium eius de cœlis, & in perceptione Spiritus ſancti, quem in Chriſto regenerati percepimus, remiſſionem peccatorum conſequi nos crederemus.

Huius igitur legationis nos indigni noſtris tēporibus vicē gerētes, obſecramus ꝓ Chriſto, vt ſicut quōdam in baptiſmo, ita ſemper abrenuncietis diabolo, & omnibus operibus eius, & omnib⁹ pompis eius, & cognoſcatis vnū verū Deū Patrē ſemper in cœlo regnātem, & ſempiternam ſapientiā eius in tempore ꝓ nobis incarnatā, & ſanctū Spiritum æternæ pign⁹ ſalutis in hac vobis peregrinatione cōceſſum, atq; ita viuere curetis, ſicut Dei filios decere cognouiſtis, deuitantes Gulæ concupiſcentiam, & ebrietatis inſaniam, fornicationis immunditiam, auaritiæ idololatriā, iræ veſaniam, triſtitiæ nebulam, tædii rancorem, inuidiæ rubiginem, inflationis inanitatem, ſuperbiæ ſubuerſionem, & nullus cuilibet Chriſtiano furtum aut homicidiū, vel conuitium cōferre, aut falſum teſtimonium de qualicunque crimine pręſumat inurere, ſed ſitis inuicem benigni, & donantes vobiſmetipſis, ſicut Deus donauit vobis peccata veſtra. Et delicta præterita pœnitentiæ remediis, vel eleemoſynarum largitatę redimentes, imminentia cum Dei adiutorio præcauere ſtudeatis. Scientes & diem generalis iudicii iam iamque proximare, & incertam ſingulis exitus ſui horam impendere. Et quidem magni iudicii nouiſſima dies, cunctis eſt mortalibus expaueſcenda, vt puta in qua nihil incorrectum abſque ęternali pœna remanebit inultum.

Sed non minus cunctis ſapientibus quotidianum Dei iudicium formidandum eſt, quo & quoſdam probandos diſpenſatoriè reliquit in mundo ad temp⁹, quoſdā verò his iuſtè condēnatos obliuiſcitur in perpetuum. Alios quoq; diu iacentes in criminib⁹ manu miſericordiæ ſuæ leuat: Alios autem de peracta iuſtitia præſumentes fœdè quondam paſſioni concedit: hos verò quocunq; verbere coërcitos

Digitized by Google

vſque in finem ab omni prorſus ſcelerum labe cuſtodit. Quocirca ſub his Dei iudiciis vnicuique in hac vita metuendum eſt, vt in futuro iudicio ab omni metu peccatum & mortis abſolui mereatur. Deus omnipotens, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui hæc per miniſterium linguæ noſtræ, auribus veſtræ fraternitatis infudit, ipſe per gratiam ſuam eadem in cordibus veſtris fructificare faciat, cooperante Domino noſtro Ieſu Chriſto, & Spiritu paracleto benedictus Deus in ſecula. Amen.

FINIS.

Digitized by Google

VITA
S. MAGNI.

Auctore

THEODORO,

S. MAGNI

Diſcipulo,

Monacho ad S. Gallum,

CAMPEDONENSI

Abbate primo.

Nunc primùm edita ex membranis m. ſ. Monaſterij S. Magni, in pede pontis Ratiſponenſis.

Ad Lectorem.

MAgnus, inquit Trithem. lib. 3. de viris illuſtr. ordinis S. Benedicti, cap. 307. *Monachus, & diſcipulus S. Galli, Abbas, vt fertur, in Fancibus, vir ſanctus & Deo dilectus, multis in vita miraculis claruit, ſicuti in geſtis eius, quæ diligenter ſcripta ſunt, legitur. Magnam prædicandi gratiam à Deo conſecutus, multorum corda populorum ad diuinum amorem conuertit. Claruit anno Domini 660. Mortuus eſt autem anno ætatis ſuæ 70. octauo Idus Septemb.* Hæc Trithemius. Quis Theodorus fuerit, ſcire licet ex ipſa hac vita S. Magni, cuius diſcipulus fuit Theodorus, & oculatus teſtis eorum, quæ conſcripſit. Metzlerus de Theodoro hæc: *Campidoni excitato Monaſterio hæſit, vſq; dum S. Magnus vita fungeretur. Sed cum poſtea duorum Regum imperium affectantium prælia etiam ad illas partes pertingerent, ad S. Gallum Monaſterium ſuum rediit, atq; à ſancto Othmaro, qui tunc monaſterio præerat, retentus, & pro ſe quinque aliis fratribus (quorum princeps fuit Perecthgozus, vt ipſe Theodorus hic teſtatur) eò deſtinatis, ibidem reliquum quod erat vitæ in magna ſanctitate ſub eodem S. Othmaro tranſegit, atq; ad Deum opinione omnium ſanctus migrauit, ſepultuſq; eſt in Monaſterio. Nondum tamen quod ſciam, inter Diuos relatus.* Hęc Metzlerus.

THEO-

THEODORVS, MONACHVS, ET ABBAS PRIMUS Campedonenſis de vita S. Magni.

CAPVT I.

De eo quod S. Gallus fratrem Magnoaldum B. Columbano repræſentauit.

ITaque in tempore illo cum beatiſſimus COLVMBANVS ſimul cum beato GALLO nepote ſuo diuerſa loca perluſtraret, ad diffamandum verba DEI, & peregrinandi cauſſa, HIBERNIAM peruepiret, quidam frater nomine MAGNOALDVS, ex præfata patria HIBERNIÆ procreatus, pulſare cœpit aures B. GALLI, diſcipuli ſanctiſſimi COLVMBANI, ita alloqués: B. Magiſter & dominé video vos in ſeruitio DEI tãtum ſollicitos eſſe, vt Eremum concupiſcentes, quantiſper ibi morantes, beſtiarum ſcilicet, vrſorum, bubulorum, luporum multitudo frequentet, & ad *m. ſ. pubulorum.* veſtrum imperium recedat. Vnde veſtris veſtigiis prouolutus depoſco, vt ſpreta faleramenta ſeculi, & præſentium pompam facultatum, temnens, æterna præmia capere merear. Quod beatus Gallus cernẽs, eum ad pœnitentiæ medicamenta concurrere, vniuſcuiuſq; cœnobii ſepta, vbicunq; Dominus iuberet per eius orationem concupiſci, beato COLVMBANO hoc indicans obtulit eum ſuis obtutibus; ſciſcitans ab eo conſilium & voluntatem. Cui beatus COLVMBANVS reſpondit: Pergentes ergo filii in Eremum voluntatem Domini probemus, vtrum deſideratum arripias iter, an non.

CAP:

Digitized by Google

CAPVT II.

De eo, quod S. Columbanus fratrem Magnoaldum in piſcatione probauit.

PErgentes ergo ſimul tertium adoleſcentem, nomine SONARIUM, in comitatum ſumunt, & ad deſtinatum in Eremo locum venerunt, vnius panis tantum cibo contenti. Cumque iam tertius tranſiſſet dies, nec quicquam panis fragmentum remanſiſſet, horaq; refectionis appropinquaret, imperantur à patre, vt prærupta muris eant, atq; ad ima vallis perueniant, & quicquid ad cibũ opportune reperiant, deferant. Ouantes illi, per concaua vallis inuenerunt capturam piſciam, olim à paſtoribus conſertam in amne, qui vocatur LIGNONA, vndiſq; oppoſitam. Quod inſpicientes, & DEO gratias agentes, ſumenteſq; tres, quos repererunt piſces, venerabili patri pſentauerunt. At ille Spiritu ſancto nouerat, ſibi paſſim à Domino dapes paratas, & cum gratiarum actionibus ſumpſerunt cibum. Et poſt cibum iterum gratias conditori egerunt. Quod inſpiciens MAGNOALDVS, ſequens beatum GALLVM, læto animo promittit, ſe eorum imperiis pariturum, & CHRISTO Domino iugiter ſeruiturum.

CAPVT III.

De eo, quod S. Columbanus Magnoaldo habitum Monachicum tradidit, & propter miraculum factum nomen ſyncopando Magnum vocauit.

QVem vir ſanctus COLVMBANVS ſuis beatis receptum manibus in obedientiam poſuit, donatumq; iuxta magnificentiam ſuam nomen impoſuit dicens: Magnum te faciet Dominus in ſapientia & aſtutia, à cuius magno nomine MAGNOALDVS vocaris. Addidit iterum: Cognita ſint tibi omnia miniſteria monaſtica, à quibus cognomen habebis MAGNOALDVS. Factoq; Monacho, tradidit ei clauem cellarii. Statimq; aperuit DEVS voluntatem ſuam aduerſus beatum MAGNOALDVM in iſto miraculo patrato. Cum iam hora refectionis appropinquaret, & miniſter refectorii Sonarius ceruiſam adminiſtrare conaretur, vas quod TYPVM nuncupant, ad cellarium deportauit, & ante vas, quo ceruiſa condita erat, apponit, tractoq; ſeraculo meatim in typum currere ſinit. Quem (*ſc. Sonarium)

um) ſubito patris imperio Magnoaldus celeriter vocauit. At ille ardens obedientiæ igne obſerare meatum oblitus, pernici curſu ad B. pergit virum, & ſerraculum manu tenens, ante conſpectũ B. Magnoaldi aſtitit, videntibus & ſentientibus hoc Columbano & Gallo. Poſtquam autem ſibi vir DEI Magnoaldus quæ voluerat imperare deprompſit, interrogauit eum: Quid eſt Sonarie quod habes in manu tua? At ille viſo ſerraculò, recordatur negligentiæ, & cito ad cellarium rediit, exiſtimans nihil in vaſe, quo ceruiſia, remanſiſſe. Intuitus ergo vidit ſupra typum ceruiſam creuiſſe, quatenus, qualis, & quanta rotunditas infra typi erat coronam, tantum in altum creuiſſe vrna videretur; & ne minimam ſtillam foris cecidiſſe. Quod tale miraculum inſpiciens, ad pedes beati Magnoaldi acceſſit, narrans ei omnia, quæ acciderant, & quæ viderat. Ille pauore perculſus, quid agere deberet ignorans, conciruſque perrexit ad VVinniacum Presbyterum; quem aſſumens ſecum ad cellarium duxit, & omnia ſecundum narrationem pueri Sonarii inuenit. Corruens ergò ad pedes eius, ita locutus eſt. Domine VVinniace, quid dicturi ſumus domino Patri Columbano, ſi hæc audierit? At ille reſpõdit: Abſit frater, vt miſericordia Christi tanto viro, patrique noſtro celetur. Et concito gradu perrexerunt ambo, veneruntque ad pedes Columbani, & narrauerunt ei omnia, quæ acciderant. Quibus Columbanus ait: Fratres mei, hoc non meis meritis actum eſt, ſed interceſſione viri Dei Magnoaldi. Ille hoc audiens, proſtrauit ſe ad pedes Magiſtri, & dixit: Domine pater; Noli hoc dicere, quia ſcio pro veſtris meritis hoc actum eſſe, non meis. Reſpondit beatus Columbanus: Tace frater. Scio vtique, quia vidi Angelum Dei præcedentem te, quando Sonarium vocabas, qui dum signum Crucis ſuper typum fecit, ſicera in modum coronæ, ſicut vidiſti, ſtetit. O magnum diuinæ potentiæ donum, quæ adhuc neophyto ſuo ſeruo tantam gratiam conferre dignata eſt, vt iam Magnus inter fratres voceris. Ad hæc conticuit Magnoaldus gratias agens Deo in corde ſuo de magna miſericordia eius.

m. ſ. deſſis

CAPVT IV.

De eo, quod Vrſus ad præceptum ſancti Magni poma cuſtodiuit.

EO itaq; tempore, cum ſub quodam ſcopulo, inter vaſta eremi corpus afficerent ieiunio, beatus COLVMBANVS & GALLVS, nihilque aliud, præter ruris poma in cibis capere valerent, venit quadam die vrſus, cœpitque neceſſarios cibos carpere, ac paſſim poma ore detrahere, cumque iam hora refectionis adueniſſet, dixerunt ad beatum MAGNOALDVM: Frater, tibi cognita ſunt poma meliora, vade & defer nobis conſuetam menſuram pomorum. Qui cum abiiſſet inter denſas frutices, vrſum proſpexit, & iuſſa patris implere volens, timuit valdè. Tandem confortatus in Domino, ait ad feram: In nomine Domini noſtri IESV Chriſti ſta pauliſper, donec legam poma, quæ patribus noſtris ferenda ſunt, & tibi dem ex aliis partem comedere. Mira in fera obedientia, ſeueritatis ſuæ oblita, ſtetit, caput inclinatum tenens. Tunc ille diuiſit virga frutices, ruboſque, quæ poma ferebant, elegit partem ex his, quæ iuxta viri imperium meliora erant, ad opus ſuum ferenda, aliamq; partem feræ dedit ad comedendum, dicens: Comede tu iſta, cætera alia in vſus beati COLVMBANI reſerua. Fera ergo tantæ obedientię extitit, vt nequaquam ex prohibita ſibi parte auſa eſſet comedere, ſed in ſegregata, permiſſaq; ſibi fruticum parte, tantummodo cibos caperet. Alia verò die beatus MAGNOALDVS iterum poma requirens, inuenit ſalua & benè reſeruata; gratias agens DEO, ait ad feram: In nomine Domini ita age quotidie. Obediens autem fera procul dubio poma ſalua reſeruauit, quoadusq; vir DEI in loco illo commorauit.

CAPVT V.

De eo, quod aues iuſſu S. Magni ad capiendum ſubſtiterunt.

QVarta verò die iterum dominus ſuis diſcipulis cibum præbens tantam copiam alitum illis aduenire fecit, vt omnem plagam loci illius ſuppleret. Beatus verò MAGNOALDVS hoc videns, intellexit ob neceſſitatem patris, ſuorumque à DEO has aues terræ diffundi,

fundi, & ait ad beatum GALLVM: Iubeat pater hæc altilia capere ad opus fratrum, ſi placet; quoniam à DEO dapes ſunt datæ. Hæc dicente GALLO, ait beatus COLVMBANVS: Tu MAGNOALDE, qui in nomine Domini vrſo iuſſiſti reſeruare poma, ad opus noſtrum facito rum iuxta nomen tuum magnum opus, & impetra à DEO, vt volatilia maneant, donec capiantur à fratribus ad vſus neceſſarios. Ille mirans, quomodo palam factum fuiſſet beato viro de fera, tamen non audebat eum interrogare, ſed iuſſu eius proſternens ſe in orationem, pariter cum beato COLVMBANO & GALLO orabat. Erigens autem ſe Abbas dixit MAGNOALDO: Surge, præcipe capere aues. Surrexit MAGNOALDVS, gratias agens conditori, cœpit aues capere cum reliquis fratribus. Miraculum valdè mirum & ſtupendum! capiebantur aues, prout patris imperium erat, nec abſcedere pennigera fuga nitebantur, donec beatus MAGNOALDVS ait: Si patri noſtro placet, habemus per triduum aues ſufficienter, & ideò bonum eſt, vt recedant. Sicque alitum falangas abire iubet, & ſumpto volatu, qui remanſerant receſſerunt. Sicq; diuina miſericordia ex vicinis vrbibus frumenti copiam per bonos viros in gyro manentes per manus FELICIS GALLI & MAGNOALDI direxit ad beatum COLVMBANVM.

CAPVT VI.

De peregrinatione ſanctorum Columbani, Galli, & Magni, & quod ad locum Turicinum peruenerunt.

INterea ruit cogitatio in mētem, quatenus SCLAVORVM terminos adiret, eorumq; cæcas mentes euangelica luce illuſtraret, ac ab origine errantibus viam veritatis panderet. Cumq; hæc beatis GALLO & MAGNOALDO narraſſet, & ita patrari ſe velle profiteretur, B. GALLVS dixit MAGNOALDO: Frater, quid tibi videtur de hoc itinere noſtri Abbatis? Reſpondit, Domine Magiſter, inprimis perquirite Domini voluntatem, & poſtea ſi dignum duxeritis ad proficiſcendum, proficiſcimini. Hoc audiens B. COLVMBANVS iuſſit triduanū ieiuniū fieri, & inceſſanter miſericordiam Domini implorari, vt eis ſuam indicaret voluntatem. Tertia verò nocte Angelus Domini per viſum illis tribus apparuit, & ambitu paruo, quaſi paginalis orbis ſtilo deſcribi circulum mundi compage monſtrauit. Cernitis, inquit, quod totus orbis mãeat deſert'? dicite COLVMBANO. Perge dextra læuaq;, vbicũq;

 eligas,

Digitized by Google

eligas, vt comedas laboris tui fructum, non eſt tibi opus illuc properandi. Hæc audiens beatus COLVMBANVS, intellexit ſimiliter per viſionem ſibi monſtratam non eſſe gentis illius in promptu fidei profectum, & ideo quieuit in loco ſolummodo, contentus vnius Magiſtri MAGNOALDI, qui & Magni famulatu, donec aditus ad Italiam via pãderet.

Interea orta eſt lis inæſtimabilis inter THEODORICVM REGEM, & THEODOPERTVM, vtriſque namque gentium robore inuicem ſuperbientibus. Inter quę vir DEI ad Theodopertum venit, eumq; ſuis ſedibus, atque intra ſuis finibus libentiſſimè recepit, deditque optionem quemcunque in parte voluiſſet experimento quærere locum, qui ſibi & ſuis placeret ad habitandum. Inquiſitumque locum audiuit à beatis viris GALLO & MAGNOALDO, qui iam perluſtrata habebant ſpacia locorum, locum laudabilem fore infra GERMANIÆ terminos ſitum in ALAMANNIA circa RHENVM fluuium, oppidumque olim dirutum, quem PRIGANTIVM nuncupant. *Prigancia.* Quem procul dubio ratum ducebant fore, vt impetraretur à Rege, & partem ſaltus ipſius iuxta ipſum oppidum ſtantem, vbi apta loca inuenire quiuerant ad manendum. Dedit ergo eis Rex iuxta petitionem Sanctorum COLVMBANI & GALLI, ac MAGNOALDI præfatum oppidum, locaque vaſta intus in ſaltu conſiſtentia, ſed nõn plurima, niſi pauca ibi inuenire potuerant apta ad cellulam conſtruendam. Sicque per alueum RHENI nauigantes peruenerunt MOGONTIAM, ibique ab Epiſcopo loci ipſius ſumptis neceſſariis ſuffulti ſunt, ſicut in beati COLVMBANI vita habetur. Peruenerunt autem ad præfatum oppidum, ibique morantes expectabant euentum rei inter THEODORICVM & THEODOPERTVM. Beatus verò GALLVS cum B. MAGNOALDO fratribus, qui iam ex LVXOVIO venerant, ſimul cum Abbate relictis, quaſi ab hoſtium præda ingreſſi ſunt ſaltum, & in eo huc & illuc pergentes, diuerſa loca circumeuntes, reppererunt infra ipſius ſalti terminos loca venuſta, & famulis DEI ad omnem opportunitatem congrua, proximasq; nationes vndique haberi ad prædicandum. Reuerſi ſunt iterum ad virum DEI, laudantes loca, quæ inuenerant. Quibus vir DEI ait: Ouantes illic moremur aliquod tempus, & conſtruamus cellam, vſque dum Dominus dederit nobis aditum proficiſcendi in ITALIAM. Perrexerunt ergo ad locum, vnde ortus erat beatus GALLVS, id eſt, circa lacum TVRICINVM, indeq; perouãtes ad locũ antiquũ deſtructum, qui vocatur NARBONA demorati

ſunt

Digitized by Google

ſunt inibi cellam conſtruentes, & euentum inter THEODORICVM & THEODOPERTVM expectantes. Cùm hæc agerentur ab illis, lis facta eſt inter THEODORICVM & THEODOPERTVM, iuxta TVLBIACENSE caſtrum, ibiq; prælio inito, innumera hominum multitudo ex vtroque exercitu periit; victus tamē THEODOPERTVS, fugit. Ea verò hora, qua apud TVLBIACVM bellum illud commiſſum eſt, vir DEI COLVMBANVS, operantibus diſcipulis GALLO & MAGNOALDO cum cæteris fratribus, qui ex LVXOVIO venerant, ſedens ſupra truncum querci putrefacti librum legebat. Quem ſopor ſubitò oppreſſit, dormienſque quid inter duos reges ageretur, vidit. Expergefactus miniſtrum MAGNOALDVM vocat, cruentamq; ei regum pugnam indicat, & humanum ſanguinem multum fundi ſuſpirat. Reſpondit MAGNOALDVS ad pedes magiſtri proſtatus: Et ego Domine pater ſopore oppreſſus iacebam ſubtus arborem abietem, & viſum eſt mihi ſimul eos conflictum inter ſe habere, arreptoque baculo volebam THEODORICVM percutere, & THEODOPERTVM defendere, ſed prohibuit me quædam ſpecies, dicens: Non eſt tibi neceſſe eum ictuari, quoniam Dominus citò vindicabit magiſtrum tuum de eo in interitu ignis. Ilicò euigilans feſtinabam huc ad vos venire, & hanc viſionem narrare, interim te vocante me. Dum ergò mirarentur ambo de his viſionibus, alius miniſter aſtans EVNOCHVS nomine temerario conatu ait: Pater mi tuis precibus præbere deberes ſuffragium THEODOPERTO, vt hoſtem communem THEODORICVM debellaret & expellat. Cui beatus COLVMBANVS ait: Stultum ac religioni alienum adminiſtras conſilium. non enim Dominus ita vult, qui nos pro inimicis noſtris orare præcepit. Et MAGNOALDVS inquit: Verè Domine, veſtra ſanctitas benè de hoc ſentit, quoniam in arbitrio iuſti iudicis eſſe debet quid de his fiat. THEODORICVS verò perſecutum THEODOPERTVM apprehendit, & ad auiam ſuam BRVNNIHILDAM direxit: Ipſa autem eum clericum factum, nimis impiè perimi iuſſit. THEODORICVS morans penes METENSEM ciuitatem diuinitus percuſſus inter flagrantis ignis incendia mortuus eſt, & beatus COLVMBANVS cœlitus vindicatus. Porrò LOTHARIVS collecto exercitu fines regni quæ ſuæ ditioni tenebantur, recepit, & SIGIBERTVM, qui ei reſiſtere volebat, cum quinque filiis THEODORICI peremit, BRVNNIHILDAM verò captam, & indomitorum equorum caudis ligatam, miſerabiliter vita priuauit, ipſe ſcilicet ſolus trium regnorum potitur Monarchia; cognoſcens quippe in hoc facto Prophetiam viri DEI impletam fuiſſe. Vnde & beatum COLVM-

Digitized by Google

BANVM voluit magnis honoribus ditari, ſed ille reſpuens terrenos honores, relicta GALLIA atque GERMANIA, ITALIAM ingreſſus eſt, vbi ab EGILOLFO LONGOBARDORVM REGE ſuſceptus eſt, largita ei optione infra ITALIAM quocunque in loco voluiſſet, habitaret. Qualiter autem beatum GALLVM & MAGNOALDVM diſcipulos ſuos in ALAMANNIA reliquit, non eſt ſilendum, quomodo hoc Dei conſulto factum eſt.

CAPVT VII.

De profectione ſancti COLVMBANI *in* ITALIAM, *& quod Magnoaldus relictus eſt in Alemannia in ſolatium ſancti Galli, & à populo terræ Magnus vocatus eſt.*

PEragratis igitur locis circa locum TVRICINVM, & peruenientes ad caput loci ipſius, qui dicitur TVCONIA, inde venerunt ad locũ BRIGANTIVM, qui tunc CONSTANTIACENSIS dicebatur ad præfatam cellulã, quam antè conſtruxerant; prædicãtes populo CHRISTVM colere, & ſimulacra vana & ſurda in fruſta cõminuere. Ob quam cauſam zelo diabolico populus inflammatus propter ſimulacra diruta, & in fruſta comminuta, cœperunt cum SIGIBERTO Principe tractare, vt eos à finibus ſuis eiicerent. Egit autem hoc arte ſua diabolus, vt populum, quem in præſentia lucis per prædicationem beatorum virorum admittere cœpit, diſcedentes à ſanctitatis fulgore, tenebris antiquis occuparet. Igitur ſancti viri moleſtè ferentes quod ſede pellerentur amabili, conſilio communi inito ITALIAM petere decreuerunt, relinquentes beatum GALLVM & MAGNOALDVM cum nonnullis aliis Clericis, ita dicentes: Deus enim, cui ſeruiuimus, Angelum ſuum mittet nobiſcum, qui nos perducat ad EGILOLFVM LONGOBARDORVM REGEM, vbi eius clementia præparante humanos affectus & pace plenum habitationis locum inueniemus: vos autem æquo animo eſtote fratres. Igitur cùm iam tempus proficiſcendi inſtaret, beatũ GALLVM repentina febris inuaſit, pro qua re aduolutus Abbatis ſui pedibus, indicans te infirmitate vehementi laborare, ideoque propoſitum iter non perficere. Ille verò exiſtimans eum pro laboribus ibidem conſummatis, amore loci detentum viæ longioris detrectare laborem, dixit ei: Scio frater iam tibi oneroſum eſſe tantis pro me laboribus fatigari, tamen hoc diſceſſurus denuncio, ne me viuente in corpore miſſam celebrare præſumas. Et cum ei licentiam per ſe conuerſandi

dedit

dediſſet viam ingreſſus eſt abeundi. Audiens hæc MAGNOALDVS, procidit ad pedes eius, dicens: Domine pater, quid me vis agere? Si eum reliquero, abſque adminiculo erit, & deficiet; tamen ſequor te, ſi volueris, ipſo relicto, ſicut Petrus ſecutus eſt Dominum, relictis retibus ſuis. Reſpondit ei beatus COLVMBANVS: Scio te MAGNOALDE magnum futurum eſſe, & lucrare DEO ex populis Orientalibus plurimum, ideoque te nolo mecum proficiſci, ſed relinquo te & THEODORVM feliciſſimum noſtrum GALLI obſequiis parituros, vt cum omni diligentia eius recuperationi ſeruiatis. Dico tamen tibi MAGNOALDE, quid te volo eſſe acturum, & quomodo cum eo morari debeas, futurum eſt enim, vt peractis aliquot diebus, Diaconatus officium ab Epiſcopo CONSTANTIENSI accipias: ſic volo vt moreris cum GALLO vſque dum tempus veniat me ab hac luce diſceſſurum eſſe. Itaque ſi fieri poteſt, vt me ægrotante, tibique Spiritu ſancto reuelante, ad me venire poſſis, gratum eſt mihi: aliàs mihi defuncto quoquo modo ſit, Domino annuente reuelatum fuerit, ſic acceleratè ad ſepulchrum meum feſtina, & inde accipies epiſtolam & cambuttam meam quam affer GALLO, vt eum abſoluas iudicio meo. Nuntio autem tibi quod defuncto GALLO poſt triennium vaſtatum fuerit ſepulchrum eius à raptoribus, te & THEODORO inſpiciente. Et vt hoc factum fuerit, reſtaurato ſepulchro eius properè feſtina ad locum vbi auditum habemus, quod ſanctus NARCISSVS Epiſcopus diabolo præcepit draconem interficere. Ibi Domino opitulante plurimos ad fidem Chriſti conuertens, animas eorum lucratus eris Domino, atque habebis ibi nomen tibi à Domino impoſitum, & vocaberis à populo terræ illius MAGNVS, propter fidem quam prædicaturus eris; Ibi enim occurrent tibi dæmones multa mala ingerentes, ſed tu confortatus eris à Domino: & his dictis profectus eſt.

Vide commentariũ M. Velseri in vitam S. Afræ. num 89.

CAPVT VIII.

De eo, quod ſanctus Gallus cooperante beato Magno in Eremo cellam conſtruxit.

POST eius quoque diſceſſum GALLVS retia ſua & ſagenam naui imponens, cum duobus clericis ſuis MAGNOALDO & THEODORO ad WILLIMARVM presbyterum venit. Qui ſuſceptus ab eo, & cum omni diligẽtia ſuis adminiculis præparatis, à MAGNOALDO & THEO-

THEODORO procuratus eſt. Trāſactis aliquot diebus Domino medelā impertiente, q verus eſt medicus, cœpit ſumere cibos; ſicq; per incrementa recuperationis temporum confortatus priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt. BEATVS verò & FELIX à tanto languore liberatus, cœpit laborare in populo, vt eis viam veritatis oſtenderet, & animarum morbos ſua ſacra prædicatione depelleret. Inueſtigato autem à quodam Diacono nomine HILTIBOLDO, qui omnes ſemitas Eremi ipſius notas haberet, inuenit locum ſpatioſum & planicie formoſum, atque benè aptum ad manendum, circumquaque per gyrum montes excelſos, torrentemque optimè fluentem, ſed & feris, & beſtiis atque ſerpentibus, nec non & diabolicis habitationibus plenum. Sumens ergò ſecum duos diſcipulos ſuos beatum MAGNOALDVM & THEODORVM, ad ipſum locum peruenit, cooperante autem gratia ſuis ſanctis intercœſſionibus MAGNIQVE ſui pediſſequi, locus ille à feris & vermibus, ſeu diabolicis inhabitationibus mundatus eſt, & cella facta cœperunt ibi habitare, & DEO ſeruire. Porrò beatus MAGNOALDVS expulſis à ſancto GALLO ab illo dæmonibus, perrexit ſurſum in montem, qui vocatur HIMILINBERG, ibique inueniens vrſum, præcepit ei, vt diſcederet in nomine Domini. Et continuò audita voce eius abſceſſit. Nuntians itaque hoc latenter beato GALLO, retulerunt pariter gratias Domino, qui ſaluat ſperantes in ſe.

CAPVT IX.

De eo, quod ſanctus Gallus filiam Ducis Gunzonis à Dæmonio liberauit, & beatus Magnus aurum & argentum oblatum pauperibus erogauit.

INterea nunciatum eſt illis GAVDENTIVM CONSTANTIENSEM Epiſcopum de hac vita emigraſſe. Et hoc audito, vnanimes precibus & lacrymis inſtiterant pro requie defuncti paſtoris. Deniq; non poſt multos dies epiſtola cuiuſdam Ducis, nomine GVNZONIS allata eſt ad beatum GALLVM; poſtulans, vt quantocius poſſet, properaret ad eum: veniensque filiam eius vnicam à maligno ſpiritu iuuaſam liberaret. Ille verò omninò interdixit tale quid acturum ſe eſſe dignum, & ideo non veniret. Iterum atque iterum præfatus Dux deprecans eum per legatos, vt acceleraret iter, indicauit iam continuò puellam vexa-

vexari, & vſque tunc tres dies ſine alimonia perduraſſe, & niſi celeriter aduenisſet, ipſa procul dubio Spiritum cum diabolo exhalaret. Hæc itaque audiens beatus GALLVS, proſtratus in oratione diutiſſimè orauit, & confiſus de Dei miſericordia & pietate, ſumens ſecum duos diſcipulos MAGNOALDVM & THEODORVM profectus eſt, & venit ad Ducem. Domino igitur gratias agens, videns puellam à maligno ſpiritu valdè conturbatam, orante beato MAGNOALDO, imperauit beatus GALLVS dæmonio in nomine Domini vt exiret. Et receſſit in ſimilitudine auis nigerrimæ cum fœtore nimio, atque eadem hora apprehendens manum puellæ eleuauit eam. Et ſurrexit ſana, & reddidit eam matri cum gaudio. Manifeſtauit autem Dominus in hoc ſigno, cuius meriti eſſent beatus GALLVS & MAGNOALDVS typum ſequentes beatorum APOSTOLORVM PETRI & PAVLI, vt ſicut orante beato Paulo Apoſtolo Petrus dæmonibus, qui ferebant SIMONEM MAGVM in aëra, imperauit, vt eum relinquerent, & relictus cecidit, ſicque diffuſa ſunt omnia viſcera eius, mortuuſque ſimul cum dæmonibus ad inferna deductus iacet; ita & iſti orante beato MAGNOALDO, & imperante ſancto GALLO, dæmon à puella abſceſſit. His ita Domino annuente patratis, Dux iuſſit ei dona magna offerri, inſuper vt apicem gradus pontificalis dignaretur aſſumere poſtulauit. Cui vir beatus reſpondit: Ecce teſtis meus, mihique valdè amabilis MAGNOALDVS ſcit, qui hoc vidit, quod altaris officium interdixit mihi beatus COLVMBANVS magiſter meus non vſurpare, niſi ab eo permiſſus, viuente illo: qua de re pondus huius regiminis, quod offers, ſuſcipere non poſſum. Veruntamen ſi hoc indubitanter fieri cupis, ſuſtine me interim, donec præſentem ſodalem meum cum epiſtola mea mittam ad Abbatem meum beatum COLVMBANVM, & ſi eius cognouero voluntatem & licentiam habuero, tunc demum oblatum onus curæ paſtoralis à te ſuſcipiam. Et Dux ad eum: Fiat, inquit, ſecundum verbum tuum. Sicque ſuſceptis donis ei oblatis, dimiſit eum in pace. Vir ergò Dei beatus MAGNOALDVS, ſumens quæ donata fuerant, detulit ad nauem. Venerabilis autem pater impetrauit à Duce, vt iuberet ARBONENSI præfecto, vt ei ſolatium præberet ad conſtruendam cellulam ſuam. Et continuò Dux tàm manifeſto compunctus iudicio ſanctitatis eius, iuſſit omnia fieri quæ poſcebat, & conſtruere cellulam iuxta

ſuam diſpoſitionem. Valedicens pater Duci receſſit, aſcendenſque nauem, venit ad caſtrum ARBONENSE, & præcepit MAGNOALDO, vt faceret conuenire omnes pauperes & egenos quocunque inuenire poſſet, & dona quæ à Duce data detulerat, illis diſtribueret. Cui beatus MAGNOALDVS dixit: Pater, omnia quæ præcepiſti, libenti animo complebo. Sed habeo vas argenteum pretioſum, vis vt reſeruem illud, vt ſacrum vas miniſterii diuini ex eo faciamus. Ille reſpondit: Fili, vas quod poſſides cum cæteris pecuniis pauperibus conferre curato, ne contrarius inueniaris, exemplo ſalubri ad memoriam retinens beati Petri ſententiam, quam paralytico poſtulanti pecuniam protulit: argentum & aurum inquiens non eſt mihi. Hæc audiens beatus MAGNOALDVS, gratias agens DEO de tanti viri iuſſione, omnia pauperibus erogauit. Et his expletis reuerſi ſunt ad dilectæ ſolitudinis locum, & cœperunt conſtruere cellulam cum ingenti prudentia.

CAPVT X.

De eo, quod beatus Magnus à Ioanne Epiſcopo Conſtantienſe, Diaconus eſt ordinatus.

NAm non multo poſt tempore, miſit epiſtolam beatus GALLVS ad IOANNEM Diaconum, rogans eum, vt veniret ad ſe. Qui cùm veniſſet ad eum, erudiuit eum diuinis libris ſcientiæ, & cooperante gratia DEI, conſtituit eum coram DVCE plenum ſcientiæ & virtute, atque diuinarum ſcripturarum intelligentię; dicens: Hîc eſt indigena vicinorum locorum, cui meritò teſtimonium poteſt aptari quod viro decet, diuino eum credens electum iudicio vobis offero promouendum. Cumque hac atteſtatione vir ſanctiſſimus IOANNEM laudaret, DVX eum cum electione populi, vellet, nollet, collecta congregatione cæterorum Epiſcoporũ Pontificatum CONSTANTIACENSIS ciuitatis ei tribuit, immò à vicinis Epiſcopis ductus ad altare ſolenni benedictionis officio ordinauerunt antiſtitem. Doctor itaque venerabilis his perpetratis, memor ſancti viri Prophetiæ COLVMBANI de Diaconatus officio beati MAGNOALDI futurum à CONSTANTIACENSI Epiſcopo fore inter multa ſalutiferę conſolationis verba hæc ſæpius inculcauit, vt beatum MAGNOALDVM, qui erat iam cum eo omnium veneratione ſublimis, congruo tempore aduenicnte

Digitized by Google

niente, initium quadrageſimalis ieiunii, primo Sabbati ieiunio perpetrato, diuino eum commendaret iudicio ad Diaconatus officium peragendum, cui IOANNES Epiſcopus reſpondit: Magiſter, paterna ſollicitudine mecum his diebus eum relinquite, vt adueniente ieiunio quadrageſimale quatuor temporis futuri facias quod hortaris. Quo audito beatus GALLVS paterno honore omni neceſſitatum ſubſidio relinquens eum iuſtiſſimo MAGNOALDO, ingenti venerabilis patris familiaritate confiſus, cum multiplicato commendauit amore. Perueniente autem ſancta ſollemnitate venturi quadrageſimali, beatus MAGNOALDVS accepta à IOANNE antiſtiti ſacra benedictione Diaconatus officii, reuerſus eſt cum gratiarum actionibus DEO relatis ad cellam beati GALLI Abbatis.

CAPVT XI.

De conſtructione Monaſterii per ſanctos Gallum & Magnum, & de ſancto Othmaro.

COeperunt autem tunc temporis ædificare Eccleſiam beatus GALLVS & MAGNOALDVS, conſtruere monaſterium, manſiones per gyrum ad commanendum fratribus præparare, ſuffulti REGIS SIGIBERTI & DVCIS GVNZONIS adiutorio. Conſtruxerunt ergò monaſterium miræ magnitudinis, & fratres inibi coadunatos doctrina & exemplo ad æternæ vitæ deſideria concitauerunt. OTHMARVM puerum ex ALAMANNORVM genere curioſè nutrientes, atque doctrinam Grammaticæ artis ſeu diuinorum librorum eum erudientes, magiſtrum ſcholæ conſtituebant.

CAPVT XII.

De tranſitu ſancti Columbani, & baculo eiuſdem, quem ſanctus Magnus de Italia portauit, beato Gallo in ſignum abſolutionis.

QVadam verò die dum poſt matutinalis officii laborem quieſcendi gratia lectos ſuos reuiſerent, primo diluculo vir DEI vocauit MAGNOALDVM Diaconem ſuum, & dixit illi: Inſtrue ſacræ oblationis miniſterium, vt poſſim diuina ſine dilatione celebrare myſteria. Et ille: Num tu, inquit, pater MISSAM celebrabis? Qui dixit illi: Poſt huius vigilias noctis, dominum & patrem meum COLVMBANVM cognoui per viſionem ad cœlos de huius vitæ anguſtiis

migraſſe, pro eius ergò requie ſalutis hoſtiam debeo immolare. Et ſigno pulſato, oratorium ingreſſi, & in orationem proſtrati, cœperunt MISSAS agere indeſinenter poſtulantes pro commemoratione beati COLVMBANI. Finito ſacræ deuotionis officio, venerabilis GALLVS dixit ad MAGNOALDVM Diaconem. Fili, non tibi graue videatur petitionis meæ pondus, ſed arripe viam & ITALIAM petito, pertranſienſque vſque ad monaſterium, quod BOBIVM nominatur, diligenter perquirito, quid actum ſit circa Abbatem meum. Nota ergò diem & horam, vt ſi eum compereris eſſe defunctum, poſſis agnoſcere, vtrum viſio mea veritatis fulciatur effectu. Hæc ergò omnia ſollicita inueſtigatione perdiſcens, regreſſus nunciabis mihi. Diaconus ad pedes magiſtri prouolutus ignotum ſibi iter conqueſtus eſt. Sed vir benedictus voce blanda eum ne timeret, ammonuit. Perge, inquit, & Dominus diriget greſſus tuos. Hac conſolatione roboratus pii doctoris alumnus præcepto paruit, & accepto benedictionis viatico viam feſtinanter aggreſſus eſt, memor Prophetiæ beati COLVMBANI, qui aſſeruit eum venturum eſſe ad ſepulchrum ſuum in ITALIA, & cambuttam ſuam adſumere, ſanctumque GALLVM per eam abſoluere. Cumque perueniſſet ad monaſterium, vt volebat, inuenit omnia ita contigiſſe, ſicut patri ſuo per viſionem fuerant reuelata. Manſit autem vna nocte ibi, & accepit à fratribus epiſtolam ad beatum GALLVM, continentem venerandi tanſitum COLVMBANI. Qui & baculum ipſius, quem vulgo CAMBVTTAM vocant, per manum Diaconi tranſmiſerunt, dicentes; Sanctum Abbatem ſuum ante tranſitum iuſſiſſe, vt per hoc notiſſimum pignus GALLVS abſolueretur. Dimiſſus autem ab illis iter accelerauit, & proſperè in omnibus agens, die octaua venit ad ſanctum Patrem, ferens epiſtolam abſolutionis indicium. Lecta epiſtola ſanctus GALLVS lacrymas profudit vberrimas, & collectis fratribus cauſas mœroris aperuit. Deinde tanti patris memoriam precibus ſacris & ſacrificiis ſalutaribus frequentauerunt.

CAPVT XIII.

De obitu ſancti Galli, & quod beatus Magnus ad eius exequias Ioannem Epiſcopum Conſtantienſem vocauit.

INterea commanens beatus MAGNOALDVS cum ſancto GALLO ferè

Digitized by Google

erè annis decem poſt perpetratum iter ab ITALIA. Decimo verò anno videns eum infirmari, & à febrium conſtrictione langueſcere, miſit nuncium ad IOANNEM CONSTANTIACENSIS Eccleſiæ præſulem, inuitans eum ad beatum GALLVM, qui valde infirmitate iam febrium detinebatur. Audiens ergo Epiſcopus illum infirmari, velociter properare cœpit in partes illas. Cumq; iam prope oppido ARBONENSE IOANNES PRÆSVL appropinquaret, B. GALLVS à febrium vi valdè fatigatus, expletis annis ætatis ſuæ nonaginta quinq; in ſenectute bona illa anima carne ſoluta eſt, & ab ergaſtulo ſæculari liberata. Itaque præfatus Præſul audiens beatum virum ab hac luce diſceſſum, flens & eiulans peruenit ad locum, vbi ſanctum corpus iacebat. Expletis verò obſequiis tanti viri, cum beato MAGNOALDO expleta oratione feretrum cum corpore ſancto impoſuerunt ſuper equos indomitos, & abſq; freno vel duce eos dimiſerunt ire, vbi Dominus iuberet. Equi autem indomiti ferentes feretrum manſuetè, neq; ad dexteram, neq; ad ſiniſtram declinantes, recto itinere peruenerunt ad cellam, quam vir DEI ſibi conſtruxerat. Et cum perueniſſent ante oratorium, ſteterunt, depoſitoq; feretro diſcipuli eius MAGNOALDVS & THEODORVS eleuantes ſanctum corpus intulerunt in Eccleſiam, & ante altare poſuerunt, deinde pariter cum Epiſcopo orationes congruas facientes ſepelierunt eum. Epiſcopo autē ad propria remeante reliquit beatum MAGNOALDVM & THEODORVM, nec non & OTHMARVM virum pulcherrimum cæteris fratribus non plurimis, ad cuſtodiendum ſancti viri corpus.

CAPVT XIV.

De fractura ſepulchri S. Galli, & quod beatus Magnus flagellatus, vulneratus & deſpoliatus eſt derelictus.

IGitur poſt triennium, vt compleretur prophetia beati COLVMBANI, quòd ante prædixerat beato MAGNOALDO venturum fore de ſepulchro ſancti GALLI. OTWINVS peſſimus DVX, & ERCHONALDVS præfectus conſimilis eius, collecta multitudine populi vallauerunt ipſum cœnobium, & euaginatis gladiis frangentes oſtia, & ſumentes omnia, quæ ibi reppererunt in auro & argento & cæteris vtenſilibus, nec non & oratorium ingreſſi fregerunt ſepulchrum beati GALLI, putantes ibi magnum theſaurum abſconditum eſſe. Vt

al. Erwvinus & Erchanoaldus.

autem nihil in eo inuenerunt, (niſi) relicta oſſa B. GALLI inhumata. interfecerunt omnes, quos reppererunt, præter B. MAGNOALDVM & THEODORVM, quos etiam flagellatos ac vulneratos, atq; deſpoliatos reliquerant iacentes in atrio.

CAP. XV.

De eo, quod Boſo Epiſcopus Conſtantienſis B. Magno veſtimenta, & alimoniam dedit.

AVdiens hoc Boſo nomine CONSTANTIACENSIS Eccleſiæ Præſul, quod violatum eſſet ſepulchrum S. GALLI, celeriter properatus eſt partes in illas, & veniens illuc, inuenit cœnobium deſolatum, altaria nudata, B. MAGNOALDVM & THEODORVM vulneratos, qui ſacri corporis reliquias tumulo reſtituere volebant, ſed non habebant vires. Tunc præſcriptus Epiſcopus miſericordia motus ſuper eos conſolatus eſt valdè, & ſacrum corpus B. GALLI cum ſuis Clericis venerabiliter cum pſalmis & hymnis; cæteriſq; orationibus in eodem ſepulchro recondidit, foſſamq; terra repleuit. Data ergo benedictione duobus fratribus MAGNOALDO & THEODORO largitus eſt de ſuo veſtimento, nec non alimonia præbens, dedit eis licentiam proficiſcendi, vbi illis Dominus diſpoſitum iter haberet veniendi.

CAPVT XVI.

De eo, quod Boſo Epiſcopus beato Otmaro Monaſterium ſancti Galli commiſit, & ſanctus Magnus cum Theodoro duce itineris Tozzone presbytero ad lacum Brigantium venit.

MIſit autem poſt OTHMARVM præclarum virum, qui fugam iniens euaſerat, & accerſiuit eum, & commendauit illi locum, donec à PIPPINO, qui tūc tēporis MAIOR DOMVS vocabatur, interrogaret, quid de ipſo cœnobio fieri vellet: Vltio diuina venit ſuper ERCHONALDVM auctorem huius ſceleris, & OTWINVM ita. Nam non poſt multum temporis miſit PIPPINVS exercitum copioſum ad deuaſtādum ALAMANNORVM prouinciam, ſuæque ditioni & Francorum ſubiugandam. Cumq; tota terra hoſtili repleretur incurſu, OTWINVS & ERCHONALDVS neſcientes, qua parte ſe flecterent, ſemetipſos gladio interfecerunt, quatenus vltio diuina in eos peracta colſ. Domus

lata

Digitized by Google

lata ſigna manifeſtarent. MAGNOALDVS itaq; & THEODORVS proſtrauerunt ſe ſimul in oratione, Domini miſericordiam implorantes, vt diſponeret iter illorum ſecundum ſuam voluntatem partibus orientis ne quaſi fraudulenter abſcedentes beati Patris corpus relinquerent. Memores iterum prophetiæ beati COLVMBANI, qui dixit: venturum fore beatum MAGNOALDVM in Eremo orientali, ad FONTES ALPIVM IVLIARVM, vbi beatus NARCISSVS Epiſcopus TOLESANÆ ciuitatis iuſſit Diabolo draconem interficere, quando ſanctam AFRAM conuertit ad fidem. Sequenti vero nocte per viſionem beato MAGNOALDO demõſtratum eſt, vt fiducialiter pergeret, Domini adminiculũ ſibi ſemper noſſet adeſſe. Facto igitur mane iterum orationibus attẽtius exorati ſunt, vt Dominus eis demonſtraret viam & iter commodum, quomodo vellet eos illò ire. Adueniente ergò meridie presbyter quidam ex ipſo pago aduenit Tozzo nomine, qui iam auditã habebat famam beati GALLI, & ideo cauſſa orationis veniebat ad ſepulchrum eius, ferens ardentem cereum in manu eius. Quem cereum miro modo illuc attulit, ſcilicet vt quando nocte proficiſcebatur, cereus ardebat, & nullo modo à vento extingui poterat. Die autem veniente lux ab ipſo cereo per ſe illicò ſubtracta eſt. Cumque viderent eum MAGNOALDVS & THEODORVS venientem, cereum quippe per ardorem minime minui, admirati obuiauerunt ei, & interrogauerunt, vnde veniret. At ille per ordinem expoſuit, vnde erat, & quomodo ei reuelatum fuerit, vt viſitaret ſepulchrum beati GALLI, immò eos, quos inueniret, velle proficiſci partibus Orientis, recto itinere duceret eos, vſque dum ad locum deſideratum venirent. Illi hæc audientes proſtrauerunt ſe in orationem, Domino gratias referentes, qui talem ducem eis oſtendere dignatus eſt, vt neque per anguſtam viam eos errare permitteret, & tunc demum ſuſceperunt Presbyterum, deoſculantes eum, duxerunt in Eccleſiam ad ſepulchrum beati GALLI: factaque oratione, duxerunt eum in hoſpitium ſuum, tribuentes ei, prout poterant neceſſaria. Et conuiatorem eligentes, ſicque præfatus Presbyter pernoctans cum eis, orto mane orantes coram ſepulchro beati GALLI, & benedicentes DEVM, atq; valedicentes fratribus, qui ibi erant, ſimul profecti ſunt, arripientes iter iuxta lacum BRIGANTIVM, vſque ad locum, qui dicitur BRIGANTIA, ibiq; morati ſunt dies duos.

Vide comment. M. Velſeri in vitam S. Afræ nu. 8.

CAP.

CAPVT XVII.

De cæco, quem ſanctus Magnus apud Brigantiam illuminauit.

TVnc illis ibi manentibus, cæcus quidam, qui multorum hominũ cognitioni pago in illo notiſſimus erat, obuius erat beato MAGNOALDO, poſtulans ab eo alimentum. Ille reminiſcens ſententiæ Apoſtolicæ dixit: Non ſum ego dignus me æquiparare ſuæ ſanctitati, qui dixit: Argentum & aurum non eſt mihi, ſed in nomine eius, qui ei poteſtatem dedit, vt faceret quod fecit, & cæcum illuminauit, aperire oculos tuos imploro vt videas, & manibus tuis laborando victũ acquirere poſſis. Et hæc dicens liniuit oculos eius cum ſaliua ſua. Nec mora ſanguis ex oculis eius prorumpens aperti ſunt, & videns corruit ad pedes eius, dixit: Domine video, quoniam MAGNVS es tu, & magna opera tua, ideò ſi vis, ſeqnar te, quocunq; ieris. Ille reſpondit: Si vis Domino ſeruire, tunc ſequere me. Sicq; poſt hoc ſignum profecti ſunt, ſecutuſque eos cæcus & dux itineris, nomine Tozzo.

CAPVT XVIII.

De boa, quam ſanctus Magnus apud Campidonam interfecit.

VEnierunt itaq; poſt aliquot dies ad locum, qui vocatur CAMPIDONA, vbi repererunt oppidum valde formoſum, ſed in toto deſertum. Tunc interrogauit beatus MAGNOALDVS presbyterum quomodo ille locus vocaretur, vel fluuius, qui ibi defluebat. Ille reſpondit. Locus iſte ab incolis terræ huius ſæpiſſimè viſitatur, & vocatur CAMPIDONA, ſed non ſunt auſi ſaltem vna nocte hîc manere propter diuerſa genera vermium, qui hîc ſunt. Fluuius verò vocatur HILARA, qui multos homines potius in mœrorem vertit, quàm in lætitiam. Nobis autem oportet velocius tranſire, ne vermes nos hîc eſſe ſentiant, quoniam ſi ſenſerint, magnum impetum facient ſuper nos ad deuorandum. Plurimos namque homines, qui cauſa venationis huc venerunt, deuôrauerunt, non permittentes eos ſaltem vna nocte hîc iacere. Reſpondens beatus MAGNOALDVS dixit: Verè Dominus noſter IESVS Chriſtus poteſtatem habet ſimiliter hos vermes de iſto loco eiicere, ſicuti habuit eiiciendi vrſos & lupos, cæteraſq;

Digitized by Google

ſasq; feras & vermes, nec non & Dæmones per orationem Domini & magiſtri noſtri GALLI, de loco, quem ipſe elegit, ad conſtruendam cellulam. Nobis ergo, permittente Domino, oportet hac nocte hîc manere, & dixit ad THEODORVM. Frater, tuum eſt orare, & Domini miſericordiam implorare, vt nobis auxilium præbeat ad eiiciendos vermes de loco iſto, & Dæmones qui in eis latitant, quoniam à te eſt iſte locus conſtruendus, ideoque oramus pariter, vt Dominus nos exaudire dignetur, & mundare iſtum locum, quod eſt ab hominibus propter timorem vermium inhabitabile. Et hoc dicens, proſtrauerunt ſe in orationem. Dum verò orarent, egreſſus eſt foris de oppido vermis magnus, qui dicitur BOA, & impetum faciës ſuper beatos viros, iacentes in oratione. Presbyter verò TOZZO, qui eos ducebat, videns eum, exclamauit voce magna, dicens. Heu me, quòd huc vos adduxi, & in fugam verſus, & cum eo qui cæci fuerant, feſtinabant ad arborem, vt ſe liberarent. Itaque beatus MAGNOALDVS & THEODORVS confiſi de DEI miſericordia, ſurrexit MAGNOALDVS THEODORO orante, & faciens SIGNVM SANCTAE CRVCIS coram ſe, arripienſque cambuttam, quam à B. GALLO acceperat, & CRVCEM quam ſecũ portabat, perrexit in occurſum vermi, & dixit. Impero tibi in nomine Domini mei IESV Chriſti, vt hîc iaceas, & Diabolus qui in te latitat, ipſe te interficiat. Et cum hoc dixiſſet, percuſſit eum cum cambutta in caput, & ſtatim crepuit medius, & mortuus eſt, cæteri verò vermi, qui in oppido, & circa oppidum ipſum morabantur, omnes in fugam verſi ſunt, & nuſquam comparuerunt. Sicque mundatus eſt locus, & morati ſunt ibi vnam hebdomadam Domino gratias referentes, qui eos exaudire dignatus eſt.

vide comment. M. Velſeri in vitam S. Afræ num. 20.

CAPVT XIX.

De eo, quòd beatus Magnoaldus non plus Magnoaldus, ſed Magnus eſt vocatus.

THEODORVS itaq: vt vidit tam magnum ſignum factum à Domino & B. MAGNOALDO, ſurrexit, & eleuatis manibus ad cœlũ dixit. Domine DEVS omnipotens, qui feciſti cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt, tibi gratias refero, te inuoco, te adoro, tibi laudes pſallo, qui nos liberare dignatus es à tanto periculo, & à tali deuoratione vermium. Et cum hoc dixiſſet, cucurrit ad beatum MAGNOALDVM flexis genuis, oſculatus eſt pedes eius, & dixit: Ve-

Digitized by Google

rè non vocaberis vltra MAGNOALDVS, ſed MAGNVS, quoniam tibi Dominus tantam gratiam intulit, vt per te iſte locus pacificaretur, non ſolùm à vermibus; ſed etiam à dæmonibus. Ad hæc beatus MAGNOALDVS. Noli dicere frater, non ſum Magnus, ſed minimus ſeruus ſeruorum DEI. Tuæ ergò orationes exauditæ ſunt à DEO, & ideo nõ meis meritis, ſed DEI iuſſione iſti vermes receſſerunt. Nunc autem voca conuiatorem noſtrum, & purgemus locum iſtum, quia Dominus vult eum præparare ad ædificandam cellam. Tozzo autem vt vidit eos ambos incolumes eſſe, deſcendens de arbore, ad quã cõfugerat, & cum eo, qui cæcus fuerat, proſtrauerunt ſe ad pedes eorum. Et ait Tozzo. Vere Dominus eſt in loco iſto, qui beato MAGNO tantam gratiam contulit, vt cum ſua cambutta tale ſignum inauditum faceret. Nunc ergò fiducialiter ducam vos per deſerta & anguſta loca, vſque ad locum, quem electum habetis ad manendum, quia video tantam à DEO vobis conceſſam poteſtatem, vt per veſtra merita diuerſa hæc loca purificentur, & quæ nunc ſunt inhabitabilia, Domino annuente habitabilia efficiantur. Reſpondens beatus MAGNVS dixit: Præſentem hebdomadam hìc maneamus & ædificemus oraculum paruulum, vt diſcat populus terræ iſtius qualem miſericordiam eis Dominus conferre dignatus eſt in loco, manſeruntq; ibi ipſam hebdomadam. TOZZO vero cucurrit per vicina loca ſibi cognita ad homines, qui ibi morabantur, & diffamans hoc ſignum. Venerunt ad illum locum, & attulerunt alimonia ſufficienter, nimis valdè admirantes de tanta virtute DEI, & plurimi per prædicationem beati MAGNI ad fidem conuerſi, & baptizati à Presbytero TOZZONE, & Domino gratias agentes, manſerunt ibi colentes terram illam. Tranſactis tribus diebus illis pernoctantibus in oratione, die verò laborantibus.

CAPVT XX.

De clamore Dæmonum & expulſione eorundem per S. Magnum.

CVm verò tertia nocte aurora diei ſurgentes celebrare vellent matutinales laudes, ſubitò dæmones in aëre volantes, heiulantes cũ magno ſtrepitu & fremitu voces emittentes, quaſi impetũ ſupra TOZZONEM Presbyterũ facientes clamabant. Tu inimice ſenioris noſtri & noſter, vt quid induxiſti virum iſtum cum ſocio ſuo, qui & nos, & mẽbra noſtra, per quæ multas animas lucrabamur à loco iſto euellit? Magiſter

giſter autem illorum ſemper nos cum ſuis maleficiis, ſicut & iſte inuocato nomine Domini vincere conſueuit. Iſte verò non ſolùm nobiſmetipſis, verum etiam in membris noſtris cum terribilißimo nomine ADONAI victos habet & expulſos. Hoc audiens præfatus Presbyter Tozzo tremefactus, tamen muniens ſe SIGNACVLO SANCTÆ CRVCIS, feſtinus perrexit ad virum DEI, & indicauit illi, quæ viderat & audierat. Tunc bellator fortis & electus DEI pariter cum THEODORO proſtrauit ſe in orationem, & huiuſcemodi verbis Dominum deprecatus eſt dicens: Deus omnipotens, ineffabilis, & ineſtimabilis, qui nos ſecundum miſericordiam tuã, non ſecundũ merita noſtra à membris iſtorum Dæmonum, & à venenis mortiferis illorum eripere dignatus es, tu audito placido has à nobis ſuſcipe preces, ſicut ſuſcepiſti Magiſtri noſtri GALLI, & iube hos Dæmones hunc locum deſerere, vt ſit ſanctificatus in honore nominis tui quotidie * cantanti gallis. Et ſurgẽs ab oratione, egredientesq; de oratorio audierunt eos clamantes, & eiulantes atq; clamantes. Tu MAGNE tria nomina portas in capite tuo, & cum TRINITATE nobis tanta mala obiicis? Et tu THEODORE quid tibi eſt nobiſcum? Venient dies, quando non habebis MAGNVM apud te, & tunc pugnaturi erimus aduerſum te per varios errores, homines terræ illius aduerſum te excitantes. Sanctus verò MAGNVS reſpondens dixit. Miſeri, confitemini ſi ſcitis ſanctam TRINITATEM DEI. Et illi dixerunt. Scimus eam ineffabilem eſſe & immenſam. Et beatus MAGNVS. Nunc iam quia confeſſi eſtis ſanctam TRINITATEM, impero vobis non meis meritis, ſed per immenſam potentiam TRINITATIS, vt hunc locum deſerentes in montes deſertos eatis, vbi Dominus voluerit, & huc reuertendi vlterius poteſtatem non habeatis. Ad hanc vocem continuò Dæmones dixerunt. Heu quid faciemus? Alium GALLVM hîc habemus. Iſte GALLVS peior eſt priori, quia cum ſuis GALLICINIS nos & membra noſtra pariter eiicit, ſed nec in Eremo permanere permittit. Porrò ex illa die tam pleniter abſceſſerunt, & in fugam verſi ſunt, vt poſtea ibi non comparerent. Et ſic factum eſt, vt ab illa die omnes homines in illo loco tranquille habitare permiſſi ſunt.

* ſ. ac S. Galli.

CAP. XXI.

De eo quod B. Magnus reliquit Theodorum in Campidona, & ipſe profectus eſt ad locum, qui Fauces vocatur.

HIS itaq; geſtis beatus MAGNVS Diaconus dixit ad THEODORVM Deo gratias frater, quia dæmones receſſerunt. Nunc bonum eſt, vt locus iſte à te cuſtoditus & conſtructus ſanctificetur, populus iſtius loci, qui deinceps venturus eſt, hic ad adorandum potius, quàm ad venandum. THEODORVS reſpondens dixit: Mi domine iuxta præceptum tuum facio, ſed vt audiero te conſolidatum in locum à DEO tibi electum, venio ad te, & viſitabo te. Et his dictis valedicentes, ſeque inuicem deoſculantes, profectus eſt beatus MAGNVS, accepto ſecum conuiatorem & ducem itineris TOZZONEM Presbyterum, relinquens cum THEODORO cæcum, qui viſum recepit. Itaq; cœpto itinere, tranſitoq; fluuio perrexit recto tramite, ſicut eum viator ducebat, ſicq; venerunt ad locum, qui vocatur EPTATICVM, & inuenerũt ibi Epiſcopum SANCTÆ AVGVSTÆ VINDELICENSIS ECCLESIÆ nomine WICTHERPVS. Tozzo igitur propter notitiam, quam in Epiſcopo habebat, præceſſit B. MAGNVM, venitq; ad præfatum Epiſcopũ, & narrauit ei omnia de ſancto viro, quæ viderat & audierat. Præfatus autem Epiſcopus interrogauit de qua origine eſſet. Et reſpondit Presbyter: Domine ſicut audiui à THEODORO, qui nunc eſt relictus ad CAMPIDONAM, de HIBERNIA prouincia eſt ortus. Vt autem audiuit Epiſcopus eius famam bonam, ſuſcepit eum benignè, cœpitq; cum eo loqui, & moratus eſt cum eo paucos dies. ſciſcitans ab eo quotidiè de beato COLVMBANO & GALLO, & de itineribus eorum, & conuerſatione, & fine vitæ eorum, ac de virtutibus, quas fecerunt. Deinde interrogauit eum, vbi voluntas eius eſſet proficiſcendi. Reſpondens beatus MAGNVS dixit: Domino diſponente directus ſum ad locum, qui vocatur FAVCES, vbi propè ſunt FONTES ALPIVM IVLIARVM, & vbi Draco fuit, qui iubente NARCISSO Epiſcopo à Diabolo interfect[us] eſt, quatenus annuente Domino quidquid boni ibi ædificare potero faciam. Nunc igitur paternitas tua decernat, quomodo voluntas tua ſit me agendum, quoniam ad tuum imperium prompto animo debeo agere, ſicuti Dominus reuelauerit mihi per os tuum. Ego iam ſenex & grandæuus, cupio in vltimo meo tempore illum locum inuiſere,

niſcere, & Deo ad ſeruiendum præparare, exemplum ſequens dominorum meorum COLVMBANI & GALLI. Ad hæc WICTHERPVS Epiſcopus reſpondit: Locus ille valdè anguſtus eſt & inhabitabilis, & iam diuerſa feræ ibi morantur, id eſt, cerui, apres, plurimi vrſi: & propter illorum multitudinem domnus REX PIPPINVS ad ſuam venationem exercendam ſaltum illum tenet. Vermes etiam plurimi & diuerſi generis ibi morantur. Beatus MAGNVS arripiens ſtatim boni paſtoris inicia dixit: Pater tale miniſterium habuerunt magiſtri mei COLVMBANVS & GALLVS, vt quando ad talia loca venerunt, Dominus noſter IESVS Chriſtus feras diuerſi generis, & vermes per orationem illorum ilico expulit ab illis locis. Similiter ego credam, quod DEI miſericordia non permittet eos manere in ipſo loco, dum aduenero. Adquieuit autem verbis illius WICTHERPVS EPISCOPVS, & dedit ei ſolamina ciborum, præbens ei conuiatorem TOZZONEM presbyterum, & duces itineris qui eum perducerent ad locum à DEO ſibi deſtinatum.

CAPVT XXII.

De eo, quod beatus Magnus in loco qui dicitur Caput equi, Draconem interfecit.

CVmque venirent ad locum qui vocatur CAPVT EQVI, iacebat ibi in vno loco anguſto DRACO magnus, qui non permittebat vllum hominem per illam viam tranſire. Cùm ergò beatus MAGNVS iam prope ipſo loco eſſet, dixit ad TOZZONEM presbyterum: Frater, conſtruamus nobis hîc tabernaculum hac nocte manendum, & oremus Deum, vt expellat præſentem membrum diaboli ab iſto loco, atque aditum permittere dignetur nobis ad properandum. Fecerunt itaque vt imperauerat, & manſerunt ibi. In tota autem nocte illa non ceſſauit beatus MAGNVS orare, & Domini miſericordiam implorare, vt Draconem ſubuertere dignaretur. Circa verò mediam noctem ſurgens beatus MAGNVS dixit ad TOZZONEM. Mitte mecum hominem qui me ducat ad locum, vbi Draco iacet. Reſpondit TOZZO. Timeo igitur ſi te illuc adduxero, ab eo deuoreris. Ad hæc vir ſanctus. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Pergamus ergò fiducialiter, quia qui liberauit DANIELEM de lacu leonum, poteſt & me eripere de manu huius beſtiæ. Itaque cùm hoc dixiſſet, miſit in peram ſuam panem ſanctificatum, & manu ſua ſumens picem & reſinam, atque cambuttam ſancti GALLI, CRVCEM QVE in collo ſuo appendens, perrexit &

 dixit:

dixit: Deus omnipotens, qui eduxit me de regione longinqua, ipſe ſicut TOBIÆ famulo ſuo mittet Angelum ſuum mecum, qui liberet me ab ore ipſius Draconis, & oſtendat nobis locum ſalutaribus deſideriis aptum. Et hæc dicens, muniuit ſe SIGNACVLO SANCTAE CRVCIS, & de pane ſanctificato miſit in os ſuum, & paululum aquæ, ſicque venit ad locum, vbi Draco iacebat, relinquens omnes ſocios in tabernaculo præter ſolum Ducem itineris. Cumque vidiſſet eum Draco ilico ſurrexit, impetum faciens ſuper eum. Ille habens in manu picem & reſinam proiecit in os eius, inquiens: adiuua me Domine Deus meus. Et cùm hoc dixiſſet, confeſtim Draco cœpit ardere, & mortuus eſt. Vt vidit ille qui cum eo erat hoc actum, ſurrexit continuò, & peruenit ad ſocios, & dixit: Surgite, venite & videte, quia iſte magnus vir Draconem interfecit. Surrexerunt ergò & inuenerunt beatum MAGNVM iacentem in oratione, & gratias Domino referentem. Dignum quippe erat, vt quod diuino inchoabat amore, inſtantiſſima prece Domino commendaret, quoniam Dominus ſicut per os beati NARCISCI Epiſcopi Diabolum iuſſit interficere Draconem; ita & per manus tanti viri ſocium eius fecit interire. Vt viderunt autem Draconem interfectum, deſcenderunt ad rupem, de qua idem Draco impetum facere niſus eſt ſuper ſanctum virum; preſbyter Tozzo dixit: Gratias tibi agimus Domine, qui nobis talem virum & tàm magnum oſtendere dignatus es, vt per merita ſua iſta loca purificentur, efficiunturque habitabilia, quæ ante erant inutilia.

CAPVT XXIII.

De Eccleſia quam beatus Magnus conſtruxit, & VVictherpus Epiſcopus Auguſtenſis dedicauit, quam populus cellam ſancti Magni nuncupauit.

FActa verò oratione tranſierunt illum anguſtum locum, & venerunt per viam, iuxta Licum flumen ad locum ſpecioſum qui non habebat nomen, erat tamen planies bona. Habebat autem beatus MAGNVS Diaconus pendentem in collo CRVCEM, in qua continebantur RELIQVIÆ beatæ DEI GENITRICIS MARIÆ, & de ligno ſanctæ CRVCIS atq; ſanctorum martyrum MAVRICII & ſociorum eius, nec non beatorũ confeſſorum COLVMBANI & GALLI. Inuenit ergò ſupra præfatum flumen locum valdè honeſtum & formoſum, in quo

Digitized by Google

in quo loco arborem ſtantem pomiferam valdè decoram, ſuſpenditque CRVCICVLAM in ipſa arbore, & vocauit TOZZONEM presbyterum, atque proſtrauerunt ſe pariter coram CRVCICVLA in orationem. Tum vir venerabilis beatus MAGNVS huiuſmodi preces emiſit. Domine IESV Chriſte qui pro ſalute generis humani de virgine naſci & mori dignatus es, ne deſpicias deprecationem meam, ſed permitte nos conſtruere in hoc loco oraculum in honore genitricis tuæ, & præpara hîc habitationem tuis ſeruitiis aptam. Finita verò oratione cœperunt conſtruere fundamentum, & ædificauerunt Eccleſiam. Qua conſtructa inuitauerunt WICTHERPVM Epiſcopum, vt veniret, & eam Domino & ſanctæ MARIÆ dedicaret. Venit ergò præfatus Epiſcopus ad illum locum, ammirans valdè quomodo illuc venire poſſent, niſi per gratiam DEI, & dedicauit Eccleſiam in honore DEI genitricis MARIÆ & ſancti FLORIANI Martyris Chriſti, & ſic amminiſtrare cœperunt ad laudem Chriſti in illo loco diuina officia. Igitur cum fama virtutum, quas Dominus per beati Confeſſoris ſui merita piè quærentibus exhibere dignatus eſt, vt longè lateque circumpoſitorum mulceret aures populorum, cœperunt vndique alacri deuotione ad tanti patris ſuffragia poſtulanda concurrere, eundemque locum ob ſuæ dignitatis memoriæ, CELLAM ſancti MAGNI nuncupare, & multiplicibus ſubſtantiæ ſeu poſſeſſionum amplificare donariis.

CAPVT XIV.

De eo, quod beatus Magnus de loco, qui dicitur Fauces, Dæmones expulit, & oratorium conſtruxit, quod VVicthberpus Epiſcopus Auguſtenſis dedicauit.

CVmque res hæc largitate fidelium accidiſſent collatæ, ſeceſſit vir beatus propter multitudinem populorum, & perrexit ad vicina loca, quæ vocantur FAVCES, quatenus ibi familiarem locum Domino annuente ſibi conſtrueret ad manendum, relinquens præfatum presbyterum TOZZONEM in Eccleſia populum illuc venturum cuſtodiendum, vocauitque ipſum locum SYNAGOGA, id eſt, congregatio populorum. Ergò cùm circa meridiem cauſa quietioris vitæ ad paruum locum tenderet, in ſupradicto loco requieſceret, ſubitò Dæmones à monte vicino cum magno ſtrepitu de ver-

Digitized by Google

de vertice montis proximi quaſi vna voce vocauerunt, alios in pelago fluuii LECHI conſiſtentes, quaſi nominatim. Cumque & hi qui vocabantur præſto ſe eſſe reſponderent, aiunt ipſi de monte: Surgite nobis in adiutorium, vt peregrinum iſtum peſſimum & magum eiiciamus de his ſedibus, quoniam ipſe more GALLI ſui ſimulacra noſtra contriuit, & populum, qui nos ſequebatur, per ſe auertit, inſuper & Dracones noſtros interfecit. Commoueat autem vos iniuria quam patimur, & iuncti viribus præſentem hoſtem communem à noſtris terminis funditus expellamus. E contrario ipſi de profundo reſponderunt. Heu quid de veſtris narratis anguſtiis, nos ex noſtris iam percipimus calumniis; nam Angelus eius iam nos in pelago premit, & nec auſi ſumus ex pelago tranſire, nec quicquam eius contingere, quia inuocato nomine Domini, Angelus cum flagellis igneis nos flagellat, & recedere compellit. Quapropter nec vobis prodeſſe valemus, nec nobis, quia tàm fortis bellator eſt iſte, vt noſtræ verſutiæ ſaltem nec fimbriam veſtimenti eius ſuperare queant. His auditis vir DEI beatus MAGNVS, muniuit ſe vndiq; SIGNACVLO SANCTÆ CRVCIS, & dixit illis: In nomine Domini mei IESV Chriſti, non pro meis meritis, ſed per merita beati GALLI Confeſſoris Chriſti, adiuro vos, vt recedatis ab iſto loco, & vlterius neq; hîc manere, nec neminem lædere præſumatis. Et his dictis feſtin' rediit ad Eccleſiam ſanctæ MARIÆ, quam conſtruxerat, narrauitque TOZZONI presbytero omnia q̃ audierat in illo loco. Cumque voluiſſent veſpertinum tempus pſallere, auditæ ſunt diræ voces dæmoniorum per montium ſummitates, quaſi diſcedentium eiulatus cum terrore profuſi. Et hæc audientes ſerui DEI proſtrauerunt ſe in orationem Domino laudes & gratias perſoluentes, qui eos liberare dignatus eſt de terrore malignorum ſpirituum. Sequenti verò die beatus MAGNVS cum presbytero TOZZONE regreſſus eſt ad præfatum locum, & ibi conſtruere cœperunt oraculum paruiſſimum, accerſituſq; eſt à TOZZONE WICTHERPVS Epiſcopus, & dedicauit ipſum oratorium in honore & ſub nomine ſancti SALVATORIS.

CAPVT XXV.

De eo, quod Pippinus Rex per interuentum VVictberpi Epiſcopi Auguſtenſis monaſterium beati Magni, quod dicitur ad Fauces, donis regalibus dotauit.

IGitur cùm fama virtutum, per confeſſoris ſui merita, quas Dominus

nus illo in loco exhibere dignatus eſt venerabili Epiſcopo nota facta ſunt, quoſdã religioſos Clericos in diſcipulat⁹ eius memoriã cõmendauit. Qui diuino amore ſuccenſi, per viginti quinq; annorum curricula, obſequia pꝛbentes ad laudem Chriſti die ac nocte, horis atq; mométis iuſſu ſuo obedientes. Relicta itaq; venerabili patri q̃ neceſſaria erant ibidem degentibus, profectus eſt præfatus Epiſcopus WICTHERPVS ad glorioſum REGEM PIPPINVM, qui tunc tẽporis GERMANIAM totam, GALLIAMQ; regebat, ſecũ epiſtolam portans beati COLVMBANI q̃ ad LOTHARIVM direxit, flagitans pꝛo ſanctis viris GALLO & MAGNO cõſiſtentibus in regno ſuo, vt eos benignè per amorem Domini foueret, eiſq; familiaria loca, prout oportunum foret, in ſua mercede tribueret. Sed hoc LOTHARIVS minimè implere valuit, propter diuerſorum inimicorum DEI infeſtationibus. Præfatus Rex propter amorem & petitionem fratris ſui KARLOMANNI, qui propter DEVM relinquens temporalem regni gloriæ pompã monaſterio ſe tradidit, qui eleemoſynæ ſuæ largitate, nec non & per petitionẽ pꝛfati Epiſcopi ipſum locum ſublimare in aliquo ſolatio dignaretur. Cumq; glorioſus Princeps accepiſſet epiſtolã compunctus ex petitione fraterna diligẽter exq̃rere cœpit, qualis ille locus eſſet, quẽ præfatus Epiſcop⁹ poſtulaſſet. Tunc dux ei⁹ nomine GVNZO ex prouinciis AVGVSTENSE & RETIÆ reſpondens dixit: Vere Domine Rex, ille locus tenuis quidẽ facultate eſt, ſed optimus ſi impeditio vermium deeſſet ad venãdum, quia plurimi cerui, damulæ, & hinnuli, ibiceſq; diuerſi morantur, vrſorum quoq; ac luporũ multitudo plurima. Tunc Epiſcopus cœpit narrare de virtutib⁹ beati viri, quomodo Domino adiuuãte Draconẽ interfecit, & cæteras virtutes quas Domin⁹ pꝛ merita ipſius & orationes in illis locis oſtẽdere dignatus eſt, & quomodo à vermibus locus ille mundatus eſt. Hæc audiens glorioſus Rex PIPPINVS commotus valdè animo dixit. In veritate cõperi, quia quãuis locus tàm tenuis ſit facultate, tamẽ pro meritis tanti viri celebri erit diffamatus rumore, ſicuti auditũ habemus iam locũ eſſe, vbi corpus beati GALLI requieſcere videtur. Inquiſiuit ergò à præfato GVNZONE, quomodo in vicina loca potuiſſet tributarios inuenire de eodem pago, qui vectigalia annuatim redditibus regiis inferre debebant. Et inuenit in ipſo vicino loco pagum, quod vocatur GELTINSTEIN ſibi per omnia annuatim tributa perſoluere. Inter cætera ergò munificentiæ ſuæ dona, quæ impertiuit beato viro, dedit ei totũ ipſum ſaltum, cum marcha firmitatis, quæ in epiſtola ſua fecit conſcribi, & vectigalia, CXIII. quæ ex præfato pago inferre debeant

annuatim, quatenus pro memoria beneficiorum eius perpetuò ibi permaneret. Et ne quiſquam ex ſucceſſoribus eius tanti obſiſteret boni, fecit conſcribi ſuæ firmitatis epiſtolam, atque vt mos eſt regum circumſpecta roborari cautela, quatenus deinceps tàm ipſe dum viueret, quàm omnes loci illi ſicuti Marcha continetur in eodem ſaltu ad ſanctam MARIAM, & ad ſanctam AFRAM per regiam traditionem abſque vllius violentia præfatus Epiſcopus WICTHERPVS, omneſq; ſucceſſores eius obtinerent auctoritatem. His regiæ poteſtatis WICTHERPVS Epiſcopus adornatus ſolaciis, & ſublimatus honoribus, impertitiſq; donis optimis beato MAGNO à rege PIPPINO lætus ad patriam regreditur, iniungens beato viro ea cum omni diligentia, danſq; ei poteſtatem, vt in loco ſibi commendato ad ſupplendas beatæ Mariæ excubias, & ſanctæ AFFRÆ omnem ordinem canonicam inſtrueret vitam. Ex illo tempore ipſe locus à beato viro Magno exordium ſanctitatis accipiens, augmentatus autem & ſublimatus à Pontificibus AVGVSTENSIS, Chriſti nomen vſque hodie ibi laudabiliter dilatari non deſinit.

CAPVT XXVI.

De eo, quod VVictherpus & Theodorus coronam ſplendidam in nubibus fulgentem ſuper caput ſancti Magni deſcendentem viderunt.

HIs itaque prælibatis cùm audiſſet THEODORVS, qui apud caſtrum CAMPIDONENSEM morabatur, beatum MAGNVM conſolidatum in loco quem Dominus diſpoſuerat, cœpit properare partes in illas, vt videret qualiter & quomodo Domino annuente in his locis moraretur. Vt autē ad eum peruenit, ſalutantes ſe inuicē, & deoſculantes oculos pariter & manus, narrauit ei THEODORVS innumerabilia, q̄ paſſus eſt à pagenſibus Hilargaugienſis. Sed tamen quamuis tātas iniurias & calamitates ab eis ſuſtinuerit, ædificauit ibi Eccleſiam paruam ſuper littus HILARE, quā poſtulabat vt apud WICTHERPVM Epiſcopū impetraret, quatenus illuc proficiſcens, ipſam baſilicam Domino in honore ſanctæ MARIÆ, genitricis eius conſecraret. Venerunt quippe ambo ad locum, qui dicitur EPTATICVS, repereruntq; ibi ſuprà ſcriptū Epiſcopū in oraculo ſuo ſedentem & orātem. Ergò vt obtutibus eius adpræſentati ſunt, narrauit ei beat' MAGNVS Abbas de THEODORO, qualiter cū magno labore Eccleſiam conſtruxiſſet in loco CAMPIDONENSE, & quo-

Digitized by Google

& quomodo deprecabatur, vt ille illuc properaret, ipſamq; Eccleſiam Domino conſecraret. Audiens hæc venerabilis Epiſcopus reſpondēs, dixit ad eos: Dicam prius vobis venientibus q̄ cogitabam, & ſic congruo tempore Domino annuente proficiſcar. Verè chariſſime pater MAGNE, nunc ſedens hîc cogitabam, vt tanquam Deus omnipotens te ita magnificatum habet in illo per multa miracula eius, accerſirem te, futuræ venturæque ſollemnitatis ieiunii ſeptimi menſis, & ſacerdotii dignitatem ſupernis gratiis fauentibus te promouerem. Inclinato denique capite beatus MAGNVS inquit: Cur hanc obiectionem aſſeris pater? peccatorum meorum ſqualoribus & flagitiis fœtere me video. Iccircò vita mea non eſt talis, vt amabilis paternitas tua me ad tantam dignitatem promouere queat. Ergò noli deprecationem noſtram pro peccatis abiicere, ſed Domini prouocatus mandatis incipe ſalubre iter, viamque veritatis deſiderantibus aperi. Poſtea mihi ſeruo Dei indigno, quando paternitati tuæ placuerit, ſecundum benignitatis munus impende, ne refutare videar, quæ à Domino diſpoſita ſunt ſuper me ſeruo ſuo. Et cùm hæc diceret, viderunt ambo WICTHERPVS Epiſcopus & THEODORVS coronam ſplendidiſſimam adhærentem capiti ſuo in modum rotæ circa Solem in nubibus fulgentem. Continuò autem ſurgens, amplexatus eſt eum, & oſculans oculos & os eius, dixit: Deus omnipotens, qui per potentiam maieſtatis ſuæ in te tantam virtutem oſtendere dignatus eſt, vt pro eius amore patriam tuam derelinqueres, & præcepta eius conſeruares, ipſe te faciat locum tibi ab eo deſtinatum cuſtodire & ſublimare cooperante gratia Spiritus ſancti tecum. Reſpondit THEODORVS, Amen. Ad hæc iterum inquit Epiſcopus: Benè vocatus iſte locus EPTATICVS, quia in medio conſtat inter monaſterium ſanctæ AFRÆ & cellam tuam: ideoque ſcias, quia per meum diſceſſum hanc hæreditatem permanere cupio ad ſanctam MARIAM, & ad ſanctam AFRAM, quatenus quaſi mediator ſit locus iſte ſucceſſoribus noſtris, inter monaſterium tuum & ciuitatem ſanctæ AVGVSTENSÆ Eccleſiæ. His dictis, ſurrexit venerabilis Epiſcopus, & profectus eſt ad caſtrum CAMPIDONENSEM, deſcenditque cum illo beatus MAGNVS ſimul cum eis THEODORO, & venerunt ad caſtrum. Conuocata autem multitudine populi in die ſollemni dedicationis Eccleſiæ, vir venerabilis Epiſcopus prædicationis dulcedine auidorum corda refecit. Sicque iuſſu ſuo beatus MAGNVS ea q̄ viderat tāta ſapientiæ luce veſtiuit populorū corda, vt ſumma cū gratulatione

Digitized by Google

auditus, & ineffabili veneratione à cunctorum ordine ſit ornatus. Biduo itaq; ibidem manentes cum gratiarum actione, populuſq; benedictione tanti patris armatus, & ab Epiſcopo oſculo pacis tributo ad ſua reuerſi ſunt. Venerabilis Epiſcopus & ſanctiſſimus Abbas relinquentes THEODORVM ad cuſtodiendā Eccleſiam CAMPIDONENSIVM.

CAPVT XXVII.

De eo, quod beatus Magnus factus presbyter in monte Suilinc vrſo monſtrante venas ferri inuenit.

BEatus itaq; MAGNVS morans in cœnobio ſuo, quod ſibi parauerat ad FAVCES, per viginti quinq; annos magnas virtutes ibi operatus eſt Deus per eum, illuminans cœcos, præbens ſurdis auditum, Dæmonia à plurimis eiiciens, claudicantibus greſſum tribuens. Sicq; docuit populum, & conuertit ad fidem CHRISTI, & ad credulitatem eius, relinquentes idola vana & ſurda, & credentes in Dominū IESVM Chriſtum, inſuper etiam per orationem eius oſtendit Deus venas ferri in montibus gyro impoſitis ita. Poſt ſuſceptam autem benedictionem ſacerdotalem, cùm ipſe circuiret montes & colles per diuerſa loca explorans, & intuens plurima loca apta ad manendum, quadam die aſcendens in montem excelſum, qui vocatur SVILINC, inuenit ibi plurimos vrſos, commorantes in maxima ferocitate. Sed *facta* oratione cœperunt ante eum tàm mites effecti adgredere, vt veluti boues qui ante bubulcum pergunt, ita irent ante eum. Vir ergò ſanctus proſtrauit ſe in figuram CRVCIS ad terram, & preces Domino deuotius effudit, vt populo pago in illo moranti aliquot adminiculū præberet ad victualia adquirenda. Interea vrſus vnus adpropinquans ad eum cum magna mitigatione cœpit cum pede monſtrare abietem magnam, & quaſi ſignificans quod ſub ipſa arbore copia venarum ferri conſiſteret. Hoc vt homo Dei vidit, dixit ad feram: Præcipio tibi in nomine Domini, vt ad ipſam abietem eas, & quia gladium non habemus, neque foſſorium, vt poſſimus radices eius incidere, tu in nomine Domini cum pedibus & dentibus tuis euelle rumpendo radices eius, quatenus nobis Dominus demonſtret ſuam voluntatem in adiutorio populi terræ iſtius. Ad eius ergò præceptum bellua conuerſa cœpit radices arboris rumpere, & cum dentibus frangere, donec ipſa arbor cum radice funditus ab vrſo effoſſa corruit.

ſicq;

Digitized by Google

ſicq; monſtratæ ſunt diuerſæ venæ ferri ad ſumendum, Vir deniq; benigniſſimus gratias DEo agens, aſſumens panem de pera ſua, quam ſecum habebat, integrum famulanti porrexit, & ei ita præcepit. In nomine Domini mei IESV Chriſti panem iſtum manduca, & ſequere me, atq; ad iſtum locum hominem, quem tibi monſtrauero, abſq; vlla læſione adducere ſtude, defendens eum ab aliis feris, ſi eum lædere voluerint. Et hoc facto, circumpoſitos montes & colles cum aliis feris habeto communes, ita vt nullum hic hominem lædatis, neq; pecora eorum. Et his dictis, reuerſus eſt beatus vir MAGNVS ad cellulam ſuam, ſecutuſq; eſt eum vrſus, ſicuti canis, qui ſequitur Dominum ſuum. Ergo vt ad cellam appropinquarat, vocauit hominem ſuum nomine LIVTO, & præcepit eum venire, & adferre ſecum ſecurem & foſſorium, atq; aſciam, & commendauit eum vrſo, & dixit. Iſtum hominem ſanum & incolumem perduc ad iſtum locum, quem Dominus oſtendit nobis, & caue, ne aliquam læſionem ab aliis feris patiatur. Belua itaq; conuerſa obediens iuſſioni eius, cœpit pergere ante hominem, & aperire viam, atq; monſtrare ſemitam. Sicq; adduxit eum ad locum incolumem, vbi arbor corruerat. Nullam aliam feram permittens ad eum appropinquare, donec vir effodiens ſarcinulam ſuam compleuit, & per eandem ſemitam vſq; ad cellulam viri Dei reduxit. Hoc facto vrſus ad ſaltum reuerſus eſt. Homo verò proſtrauit ſe ad pedes B. MAGNI, & dixit: Verè Domine nunc cognoſco, & certus ſum, quia Dominus omninò eſt tecum, quoniam & beſtiæ Eremi obediunt tibi veluti IESV Chriſto: nam me vrſus tam præuidit, & cuſtodiuit, vt nec ſaltem alias feras ad me accedere permitteret. Ille autem dixit ei. Caue diligenter ne alicui hoc dicas, dum ego vixero, ſed præpara aditum cæteris hominibus, ſicuti vrſus te duxit, quatenus viam noſcant illuc proficiſcendi, & Domino annuente deinceps opem habeant ad victualia, cæteraque neceſſaria per ferrum acquirenda. Ab illo ergo die nota facta ſunt incolis terræ illius in ipſo loco, & gyro diuerſæ venæ ferrium, quæ per merita B. MAGNI permanent vſque in præſentem diem.

CAPVT XXVIII.

De vltima infirmitate beati Magni & eius obitu, & exequiis, ac ſarcofago mirificè procurato.

CVmq; tranſiſſent viginti quinq; anni, & Dominus illum locum per merita tanti viri ſublimare, dilatareq; dignatus eſt WICTHERPO Epiſcopo defuncto XIIII. Kalend. Maiarum. Tozzo per electionem beati MAGNI ad PONTIFICATVS honorem à PIPPINO glorioſo Rege iam in vltimis ſuis deductus eſt. Sed finitis viginti quinq; annis beatus pater ægrotare cœpit, atq; infirmitate febrium langueſcere, miſit ergo ad THEODORVM ſodalem ſuum, qui tunc temporis in CAMPIDONENSE cellula morabatur, & accerſiuit eum vt acceleraret, atq; eum viſitaret, & ſua viſitatione refoueret fidiſſimum amicum. Audiens hoc THEODORVS commotione maxima de inualitudine tanti viri, animoque mœſto, celeriter partes in illas profectus eſt, ſumens ſecum prout potuerat ea, quæ in infirmitate laboranti nouerat congruere, Veniens autem ad præfatam cellulam, inuenit beatum virum in maxima infirmitate detentum. Et miſit celeriter ad TOZZONEM Epiſcopum. intimans ei, vt acceleraret, & tãtum patronum prius, quàm ab hac luce ſeculari diſcederet, viſitare veniret. Cum audiſſet igitur hoc præfatus Epiſcopus velociter partes in illas profectus eſt, & peruenit ad cœnobiũ beati viri. Cumq; magnus patronus in infirmitate maxima laboraſſet, videns eum Tozzo Epiſcopus, cœpit flere & dicere. Heu, heu pater amande, heu doctor egregie, in his periculis quaſi orphanum me dimittis? Ad hæc beatus vir MAGNVS inquit. Noli flere venerabile præſul, quia me in tot mundialium perturbationũ ꝓcellis laborantem cõſpicis: quoniam credo in miſericordia DEI, quod anima mea in immortalitatis libertate ſit gauiſura; tamẽ deprecor, vt orationibus tuis ſanctis mihi peccatori & animę meæ non deſinas adiuuare. Inter hæc verba B. MAGNVS per dies tredecim laborans, expletis 26. annis morationis ſuæ in illo cœnobio, ætatis verò ſuæ annis 73. in die ſancto Dominico, & in 8. Idus Sept. cõmendans ſe Domino & venerabili Pontifici in ſenectute bona, circa horã 9. diei ipſius Dominici ſanctã animã Deo reddidit, de huius vitæ liberatur ergaſtulo. Flentibus autẽ EPISCOPO & THEODORO coram lectulo eius, audita eſt vox. Veni MAGNE, veni, ſuſcipe coronã, quã tibi Dñs ꝑparatã habet. Audita ergo hac voce, dixit Tozzo ad THEODORVM. Ceſſemus flere frater, q̃a potius nobis oportet gaudere de animæ eius in im̃ortalitate ſuſptæ in hoc ſigno audito, quàm luctũ facere. Sed eam9 ad Eccleſiã, & ꝓ tã chariſſimo amico ſalutares hoſtias Dñõ im̃olare ſtudeamus. Finito itaque fraternæ cõmemorationis obſequio, inuenerũt ambo ſarcofagũ optimũ lapideũ, à quodã duce antiquis tẽporibus nomine ABVZACO conſtructum,

ſtructũ, qui & ipſum caſtrũ conſtruxit, & à ſuo nomine ſimiliter Abvzacvm vocauit. Vnde fuit in ipſo ſarcofago poſitus, neq; ſepultus qſi quã. Purgato ergo ipſo ſarcofago, aſſumpſerunt ſanctũ corpus, & recondiderunt in loco, vbi pater ipſe ſibi oraculũ conſtruxerat, & cooperuerunt humo, ponentes eius vitam in capite ſuo ſcriptam, virtutibusq; plenam, ſub auctoritate Theodori ita:

CAP. XXIX.

Proteſtatio Theodori Monachi, quod fideliter ſcripſerit vitam B. Magni.

EGO itaq; Theodorvs Monachus ex Monaſterio S. Galli iuſſũ Tozzonis Epiſcopi, ſicut à Theodegiselo Monacho S. Colvmbani de tãti viri cõuerſationibus ſimul cũ B. Colvmbano cõperui, & oculis meis ipſe vidi, & auribus audiui, ſeu poſtea, quã me reliqt in cellula Campidonense, ſicut poſtea à præfato venerabili Epiſcopo Tozzone de virtutibus eius didici plurima, ſed nõ oĩa in epitafio meo ſcribere curaui, & ad caput eius poſui recõditum cum ſepulchro, quatenus futuris tẽporibus quando Domino reuelante corpus eius ſanctũ inuentũ fuerit, ſicut Dño annuẽte illi, qui tũc tẽporis paſtores & rectores ſanctæ Eccleſiæ fuerint, inuenerint iuſtũ & dignũ fore, ita ea corrigãt, quæ corrigenda ſunt, & quæ emendãda ſunt, emendent, nec non, ꝑ me ſeruo Chriſti intercedere nõ dedignẽtur, quatenus orationibus tanti patroni ſuffultus anima mea in requiẽ ſempiternã ꝓcedat.

CAPVT XXX.

De eo, quod Tozzo Epiſcopus cœnobium S. Magni in neceſſariis ſemper adiuuit.

VIR ergo venerabilis Epiſcopus Tozzo, poſt obitum beati patroni Magni, prout potuit ipſum cœnobium ſemper cum ſuis cuſtodibus cuſtodiuit, ſecundũ facultatem loci regẽs & gubernans, atq; diſponens ea, quæ ad ipſum Monaſterium iure pertinere debebãt, cuſtodiẽs ſanctũ corpus cũ Clericis & officiis diuinis atq; luminaribus vſq; ad obitũ ſuũ, q permanẽs poſt diſceſſũ B. Magni in Epiſcopatu annos quinq;, & menſes tres. XVII. Kal. Febr. vitam ſecularem finiuit, tradens ante obitum ſuum hæreditatem ſuam ad ſepulchrum beati Magni cum firmitate & ſtipulatione ſecundum legem Alamannorvm, ſepultuſq; à Clero ſuo eſt Avgvstensæ ſub teſtimonio in eadem hæreditate.

CAP.

Digitized by Google

CAPVT XXXI.

De eo, quod poſt obitum Pippini Regis Theodorus ad S Othmarum venit, eiq; omnia, quæ de B. Magno acciderant, narrauit.

DEniq; poſt obitum glorioſi Regis PIPPINI filiis ſuis litigātibus, erectus eſt VTILO in DVCATV BAIORIORVM, & GOTAFRID in regimine ALAMANNORVM. Sicque orta magna ſeditione & rixa inter BAIORIOS & ALAMANNOS deuaſtantes & deprædantes ſeu ſpoliantes omnia quæ in marchis duorum regnorum conſiſtebant, minimè quiuit THEODORVS fidelis Monachus S. GALLI & MAGNI cuſtodire locum CAMPIDONENSEM propter varias perſecutiones, & malorum hominum à pagenſibus ipſius loci oppreſſiones in ſuis & ſua, nec non in ſemetipſo, idcirco relinquens illum locum, profectus eſt ad Monaſterium S. GALLI, inuenitq; B. OTHMARVM ipſius Monaſterii iam ſenem & grādæuū, prouectæq; ætatis, ſed Domini gratia & Spiritu S. plenum, & diuinis virtutibus imbutum, narrauit ei omnia de B. MAGNO Confeſſore Chriſti, quæ acciderant, & de loco CAMPIDONENSI ſeu de perſecutione plurima, quam paſſus eſt à paganis, vel à malis CHRISTIANIS. Hæc audiens B. OTHMARVS dolens & mœrens de tanta perſecutione, ſeu etiam & de ſua ipſa, quam iam à peſſimis COMITIBVS WARINO & RVODHARDO, qui tunc temporis quaſi totius ALAMANNIAE curam adminiſtrabant, patiebatur, quendam de fratribus eius BIRHTGOZVM Monachum optimum virum & prudentem, cum quatuor Monachis aliis illuc direxit, qui ipſum locum cuſtodirent, donec Domino opitulante, pace reddita iterum à Rege KAROLO ſublimaretur, permittens THEODORVM morari in Monaſterio B. GALLI vſq; ad obitum ſuum.

CAPVT XXXII.

De eo, quod Karolus Rex per Simpertum Epiſcopum Augustenſem, Monaſterium S. Magni, & alia deſtructa reparauit.

IGitur KAROLO Rege conſolidato & confirmato in prouincia GALLIÆ, reſtaurans & reædificans Eccleſias, quæ à malis inuaſoribus deſolatæ erant, totam GERMANIAM Dominus ſub ſuo iugauit imperio, interfectis Principibus GERMANIAM poſſidentibus. Cumq; audiſſet de B. OTHMARO iniuſtè acta, & ad finem obitus vſq; perducta,

nec

nec non de cœnobio CAMPIDONENSE, imò de ciuitate AVGVSTENSE, quippe de Monaſterio S. AFRÆ,& cellam S. MAGNI penè deſtructã, & deſolatam, compunctus corde, iterum reædificare cœpit ipſas Eccleſias, & ſublimare. Conſtituit autem Epiſcopum SINTPERTVM nomine in ipſa ciuitate,& dedit ſecundum morem regum per firmitatis præceptum ad præfata loca omnia, quæ ab anteceſſore ſuo PIPPINO illuc tradita fuerant; inſuper & addidit plurima. ſuſceptumq; Epiſcopatum SINTPERTVS profectus eſt ad AVGVSTAM VINDELICVM,& per años triginta ferè rexit ipſe Eccleſiam, conſtruens BASILICAM S. AFRÆ & reſtaurans cœnobium S. MAGNI. Parochiã vero in ambarum partium LECHI fluminis per auctoritatem domini LEONIS tunc temporis PAPÆ,& confirmationem Domni KAROLI iam facti IMPERATORIS, in vtroq; regno ſimul Domino fauente coadunauit.

CAP. XXXIIII.

De translatione corporis beati Magni per Lantonem Epiſcopum Auguſtenſem.

QValiter ergo corpus B. MAGNI repertum ſit,& inter cæteras virtutes, quę ante ſepulchrum eius Dominus per merita ſua reuelare dignatus eſt, quam maximam virtutem tunc reperiẽte corpore ſuo non eſt ſilendum. Defuncto autem SINDPERTO Epiſcopo, ſucceſſor eius LANTO in Epiſcopatu paſtorali dicium ſumpſit. Sed cum non amplius, quàm ſeptem annos in Pontificatus honore ipſam Eccleſiam regere viſus eſt, minime quiuit aliquid ex his rebus ſublimare, niſi tantum in BAIOARIAM propter ſuam progeniem, quam ibi præſentem habebat, ea quæ potuit ad ipſam Eccleſiam adquiſiuit. Finitis autem pertransactis ſeptem annis temporibus ſuis, ſucceſſores eius, qui in ipſa Eccleſia ſancta conſtituti ſunt, primus cœpit NITCARIVS à fundamentis Eccleſiam B. MAGNI conſtruere, cæteri verò præſules eum ſubſequentes, prout potuerunt, ſimiliter conſtruxerunt, tamen non fuit aula Baſilicæ ad perfectionem operis perducta.

FINIS.

Digitized by Google

Sancti

ORESII

ABBATIS

De

De ſex cogitationibus

SANCTORVM

LIBELLVS.

ITEM,

Anonymi

CARMEN

De

S. Cruce.

Nunc primùm ex m. ſ. edita.

Digitized by Google

Ad Lectorem.

S. Oreſium, & carmen de S. cruce accepi à Melchiore Haiminsfeldio Goldaſto, qui *S.* Oreſium exſcripſit ex codice, anno ſexto Caroli Iunioris exarato, vt ait. Dignus ſanè eſt auctor, quem vel nominis ergo refert non perire. Interpres Oreſii quis fuerit, non conſtat. Nam Oreſium Græcè ſcripſiſſe, facilè deprehenditur ex helleniſmi reliquiis: Et quod in m. ſ. ſubiunctus erat *S.* Baſilii admonitionibus, ex Græco in Latinum conuerſis. Quis Oreſius, & quo tempore vixerit, non habeo quod affirmem. *Orenti Abbatis in monte Sina* mentio apud *S*ophronium *ſeu* Ioannem Moſchum in *P*rato Spirituali. *Orieſieſis* (quem Goldaſtus in m. ſ. ſuo Gennadii reperit *Orienſem* vocari) *Abbas*, diſcipulus S. *P*achomii, ſcripſit *de inſtructione* Monachorum libellum, qui circumfertur. Vter ſit noſter Oreſius, non facile dixerim. Imo nec diuino. Nam forte alius eſt. In hoc genere licet coniecturis vti; dummodo nihil temere. Ego quærendum cenſeo. *Orieſieſis* (inquit Trithe. de ſcript. Eccleſ.) *Monachus & diſcipulus S. Pachomii, & eius ſucceſſoris Theodori collega, vir in diuinis ſcripturis ad perfectũ inſtructus, & tam vita, quàm eruditione ſpectabilis. Scripſit pro ædificatione Monachorum opus diuino ſale conditum, totiusq; monaſticæ diſciplinæ inſtrumentis conſtructum, quod prænotare poſſumus, de inſtructione Monachorum. lib. 1. Si quid amplius ſcripſerit, neſcio. Claruit ſub Honorio & Theodoſio Principibus, anno* 420. Hæc Trithemius.

S. ORE-

S. ORESII ABBATIS

De

Sex cogitationibus Sanctorum Libellus.

I.

DE Domino cogitare debemus, vt delectemur in illo ſperare, ad eum recordare, vt beatus Dauid: Sæculi homines conſolantur ſe omnium dolorum, pergunt & conſiderant agnos, & equis equitant, aurum & argentum penſant, hominibus tradunt: ego autem memor fui Dei, & delectatus ſum, & me omnium aduerſitatum conſolabor.

II.

De paſſione Chriſti, vt ſuſtineamus pro illo, adſiduè [a] cogitando atque recolendo, quòd omnipotens Dominus, ac æternus Dei filius deſcendit de alta cœlorum altitudine in humanum corpus, [b] in quo ſancto corpore ſurſum in crucem eleuatus eſt, reuocauit eò omnia ſuperna regna ad pacem noſtram: fudit precioſum ſanguinem in terram; eò nobis terreſtribus ſurſum viam fecit, vt fieremus Angelorum ciues.

a m.ſ. cogitandum atq; recolendum.

b m.ſ. in quo Scorũ cor ſurſum in cruce eleuatur.

III.

De hora tranſitus, vt ſimus parati. Omnis [c] vita hominis, omnis ſapientia, meditatio eſt mortis, de qua vno die omnes ſapientes trepidabunt.

c m.ſ. vita hominis ſapiẽtiam mediam eſſe mortẽ. de quo vno die omñs ſapieñ trepi.

IV.

De die iudicii, vt rationem reddamus. Magnus eſt ille dies ad cogitandum, & memoriæ dignus; in qua die Dominus franget creaturam, quam in principio creauit. Ecce Dominus diſſipabit terram, & nudabit eam. Cœlum & terra tranſibunt, & reuelabit Dominus faciẽ eius, id eſt, aperiet terram, & procedent mortui de ſepulchris ſuis, & omnia opera hominum proferentur in publicum. omnes ex æquo ſtabunt ante tribunal Chriſti. Nihil opertum, quod non reuelabitur; nec occultum, quod non ſcietur. tamen peccata, quæ ante emendantur,

Digitized by Google

tur, ſciendo in iudicio abſcondet. In illa die magnam iram Dei nullus impiorum euadet, ideò recordari antè debemus, quod beatus Dauid dicit; Iocundus homo in die iudicii, qui miſeretur & commodat, inſuper diſponit quotidiè ſermones ſuos in iudicio, quod in æternum non commouebitur.

V.

De Inferno, vt timeamus terribile, quod Eſaias dixit: Vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur. Vermis, id eſt, cõſcientia, eò quòd ſciunt, quod meriti omnia mala ſuſtinent.

VI.

De vita æterna, vt deſideremus, vbi gaudium & læticiam tenebunt Sancti, & fugiet dolor & metus. De his ſex cogitationibus vincit anima iuſti inimicum, & his cuſtoditur ſæpè & aſsiduè cogitare de Domino & recolere, & ſuper omnia diligere, vt poſt ſæculum in æternum eum cum Angelis & Archangelis, & cum omnibus Sanctis diligere valeamus, per eum qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amẽ.

EXPLICIT.

ANONYMI

De Cruce.

CARMEN

Nunc primum ex m. ſ. editum.

VExillum Regis venerabile, cuncta regentis,
O Crux ſancta, micans ſuper omnia ſidera cœli;
Mortifero lapſis guſtu quæ ſola reportas
Antidotum, vitæ fructum ſuſpenſa perennem.
Te colo, te fateor, venerans te pronus adoro.
Chriſtus, principium, finis, ſurrectio, vita,
Merces, lux, requies, ſanctorum doxa, corona,
Pro ſeruis Dominus redimendis hoſtia factus;
In te ſuſpendens per lignum toxica ligni,
* Prægauit clauſæ reſerando limina vitæ.

* *ſup. præſtauit.*

Tanta

Digitized by Google

Tantæ pars ego ſum libertatis, bone Paſtor;
Sed mala ſemper agens numquam tibi digna rependi.
Heu mihi iam bibulæ numerum tranſcendet arenæ
Sarcina multorum, mihi quæ creuere malorum!
Sed quia peccantis potius bona quàm mala quæris,
Pluſque tibi peccat, ſpem qui peccando relinquit,
Ad te confugio, tibi ſupplico, confiteorque.
Parce, precor, miſerere mei, miſerere meorum
Defuncti qui ſunt, & in hac * luce qui parentum, *tranſpoſitione, qui luce
Qui bona fecerunt mihi pro te, centupla redde:
Qui mala, conuertens peccamina cuncta remitte.
Omnes hoc ſigno, qui te venerantur & orant,
Dirige, ſuſtenta, cuſtodi, protege, ſalua.
Da procul à nobis elatio ſiſtat vt omnis
Quot tibi ſummiſſi placeamus pectore ſemper:
Protege nos iugiter ventoſæ laudis ab * arua, *forſ. arcu vel aura,
Et nobis dignas confer tibi ſoluere grates:
Inuidiæ maculam de mentibus ablue noſtris,
Infundens nobis ignem cœleſtis amoris:
Iræ compeſcens ſtimulos fac nos patientes,
Triſtitiamq; fugans in damnis ſpem retinentes:
Crimen auaritiæ nobis dona fugiamus,
Vt pietatis opus placidè tibi ferre queamus:
Ingluuiem ventris nos vincere ſobrietate,
Luxuriæq; viam caſto concede pudore,
Vt per te mundi, per te quoque viribus aucti,
Conſtanter vitam ſtudeamus adire ſupernam.

EXPLICIT.

FLAC-

Digitized by Google

Digitized by Google

FLACCI
ALBINI,
SEV
ALCVINI
DIALECTICA,
ET
GRAMMATICA,

Nunc primum ex membranis celeberrimi Monaſterii S. Galli euulgata.

Digitized by Google

Ad Lectorem.

EX monumentis Alcuini, quorum non pauca poſteris reliquit, nonnulla iam typis excuſa ſunt; nonnulla aut penitus perierunt, aut adhuc bibliothecarum vinculis conſtricta, opem eruditorum exſpectant, vt immeritis illis pedicis manicisque exſoluantur, quò tandem in luce verſari, & per ora doctorum liberè volitare queant. Et quidem tertio Tomo bibliothecæ SS. Patrum exſtant Alcuini *Quæſtiones in Geneſin. Commentaria in Eccleſiaſten. Epiſtola ad Oduinũ presbyterum de Baptiſmi cæremoniis, Epiſtola ad Carolum Magnum de ratione Septuageſimæ, Sexageſimæ & Quinquageſimæ.* Et eiuſdem argumenti *altera Epiſtola ipſius Caroli ad Alcuinum. Liber de diuinis officiis. Epiſtola de animæ ratione ad Eulaliam. Epiſtola ad Dauidem*, hoc eſt, Carolum Magnum, *de diſcrimine inter æternum & ſempiternum &c. Liber de virtutibus & vitiis ad Guidonem Comitẽ. Liber de 8. vitiis principalibus. Quæſtiones ad Fredegiſum de S. Trinitate. Libri tres de fide ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis ad Carolum Magnum.*

Præter hæc alibi exſtant eodem Alcuino auctore ſequentia opera. Vita S. Wilibrordi apud Surium Tom. 6. ſoluta oratione. (Eadem verſibus conſcripta aſſeruatur in bibliotheca S. Galli) Vita S. Vedaſti apud Surium Tom. 1. Commentarii in Euangelium S. Ioannis, excuſi Argentinæ 1527. teſte Epitome Geſneriana. Manuſcriptos reperire eſt in bibliotheca S. Galli, Cod. memb. eleganti charactere. Commentarii in ſeptem Pſalmos pœnitentiales, & in Pſal. 118. Pariſiis editi, 1547. Homiliæ in Euangelia tã Dominicalia, quàm ſanctorum ex variis Doctoribus collectæ.

lectæ. Diſputatio cũ Carolo Magno de Rhetorica & virtutibus anno 1539. impreſſa, quæ nuper etiã Pariſiis prodiit hoc titulo. *Alcuini ſiue Albini de arte Rhetorica Dialogus.* Interlocutorum partibus funguntur Carolus Magnus & Albinus. In cod. m. ſ. Galli hic titulus præfigitur. *Diſputatio de Rhetorica, & de virtutibus, ſapientiſſimi Regis Caroli, & Albini Magiſtri.* Titulum præeunt iſti verſus, neſcio num à manu Alcuini.

Qui rêge ciuiles cupiat cognoſcere mores,
Hæc præcepta legat, quæ liber iſte tenet.
Scripſerat hæc inter curas Rex Carolus aulæ,
Albinusq; ſimul, hic dedit, ille probat.
Vnum opus amborum, diſpar ſi cauſa duorum,
Ille pater mundi, hic habitator inops.
Non temnas modico lector pro corpore librum,
Corpore præ modico mel tibi portat apis.

Nos etiã tomo primo Antiquæ lectionis volumen Epiſtolarum Alcuini luce donauimus: cui nunc in hoc tomo quinto addidimus inſignẽ eiuſdẽ Alcuini epiſtolã de confeſſiõe; ipſiuſq; Dialecticã, vel Logicã; Dialogi forma itidẽ cõſcriptã; & demũ Alcuini Grãmaticã, dignã profecto, quæ inter cætera eius opera ſedẽ inueniat. Si enim Grãmatica S. Auguſtini, & venerabilis Bedæ locũ habet inter libros S. Auguſtini & Bedæ; ſi quæ Caſſiodorus de Grãmatica, de Orthographia, de tropis & ſchematibus ſcripſit, meritò veneramur & amplectimur, cur par honor non haberetur Grammaticæ Alcuini ob reuerentiam, partim vetuſtatis, partim tãti ſcriptoris; qui more S. Auguſtini, Bedæ & Caſſiodori omnibus omnia factus eſt; Theologis Theologus, Dialecticis Dialecticus, Muſicus Muſicis; Rhetor Rhetoribus, Grammaticis Grammaticus, atq; adeò puer pueris, vt omnes lucrifaceret. Nec dubito, quin Alcuinus ad

Digitized by Google

exemplum S. Auguſtini & Bedæ ſeſe conformare voluerit; vt ſicut illi de omnium liberalium diſciplinarum genere præceptiones tradiderunt, ita & ipſe nihil litteratum religioſo viro dignum intactum relinqueret.

Cæterũ præter hæc multa alia ſcripſiſſe fertur Alcuinus. Trithemius enumerat ſequentia: *In Cantica Canticorũ. In epiſtolas S. Pauli lib. 14. In Apocalypſin Ioannis lib. 1. De adoptione filiorum Dei librum 1. Speculum paruulorum lib. 1. De eccleſiaſticis dogmatibus lib. 1. De nominum Dei proprietate lib. 3. Enchiridion in quoſdã Pſalmos. De artibus liberalibus lib. 1. Ad diſcipulos Dialogum.* Longè plura Alcuini opera percenſet Hæreticus Balæus Centuria ſecunda ſcriptorum Britanniæ, qui Grammaticam, quam modò publicamus, citat hoc titulo. *De octo partibus lib. 1. Audiuimus te doctiſsime &c.* Vtinã exſiſteret, qui Alcuini omnia monumenta in lucẽ erueret; vel ſaltẽ illa, quæ iam ſunt eruta, vnum in volumẽ colligeret, collectaq; ſimul vulgaret, ne temporis ſucceſſu denuò diſpergantur, ita vt vix amplius reperiri, & in vnũ cõduci queant. Caueat autem, quiſquis hoc laboris ſuſceperit, ne inſcriptione deceptus, opuſcula quædam noſtro Alcuino attribuat, quę ex officina Pſeudoalcuini profecta ſunt. Et quis ille ſuppoſitius Alcuinus? Caluinus, ſi neſcis. Is enim exigua litterarum metatheſi nomen Alcuini initiò per ſummam fraudem & impoſturam vſurpauit, & tractatulis quibuſdam ſuis fallaciſſimè præſcripſit. Sed deprœhenſa iam dudum eſt vafra illa vulpecula. Porrò Dialogo de Dialectica (qui num vnquam vſpiam typis deſcriptus fuerit, explorare non potui) præponuntur in Codice S. Galli iſti verſus, & quidem cum hac epigraphe.

VERSVS Albini.

Me lege, qui veterum capias cognoſcere ſenſus,
Me quicunq; capit, ruſticitate caret.

Nolo

Nolo meus lector ſegnis ſit, nolo ſuperbus.
Deuoti & humilis pectoris antra colo.
Has rogo diuitias Sophiæ non temnat amator.
Nauita quas pelagi portat ab orbe ſuo.

Etſi fortaſſe verſus iſti referendi ſunt ad Rhetoricam diſputationem Alcuini, quæ in codice S. Galli proximè antecedit: Nam ſequentes verſus, qui ibidem leguntur, ad Dialogum de Rhetorica pertinere, luce clarius eſt, vbi ſignum p ſeu p denotat Carolum Regem, L. Alcuinum, Alternis enim loquuntur Carolus & Alcuinus.

L *O vos eſt ætas iuuenes, quibus apta legendo,*
Diſcite, eunt anni more fluentis aquæ.
Atque dies dociles vacuis non perdite rebus,
Nec redit vnda fluens, nec redit hora ruens.
Floreat in ſtudiis virtutum prima iuuentus,
Fulgeat vt magno laudis honore ſenex.
p *Vtere, quiſq; legas librum, felicibus annis*
Auctorumq; memor dic miſerere Deus.
L *Si noſtram lector feſtucam tollere quæras,*
Robora de proprio lumine tolle prius.
p *Diſce tuas iuuenis, vt agat facundia cauſſas,*
Vt ſis defenſor, cura, ſaluſq; tuis.
L *Diſce precor iuuenis motus, moreſq; venuſtos,*
Laudetur toto vt nomen in orbe tuum.

DIALECTICA ALCVINI DIalogo conſcripta.

Interlocutoribus
KAROLO MAGNO & ALCVINO.

A. Alcuinum, K. Karolum Magnum denotat,

QVia mentionem Philoſophiæ in priore diſputationis noſtræ ſermone fecimus, videtur condignum, Magiſter, vt aliquando latiore indagatione de ea diſputare incipiamus. A. Faciamus ſicuti tuæ videatur ſapientiæ condignum. K. Primo omnium dic vnde dicta ſit Philoſophia. A. Ab amore ſapientiæ. Græci *philon* amorem, *ſophiam* ſapientiam vocant. K. Dic eius quoq; definitionem. A. Philoſophia eſt naturarum inquiſitio, rerum humanarum, diuinarumque cognitio; quantum homini poſſibile eſt æſtimare. Eſt quoq; Philoſophia honeſtitas vitæ, ſtudium benè viuendi, meditatio mortis, contemptus ſæculi, quod magis conuenit Chriſtianis, qui ſeculi ambitione calcata diſciplinabili ſimilitudine futuræ patriæ viuunt. K. Ex qua materia conſtat? A. Scientia & opinione. K. Scientia quid eſt? A. Scientia eſt, cum res aliqua certa ratione percipitur, vt Eclipſis ſolis lunaris corporis obiectu * eſt. K. Opinio quid eſt? A. Opinio eſt, cum incerta res latet, & nulla firma ratione diffiniri poteſt, vt magnitudo cœli, vel profunditas terræ. K. In quot partes diuiditur Philoſophia? A. In tres. Phyſicam, Ethicam, Logicam. K. Hæc quoque latino ore exprome. A. Phyſica eſt naturalis. Ethica moralis. Logica rationalis. K. Officia ſingularum ſpecierum pande. A. In Phyſica igitur cauſa quærendi. In Ethica ordo viuendi. In logica ratio intelligendi verſatur. K. In quot ſpecies Phyſica diuiditur? A. In quatuor. Arithmeticam, Geometriam, Muſicam, Aſtronomiam. K. In quot partes diuiditur Ethica? A. In quatuor quoq;. Prudentiam, Iuſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam. K. Logica in quot ſpecies diuiditur? A. In duas, in Dialecticam, & Rhetoricam; in his quippe generibus tribus Philoſophiæ, etiam eloquia diuina conſiſtunt, K. Quomodo? A. Nam aut de natura diſputare ſolent, vt in Geneſi, & in Ecclesiaſten; aut de moribus, vt in prouerbiis, & in omnibus ſparſim libris; aut

* f. eſt.

f. Eccleſiaſte.

de

de Logica, pro qua noſtra Theologicam ſibi vendicant, vt in cantico canticorum, & ſancto Euangelio. K. Theologica quid eſt? A. Theologica eſt, quæ Latine inſpectiua dicitur, qua ſupergreſſi viſibilia, de diuinis & cœleſtibus aliquid mente ſolum contemplamur. Nam in has quoque duas partes Philoſophia vera diuiditur, id eſt, inſpectiuã, & actualem. K. Actualis quæ eſt? A. Actualis eſt, quæ in operationibus huic vitę mortali neceſſariis conſiſtit. Per hanc igitur mos honeſtus viuendi appetitur, & inſtituta ad virtutes tendentia exercentur; per illam verò Deus amatur, ſpe & fide colitur. K. Quis eſt qui Philoſophiam detrahere audeat? A. nullus ſapiens. K. Verè nullus ſapiens. Sed pergamus ad Dialecticæ artis inquiſitionem, & primum dic, quid ſit Dialectica. A. Dialectica eſt diſciplina rationalis, quærendi, diffiniendi, & diſſerendi, etiam & vera à falſis diſcernendi potens. K. Vnde dicta eſt Dialectica? A. Dicta eſt Dialectica, quia in ea de dictis diſputatur. nam *lecton* dictio dicitur. K. quid eſt inter Dialecticam & Rhetoricã? A. Dialectica eſt & Rhetorica, q in manu hoĩs pugnus adſtrictus, & palma diſtenſa. Illa breui oratione argumẽta concludit. Iſta facundiæ campos ſermone copioſo diſcurrit. Illa verba contrahit, iſta diſtẽdit. Dialectica ſiqdẽ ad inueniẽdas res acutior. Rhetorica ad inuẽtas* dicẽda facundior; Illa raros & ſtudioſos requirit; hæc frequenter procedit in turbas. *f. Philoſophiæ.* *f. dicenda.*

De ſpeciebus Dialectica.

KAROLVS. 2.

QVot ſunt ſpecies Dialecticæ? A. Quinque principales. *Iſagoge, Categoriæ, ſyllogiſmorũ formulæ & diffinitiones, topyca, periermeniæ.

** Hæc erãt ſupra ſcripta: Introductiones, Prædicamẽta, Analytica prima, id eſt, reſolutoria, Analytica ſecunda, Sedes ſubandi argumentorũ. De Interpretatione.*

De Iſagogis.

KAROLVS.

QVæ ſunt Iſagogæ? A. Iſagoga quippe latinè introductio dicitur. K. Quid ſignificat introductio? A. Introductio eſt, quæ ſenſum noſtrum p varias diuiſiones rerũ cõmunium ad proprietatẽ cuiuslibet rei introducit. K. Quæ ſunt partes eius? A. videlicet, genus, ſpecies, differentia, accidens, ꝓprium. K. Genus quid eſt? A. Genus eſt propriè, quod ſpeciebus differt; Et quid ſit ea ſubſtantia, de qua quæris, communi vocabulo oſtendit. Vt animal: Per ſingulas enim ſpecies, id eſt, hominis, equi, bouis, leonis, & cæterorum, Genus eſt animal, & æqualiter

Digitized by Google

liter de omnibus prædicatur. K. Quid eſt ſpecies? A. Species eſt, quod de pluribus & differentibus numero, non ſpecie, in eo quod qd ſit prædicetur. Nam de Socrate, Platone, & Cicerone æqualiter homo prædicatur. Vna ſpecies hominum eſt ſecundum naturam, ſed multi ſecundum numerum. K. Quid eſt differentia? A. Differentia eſt, quæ quale ſit hoc vel illud animal oſtendit. Vt ſi quæratur, qualis ſit homo, dicimus, animal rationale & mortale. In his enim duobus, ab omnibus aliis animantibus ſecernitur. In eo quod dicit rationale, ſegregatur ab omnibus ratione non vtentibus, dum dicit mortale, in eo ab Angelis differt; Angeli enim rationales & immortales ſunt; animalia verò & cætera mortalia ſunt & non rationalia; homo autem ſolus ex vtriſq; conſtat: hoc habens cum Angelis commune, illud cum cæteris animantibus. O mirum animal, vna parte cœleſte, & altera terrenum! K. Quid eſt proprium? A. Proprium eſt, quando vna quælibet ſpecies naturaliter aliquo certo additamento deſignari poteſt, & ab omni aliarum ſpecierum communione ſeparari. Vt ſolius hominis proprietas eſt, *riſibilis eſſe. Et ſciendum eſt, quod ſingulare proprium ſemper circumuerti poſſe neceſſe eſt. Vt puta: quidquid homo eſt, riſibile eſt. Et, quicquid riſibile eſt, homo eſt. Et hæc circumuerſio neceſſaria dicitur. Nec ita rationale *circum poteſt. Dicere verò poſſumus, quidquid homo eſt, rationale eſt; nec tamen conuerſo ordine rectè dicere poſſumus; Quicquid rationale eſt, homo eſt. Quia Angeli rationales ſunt, non tamen homines ſunt. K. Quid eſt accidens? A. Accidens eſt, quicquid accidit vel recedit præter ſubſtantiæ corruptionem, vt color candidus, vel niger, ſtare vel iacere; eſurire vel ſatiari, & cætera talia. Sunt quoq; accidentia, quæ ſic accidunt, vt penitus non recedant, vt proceritas vel breuitas in corpore, & cætera, quæ in ſingulis quoq; membris inſeparabiliter aliquotiens accidunt, vt curuitas naſi, latitudo vel anguſtia oris, iocunditas oculorum, æqualitas ſuperciliorum, & alia multa. K. Has quinque partes vno quolibet exemplo coniunge. A. Genus eſt, vt animal: Eſt enim vocabulum generale, commune omnium animam habentium. Species eſt, vt homo; ſua enim quadam ſpecie ſeparatur à cæteris animantibus. &, genus eſt totum, vt puta, tota viuentia animalia dicimus; ſpecies quidem pars eſt, vt homo. pars quædam animalium homo eſt. Differentia, rationalis mortalis; his enim duobus, vt ſuperius diximus, differt homo à cæteris animantibus. Proprium eſt, quia ridere præter hominem nullius naturaliter animalis eſt. Accidens

f. riſibilem eſſe.

f. circumuerti.

eſt, vt color in corpore, doctrina in animo; hæc enim temporum varietate & accidunt, & mutantur. K. Quomodo ex his quinque partibus oratio plenæ ſententiæ coniungi debet? A. Itaq; homo eſt animal rationale, mortale, riſibile, boni, maliq; capax; Sic etiam in omni oratione ſubſtantiali tam diu interponere debemus ſpecies & differentias, quamdiu ſecluſis omnibus, quæ idem eſſe poſſunt, quod inquiris, & ad id perueniatur, vt proprietas eius ſubſtantiæ certa teneatur, quam diffinire cœpiſti; Hæc enim commentatio ſermone de Iſagogis Porphyrii dicta ſufficiant. Nunc ordo poſtulat ad Ariſtotelis categorias nos tranſire.

De Categoriis.

KAROLVS.

SEquamur ordinem & eius nobis nominis primo pande Etymo- 4
logiam. A. Categoriæ græcè, latinè prædicamenta dicuntur. K. Quid ſignificas, dum dicis prædicamenta? A. Dum de qualibet re loquor, tum de ea prædico, ſicut Philoſophi voluerunt intelligi. K. Quot modis fit illa prædicatio, quam locutionem, vt mihi videtur, nominare poſſumus? A. Rectè tibi videtur. Duobus modis fit locutio noſtra, aut de ſubſtantia, aut de accidentibus. K. Vnde dicitur ſubſtantia? A. Subſtantia dicitur, quia ſubſiſtit, vt eſt vnaquæque natura, in ſua proprietate. K. Quot ſunt accidentia? A. Corporalibus naturis VIIII. K. Quæ? A. Quantitas, ad aliquid, qualitas, facere, pati, ſitus, vbi, quando, habere.

De VIIII. Accidentibus.

HIS VIIII. iunctis ad ſubſtantiam, quam Græci vocant vſian, fi- 5
unt X. Categoriæ. Et inter hæc X. verba quicquid homo loquitur, ineuitabiliter inuenitur. Sed priuſquam de his ſingulis diſputare incipiamus, omonymorum legem, quæ categoriarum ſunt inſtrumenta, videamus. K. Fiat, & primum pande interpretationes nominum, de illis tribus ſpeciebus, quas in Grammatica legebamus, id eſt, omonyma, ſynonyma, polyonyma. A. Omonyma, æquiuoca, ſynonyma, vniuoca, polyonyma, pluriuoca latinè dici poſſunt. K. Eorum quoq; differentiam audire expecto. A. Ononyma ſunt, cum duæ res commune accipiunt nomen, rei verò interpretatione ſeparantur, vt homo pictus, & homo verus; In his namq; vnum nomen eſt,

Digitized by Google

ratio vero vel interpretatio diuerſa. cum enim dixeris, verum hominē animal eſſe, quod mouetur, & cibum capiat, & ratione vigeat, cum nihil horum depicto potes dicere; neceſſariò videantur *diſparia.

m.ſ. diſpargia,

Synonyma verò ſunt, quæ & nomine, & ſui interpretatione iunguntur, vt animal eſt, quod cibum capit, ſpirat, mouetur, & mortale eſt. hæc omnia de homine, de equo, & de boue ſimiliter dici poſſunt. Polyonyma ſunt, quando nomina multa vnam rem ſignificant; neque vlla differentia vel ratio redditur nominum, cur vnam rem tot nomina ſignificent. Vt enſis, mucro, gladius. his quoq; iunguntur Heteronyma, æquè nominibus res ſingulas ſignificantia, ſed in his ratio diuerſitatem nominum diſcernit, velut homo mortalis, terrenus. Homo ab humanitate, mortalis à neceſſitate mortis, terrenus à terra, in qua cuncta gignuntur. K. Ad quam ſpeciem propria nomina pertinent? A. Regulariter ſcire debemus, omnia propria nomina communia eſſe poſſe, & omonyma vocari; vt Cicero non vnus, ſed plures, ſed ſignis & proprietate quadam diſcernēdi ſunt; Quis ſit ille, & quis alius, & quis tertius Cicero, vt alium craſſum dicas, alterum tenuem, vel longus dicatur alius, alter breuis, candido colore quis, alter nigro. K. Omonyma quot modis fiunt? A. Duobus, aut fortuito fiunt, aut hominum voluntate naſcuntur. K. Fortuito quomodo? A. Cum quodam caſu ſimile quis alteri accipiat nomen. K. Quomodo voluntate? A. Cum ſimilitudo nominis & induſtria imponentis *adfigitur.

ſ. adfigitur

K. Si hæ partes plus poſſunt diuidi? A. horum autem quę & induſtria vel voluntate naſcuntur, quatuor ſunt genera: **Icon*, *Catanalogiam*, *apoenos*, *proſena*. K. Latina ore hæc *aperiri. A. ſimilitudo, pro parte, ab vno, ad vnum. K. Exemplis confirma. A. Similitudo, vt homo pictus, & verus, ſola in ſimilitudine copulantur. pro parte, vt quo pacto principium animalis cor dicimus, ita principium aquæ fontem dicimus. pro parte quadam vtrique rei ſimilitudo nominis videtur adiuncta; ab vno, cum dicimus, medicinale ferrū, medicinale præceptū, medicinalis ſcientia, medicinalis vſus; Ab vno in cuncta deſcendunt. ad vnū eſt, ille medicus ſalubris eſt, illa herba ſalubris eſt, vt illa potio ſalubris eſt. Hæc enim coniuncta vnū, id eſt, ſalutem videntur attingere.

*εἰκὼν, κατ᾽ ἀναλογίαν, ἀφ᾽ ἑνός, πρὸς ἕν.
*ſ. aperi.

K. Quia mihi perſpicuè nominum varietatem dixiſti, ſupereſt, vt quæſtionum rationem exponas. Quas non niſi nominibus & verbis conſtare poſſe æſtimo: Ideo has duas partes principales eſſe, natura nos docet. nomen namque ſubſtantiam

Digitized by Google

tiam oſtendit; verbum, quid quiſque faciat, quidne patiatur. A. tribus ex fontibus omnes profluunt quæſtiones; aut ab his quæ ſunt, aut ab his, quæ percipiuntur, aut de his, quæ dicuntur. Vna eſt ſubſtantiarum; quia ſunt omnes res, quas natura peperit; Altera ſenſuum; quia ſenſu percipi non poſſunt, niſi hæ res, quæ ſunt, & quarum imagines animo formamus, & condimus; tertia dictionum. id namque quod quis concipit animo, lingua proſequenti demonſtrat. ergo quãquam ſeparatim hæc tria nominentur, mixtam tamen de tribus diſputationem debemus accipere. Nam de præceptis, qui loquitur, & originem rerum trahit, & præſidia orationis implorat. Sunt igitur illa, quæ aut percipimus, ſenſibus corporis, aut mente & cogitatione colligimus; ſenſibus tenemus, quæ aut videndo, aut contrectando, aut audiendo, aut guſtando, aut odorando percipimus, mente cognoſcimus tum quodlibet corpus, vt puta hominis vel animalis multis cõſtare ex partibus intelligimus, etiam vel creſcere, vel seneſcere, modo angi curis, modo ſecuro pectore conquieſcere, ſanitate alias frui, alias dolores perpeti, peritum ex imperito, ex indocto doctum. K. Forte hæc ſapientes propriis nominibus diſcernere voluerunt? A. Etiam. nã id quod corporali ſenſu diſcernitur, vſian, id eſt, ſubſtantiam dici iuſſerunt; Illud autem quod animi tractatu ſolum colligitur, aut ſępe mutatur, ſymbebicos, id eſt, accidens nominari maluerunt, vſian quoque ypocimenon, id eſt, ſubiacens appellare voluerunt. Illa vero quæ accidunt, enypocimeno, id eſt, in ſubiacenti dixerũt. Neceſſe eſt verò accidentia in qualibet eſſe ſubſtantia. ideo illa ſubſtantia ſubiacens dicitur; illa vero accidentia, in ſubiacenti ſubſtantia, vt pote diſciplina in animo, color in corpore, aut de illis 9. accidentibus quodlibet, quæ ſuperius nominauimus. K. Debemus tamen ipſa accidentia, vel in ipſa *vſia*, vel extra *vſian* dicere eſſe? A. Alia in ipſa, alia extra. intra vſian ſunt qualitas, quãtitas, & ſitus. Hæc. n. ſine ipſa eſſe nõ poſſũt. Mox enim vt hominem vel equum dixeris, aduerti neceſſe eſt bipedalem, aut quadrupedalem, album aut nigrum, ſtantem aut iacentem. Extra vſian vero ſunt locus, tempus, & habitus. Nã in loco vel tẽpore eſſe aliquẽ, veſtiri, vel armari, ab vſia ſeparata ſunt. alia ſunt cõmunia, id eſt, intra & extra vſian, vt relatio, facere, & pati; Maius verò & minus vnum in ſe habent, aliud extra ſe. Item facere & extra, & intra, vt cædere quiſq; dici non poteſt, niſi alterũ cædat. ſimiliter pati; cædi enim vel vri nullus poteſt, niſi ab altero patiatur. K. Eſt ne alia horum accidentiũ diffe-

οὐσία

rentia

rentia? A. Eſt. Ea enim, quæ inſunt cuiq;, aut in ſolo, & in omni, aut in ſolo, & non in omni, aut in omni & non in ſolo, aut nec in ſolo, nec in omni eſſe neceſſe eſt. Et has quatuor ſpecies Græci vocant, Enmocepanti; enmonoceupanti, expanti, eumono, ceute, enmono, vtipanti. K. Vt hæc exemplis planiora facias velim. A. Vt ſi hominem quis definire volens, dicat, riſus eſſe capacem, hoc & in ſolo homine eſt. & in omni, ſolus namq; homo ridet, & cunctis, ridere naturale eſt. In ſolo & non in omni, vt ſi quis diffiniens hominẽ, capacem diſciplinæ dicat eſſe: hoc in ſolo quidem homine inueniri poteſt, non tamen in omni: neq; enim omnes diſciplinas didicerunt aliquas; In omni, & non in ſolo, vt ſi quis hominem diffiniens dicat, id eſſe hominem quod ſpirat, quod cibum capiat. hoc in omni quidem eſt homine, non tamen in ſolo. Nam & pecudes cibum capiunt, & feræ ſpirant. Nec in ſolo, nec in omni; vt ſi quis in hominis diffinitione id eſſe dicat hominem, quod album eſt, nec in ſolo, nec in omni eſt, neq; enim aut homo ſolus candidus inuenitur, & non bos aut equus, aut omnis homo albus eſt. K. Quæ ex iſtis ſpeciebus certiorem in vſia faciunt diffinitionem? A. Duæ, in ſolo & in omni, altera quæ in ſolo, non in omni, vt hominem eſſe riſibilem, diſciplinæq; capacem, hæ duæ ſpecies ad inueſtigandum vſian, de qua inquiris, viam monſtrant. Et duæ aliæ certum aliquid ſignificare non poſſunt.

De Quantitate.

6. K. Decurſis igitur breuiter partibus, quibus vſia poſſit intelligi, reſtat nunc ſermo de ſingulis vſiæ accidentibus inquirere: & quantitatem, quam primam poſuiſti, primum expone. A. Nec ſine cauſſa illa prima poſita eſt; Nam cum aliquod corpus viderimus, id quantum ſit, æſtimare licebit. K. Quomodo Quantitas æſtimari ſolet? A. In menſura longitudinis, latitudinis, & altitudinis; quia hæc tria corpus quodlibet habere neceſſe eſt. Hiſq; ſingulis duæ ſpecies adiacent; longitudini, ante & retro; latitudini, dextrum & ſiniſtrum; altitudini, ſurſum & deorſum. His enim VI. partibus omne corpus circumſcribitur. K. Quid ſi aliquis ſolum longitudinem metitur? A. Longitudo ſola ſine latitudine menſurata gramme dicitur, id eſt, linialis menſura. K. Quid ſi longitudini, latitudinem metiendo quiſquis adiecerit? A. Cum emenſa erit latitudo cum longitudine, epitania dicitur, id eſt, ſuperficialis menſura. K. Quid ſi his duo-

duobus altitudinem adiungit? A. Cuncta hæc tria menſuræ ſociata ſolidum corpus perficiunt, cum VI. ſuis partibus præſcriptis, hiſque adſcribitur ſecundum poſitionem longè vel iuxta. Nam aliud quod mihi, à dextris vel ſiniſtris, antè vel retrò iuxta eſt aliud, quod longè: Verbi gratia; Hic paries prope eſt, & ille vel ille mons longe. K. poteſt ita de infra & ſupra intelligi? A. poteſt. Sed ſciendum aliud eſſe naturale ſuper & ſubter, aliud verò quod circa nos eſt. K. quod eſt naturale, & quod circa nos eſt? A. naturaliter enim cœlum ſupra eſt & terra infra, quod migratione noſtra punctari non poteſt. Noſtrum autem ſuper & ſubter migratione commutatur, vt ſi quis cum inferioribus fuerit, ad ſuperiora conſcendit, aut è ſuperioribus ad inferiora deſcendat. K. num omnia ad quantitatem pertinentia his VI. partibus includuntur? A. non omnia has circumpoſitiones habent. Tempus verò, & numerus, & oratio, licet ad quantitatem pertineant, his tamen non ſubiacent clauſtris; vnum verò & decem & centum cùm dicimus, ipſum numerum ſolum dicentes, non aliquid corporaliter numerantes, non repperimus in illis dextrum aliquid vel ſiniſtrum, ſimiliter & in tempore aut ſermone; maximè cùm hæc citiſſimè labũtur. Nam tempus in ſtabili motu ſemper decurrit, in tantum, vt diligentius conſiderantibus pænè nihil præſens eſſe videatur. Ita & ſermo cùm nondum dictus fuerit, non apparet. manifeſtum eſt igitur hæc tria poſitionem diuerſarum partium non habere. K. ſi magis aut minus, quod Græci molon ceuton dicunt quantitas habere poteſt? A. non poteſt. magis bipedale, vel minus dici non poteſt, nec magis tres aut minus, nominare licet, ſimiliter tempus & oratio magis aut minus non habent, ſed omnia quantitatis paria aut imparia nuncupanda ſunt. K. Quid ſi magis longum aut minus dicamus? A. Tunc ad aliquid categoria erit, nam magis ſimile & minus ſimile ſolemus dicere, ſimile verò cuilibet ſimili ſimile eſt.

De ad aliquid. 7.

K. Verum quia mentionem categoriæ ad aliquid feciſti, illius proprietates pande. A. faciã, licet extraordinariè. nam poſt quantitatem qualitas põebatur in ordine. Ad aliquid ergò categoriam vocamus, qua id quod eſt dicitur ex altero, & ſine cuius ſocietate eſſe non poſſit, & cuius vis omnis ex alterius coniunctione deſcendit, vt duplum ſimpli dicitur duplum, & maius minori dicitur maius. Et ſimile ſimili dicitur ſimile. K. Et hoc claret ad aliquid non ſua vi, ſed alterius

Digitized by Google

coniunctione conſiſtere. K. ſed ſi alio modo poſſit diffiniri profer. A. tunc ergò & verè & propriè ad aliquid dicitur; Cum ſub vno ortu atque occaſu, & id quod iungitur, & id cui iungitur, inuenitur, vtputa ſeruus & dominus vtrumque vel ſimul eſt, vel ſimul non eſt. Etenim cùm dominum dixeris, neceſſariò exiſtet & ſeruus, cùm verò dominum tuleris, nec ſeruus apparet; ſimiliter duplum & ſimplum alterutrum ſe vel interimunt vel oſtendunt. Apparente enim duplo naſcitur ſimplum, duplum pereunte nec ſemiplum poterit permanere, ſimiliterque ſi ſimplum non ſit, nec duplum eſt. At ſi ſimplum fuerit, & duplum neceſſariò apparebit. K. quo numero, vel quibus caſibus hæ coniunctiones nominum ſolent eſſe? A. ſæpius ſingulari numero, vt ſimplum dupli, pater filii, ſed & alia huiuſmodi genitiuo caſui, alia datiuo, pleraque ablatiuo copulari ſolent. Genitiuo quidem, vt ſeruus domini, duplum ſimpli, datiuo, ſimile ſimili, par pari, ablatiuo verò ſenſibile ſenſu ſenſibile. K. ſi huic categoriæ alterna conuerſio accidere poteſt? A. Etiam; nam vtrumque rationabiliter dici poteſt. Et ſeruus domini, & dominus ſerui, & ſimplum dupli, & duplum ſimpli; Et ſciendum eſt, quod ſemper relatiua, vel ſimul naſci, vel ſimul extingui oportet. Vt ſubtracto ſeruo dominus non eſt, remoto domino, nec ſeruus apparet. Ita de patre & filio; ac ideò ſecundum hanc categoriæ regulam, miranda eſt Arrii, vel magis miſeranda, & eius quoque ſociorum ſtulta cœcitas; Aſſerentes filium ſecundum tempus patri eſſe poſteriorem; dum omninò conſtat ſecundum Dialecticam, ſimul conſempiternum eſſe filium cum patre. Et ſi Deus pater, quod nec illorum impietas audebat negare, æternus eſt, vtique & filius æternus eſt, ſecundum Dialecticæ rationis neceſſitatem.

3.
De qualitate.

K. Nūc qualitatis rationem expone, & primùm dic, quid ſit inter qualitatem & quale. A. qualitatem namque dicimus, dulcedinem, auſteritatem, albedinem, nigredinem; quale verò intelligitur, quoties album aliquid dicimus, dulce vel auſterum. K. videtur enim qualitatem magnam habere communionem cum cæteris categoriis. A. incurrit namque in cæteras omnes, & ideò difficilior eſt, vtputa in vſia inuenitur, cùm dicimus, homo Grammaticus; in quanto, alba vel nigra epifania: In ad aliquid, prudens pater, optimus filius; in facere, durè ſaltat. In pati, fert fortiter vulnera: In loco, obſcu-

ſcurus locus;in tempore,calidus menſis aut frigidus;in iacere, pronus aut ſupinus iacet.In habere, decenter armatur. K. quot habet hæc categoria ſpecies? A. quatuor. quas Ariſtoteles genera vocat.Primum genus eſt habitus & affectio, ſecundum potentia naturalis, tertium paſſiuæ qualitates ſiue paſſiones. Quartum formæ ac figuræ. K. habitus vel affectio quid eſt? A. Habitus eſt, quod animus longè habet tempore, vt virtus & diſciplina. Affectio eſt mutabilis mentis impulſio,vt repentina cupiditas vel iracundia. K. quid eſt inter virtutem & diſciplinam? A. hoc profecto, quod diſciplina in ea parte animæ, quæ rationabilis dicitur, tantummodo verſatur. Virtus verò, omnes animæ partes amplectitur, omnemque animam ſuo imperio gubernat, & regit. Vt & iracundiam domet, & cupiditates amoueat. Quod diſciplina haud facere valet. K. quot ſunt partes animæ? A. tres. rationabilis, iraſcibilis, concupiſcibilis. Sed hæc aliàs, nunc cœptum iter pergamus. videtur vel poſſe vel non poſſe. K. potentia naturalis quid eſt? A. quoties quis videtur vel poſſe, vel non poſſe ſe aliquid facere per naturam; vt verbi gratia, viſis corporibus puerorum, dicamus eos in futuro vel curſores vel pugillatores fore. Non quod adhuc hac arte teneantur, ſed videntur per naturalem potentiam eam poſſe habere, ſimiliter de ſalute & infirmitate ex corporis qualitate ſæpè ſolent Medici prædicere. K. paſſiuæ qualitates vel paſſiones quæ ſunt? A. paſſiuæ autem qualitates ſunt, aut albedo, aut nigredo, & eorum media, rubor & pallor; hæc enim non niſi vel animæ vel corporis paſſione naſcuntur. Vt enim nigreſcat aliquid corporis paſſio eſt; vt palleſcat, vel rubeſcat, animæ. Quæ cum turpitudinis verecundiam ferre nequiuerit, quaſi ad defenſionem ſui copiam ſanguinis in exteriores partes corporis fundit;Eoq; fit,vt pudore nimio rubeſcamus;pallor quoque ſimili animę paſſione conſiſtit. Cum perculſa metu nimio ad cordis vlteriora confugit, eam ſanguis inſequitur,vt deſertum ſanguine,quod eſt in cōſpectu corpus albeſcat. hæ igitur qualitates,ſi diu perſeuerant,paſſiuæ qualitates dicendæ ſunt;ſi verò ad breue tempus extiterint,ita vt citò diſcedant, paſſiones eas potius nominamus. K. nunc quartam ediſſere ſpeciem, & primò quid ſit inter formas & figuras explana. A. Figuræ inanimalibus tribuuntur, vt puta trigonus, vel tetragonus; formæ autem animalibus, in quibus formoſos aliquos,vel deformes aſſerim⁹.In eodē quoq; qualitatis genere curuitas & rectitudo, aſpe-

aſperitas & lenitudo, raritas, & denſitas inueniuntur. K. Si qualitas contrarietatem recipit? A. quædam recipit, & quædam non recipit. Quis enim dubitat, ſaluo contrarium eſſe languorem? Iuſtitiæ iniuſtitiam? malo bonū? Econtra verò fuſco vel pallido, triangulo vel tetragono contrarium nihil eſt. K. ſi magis aut minus recipit? A. recipit omninò, ſed non omnis, nam magis album, vel magis nigrum dicere poſſumus, ſed magis trigonum, vel magis tetragonū dici non poteſt. K. ſi enim hæ quatuor prædictæ categoriæ proprium aliquid per ſe ſingulæ habeant, velim exponas. A. Habent. nam Vſiæ proprium eſt, vt ſit ſingularis, atque vna numero, & contraria in ſe ſuſcipiat, vtputa homo ſingularis vſia eſt atque vnius numeri, & ſuſceptibilis contrarietatis: Itaque modò ſanitatem, modò ægritudinem ſuſcipere poteſt; quantitati verò proprium eſt, vt eius omnia paria vel imparia dicantur; vt iſte homo illi homini par vel impar eſt magnitudine. Ad aliquid verò proprietatem habet, vt in ſe conuertantur, ſicuti eſt ſeruus domini, & dominus ſerui. Qualitatis verò ſingulare eſt, vt cuncta eius ſecundum qualitatem ſimilia aut diſſimilia nominentur. Vt dulce enim dulci, albo album, calido calidum, aut ſimile aut diſſimile nuncupari ſolet.

9. ## *De facere & pati.*

K. Supereſt vt facere & pati, in quibus maximè verborum ratio conſtat, quia pariter eſſe neceſſe eſt, pariter reſpondeas. A. hæc duo ex qualitatis fonte videntur deſcendere. Id namque quod calidum facit calidum ſit, neceſſe eſt. Calidum verò quod eſſe cognoſcimus? ſimiliter quod calidum fit, à paſſione qualitatis accipit calorem, & qui docet cùm docet doctor eſt & diſcipulum facit; Vtrunque autem ſiue doctor ſiue diſcipulus, qualis eſt, & cætera his ſimilia. K. num in his categoriis contraria inueniuntur? A. ſolent enim genere eſſe ſimilia, contraria qualitate; etenim calidum quod frigido præſtat calorem ſui, ſub eodem genere eſt. Similiter quod dulce eſt, dulce non facit, niſi id quod dulce non fuerit. Nam ſi id, quod patitur, dulce fuerit per naturam ſui, alterius dulcedinem, quam recipiat, non habet. Neceſſe eſt ergò dulce non eſſe id quod patitur, vt dulcedinem recipiat alienam. Et contraria ſunt in qualitate, dulce & amarum. K. quid eſt quod dixiſti genere eſſe ſimilia? A. ignis non poteſt à melle accipere dulcedinem; Aqua verò poteſt; quia quandam ſimilitudinem habet in genere. K. An magis an minus admittunt? A. Etiam; poſſumus

enim

Digitized by Google

enim dicere, magis vel minus docet Magiſter, & magis vel minus doctus eſt diſcipulus.

De iacere. 10.

K. Quid de iacere habemus intelligere? A. quid aliud niſi ſitum & poſitionem corporis? ſi iacet, ſtet, vel ſedeat, quislibet, neceſſe enim, omne corpus quod in partibus, vt prædiximus, includitur, in quolibet eſſe loco, & quolibet modo in loco eſſe. Vt aut per longitudinem extendatur, aut per latitudinem diffundatur, aut per altitudinem erigatur. Et hæc omnia ad ſitum pertinent corporis; ſitus verò ipſe localis eſſe neceſſe eſt.

De vbi & quando. 11.

K. Quid habes de vbi, & quando dicere? A. quid aliud niſi quod vbi in loco & quando in tempore ſignificant; nam omne corpus, neceſſe eſt locum aliquem in quolibet tempore occupare. Vt Romæ in ſenatu fui ante horam tertiam, poſt Martium menſem; Hæc in loco & tempore eſſe debent, non locus & tempus.

De habere. 12.

K. Reſtat vt de habere incipias dicere, & quot modis habere dicamur aliquid. A. octo habendi ſunt ſpecies; prima eſt, quoties animo aliquid habemus, vt iuſtitiam, diſciplinas, virtutes, vel vitia. Secunda, quoties in corpore habere aliquid dicimur, vt albedinem, nigredinem, varietatem, vel cætera, quæ per qualitatem corpori inſidit. Tertia de quantitate deſcendit, quoties quatuor vel quinque pedum habere dicimur longitudinem. Quarta cùm non in toto corpore, ſed in parte corporis aliquid habere firmamur, vt digito anulum, in pede calceos vel coturnos. Quinta ſpecies eſt, cùm non in corpore ſed circa corpus habere aliquid dicimur, vt veſtis, atque indumenta omnia. Sexta, quoties ipſas corporis partes habere narramur, vt manus, pedes, caput, aut reliqua, quæ ſunt in compage membrorum. Septimus verò locus eſt, quoties far vel vinum vas aliquod habere dicitur. Octauus habendi gradus eſt, qui poſſeſſionem noſtram vel dominium videtur oſtendere, cum ædes, vel rus quis habere dicitur. K. Nunquid non licet nobis dicere mulierem habere maritum, vel, vir vxorem habet, pater filium, vel filius genitorem? A. ſanè ita dici Doctores reſpuunt, atq; impropriè conferre confirmant. Propterea quod aſſerunt, non

haberi poſſe, quod habeat habentem, ſed rectius dici autumant, eſſe mulieri virum, vel vxorem viro eſſe, patrem filio eſſe, famulis dominum eſſe, ſiquidem verbi huius vim in hoc eſſe contendunt, vt ſignificare non poſſit, & habere aliquem & haberi. K. Ex his omnibus
21 decem prædicamentis vnam mihi coniuge orationem. A. plena enim oratio de his ita coniungi poteſt. Auguſtinus, magnus orator; Filius illius, ſtans, in templo, hodie* inſolatur, diſputando, fatigatur; Auguſtinus, vſia eſt, magnus, quantitas, orator, qualitas; Filius illius, ad aliquid; ſtans, ſitus; in templo, locus; hodie, tempus; inſolatur, habitus; diſputando, agere; fatigatur, pati. K. & eſt prima vſia his VIIII. accidentibus ſubiacens? A. nam neceſſe eſt magnitudinem vel qualitatem in quolibet corpore inueniri. Et patrem & filium inter du-
22 as vſias verſari. Similiter & in loco & in tempore eſſe, cuiuslibet corporis eſt, veſtiri verò, & ſtare, & aliquid agere, vel pati, quis non agnoſcit, in quolibet corpore eſſe conſideranda? & hæc accidentia non niſi in qualibet ſubiecta ſubſtantia inueniuntur.

*f. inſulatur.

23.

De contrariis oppoſitis.

K. Arolus. Dum ſæpius in noſtra diſputatione de contrariis intro-
24 duxiſti, contrariorum vel oppoſitorum velim rationem exponas. A. contrariorum verò genera quatuor ſunt, quæ Ariſtoteles Anticimena, id eſt, oppoſita vocat. Primum genus eſt, quod diuerſum vocatur, vt ſapientia, ſtultitia, quod genus in tres diuiditur ſpecies. Nam ſunt quædam ex eis quæ medium habent, vt candidum & nigrum medium habent colorem pallidum vel fuſcum. Sunt quædam quæ ſine medio ſunt, vt ſalus, ægritudo; horum nihil eſt medium; quia neceſſe eſt vnum è duobus ineſſe corpori. Et ſunt quædam, quæ medium habent, ſed ſine nomine eſt medietas eorum, niſi huic oppoſitorum negatione formetur nomen, vt iuſtum & iniuſtum habent quiddam medium, vt eſt ſputa ſcreare, aures purgare, quæ vocabulum non habent, niſi dicamus, nec iuſtum nec iniuſtum. Secundum genus contrarietatis eſt relatiuorum, quæ ita ſibi opponuntur, vt ad ſe conferantur, ſicut duplum & ſimplum, magis & minus; & hoc ſolum genus oppoſitorum conferatur. Tertium genus eſt, quæ per habitum vel priuationem fiunt; in his namque obſeruari oportet, vt ſint vtraque in eodem negotio, in eodem loco, in oportuno tempore; In eodem negotio ſunt cæcitas & viſus; in videndo enim & non videndo conſiſtunt. Hæc & in

ἀντικείμενα.

Digitized by Google

eodem loco ſunt; vtrique namque cœcitati & viſioni in oculis locus; in tempore congruo, vt caluum non dicere, niſi eo tempore, quo capillos habere debuerat, non habeat; capillos verò habere, vel non habere, ſibi oppoſitum eſt. Quartum verò genus contrarietatis, ex adfirmatione & negatione vt Homerus diſputat, Homerus non diſputat. Macharius currit, Macharius non currit. Quod genus apud Dialecticos omnes quæſtiones, pænè generare ſolet. K. ſi aliquando mala malis opponuntur? A. etiam ſecundum Philoſophos, qui virtutes ſemper medias eſſe dixerunt; & ex vtraque parte habere vitia. Et hoc reor Apoſtolum ſignificaſſe, dum dicit: Via Regia nobis gradiendum, neque ad dextram, neque ad ſiniſtram declinandum, vt plus iuſtum & minus iuſtum. K. quomodo plus iuſtum? A. plus iuſtum eſt ſeueritas, minus iuſto adulatio, Inter quæ duo mala mediam iuſtitiam locauerunt. Similiter inter verſutiam, hebetudinemque prudentiam poſuerunt. Inter libidinem inſenſibilitatemque, temperantia conſtituta eſt; inter timiditatem & audaciam fortitudo regnat. K. quot modis prius dicimus? A. quinque modis, aliud altero prius dicitur. Primus eſt, cùm aliquem dicimus tempore priorem, id eſt, ſeniorem. Secundus modus eſt numero, dum dicimus, vnum eſſe prius quàm duo, quia duo ex vno naſcuntur, non vnum ex duobus; & vno pereunte, duo eſſe non poſſunt: duobus autem pereuntibus, vnum tamẽ permanet. Tertius modus eſt ordinis, vt in diſciplinis, pri' eſt ſingularium diſcere formas, & nomina litterarum, dehinc ſyllabarum coniunctiones cognoſcere, tunc verborum ſumere notitiam. Poſtremus nobis eſt rationis vſus adſumendus, ꝑpter quem cuncta quaſi præcurrẽtia membra, prius diſcimus. Quartus modus eſt, dum fœliciores vel meliores priores vulgus adſolet dicere. Quintum genus eſt, quando illud prius eſt, ꝙ ex ſe alterum facit, vt exempli gratia, ſi homo eſt, rectè eum dicimus animal rationale, mortale, riſus capax; ſed hoc genus prioris in ſe conuerti poteſt. K. quomodo? A. nam quidquid homo eſt, animal eſt, mortale, rationale, riſus capax. Item quidquid animal eſt, mortale, rationale, riſus, capax, hominem eſſe neceſſe eſt. Sed tamen hominem neceſſe eſt prius eſſe; & ſic tandem iſta definitio vel conuerſio vera eſſe poterit. K. Modos quoque, quibus aliquid ſimul eſſe dicamus, voluiſſem audire. A. tribus modis aliquid ſimul eſſe dicim', aut tempore, aut natura, aut genere. K. da exempla. A. tempore, vt duos homines vno tempore ſimul eſſe dicimus, verbi gratia, Albinus

& Homerus. Natura, vt ſimplum & duplum. Genere, vt animalia, quæ ſpecie diſcernuntur. Aliud pedeſtre, aliud volatile, aliud aquatile. quibus omnibus æqualiter animal genus eſt. K. quot modis ſit differentia? A. materia, aut opere, aut vtroque. K. pone exemplum. A. materia, ſi ſint anuli ſimiles duo; vnus aureus, alter argenteus: opere, ſi ex auro diſſimiles anuli fabricentur; vtroque, vt ſi anulus ſit aureus & ſtilus argenteus.

14. *De argumentis.*

KAROLVS.

ARgumentorum rationem diuerſitateſq́; voluiſſem vt enotares mihi. Et primùm, vt dicas, quid ſit argumentum flagito. A. Argumentum eſt rei dubiæ affirmatio. Et conſtat ex * annunciatione. K. Annunciatio quid eſt? A. oratio verum * vt falſum ſignificans, in nominatiuo caſu, cum, eſt, & non eſt. Vt homo eſt, homo non eſt. K. quid in aliis caſibus? A. nihil verum ſignificat, addito eſt, non eſt, niſi addantur aliæ partes, vt hominis eſt, vt mortalis ſit & rationalis, vel non eſt. Item homini eſt riſus proprietas accidens. Ita & cæteris caſibus. K. ſcio, cùm dico; Homo eſt, vel, homo non eſt, verum eſſe vel falſum; ſed cùm dico, Homo vel non homo, HOMO enim nomen eſt, ſed quid ſit non homo, velim vt dicas. A. homo, nomen eſt, vt dicis; non homo, infinitum nomen eſt; hominem enim negas, nec tamen quid ſit, oſtendis. K. Argumentorũ rationes proſequere, & quo modo proponantur, ediſſere. A. Aliæ igitur ſunt propoſitiones argumentorum vniuerſales, aliæ particulares, aliæ ſingulares, aliæ indiffinitæ. K. Harum ſingularum exempla profer. A. Vniuerſales ſunt, vt omnis homo iuſtus eſt, vel omnis homo iniuſtus eſt, particulares, vt quidam homo iuſtus eſt, quidam homo iniuſtus eſt. Singulares, vt Homerus iuſtus eſt, vel Homerus iniuſtus. Indiffinitæ, vt homo iuſtus eſt, vel homo iniuſtus eſt. K. quomodo hæ appellantur propoſitiones argumentorum? A. hæ enim ſunt ſimplices, & appellantur categoricæ, id eſt, prædicatiuæ. K. vnde dicuntur prædicatiuæ? A. quia homo ſubſtantia eſt; iuſtitia accidens, & prædicatur de homine. K. quid eſt inter hominem & iuſtum? nonne ſunt duo nomina? A. ſunt enim duo nomina, & duo termini, & terminus maior de termino minori prædicatur. K. quomodo? A. iuſtitia enim de homine ꝑdicatur, & homo eſt minor termin⁹. Nõ .n. de ſolo homine, ſed de Deo & Angelis iuſtitia prædicatur; & ideò maior terminus iuſtitiæ eſt,

* *ſ. enunciatione.*
* *ſ. vel.*

Digitized by Google

eſt, quàm homo, quia latius patet, & homo ſubiectus eſt iuſtitiæ, & minor terminus ſubiectus dicitur, maior quia latius vadit prædicatus terminus dicitur. K Mirum mihi eſt, quomodo accidens maior ſit, quàm ſubſtantia. A. Quid enim candela vel lux, quæ de candela emicat, maior, vel melior? K. Vtiq; lux. A. Nonne lux accidens eſt candelæ, & candela ſubſtantia eſt? K. Eſt, & agnoſco in eo accidens poſſe eſſe ſubſtantię melius vel maius. Sed proſequere cætera. A. Sunt enim aliæ propoſitiones argumentorum hypotheticæ, id eſt, conditionales. K. Quomodo conditionales? A. Quibus conditio aliqua ſupponitur. Et ſunt duplices hoc modo, vt: omnis homo, ſi bonus eſt, iuſtus eſt, ita tandem iuſtus eſt homo, ſi bonitatem habet. Item: cœlum, ſi rotundum eſt, volubile eſt; ita tandem volubile eſt, ſi rotũdum eſt. K. An neceſſe eſt, vt priora repetam, vnum terminum maiorem eſſe, alterum minorem? A. Non, quia ſæpe accidit, æquales eſſe terminos, vt homo riſibilis eſt. Nam alia natura, riſibilis non eſt, niſi homo, nec latius, riſibilis, vadit, niſi ad hominem ſolum. K. Quomodo diſcerni poſſunt, qui ſint æquales vel inæquales. A. quod æquales æqualiter circumuerti poſſunt. Hoc modo; quicquid homo eſt, riſibile eſt, & quicquid riſibile eſt, homo eſt. Nec ſic inæquales circumuerti poſſunt, vt quicquid homo ſit, iuſtum ſit, vel quicquid iuſtum ſit, homo ſit. K. Quomodo quælibet res his argumentis confirmari poteſt, aut deſtrui? A. Hoc modo, ſi omni homini rectè loqui bonum eſt, tum Grammatica bona eſt. Nulli dubium eſt, quin rectè loqui bonum eſt. vtiq; Grammatica bona eſt; quia rectiloquium ſine Grammatica eſſe non poteſt. Item: Si ruſticitas mala eſt, vtiq; Grammaticam non legerẽ malum, quia omnis homo abſque Grammatica ruſticus eſt. Item; ſi omnis ſapientia bona eſt, vtiq; Philoſophia bona eſt, quia philoſophia ſumma ſapientia eſt, & hi ſunt ſyllogiſmi conditionales. K. Et qui ſunt prædicatiui? A. Qui ſimpliciter vadunt, hoc modo. Vt omne iuſtum honeſtum, omne honeſtum bonum, omne igitur iuſtum bonum. Hæc vniuerſalia confirmatiua dicuntur, quia vniuerſaliter concludit, omne iuſtum bonum eſſe. Item omne iuſtum honeſtum, nullum honeſtum turpe, nullum igitur iuſtum turpe; hic enim ex vniuerſali adfirmatione tranſit ad vniuerſalem negationem, & confirmat: Nullum iuſtum eſſe turpe. Item, quoddam iuſtũ honeſtum. Omne honeſtum vtile, quoddam igitur iuſtum vtile. Hic particulariter adfirmat, quoddã iuſtũ vtile eſſe. Item, quoddam iuſtũ honeſtum, nullum honeſtum turpe, quoddam igitur iuſtum non eſt

Digitized by Google

turpe. Hic quoq; particulariter per negationem adfirmat, quoddam iuſtum non eſſe turpe, horum enim ſyllogiſmorum multæ ſunt ſpecies. ſed hæc ad præſens ſufficiant, ad cognoſcendum vniuerſales & particulares concluſiones in adfirmando & negando. K. Qualiter ſyllogiſmus confici debet? A. Ex tribus ſæpiſſimè membris. Ita vt ex duabus primis propoſitionibus tertia conficiatur concluſio, vt ſi quæratur, an caſtitas vtilis ſit, dicamus, Omnis virtus vtilis eſt, Caſtitas autem virtus eſt, Caſtitas igitur vtilis eſt. Ex vtilitate igitur & virtute quoddam tertium colligitur, & neceſſariò concluditur, vt Caſtitas vtilis ſit.

De modo diffinitionum.

KAROLVS.

15. ſ. enuclees

MOdo enim velim, vt diffinitionum modos & diuiſiones* enucleas mihi, & primum dicito, quid ſit diffinitio. A. Diffinitio eſt oratio breuis & lucida eius rei, de qua quæritur, naturam ab aliis rebus diuiſam propria ſignificatione concludens. K. Quomodo hæc incipere debet diffiniri? A. Primum enim hanc per immenſum tendi oportet, incipientem à genere, dehinc paulatim currendo per partes deuenire debet ad id, in quo ſolum eſt id, quod diffinitum eſt; vt hi, qui ſigna formant, primò immenſum ſibi deligunt lapidem, dehinc paulatim minuendo, & abſcindendo ſuperflua ad formandos vultus, & membra perueniunt. Sic diffinitio à genere incipiens, depulſa paulatim generalitate verborum, ad proprium demonſtrandæ rei cubile tendit accedere. K. Da exemplum. A. Homo eſt ſubſtantia animata, rationalis, mortalis, riſus capax. à latitudine ſubſtantiæ primò hæc incipit diffinitio; Quia quicquid naturarum eſt, ſubſtantia dici poteſt, deinde dicit hominem ſubſtantiam animatam. In eo quod dicit animata, ſecernit eum ab his, quę animam, id eſt, vitam non habēt. In eo, quod dicit, rationalis, ſegregat eum ab omnibus rationem non habentibus. In eo, quod dicit mortalis, diuidit eum ab Angelis, qui non moriuntur, Et ſic peruenit ad proprietatem hominis, id eſt, riſus capax, quod ſolius eſt hominis.

De ſpecie diffinitionum.

KAROLVS.

16. QVot ſpecies ſunt diffinitionum? A. quindecim. ſed aliæ ex his ad Dialecticos pertinent, aliæ ad Rhetores. K. Illas maximè velim

audi-

Digitized by Google

audire, quæ magis ad Dialecticos pertinent. A. Eſt enim principalis diffinitio, quæ ſubſtantiam cuiuslibet naturæ propriæ demonſtrat. Qua maximè Philoſophi vtuntur. Vt, homo eſt animal rationale, mortale, ſenſus, diſciplinæq; capax. Hæc enim diffinitio per ſpecies & differentias deſcẽdens venit ad ꝓpriũ, & deſignat pleniſſimè q̃d ſit homo. Item eſt ſpecies diffinitionis, quæ à notitia dicitur, & rem aliquam per actum ſignificat; non per ſubſtantiam; vt homo eſt quid rationale conceptione, & exercitatione naturali, præeſt animalibus cunctis. Hic enim actum hominis ſignificat, non ſubſtantiam. Item in Pſalmis. Beatus vir qui in lege Domini meditabitur die ac nocte: Hic enim per actum ſignificatur quid agat beatus vir. Item eſt ſpecies diffinitionis, quæ qualitatiua dicitur, quæ quamlibet perſonam per qualitatem deſignat. Vt ſi quæratur qualis ſit homo, reſpondetur: Homo eſt, qui ingenio valet, artibus pollet, inter bonum malumque diſcernit. Item in Pſalmis Propheta oſtendit, qualis ſit Chriſtus dicendo: ſpecioſus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis. Item, diffinitio eſt per differentiam. Vt ſi quæratur, quid inter Regem & Tyrannum ſit, adiecta differentia, quid vterque ſit, diffinitur hoc modo: Rex eſt pius & modeſtus; Tyrannus verò impius & immitis. Et in Pſalmo: Mutuatur peccator, & non ſoluit: Iuſtus autem miſeretur, & tribuit. Item ſit diffinitio quædam per priuantiam. Vt ſi quæratur, quid ſit ſubſtantia, dicatur: ſubſtantia eſt, quod neque qualitas eſt, neque quantitas, neque aliquod accidens. Hoc enim genere diffinitionis & Deus vtcunq; intelligi poteſt. Dum enim quid ſit Deus, nullo modo comprehendere valeamus, id eſt, naturam eius, vt eſt, nullus effari poteſt, ſed ex eo quod non eſt, ſecundum Philoſophos definiendus eſt. Vt ſi dicamus, Deus neque corpus eſt, neq; animal, neque vllum elementum, neq; ſenſus noſter, neq; intellectus, neq; aliquid, quod ex his capi poſſit. Item quædã diffinitio eſt ꝑ indigentiã pleni, in eodem genere. Vt ſi quæratur quid ſit quadrans, reſpondetur cui dodrans deeſt, vt ſit aſſis. Item quædã diffinitio eſt per laudẽ, vt dux eſt animus, & diſciplina ciuitatis, & in Pſalmo, Lex Domini inreprehenſibilis, conuertens animas teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis. Item quædam diffinitio eſt quaſi iuxta rationem, id eſt, cum maioris rei nomine minor res oſtenditur. vt homo eſt minor mundus. Et edictum eſt lex annua. K. Cui enim parti Dialecticæ artis hæ diffinitiones maximè iungendæ ſunt? A. Topicis. K. quæ ſunt topica? A. Argumentorum ſedes, fontes ſenſuum.

tum, origines dictionum. K. In quot ſpecies diuiduntur topicorum argumentationes? A. Topicorum, id eſt, localium argumentatio triplex eſt, quia ſunt argumenta, aut in ipſo negotio, de quo agitur, aut ex rebus aliis tracta naſcuntur, aut certè extrinſecus adſumuntur. K. Primam expone ſpeciem. A. Tribus modis ab ipſo negotio ſecundū Dialecticos ſumuntur argumenta. A toto, à partibus, à fine. K. Exemplis confirma. A. Totum duobus modis dici ſolet; aut à genere, vt ſi quæratur, an iuſtitia vtilis ſit, fiat huiuſmodi ſyllogiſmus: Omnis virtus vtilis eſt. Iuſtitia autem virtus, ergo iuſtitia vtilis eſt. Hic autem à toto, id eſt, à genere, virtute ſcilicet, quæ iuſtitiæ genus eſt, comprobatur, Iuſtitiam vtilem eſſe. Item totum eſt, quod ex multis partibus integrum conſtat, vt mundi integritas ex multis conficitur partibus, cuius quædam pars homines ſunt. At ſi quæratur, ſi humanæ res diuina prouidentia regantur, fiat huiuſmodi ſyllogiſmus: Si mundus Dei prouidentia regitur, homines autem pars mundi ſunt, humanæ igitur res diuina prouidentia reguntur. hic neceſſe eſt intelligi, id parti congruere, quod toto euenit. Item à partibus argumenta dicuntur. Vt quæſtio ſit an ſit vtilis medicina, dicatur. ſi depelli morbos, ſalutemq; ſeruari, mederiq; vulneribus vtile eſt. Quæ ſunt partes Medicinæ. Vtilis eſt igitur Medicina. Item à fine, quem quidam notam vocant, fit argumentum. Vt ſi quæratur, an iuſtitia bona ſit, fiat ſyllogiſmus talis. ſi beatum eſſe bonum eſt, & iuſtitia bona eſt. hic eſt enim iuſtitiæ finis, vt qui ſecundum iuſtitiam viuat, ad beatitudinem perueniat. Et neceſſe eſt eam rem bonam eſſe, cuius finis bonus eſt. K. Illa argumenta, quę aliunde attrahuntur quot ſpecies habent? A. Tredecem, alia à coniugatis fiunt, alia à genere, alia à ſpecie, alia à ſimilitudine, alia à differentia, alia à contrariis, alia à conſequente, alia ab antecedentibus, alia ab adiunctis, alia à repugnantibus, alia à cauſſis, alia ab effectis, alia à comparatione. K. Hoc quoq; exemplis lucidius aperi. A. Faciam.

Coniugati.

37. PRimum à coniugatis dicitur argumentum hoc modo; Cum ex coniugatione, id eſt, deriuatione nōis vel verbi fiat coniectura, vt ſi ſcripſit, ſcriptor eſt. ſi compaſcuus ager eſt, ius eſt compaſcere. Compaſcuus enim, & compaſcere, inter ſe iuncta ſunt. & Terentius: homo ſum, humani à me nihil alienum æſtimo. Et Cicero Verrē dixit euerriſſe prouinciam,

Digitized by Google

A Genere.

A Genere argumentum eſt, quando à re generali ad ſpeciem aliquam deſcenditur. Vt mulierum genus auarum eſt. Nam Euripila auro vitam viri vendidit, & item, ſi libidinoſus & adulter, ſi auarus & fur. 18

A Specie.

A Specie. Vt cum probare crudelem volumus, quædam ab eo crudeliter facta doceamus. Item illud Virgilii: An non ſic Phrygius penetrat lacedæmona paſtor, Ledeamq; Helenam Troianas vexit ad vrbes? Nã Phrygius paſtor ſpecies eſt. Etſi iſtud ille vnus fecit, & illi hoc Troiani generaliter facere poſſunt. Species enim ſemper ſubeſt generi, vt homo ſubeſt animali, ac ideo genus totum dicitur, ſpecies pars. vt cupiditas genus eſt omnium libidinum. pars etiam quædam cupiditatis, id eſt, ſpecies auaritia. 19.

A Similitudine.

A Similitudine argumentum eſt, quando rebus aliquibus ſimilia proferuntur, vt ex eo, quod certum circa rem ſimilem acciderit, id quoq; quod dubium eſt, & in quæſtionem venit, conprobetur. Inſpicitur ſæpe ſimilitudo in contrariis, vt ſi his, qui imprudentes læſerunt, ignoſci conuenit, his qui neceſſario profuerunt gratiam habere non oportet. Hic contraria ſunt, prodeſſe & nocere, ſimilitudo autem animorum eſt, quod neq; ille voluit obeſſe, neque hic prodeſſe. Fit & per paria, cum non ex contrariis rebus, ſed ex ſimillimis per naturam probabile colligimus argumentum. Nam vt locus in mari ſine portu nauibus intutus eſt; ſic animus, qui ſine fide eſt, amicis non poteſt eſſe portuoſus. Fit & in his rebus, quæ ſub eãdem rationẽ cadunt, cum ex vnius rei ratione, alterius quoq; ratio comprobatur. Vt puta, qui filium vendidit, iniquam rem fecerit. Et q emit, iniquè fecerit. 20.

A Differentia.

A Differentia fit argumentum, quando per differentiam aliquæ res ſeparantur. Vt Virgilius: Non Diomedis equos, non currum cernis Achillis. Fit quoque differentia, cum in eodem genere ſpecies ab alia ſpecie ſecernitur, vt Marcus Tullius: Qualis in vrbana prouincia fuerit Verres, talem in prouinciali eſſe. 21.

A Contrariis.

22. A Contrariis ſumitur argumentum, quando eos ſibimet diſcrepantes opponuntur, vt Virgilius: O genitrix quo fata vocas, aut quid petis iſtis? Mortaline manu factæ immortale carinæ fas habeant, certuſque incerta pericula luſtret. Æneas Iouis. Ad Berecynthiam fertur dixiſſe. Et ſi deſertor appellandus eſt, qui hoſtem vitat ac fugit, is certè, qui non vitauit, nec fugit, ſed vltrò adpetit, deſertor nullo modo dici poteſt. Et ſi honeſtum eſt aliquid, turpe non eſt. Et ſi iure factum eſt aliquid, non poteſt pro iniuria vindicari.

A Conſequente.

23. A Conſequente, quando poſitam rem aliquid ineuitabiliter conſequitur. Vt Virgilius: Non nos aut ferro Lybicos populare penates venimus, aut raptas ad littora vertere prædas. Non ea vis animis. Et reliqua. & vt mulier peperit, cum viro concubuit, peperit igitur. conſequens ſit neceſſe eſt, quia concubuit cum viro.

Ab Antecedentibus.

24. AB Antecedentibus argumentum eſt, quando ex his, quæ prius geſta ſunt, conſequentia approbantur. Vt Marcus Tullius pro Milone: Cumque ante diem tertium prædixerit Clodius, Milonem periturum, cum ille non dubitauerit aperire, quid eſſet facturus, vos poteſtis dubitare quid fecerit? præceſſit enim prædicatio, & ſecutum eſt factum & reliqua.

Ab Adiunctis.

25. AB Adiunctis argumenti fides ſumitur, cum probabiliter oſtenditur, quid ſit ex re quaque venturum, vt Virgilius: Nos ſi pellant, nihil abfore credant, quin omnem Heſperiam ſua ſub iuga mittant. Omnis enim res habet aliquid præcedens, aliquid ſimul, aliquid ſubſequens; & ideo ex his omnibus argumenta colligimus. In adiunctis etiam, vt Cicero voluit, maximè quæritur, quid ante rem, quid cum re, quid poſt rem euenerit. Qui locus magis ad coniecturam pertinet. Ante rem apparatus, colloquia. In re, ſtrepitus pedum. poſtremo pallor, rubor, & ſi qua ſunt ſimilia. Locus ab antecedentibus, & conſequentibus, & repugnantibus eo differt à coniunctis ſiue adiunctis. Coniuncta non ſemper eueniunt, conſequentia

tia vero ſemper. Ea igitur ſunt conſequentia, quæ rem neceſſario conſequuntur; vt ſi dies eſt, lucet. Item antecedentia & repugnantia. Quicquid enim conſequitur quamque rem, id cohæret cum re neceſſario. Et quicquid repugnat, eiuſmodi eſt, vt cohærere nunquam poſſit.

A Repugnantibus.

A Repugnantibus argumentũ eſt, quando illud quod obiicitur reo, aliqua contrarietate deſtruitur. Vt Cicero dicit. Is igitur non modo à te periculo liberatus, ſed etiã ampliſſimo honore ditatus arguitur domi ſuæ te interficere voluiſſe. Item ſi qua die cædes iſta Romæ facta eſt, ego Athenis fui, in cæde interesſe non potui. 26.

A Cauſſis.

A Cauſſis argumentum ducitur, quãdo ex conſuetudine communi res quæ tractatur, fieri potuiſſe conuincitur, vt Terentius: Ego non nihil veritus ſum dudum abs te cauere, ne faceres, quod vulgus ſeruorum ſollicitat, dolis vt me deluderes. Fit quoque hoc modo à cauſa argumentum, dum cauſam adulterii libidinem eſſe dicimus; ſiue parricidii auaritiam; ſed & tum latius diſputandum eſt de vi cauſſæ, id eſt, auaritiæ, ſiue libidinis. Quatenus ſi cauſſa turpis videatur, res quoque inhoneſta videatur, vt qui lucri cauſſa faciendi venit in templum, ſacrilegus eſt. Non enim res maleficium facit, ſed cauſſa faciendi. Nec crimen, ſed conatus maleficia exiſtimantur. 27.

Ab Effectis.

AB effectis argumentum eſt, cum ex his, quæ facta ſunt, aliquid adprobatur. vt Virgilius. Degeneres animos timor oſtendit. nam timor eſt cauſſa, vt degener ſit animus, & timoris eſt effectiuum. Efficientia ſunt, quæ vel vi ſua aliquid conficiunt, vt ignis incendium, vel ſine quibus effici non poteſt aliqua res; vt naues ſine trabibus. Efficientia alia ſunt neceſſaria, alia non. Huic loco efficientium cauſarum iunctus locus eſt, effectus è cauſſis, id eſt, euentus. Vt enim cauſſa quid ſit effectum indicat, ſic effectus, quæ fuerit cauſa, demonſtrat, vt fumus ignem, & ideo Cicero loco efficientię cauſſarum poſuit, euentum vero loco effectorum. vt ſiquidem inſolentem probaueris, dicas etiam arrogantem futurum, hoc per euentũ, id eſt per effectum inſolentiæ, arrogantiam probas. Arrogantię vero cauſſam, id eſt, efficientiam inſolentiam. 28.

A Comparatione.

20, A Comparatione argumentum ducitur, quando per collationem perſonarum ſiue cauſſarum ſententiæ ratio confirmatur, & ſemper augendæ rei ſtudet comparatio. Fitq; tribus modis, à maiore, à minore, à pari; à maiori hoc modo, vt Virgilius: Tu potes vnanimos armare in prælia fratres; ergò qui cum fratribus hoc potes, quanto magis in aliis. Item à maiore. Si adulterum occidere licet, licet & loris cædere. A minorũ comparatione, vt ſi furem nocturnum occidere licet, quid latronem? Item à minore: Si exiguæ pecuniæ cauſſa peccare non dubitauit, quid cum illi maius eſſet propoſitum lucrum? Certè non abſtinuit. A parium comparatione, vt Virgilius. Tu potes Æneam manibus ſubducere Graium. Nos aliquid contra Rutilos iuuiſſe nefandum eſt. Item à pari, Si quis neget cædem à ſe eſſe factam, eo quod non ipſe percuſſerit, dicitur ei, nihilũ intereſſe, vtr auctor quis fuiſſet cædis, an ipſe percuſſerit, quia ex vtroq; in eundem exitum ſcelus venerit. K. Si Euangeliſtæ ſimilitudines pertinent an non ad iſtas ſpecies, vbi dixiſti à ſimilitudine vel à contrario argumenta eſſe ducenda? A. Pertinent vtiq;. K. Quonam modo? A. Quædam enim ſimilitudines à pari dicuntur, quædam à contrario: quæ vero à paribus, his verbis iungi poſſunt, ſicut iſtud, ſic & illud. Sicut de ſeruo, q dimiſſus à domino ſuo, ſuffocauit conſeruum, dici poteſt. Sicut dominus huic ſeruo nequam non dimittenti conſeruo ſuo fecit, ſic pater veſter cœleſtis faciet vobis. & reliqua, Item de fœneratore, qui cum duobus debitoribus donauit quod debebant, ab eo plus dilectus eſt, cui plus donauit: Et de homine qui habebat duos filios, maiorem in agro ſibi propinquantem, minorem in longinquo luxuriantem. & innumerabilia huiuſmodi. De his enim, quantum ſimilia ſunt, ducitur intellectus ejus rei, cui adhibentur inſinuandæ. Quæ ſunt à contrario his verbis iungi poſſunt, ſi iſtud, quanto magis & illud, Vt ille, qui nõ propter amicitiam, ſed vt tædio careret, iam dormiens excitatur, vt tres panes accommodet amico ſuo. ſi enim ille moleſtia compulſus dedit, quanto magis, dicitur, qui ſuos ſeruos diligens hortatur, vt petamus, dabit bona petentibus ſe. Item iniquitatis villicus, qui falſatis chirographis prouidebat ſibi, & laudatus eſt à domino ſuo. Hoc argumento concludendus eſt. Si laudari potuit ille à domino, qui fraudem faciebat, quanto amplius placeant Domino Deo; qui præcepta inſtituta fideliter agunt: ſicut etiam de iudice iniquitatis, qui interpellabatur

à vidua, comparationem duxit ad iudicem Deum, cui nulla ex parte iudex iniquus conferendus eſt.

De perihermeniis. 30.

KAROLVS.

PErihermeniarum ſubtilitates à te audire deſidero, de quibus * dictum, Ariſtotelem in mente tinxiſſe calamum, dum eas ſcriptitabat. A. Subtilitas earum nimia eſt, ſed anguſtia noſtræ diſputationis pauca de eis tangere habet. Et tantummodo, quo illæ ſpectant aperiendum videtur. K. Illius nominis interpretationem primũ expone. A. Perihermeniæ dicuntur, quaſi de interpretatione. K. quomodo de interpretatione? A. omnis quippe res, quæ vna eſt, & vno ſignificati ſermone poterit, aut per nomen, aut per verbum demonſtratur. K. quomodo demonſtratur vel hoc vel illud? A. per nomen ſubſtantia omnium rerum ſignificatur, vt homo: per verbum, actio, vel paſſio cuiuslibet rei oſtenditur, vt homo currit, homo vritur. Quæ duæ partes orationis interpretantur totum, quicquid mens conceperit ad eloquendum. K. quid eſt conceperit? A. Conceperit eſt intellexerit, omnis enim elocutio mentis interpres; quia quod mens intelligit, elocutio interpretatur per catafaſin vel apofaſin. K. hæc duo nomina quæ induxiſti latino ore profer. A. catafaſis eſt adfirmatio: vt homo currit. Apofaſis eſt negatio: vt homo non currit. K. quot ſpecies ſunt perihermeniarum? A. in ſeptem ſpecies prædictus Philoſophus eas diuidit, id eſt, nomen, & verbum, orationem, enuntiationem, adfirmationem, negationem, contradictionem. K. num me iterum per Grammaticam ducere diſponis? A. diſpono, ſed excelſiore gradu, & ſi interrogas, videbis, quantum diſtat Dialectica ſubtilitas à Grammatica ſimplicitate.

* Hoc dictũ Caroli M. eſt etiã in epiſtolis Alcuini epiſt. 58. &c. 1. Antiquæ Lect. fol. 108. vbi notæ vide.

κατάφασιρ. ἀπόφασιρ.

Definitio nominis. 31.

K. Nomen quid eſt? A. vox ſignificatiua ſecundum placitum, ſine tempore diffinitum aliquid ſignificans, in nominatiuo caſu, cum eſt, &, non eſt, in obliquis caſibus nihil, cuius nulla pars eſt ſignificatiua ſeparata, vt Socrates. Lucidius hanc philoſophicam diffinitionem explana. A. nomen eſt vox ſignificatiua, nam omne nomen aliquid ſignificat viſibile vel inuiſibile. K. ſubſtantiale vel accidẽs? A. Omnis enim natura quæ eſt, ſubſtantia dici poteſt, vt homo; & omni igitur naturæ præter Deũ ſolius aliquid accidit, vt homini in corpore color, in ani-

Digitized by Google

animo diſciplina. K. Nunquid non Deo accidit bonitas, iuſtitia & cæteræ virtutes? A. Non accidit ei bonitas & iuſtitia, ſed ipſe eſt bonitas & iuſtitia; ita & de aliis virtutibus ſentiendum eſt. K. quid eſt ſecundum placitum? A. id eſt, ſecundum compoſitionem ſingularum gentium, nam res eædem omnibus gentibus ſunt. Nomina verò diuerſa, & ſecundum placitum imponentium compoſita, vt auri eadem natura eſt apud Græcos & Latinos, dum illi hoc Kryſon nominant, iſti aurum. K. quomodo ſine tempore? A. quia nomen tempus non attrahit, ſicut verba faciunt. K. quid eſt diffinitum aliquid ſignificat? A. omne enim nomen in nominatiuo caſu cum verbo ſubſtantiale ſum aliquid certum ſignificat, in affirmatione vel negatione, vt homo ſum, homo es, homo eſt. Arbor non ſum, non es, non eſt. In obliquis verò caſibus nihil certum ſignificat, niſi additis aliis partibus ad plenam ſignificationem, vt hominis iſtius eſt liber iſte. Vt huic homini da hunc librum. Vt hunc hominem legere fac librum iſtum. Vt ab hoc homine librum iſtum didici. K. quid eſt cuius nulla pars eſt ſignificatiua ſeparata? A. Nam Socrates triſyllabum nomen eſt, ſeparatis verò ſingulis ſyllabis, nil enim per ſe ſignificat, nec So nec cra nec tes. K. Num non domus ſi diuiditur in duas ſyllabas, id eſt, do & mus, ſignificat tamen aliquid, & talia innumerabilia? A. ſignificat enim, ſed nihil ad prioris nominis ſignificationem pertinet ſecundi nominis ſignificatio. Nam mus animal eſt per ſe, & do, verbum aliquid actionis ſignificans, ſed vtrorumque ſignificatio nil ad domum ſignificandam pertinet. K. qualiter in compoſitis nominibus, vt eſt hircoceruus, quod græcè tragelaphus dicitur, num non ideò hircoceruus videtur dici, quia quandam ſimilitudinem habet cerui quandam hirci? A. fortè fieri poteſt, vt ideò dicatur. Sed ſi hircoceruũ nomino, quod animal tunc intelligis me ſignificare, vel hircum vel ceruum? K. nec hircum nec ceruum, ſed illud animal quod eo ſolet nomine ſignificari. A. & ideò nihil illud nomen ſeparatum ſignificat, quod ad primam naturam pertineat, quam primò ſignificare incipiebat.

Definitio verbi.

K. Verbum quid eſt? A. vox ſignificatiua ſecundum placitum cum tempore diffinitum aliquid ſignificans & accidens. K. intelligo enim ex prioris diffinitionis interpretatione, quid eſt vox ſignificatiua, & quid ſecundum placitum. Et fortè quid ſit cum tempore

porē video, quia verbum ſolet ſecum tempus attrahere. ſed pone quid ſit diffinitum aliquid ſignificans & accidens. A. nam omne verbum verum ſignificat actionem & paſſionem, vt video vel videor. Et cuiuſlibet ſubſtantiæ illa actio vel paſſio ſolet accidere, vt puta homini videre, vel videri. K. ſi omnia actionē vel paſſionem ſignificant, vnde aliqua dicuntur neutralia? A. non ideo quod vnam ex his non habeant ſignificationem, ſed quia vniformiter ſemper proferuntur, id eſt, vel actum ſolum, vt manduco, curro; vel paſſionem, vt vapulo, veneo, ſed hæc aliàs.

Definitio orationis. 33

KAROLVS.

ORatio quid eſt? A. congrua partium ordinatio perfectam ſententiam demonſtrans, cuius partium aliquid ſeparatum ſignificatiuum eſt. K. quomodo ſeparatum ſignificatiuum? A. plena oratio: Virgilius Æneadas cecinit. Virgilius igitur & Æneadas & cecinit, hæc tria ſeparata aliquid per ſe ſignificant. Virgilius, hominem, Æneadas gentem, cecini ....

Definitio enunciationis. 34

KAROLVS.

QVid eſt enunciatio? A. enunciatio eſt oratio veri vel falſi ſignificatiua. K. quomodo veri vel falſi ſignificatiua? A. principales ſunt ſpecies orationis, ſecundum Dialecticos quinque, ſed hæc ſola, id eſt, enuntiatiua verum aliquid vel falſum ſignificat; vt homo eſt, vel homo non eſt, Socrates diſputat, Socrates non diſputat; horum enim vnum verum eſſe neceſſe eſt, id eſt, aut Socratem diſputare, aut Socratem non diſputare. Et in hac ſola ſpecie Philoſophi qui de veritate rerum vel de falſitate diſputauerunt, omnes ſuas poſuerunt controuerſias. K. Num & illæ aliæ ſpecies quatuor ad Dialecticos non pertinent? A. non pertinent ad Dialecticos, ſed ad Grammaticos. K. tamen illarum nomina cum exemplis dicito.

Interrogatiua. 35

ALBINVS.

EST enim quædam ſpecies orationis interrogatiua, vt, Quo te Mœri pedes? an qua via ducit in vrbem?

Im-

36. *Imperatiua.*

Est quoque quædam ſpecies orationis imperatiua. Vade, age, nate, voca Zephyros, & labere pennis.

37. *Deprecatiua.*

Est etiam quædam orationis ſpecies deprecatiua, vt: Iuppiter eſto pius, precibus ſi flecteris vllis.

38. *Vocatiua.*

Est etiam ſpecies quædam orationis vocatiua, vt hæc: Ades ô Melibœe. Sed nulla harum ſpecierum aliquid verum vel falſum ſignificare poteſt. Sed ſola enuntiatiua aliquid veritatis vel falſitatis oſtendit.

39. *Definitio adfirmationis.*


K. Adfirmatio quid eſt? A. Adfirmatio eſt enuntiatio alicuius de aliquo, vt: Socrates eſt. vel alicuius de aliqua re, vt: Cœlum volubile eſt.

40. *Item diffinitio contradictionis & negationis.*

KAROLVS.

Negatio quid eſt? A. Negatio eſt alicuius ab aliquo, vt: Socrates non eſt, vel alicuius de aliqua re, vt cœlum volubile non eſt. K. Contradictio quid eſt? A. Contradictio eſt adfirmationis & negationis oppoſitio, vt: Socrates diſputat, Socrates non diſputat.

In fine repræſentat Cod. S. Galli hanc figuram.



Digitized by Google

DN. ALBINI, ALIAS ALCVINI, CAROLI MAGNI IMPERAT. MAGISTRI, GRAMMATICA.

Diſcipuli, Magiſter.

D. Audiuimus, ô doctiſſime Magiſter, ſæpius dicentem, quod Philoſophia eſſet omnium virtutum magiſtra, & hęc ſola fuiſſet, quæ inter omnes ſeculi diuitias, nunquam miſerum, ſe poſſidentem reliquiſſet. Incitaſti nos, vt verè fatemur, his dictis, ad tàm excellentis felicitatis indagationem: ſcire cupientes, quæ eſſet huius magiſterii ſumma: vel quibus gradibus aſcendi potuiſſet ad eam.

Ætas igitur noſtra tenera eſt; & te non dante dexteram, ſola ſurgere, ſatis infirma eſt. Animi verò noſtri naturam eſſe intelligimus in corde, ceu oculorum in capite: Oculi itaque ſi ſplendore ſolis, vel alia qualibet lucis præſentia aſperguntur, perſpicaciſſimè quidquid obtutibus occurrit, diſcernere valent. Cæterum ſine lucis acceſſu, in tenebris manere notiſſimum eſt. Sic animi vigor, acceptabilis eſt ſapientiæ, ſi erit, qui eum illuſtrare incipiat.

M. Benè ſiquidem filii comparationem oculorum, & animi protuliſtis. Sed *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* illuminet mentes veſtras: vt in ea proficere valeatis Philoſophia, quæ nunquam, vt dixiſtis, deſerit poſſidentem. *Iohan. 1.*

D. Scimus Magiſter: ſcimus certiſſimè, quod ab eo poſtulandum eſt, qui dat affluenter, & nulli improperat. nos tamen * morulis quibuſdam inſtruendi ſumus, & quaſi infirmi, tardiore greſſu dicendi, quo vſque aliquid fortitudinis adcreſcat in nobis. Ignem ſiquidem ſilex naturaliter habet in ſe, qui ſolet exire ad ictus. Naturale itaque eſt mentibus humanis ſcientiæ lumen: ſed niſi crebra doctoris intentione excutiatur, in ſe, quaſi ſcintilla in ſilice latet.

** ſic m. ſ. fortè legendum, regulis.*

M. Eſt equidem facilè viam vobis demonſtrare ſapientiæ, ſi eam tantummodò propter Deum, propter puritatem animæ, propter veritatem

ritatem cognoſcẽdam etiam, & propter ſe ipſam diligatis,& non propter humanam laudem,vel honores ſeculi,vel etiam diuitiarum fallaces voluptates, quæ omnia, quanto plus amantur, tanto longius aberrare faciunt à vero ſcientiæ lumine,iſta quærentem,velut ebrius domum,quo tramite reuertatur,ignorat.

D. Fatemur ſcilicet,nos beatitudinem amaſſe: ſed, ſi quæ poſſit in hoc ſeculo eſſe,ignoramus.

M. Eſt enim mentibus hominum veri boni naturaliter inſerta cupiditas: ſed ad falſa quædam plurimos eorum, deuius error abducit. quorum quidem alii, maximam felicitatem diuitiis abundare *credunt:alii honoribus gaudent: alii potentia congratulantur: alii voluptatibus delectantur:alii, laudibus inhiant. Quæ diligentius conſiderata, tantis implicantur calamitatibus, vt vix aliquid beatitudinis habere videantur. hæc enim ſibi ſomniantes, veram aliqui felicitatẽ fore exiſtimant: &, dum eos, ad verum bonum naturalis ducit intentio, multiplex tamen error, propter ignorantiam abducit.

*mſ. credentes, mendoſè.

D. Quis ſanum * ſapiens, hæc eſſe tranſitoria ignorat? tamen huius vitæ viatorem horum abundantiam adiuuare quis neſciat?

*hellenismo oratio propior: eſt εὐφρονῶν.

M. Moderatus eorum vſus adiuuat, nimius grauat, vnde & philoſophicum illud valet elogium; Ne quid nimis.

D. Notum eſt,omnia nimia, nocere. Sed vſque ad quem finem eorum, eſt, quam paulo ante numeraſti, abundantia petenda?

M. Quantum neceſſitas corporis exigit:& quantum ſapiẽtiæ expoſtulat ſtudium.

D. Perfectorum eſſe arbitramur huius rationis frenis, animarum (*currus coërcere.

*fort. curſus legendum.

M. Ad hanc ſcilicet perfectionem, dum ætas floret, dum animus viget, vos filii, cohortor.

D. Duc age,& reduc per diuinas vias rationis, & ad huius cacumen perfectionis transfer. Nam licet impari greſſu te ductorem ſequimur.

M. Quid homo, rationale animal, meliore parte immortalis, tui cõditoris imago: quid propria perdis? quid aliena petis? cur infima quæris,& ſumma relinquis?

D. Quæ ſunt propria, vel quæ aliena?

M. Aliena ſunt, quæ extra quæruntur, vt diuitiarum congregatio. *Intra, ſapientiæ decus. Igitur, tu, ô homo, ſi ipſius compos eris, poſſidebis, quod nec vnquam amittere dolebis, nec vlla tibi fortuna auferre valebit. Quid igitur ô mortales extra petitur, dum intra habetis, quod quæritis?

*interiorum fortè leg.

D. Felicitatem quærimus.

M. Benè quæritis, ſi manentem quæritis, & non fugientem. Videtis, quam multis amaritudinibus terrena felicitas adſperſa eſt; quæ nulli, vel tota proueniet, vel fida permanet, quia nil non mutabile præſentis vitæ inueniri poteſt. Quid pulcrius luce? & hæc, tenebris ſuccedentibus obfuſcatur. Quid floribus venuſtius æſtatis? tamen hiemalibus frigoribus pereunt? quid ſalute corporis ſuauius? & quis hanc perpetuam habere confidit? quid tranquilla pace iucundius? & *tamen ſæpè hæc triſti diſcordiarum fomite irritatur.

*m. ſ. quã, mendoſè.

D. Hæc omnia ſic ſe habere, ſicut dicis, non dubitamus: ſed quorſum iſta?

M. Vt ex maioribus minora *cognoſcitis.

*fortè leg. cognoſcatis

D. Quonam modo?

M. Si cœlum, terraque ſuis ſemper viciſſitudinibus mutantur generalis omnium pulcritudo, & *vtilitas: quanto magis cuiuslibet rei ſpecialis, delectationem tranſitoriam eſſe neceſſe eſt. Et cur ea amari debent, quæ permanere nequeunt? Quid vos homines, de nominis laude? de honoris dignitate? de diuitiarum congregatione cogitatis? Legiſtis Crœſi diuitias, Alexandri famam, Pompei honorem? Et quid hęc perituris proderunt? dum quiſq; illorum immatura morte, cum magno quæſitam labore, citò perdidit gloriam minuit quodammodo propriæ integritatem ſcientiæ, qui ex alienis ſibi ſermunculis laudem quærit. Quid de diuitiis congregandis ſtudetis, quæ vel deſerunt, vel deſeruntur? quæ effundendo, quàm ſeruando melius ditant. Siquidem auaritia odioſos; claros, largitas facit. quarum abundantia, non niſi ex aliorum indigentia congeritur. Quid honores, fomenta ſuperbiæ, quæritis? Nonne vnus eſt omnium pater? Et cur iniuriam facitis conditori veſtro, peiora amando, & meliora amittendo? Ille, genus humanum terrenis omnibus præſtare voluit. Vos, dignitatem veſtram intra infima quæque detruditis. quanto melius eſt, interius ornari, quàm exterius animam perpetuam, ſplendore polire.

*m. ſ. fugaci atro.

D. Quæ ſunt animæ ornamenta?

M. Primò omnium ſapientia, cui vos maximè ſtudere cohortor.

D. Vnde ſcimus ſapientiam eſſe perpetuam? Et, ſi hæc omnia, quæ antè numeraſti tranſitoria ſunt, cur non & harum ſcientia pertranſit?

M. Animam putatis eſſe perpetuam?

D. Nos

D. Non ſolùm putamus, ſed etiam certiſſimè ſcimus.

M. Eſtne ſapientia decus, & dignitas animæ?

D. Eſt verè. *

M. -

D. Conſequens videtur vtranque eſſe perpetuam, animam ſcilicet & ſapientiam.

M. Videtis ne quolibet caſu ſæpiſſimè diuitias habētem deſerere, & omnes ſeculi honores multoties minui?

D. Videmus itaque vti ne regni quidem potentia perduret.

M. Quid diuitiæ ſine ſapientia?

D. Quod corpus ſine anima: Salomone dicente: *Quid proſunt diuitiæ ſtulto, cum ſapientiam emere non poßit.*

M. Nonne hæc eſt, quæ humilem exaltat, & erigit de ſtercore pauperem, vt ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat?

D. Eſt quidem, ſed quàm ſpecioſa in habendo, tam laborioſa in adquirendo.

M. Quis miles ſine certamine coronabitur? quis agricola ſine labore abundat panibus? Nonne vetus prouerbium, radices literarum eſſe amaras, fructus autem dulces. Igitur & noſter orator in Epiſt. ad Heb. idem probat. Omnis quidem diſciplina in præſenti non videtur eſſe gaudii, ſed mœroris; poſtea pacatiſſimum fructum exercitatis in ea adfert iuſtitiæ.

D. Duc age, quo libeat, ſequimur libenter. quia ſpes præmii ſolet laborem releuare. Omnis quippe, qui arat, in ſpe arat percipiendi fructus. Fertur itaq; * dum Diogenes magnus ille Philoſophus, omnes ſuos à ſe expulit diſcipulos dicens: Ite, quærite vobis magiſtrum, ego verò mihi. Cui ſolus Plato adhærens, *quadam die lutulentis pedibus ſuper exſtructum Magiſtri lectulum cucurrit, adſidere doctori, quem Diogenes baculo ferire, minabatur, cui puer inclinato capite reſpondit. Nullus eſt tam durus baculus, qui me à tuo ſegregare poſſit latere. At ſi ille, amore ſecularis ſapientiæ flagrans, cœleſtis verò, quæ ad vitam ducit perpetuam, ignarus, ſic ardenter Magiſtrum ſequi perſiſtebat, quanto magis nos, tua Magiſter, ingredientem vel egredientem, veſtigia ſequi debemus, qui non ſolum literario nos liberalium ſtudiorum itinere ducere noſti, ſed etiam meliore ſophiæ *via, quæ ad vitam ducit æternam, *. . . . poteris.

M. Diuina nos præcedat gratia. & in theſauros ſpiritalis deducat

*Hic propè tres verſus eraſi. noua manu, ſed mēdoſa inducta. lacuna igitur eſto, dum m. ſ. alius reſtituat auctorem nitori priſtino.

cum ſ. leg.

in m. ſ. & inculcatur fruſtra. Diog. Laert. habet, de Antiſthene.

*in m. ſ. omnia corrupta.

ſapientiæ, in qua diuinæ vbertatis fonte inebriati, vt ſit in vobis fons aquæ ſalientis in vitam æternam. ſed quia Apoſtolo præcipiente legimus: Omnia veſtra honeſta cum ordine fiant, vos per quoſdam eruditionis gradus, ab inferioribus ad ſuperiora eſſe ducendos reor, donec pennæ virtutum paulatim adcreſcant, quibus ad altiora puri ætheris ſpectamina volantes, dicere valeatis: Introduxit nos rex in cellaria ſua, exultabimus & lætabimur in eis.

Ioan. 4.

Cant. 1.

D. Da dexteram Magiſter, & nos ab humo imperitiæ eleua: & in gradus ſophiæ nos tecum conſtitue, in quibus te ex morum dignitate, ex verborum veritate ſæpius conſiſtere agnouimus. Quo te rerum ratio pulcherrima ab ineunte, vt audiuimus, ætate, perduxit; &, ſi Poëticis licet aures accommodare fabulis, nobis non incongruum videtur, quod aſſerunt, epulas Deorum eſſe rationes.

M. Verius, ô filii, dicere poteſtis, rationes eſſe Angelorum cibum, animarum decorem, quàm epulas Deorum.

D. Quoquo modo hæc dici debeant, primos precamur nobis ſapientiæ *oſtendi gradus, vt Deo donante, & te docente, ab inferioribus ad ſuperiora peruenire valeamus.

M. Legimus, Salomone dicente, per quem ipſa ſe cecinit: ſapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem. quæ ſententia licet ad diuinam pertineat ſapientiam, quæ ſibi in vtero virginali domum, id eſt, corpus ædificauit, hanc & ſeptem donis S. Spiritus confirmauit; vel Eccleſiam, quæ eſt domus Dei, eiſdem donis illuminauit; tamen ſapientia liberalium literarum ſeptem columnis confirmatur: nec aliter ad perfectam quemlibet deducit ſcientiam; niſi his ſeptem columnis vel etiam gradibus exaltetur.

** in ſic oſtendere, mendoſè. niſi prætermiſſum ſit, te. Prou. 7.*

D. Tandem aliquando pande, quod promiſiſti, & propter fragilitatem noſtræ ætatis nos mollioribus incipe lactare, vt ad ſolidiora, creſcente ætate, facilius perueniamus.

M. Diuina præueniente etiã, & perficiente *gratia faciã quod rogaſtis, vobiſq; ad videndum oſtendam ſeptem Philoſophiæ gradus. Per eos deniq;, Deo donante, & vita comite, pro noſtrarum portione virium, penes temporis, & ætatis opportunitatem ad ſublimiora ſpeculatiuæ ſcientiæ deduxero.

** deſideramur in m. ſ.*

D. Duc etiam, duc, & tandem aliquando de nidulo ignauiæ, in ramos tibi à Deo datæ ſapientiæ compone: vnde aliquod veritatis lumẽ cernere valeamus: & quos toties promiſiſti, ſeptenos theoraſticę diſciplinæ gradus nobis oſtende.

M. Sunt

M. Sunt igitur gradus, quos quæritis; & vtinam tam ardentes ſitis ſemper ad diſcendum, quàm curioſi modò eſtis ad videndum: Grammatica: Rhetorica: Arithmetica: Geometria: Muſica: & Aſtrologia. Per hos enim Philoſophi ſua contriuerunt otia, atq; negotia. Iis namque conſulibus clariores effecti: iis regibus celebriores: iis videlicet æterna memoria laudabiles: iis quoq; Sancti, & Catholici noſtræ fidei Doctores, & defenſores, omnibus hæreſiarchis, in contétionibus publicis ſemper ſuperiores exſtiterunt.

Per has verò, filii chariſſimi, ſemitas, veſtra quotidiè currat adoleſcentia, donec perfectior ætas, & animus, ſenſu robuſtior, ad culmina ſanctarum ſcripturarum perueniat. quatenus hinc, inde armati veræ fidei defenſores, & veritatis adſertores omnimodis inuincibiles efficiamini.

SAXO, FRANCO, DISCIPVLI, MAGISTER.

FVerunt in ſchola Albini Magiſtri duo pueri: Vnus Franco, alter Saxo, qui nuperrimè ſpineta Grammaticæ denſitatis irruperunt. Quapropter placuit illis, paucas literalis ſcientiæ regulas memoriç cauſa, per interrogationes, & reſponſiones excerpere.

At prior illorum Franco dixit Saxoni. Eia Saxo, me interrogante, reſponde, quia tu maioris es ætatis. Ego XIV. annorum: tu, vt reor, XV. Ad hæc Saxo reſpondit, faciam. Ita tamen, vt ſi quid altius ſit interrogandum, vel ex Philoſophica diſciplina proferendum, liceat Magiſtrum interrogare.

Ad hæc Magiſter: Placet filii propoſitio veſtra: & libens annuo veſtræ ſagacitati. & primum dicite, vnde veſtram conueniẽtius diſputationem eſſe arbitramini incipiendam?

D. Vnde, domine Magiſter, niſi à litera?

M. Bene arbitraremini, ſi non Philoſophiæ memoriã paulo prius feciſſetis. Vnde à voce, cuius cauſa, literæ ſunt inuentæ, inchoandam diſputationem conſtat, vel magis, primo omnium interrogandum eſt, quibus modis conſtet diſputatio.

D. Et à te, Magiſter, ſuppliciter rogamus exponi. Nam nos neſcire confitemur, quibus modis conſtet diſputatio.

M. Tria ſunt, quibus omnis collocutio, diſputatioq; perficitur.

RES,

RES, INTELLECTVS, VOCES. Res ſunt, quæ animi ratione percipimus. Intellectus, quibus res ipſas addiſcimus. Voces, quibus res intellectas proferimus; cuius cauſſa, vt diximus, literę inuentæ ſunt.

D. Sed quia diſputationis modos dixiſti; vocis differentias, vt exponas, precamur.

M. Quatuor ſunt differentiæ vocis. Articulata: inarticulata: literata: illiterata. Articulata eſt, quæ copulata, atq; coarctata cum ſenſu profertur: vt, Arma, virumq; cano ---- Inarticulata, quæ à nullo ſenſu proficiſcitur, vt crepitus, mugitus. Literata, quæ ſcribi poteſt. Illiterata, quæ ſcribi non poteſt.

D. Vnde dicta vox eſt?

M. A vocando. Ecce habetis, quæ interrogaſtis. Nunc à litera incipite filii.

F. Dic Saxo prior, vnde litera ſit dicta?

S. Vt reor, litera, eſt quaſi legitera: quia legentibus iter præbet.

F. Da definitionem quoq;.

S. Litera, eſt pars minima vocis articulatæ.

D. Habet, & Magiſter, alteram definitonem, litera?

M. Habet: ſed in eundem cadentem ſenſum. Litera, eſt indiuidua: quia ſententias, in partes: partes in ſyllabas: ſyllabas in literas diuidimus. Literæ verò indiuiſibiles ſunt.

D. Vnde literæ elementa dicuntur?

M. Quia ſicut elementa coëuntia corpus perficiunt; ſic hæ conglutinatæ literalem vocem componunt.

F. Da collega diuiſionem literarum.

S. Sunt aut vocales, aut conſonantes. Item conſonantes diuiduntur in ſemiuocales & mutas.

F. Rationem pone ſingulis diuiſionibus.

S. Vocales per ſe proferuntur, & per ſe ſyllabam faciunt. Conſonãtes nec per ſe edici poſſunt, nec per ſe ſyllabam facere.

D. Habent ne, Magiſter, alteram rationem, cur ſic diuidantur?

M. Habent. Vocales ſunt ſicut animæ: conſonantes ſicut corpora. Anima verò & ſe mouet, & corpus. Corpus verò immobile eſt ſine anima. ſic ſunt conſonantes ſine vocalibus. Nam ſcribi poſſunt per ſe, edici verò, vel poteſtatem habere, ſine vocalibus nequeunt.

F. Vnde dictæ ſunt vocales, vel conſonantes?

S. Vocales dictæ ſunt, quia per ſe vocem impleant, nulla adhærente conſonante. Conſonantes vocatæ ſunt, quia per ſe non ſonant, ſed vocalibus conſonant.

F. Quæ

F. Quæ eſt differentia inter ſemiuocales & mutas?

S. Quantum enim à vocalibus ſuperantur ſemiuocales; tantum ſemiuocales ſuperant mutas. Nam à vocalibus incipiunt, & in ſe deſinunt: & maiori euphonia ſonant, & ſæpius dictiones ſemiuocalibus, quàm mutis, propter euphoniam, id eſt, ſonoritatem finiuntur. Mutæ verò à ſe incipiunt, & in vocales deſinunt, & deformius ſonant.

F. Vt reor, in Donato legimus, tria accidiſſe literis: Nomen, figurã, poteſtatem. De nominibus, & figuris non eſt opus dicere; ſed de poteſtate velim dicas, & primo vocalium.

S. Vocales ſunt apud Latinos V. Nam y literam ſextam vocalem, cauſa Græcorum nominũ aſſumpſêre Latini. ſicuti & Z conſonantẽ. Itaq; vocales & per ſe, vt dictum eſt, faciunt ſyllabas: plenas quoque ſolæ poſitæ, explent partes,

A; vt, A mihi non teneras glacies ſecet aſpera plantas.

E. vt, ---- ſitiens ſimul ebibit amnem.

O. vt O ſi Gallorum victor remeaſſet in vrbem.

I. quoq; verbum eſt: I, decus, i noſtrum melioribus vtere fatis.

Sed I & V tranſeunt in conſonantium poteſtatem, cum in principio ſyllabæ aliis vocalibus iunguntur: vt ianua, vates, iecur, veritas, Ionas, votum. Vel ſi ſibiipſis anteponuntur, vt Iuno, virgo. Fiunt quoq; hæ ipſæ mediæ quando y Græcæ vocalis ſonum habent. quando poſt V loco conſonantis poſitæ, ſequente d, vel m. vel r, vel t. vel x. video, vim, virtus, vitium, vix. V. eundem habet ſonum, id eſt, y, cum inter q. & aliam vocalem, vel poſt g, & aliam vocalem in eadem ſyllaba: vt quiſq;, pingue, lingua. Eſt quoq; vbi I pro duabus ponitur conſonantibus, vbi inter duas vocales ponitur, vt Troia, Maia. V quoque loco duplicis digammæ in quibuſdam locis accipitur, vt cupii, breuis i, cupiui, longa. & vbicunq; v loco conſonantis ponitur, ſemper pro digamma habenda eſt.

F. Habent ne aliquæ ex conſonãtibus aliquas ſingulares poteſtates?

S. Habent. Primò, quod vnaquæq; ſuã habet poteſtatẽ, ſicut & nomen & figuram. Sunt aliquæ ex illis liquidæ, quæ & vim conſonantium amittunt. Accentus quoq; ſæpe in proſa mutant.

F. Quæ ſunt illæ?

S. L. R. M: N. ſed & S. quoq; ſingularis eſt poteſtatis. h quoque aſpirationis nota. x verò & z duplices ſunt; ſed has rationes metricæ ſubtilitatis eſſe reor, in quibus necdum eruditi ſumus. Ideo noli me de illis plus interrogare, ſed feſtinemus ad ſyllabas.

Digitized by Google

INCIPIT DE SYLLABA.

F. Syllaba quid eſt?

S. Vox literalis ſub vno accentu, & vno ſpiritu prolata.

F. Quot literis fiunt ſyllabæ?

S. Ab vna incipiens vſq; ad ſex. A, Ab, abs, Mars, ſtans, ſtirps.

F. Habet ſyllaba ſenſum per ſe?

S. Non habet, & niſi plena dictio per vnam ſyllabam conſtet, vt an, do, dic, & alia.

*m:ſ. accedunt ſcribit,

F. Syllabæ quot *accidunt?

S. Quatuor. Tenor, ſpiritus, tempus, numerus. Accentus, acutus, grauis, circumflexus. In dictione, certus: abſq; dictione, incertus. Non poteſt tamen ſine eo eſſe.

Spiritus, aſper, vel lenis.

Tempus I. vel II.

Numerus literarum.

F. Quomodo habet ſyllaba vnum tempus, vel duo?

S. Breuis ſyllaba vnum habet, longa, duo.

F. Quomodo fiunt breues vel longæ?

S. Breues fiunt natura & poteſtate.

Breuis eſt natura, dum raptim vocalis enunciatur, vt pater.

Longa, dum moratur vox, vt mater: vel dum duæ vocales in vnam concurrunt ſyllabam, quod diphthongon vocant.

*m. ſ. diptongon mend.

*ſimiliter mend. m.ſ.

Et ſunt tales compoſitiones quinq;, æ, oe, au, eu, ei.

F. Vnde dicitur *diphthongos?

S. Quaſi dualis vox. Nam quoties duarum vocalium voces in vnam ſyllabam, & in vnam vocem coëunt, *diphthongos dicitur.

F. Quot modis fiunt ſyllabæ poſitione longæ?

S. Sex. Cum correpta vocalis in duas deſinit conſonãtes, vt aſt. Aut in vnam duplicem, vt dux. aut in vnam deſinit conſonantem, & excipitur ab altera, vt arca. aut excipitur ab x. duplici, vt axis, aut j loco cõſonantis poſita, vt Troja. aut deſinit in conſonantem, excipitur ab i vel u, loco conſonantis poſitæ, vt aduena, adiutor.

*Aro vnam. an,

F. *Si neceſſe eſt vnamquamq; ſyllabam longã eſſe vel breuem.

S. Sunt ſyllabæ communes, quæ ad votum Poëtarum poſſunt vel breues, vel longæ eſſe. Sed hæc quia ad metricos pertinẽt, relinquamus.

F. Magis interrogemus Magiſtrum, ne ignari ſimus huius quoque rationis.

Digitized by Google

D. Dic nobis, Magiſter, qua ratione, vel quibus modis, communes poſſunt eſſe ſyllabæ.

M. Nouem modis fiunt ſyllabæ communes. Communes ſunt, cum correpta vocalis in medio verbo excipitur à duabus cõſonãtibus, quarum prior muta quælibet eſt, vel f. ſemiuocalis: poſterior liquida, vt tenebræ, pharetra, refluit. Aut, cum correpta vocalis in cõſonantem deſinit, excipitur ab h., vt vir humilis. Aut cũ aliqua ſyllaba in breuẽ deſinit vocalem: et excipitur à duabus conſonantibus, quarũ prior eſt. ſ. vt alba ſmaragdus. aut cum poſt pedem quemlibet, vna breuis remanſerit ſyllaba, de verbo: vt, Omnia vincit amor, et nos cedamus amori. Aut cũ pars aliqua in diphthongon deſinit, & excipitur à vocali ſequentis verbi, vt Inſulæ Ionio ---- Aut cum productam vocalem in eodem verbo mox alterius ſyllabæ ſequitur vocalis, vt fidei. Aut cum pronomen c. litera terminatum eſt, & à vocali ſequentis verbi accipitur, vt hoc eſt. Aut cum correptam vocalem in vna parte z. duplex ſequitur, vt gaza. Item nouiſſima ſyllaba in metro, ſemper indifferens eſt, & voluntati Poetæ ſubiecta eſt. Eſt quoq; quando in tribus conſonantibus fit cõmunis ſyllaba, dum in breuem vocalem deſinit ſyllaba, & excipitur ab ſ. ſequente muta, & liquida, vt Horat.

Linquimus inſani ridentes præmia ſcribæ. Plenius hæc, vita comite, in metrica ratione, vobis, filii, monſtrauero.

D. Quid vis, Magiſter? an de pedibus, & accentibus, ordinem Donati Magiſtri ſequentes interrogamus?

M. Amplius hæc quoq; in illa metrorum ſubtilitate intelligetis. quia pedes vel accentus, niſi ex breuibus, longiſq; ſyllabis nequeunt intelligi. Vnde ad partes vos conuenite.

D. Prius, ſi placeat, Magiſter, vnde Grammatica ſit dicta, vel quod ſit eius officium, pande nobis.

M. Grammatica eſt literalis ſcientia: & eſt cuſtos rectè loquendi & ſcribendi. quæ conſtat natura, ratione, auctoritate, conſuetudine.

D. In quot ſpecies diuiditur Grammatica?

M. In XXVI. In vocem: in literas: ſyllabas: partes: dictiones: orationes: definitiones: pedes: accentus: poſituras: notas: orthographiæ: analogiæ: etymologiæ: gloſſas; differentias: barbariſmum: ſolœciſmũ: vitia: metaplaſmum: ſchemata: tropos: proſam, metra: fabulas: hiſtorias.

D. De iſtis ſingulis ſpeciebus, antequam ad partium tendamus diſputationem, aliquam cognitionem ediſſere nobis, Magiſter, per ſingula currens.

Digitized by Google

M. Nam de voce litera, & ſyllaba in ſuperioribus habuiſtis.

Dictio, pars minima eſt vocis conſtructæ, plenumq; ſenſũ habẽs.

Oratio eſt ordinatio dictionum, congruam ſententiam, perfectamque demonſtrans: & eſt oratio dicta, quaſi oris ratio.

Definitio, eſt breuis oratio, vnãquãq; rem propria ſignificatione cõcludẽs, vt homo, animal eſt mortale, rationale, riſus capax.

Scire igitur debetis, ꝙ definitio ad omnes diſciplinas, & res ꝑtinet.

Pes, eſt ſyllabarum compoſitio, & temporum certa dimenſio. Pedes dicti, eo quod ipſis metra ambulent.

Accẽtus, eſt certa lex & regula ad leuandã & cõprimẽdã ſyllabam.

Poſituræ, ſunt puncti, ad diſtinguendos ſenſus.

Notæ, ſunt figuræ q̃dã, vel ad breuiãda verba inuentæ: vel ſenſus exprimendos: vel ob diuerſas ccauſſas onſtitutæ, vt in ſcriptura ſacra
m ſ. obolus mendoſè. * obelus, vel aſteriſcus.

Orthographia, eſt recta ſcriptura, vt puta, ad, ꝓpoſitio, d. accipiat.

Analogia, eſt ſimilium comparatio, vt incerta certis probentur.

Etymologia eſt origo, & ratio vocabulorum, vt à regendo rex, & ab humo homo dicitur.

Gloſſa, eſt vnius verbi, vel nominis interpretatio, vt catus i. e. doctꝰ.

Differẽtia eſt diſtinctio duarũ rerũ, cũ interpretatione, vt Rex dicitur, quia modeſtus eſt; Tyrannus, quia crudelis.

Barbariſmus eſt, vna pars vitioſè dicta. Vulgare prouerbiũ eſt; malæ arboris nodo, malus cuneus q̃rendus eſt.

Solœciſmus, eſt oratio vitioſè compoſita.

Vitia ſunt, quæ in eloquiis cauere debemus, & ſunt VII.

Metaplaſmus, eſt metrica licentia, vel neceſſitate immutata regula loquutionis.

Schemata ſunt ornamẽta eloqui, & habitus, quibus ſẽtẽtię veſtiũtur.

Tropus, eſt dictio tranſlata à propria ſignificatione, ad non propriam ſimilitudinem, ornatus, neceſſitatiſue cauſſa.

Proſa, eſt recta locutio, abſq; metro, vel verſu compoſita.

Metra vocata ſunt, quia certis pedum menſuris terminantur.

Fabulæ, res fictæ, ludendi cauſa, vel cuiuslibet ſignificationis.

Hiſtoria, eſt narratio rei geſtę.

Ecce habetis definitiones breues ſingularum ſpecierum. Nunc ad partes conuertite vos.

D. Faciemus, vt iubes. Attamen ſingularum partium proprietates prius breuiter, vt pandas nobis, flagitamus.

M. Ve-

Digitized by Google

M. Veſtra curioſitas modum non habet. ideoque modum * manualis libelli excedere vultis.

*m. ſ. manuale, mendosè.

Proprium nominis eſt ſubſtantiam, vel qualitatem, vel quantitatem ſignificare.

Et proprium eſt Pronominis pro nomine poni proprio, & certas ſignificare perſonas.

Verbi verò proprium eſt, actionem, vel paſſionem, ſiue vtrumque cum modis, & temporibus ſignificare.

Proprium Aduerbii eſt, cum verbo poni: & ſine eo perfectam ſignificationem non habere, vt benè lego.

Participii proprium eſt, tempus habere, & caſus; ideò à quibuſdam verbum caſuale dicitur.

Proprium Coniunctionis eſt, cum omnibus partibus modò præpoſita, modò poſtpoſita iungi, & coniungere partes.

Proprium præpoſitionis eſt, anteponi caſualibus ſemper ſeparatim.

DE NOMINE.

F. Eia, agè Saxo, ingrediamur diſputationem nominis per ordinem. & primùm dic, quid ſit nomen?

S. Nomen eſt pars orationis ſecundũ Grammaticos, quæ vnicuiq; corpori, vel rei communem vel propriam qualitatem diſtribuit; & eſt nomen dictum, quaſi notamen, eò quod hoc notamus ſingulas ſubſtantias, vel res communes: vt homo, diſciplina.

Proprias, vt Virgilius, Arithmetica.

Interrogemus tamen ô France, Magiſtrum, Philoſophicam definitionem nominis.

M. Nomen, vox ſignificatiua, ſecundum placitum, ſine tempore definitum, aliquid ſignificans in nominatiuo cum eſt, aut non eſt: vt homo eſt, homo non eſt.

In caſibus licet addas eſt, vel non eſt, nihil tamen certum ſignificat, ſi non apponas quid ſit, vel quid non ſit: vt hominis eſt, hominis non eſt.

Secundum placitum, id eſt, compoſitionem ſingularum gentium.

Sunt nomina compoſita, vt quod latinè dicis, aurum, hoc græcè χρυσός dicitur. Vna eſt ſubſtantia: ſed diuerſa nomina.

F. Quot accidunt nomini?

S. Sex, ſecundum Donatum, Qualitas, comparatio, genus, numerus, figura, caſus.

Digitized by Google

Secundum Priſcianum quinque. quia ille qualitatem, & comparationem ſimul ſpecies nominauit. quia ſunt omnia nomina propriæ ſpeciei, vel appellatiuæ: principalis, vel deriuatiuæ. Propriæ, vt Iulius, Appellatiuæ, vt mons. Principalis, vt Iulius, mons. Deriuatiuæ, vt Iulianus, montanus. In quibus, id eſt, deriuatiuis, comparationes nominum impoſuit.

F. Propriorum nominum ſpecies quot ſunt?

S. Quatuor. Prænomen, nomen, cognomen, agnomen.

Prænomina ſunt, quæ dignitatis vel differentiæ cauſa propriis nominibus præponuntur, vt Anicius, Boetius. Anicius à nobilitate, & libertate generis dicitur. Differentiæ, vt, Lucius Cornelius, & * Publius Cornelius. Notanturque Prænomina, vel ſingulis literis, vel binis, vel ternis. Singulis, vt M. Marc⁹. Binis, vt * Cn. Cneus. Ternis, vt Sex. Sext⁹.

* m. ſ. Publius.

* GN. GNEVS, m. ſ. mend.

Nomen, eſt vniuſcuiuſq; proprium, vt Paulus.

Cognomen eſt cognationis, vel familiæ commune nomen, vt Scipio. Nam ab eius nomine, omnis cognatio illa ſic dicebatur.

Agnomen, quod ab aliquo euentu ſic dicitur, vt African⁹; quia Africam * vincebat.

* vicerat fortè leg.

F. Appellatiuorum ſpecies quot ſunt?

S. Multæ ſunt. Alia corporalia, vt homo, terra, mare.

Alia incorporalia, vt pietas, dignitas, iuſtitia.

Alia principalia, vt mons, ſchola.

Alia deriuatiua, vt montanus, ſcholaſticus.

Alia comparatiua, vt fortior, fortiſſimus.

Alia denominatiua, vt ſanctus, ſanctitas, ſapiens, ſapientia.

Alia diminutiua, vt Rex, regulus.

Alia homonyma, vt nepos, acies.]

Alia ſynonyma, vt gladius, enſis, mucro.

Alia adiectiua, quæ poſſunt in laude, vel vituperatione poni, vt iuſtus homo, iniuſtus homo.

Alia in medio poſita, vt magnus. dicimus magnus Imperator: magnus latro.

Hæc & accidentia ſæpè fiunt: vt niger coruus, altum mare.

Alia, ad aliud, vt filius, ſeruus. dicendo filium, & ſeruum, patrem ſignificamus, & dominum.

Alia ſunt, quaſi ad aliquid: vt dies, nox: dextera, ſiniſtra. nam quamuis vnum horum intereat, poteſt tamen alterum manere. non ſic de filio, & ſeruo.

Alia

Alia ſunt gentem ſignificantia, vt Græcus, Hiſpanus.

Alia, patriam, vt Romanus, Thebanus.

Alia interrogatiua, vt, qualis, quantus, quot? cum ſuos ſeruant accentus.

Alia relatiua, vt tantus, talis, tot.

Alia collectiua, quæ in ſingulari numero multa ſignificant, vt populus, plebs.

Alia, diuidua, vt bini, terni, centeni.

Alia factitia, id eſt de ſono facta, vt tintiñabulum, turtur, * clãgor. *m.ſ. clãgor, mendosè.

Alia ſunt generalia, quæ in diuerſas ſpecies poſſunt diuidi, vt animal, arbor.

Alia ſpecialia, vt homo, vitis.

Alia ordinalia, vt primus, ſecundus.

Alia numeralia, vt unum, duo, tres.

Alia abſoluta, vt DEVS, ratio,

Alia temporalia, vt menſis, annus.

Alia localia, vt propinquus, longinquus.

Alia patronymica, vt Scipiades, à Scipione, Theſides, à Theſeo, Hæc ſæpe ab auis fiunt, & à Conditoribus, vt Illiades, Æneades.

Sunt alia poſſeſſiua, quæ aliquid ex his ſignificant, quæ poſſidentur, vt Euandrius enſis, & regius honor. hæc cum genitiuo principali interpretantur, vt, Euandrius enſis, & regius honor.

Sunt & aliæ ſpecies, quas Donatus ponit, ſed illæ, in his reperiuntur, vt qualitas, quantitas, In Adiectiuis, & accidentibus inueniuntur, bonus, magnus, mediæ ſunt * ſignificationis. * ſignificationes, mendosè, in m.ſ.

F. Comparationes nominum unde veniunt?

S. A nominibus adiectiuis, & accidentibus alicuius ſubſtantiæ, qualitatem, vel quantitatem animi ſignificantibus, vel corporis. quæ poſſunt vel incrementa, vel detrimenta ſumere. Homo, vel lapis, ſubſtantia eſt. Homo prudens, & prudentior: lapis magnus, & maior dicitur.

Et ſemper Comparatiuus communis eſt generis, vt hic & hæc prudentior. Et neutrum in ius, vt, Hoc prudentius facit.

Inuenitur & Comparatiuus pro Poſitiuo poni, vt Virgil. ——— comites ſenioris Aceſtæ, pro ſenis. Eſt, quando minus Poſitiuo ſingulari ſignificat, & nulli comparatur: vt Virgil. Triſtior, atq; oculos lacrimis ſuffuſa nitentes. Triſtior, hîc ex parte ſignificat triſtem.

Fiunt

*m.ſ.abſolute.

Fiunt & à comparatiuis diminutiua, vt maiuſcul⁹, minuſculus. Sed non* abſolutè, vt cæteræ diminutiones, ſed ad aliquid reſpiciunt: vt Terent. Vt Thais paulò quàm ego ſum maiuſcula eſt.

F. Cuius generis Superlatiuus fit?

S. Superlatiuus mobilis eſt per tria genera. Prudentiſſimus, a, um.

F. Superlatiuorum quot ſunt ſpecies?

S. Octo. Simus, rimus; in quas pleraque deſinunt Superlatiua. Limus, ximus, timus, tremus, imus, nimus. Sanctiſſimus, pulcherrimus, ſimillimus, maximus, vltimus, extremus, minimus.

E longa; dum vbique i penultima corripitur: præter primus, imus.

F. Comparatiuus, & Superlatiuus, quibus iunguntur caſibus?

S. Ablatiuo vtriuſque numeri iungitur Comparatiuus: vt Hector, fortior Diomede fuit, & audacior Troianis. Superlatiuus genitiuo plurali, vt, Hector fortiſſimus Troianorum fuit.

*m.ſ. genere, mendosè.

Inuenitur quoque & ſingulari iungi* generi, cùm ipſum ſingulare nomen multitudinem ſignificat: vt, Hector fortiſſimus eſt Troianæ gentis.

Eſt, quando Superlatiuus per ſe ponitur, & nulli comparatur. Sed tum pro valdè Aduerbio accipiendum eſt, vt Fortiſſimus fuit Hercules, id eſt, valdè fortis.

F. Memini te, Saxo, dixiſſe; quod aliqua nomina appellatiua, eſſent diminutiua: num à propriis Nominibus poſſint fieri diminutiua?

S. Poſſunt, vt, à Sergio, Sergiolus. ab Antonio, Antoniaſter.

S. Quot modis, diminutiua ſunt?

S. Tribus modis. aut neceſſitatis cauſa: vt, à rege, regulus, hoc eſt, paruus rex. vt Saluſt. Poſtquam reguli coire in vnum. Aut, vrbanitatis cauſa: Iuuenalis, —*malim fraterculus eſſe gigantum. Aut adulantis cauſa, vt pueris Sergiolis.

*m.ſ. turbido, turbatoq; ordine, vitioſeq; malim eſſe fraterc. &c.

F. Formæ igitur diminutiuorum quot ſunt?

S. Maſculini generis, XI. culus, ulus, olus, ellus, xillus, illus, ulus, cio, aſter; vt, agniculus, tantulus, capreolus, agnellus, pauxillus, codicillus, homulus, homuncio, paraſitaſter, aculeus, nepotulus.

Feminini generis VII. cula, ula, ola, ella, xilla, illa, ulla; vt. agnicula, ſyluula, vnciola, capella, maxilla, anguilla, vlla.

Neutrorũ, VII. ſunt formæ: culum, ulum, olum, ellum, illum, xillum, ullum; vt, corpuſculum, capitulum, lauriolum, lucellum, villum, vexillum, vllum.

Fiunt & diminutiuorum diminutiua tertio, vel quarto gradu: vt,

Pau-

Digitized by Google

Paulus, Paululus, & pauxillus, & pauxillulus, homo, homuncio, homunculus, homulus, homullulus.

Ecce, France, de Appellatiuis ſpeciebus, habes abundè, vt reor, licet nullus tuæ auiditati poſſit ſatisfacere.

F. Non ſum tàm auidus, quàm tu inuidus: qui nulla vis aperire, niſi interrogatione coactus.

S. Interroga quæ vis: ego non ero ſegnis reſpondere.

DE GENERIBVS.

F. Nunc, vt æſtimo, ordo accidentium nominis poſcit à generibus inquirere: vnde, genera dicta ſint, primò velim ſcire.

S. Genera dicta ſunt à generando. quapropter propriè genera ſunt, quæ generare poſſunt: id eſt, maſculinum, femininum. Nam neutrũ, & commune, modò vocis qualitate, quàm natura dinoſcuntur. Epicœna, promiſcua ſunt: & ſub vna voce maſculinum profertur, & femininum.

F. Quid eſt inter commune, & epicœnum?

S. Quod cõmune modò maſculino, modò fœminino articulo, prout conſtructio orationis eget, iungitur. Epicœnon ſemper vno articulo profertur, & vtriuſq; naturæ animalia vna voce, & vno articulo ſignificat.

F. Num omnia nomina certi ſunt generis? S. Nequaquam.

F. Vnde ſunt dubii generis nomina? fortè differentiæ cauſa?

S. Non differentiæ; nec aliqua neceſſitatis cauſa, ſed ſola auctoritate veterũ: vt hic, & hęc finis, cortex, ſilex, margo, cardo, fornax, frutex, frons, veſper, humus, arcus, limus, latex, hic, & hoc ſal. Cato; ex ſale, qui apud * Carthaginenſes fit. Africanus quod loquitur, ſal * verum eſt. *m. ſ. Carthaginẽſis. *Gloſſema notat, pura ſapientia.

F. Quæ ſunt fixa nomina?

S. Quæ, in alterum genus tranſire non poſſunt, vt pater, mater.

F. Quæ ſunt mobilia?

S. Quæ moueri poſſunt, & in aliud tranſire genus. Alia, ex propriis, vt Marcius, Marcia. Alia, ex appellatiuis, vt Bonus, bona, bonum.

F. Quot literis maſcula finiuntur nomina?

S. Septem, A, O, L, N, R, S, X, vt Scriba, Cicero, ſol, flumen, Cæſar, bonus, rex.

F. * Feminina quot? *m. ſ. femina, mẽdosè.

S. Eiſdem. vt Romana, virgo, Tanaquil, ſiren, mater, ciuitas, pax.

Digitized by Google

F. Neutra, quot?

S. Duodecim. a.e.i.u.l.m.n.r.ſ.c.t.d.; vt poëma, mare, * gummi, cornu, mel, regnum, numen, tuber, ſidus, lac, caput, aliquid.

* M. S. cemi mendosè.

F. Quomodo poſſum ſcire, cuius generis ſit nominũ quotlibet?

S. Singulæ verò terminationes habent regulas præfixas, quot genera poſſint in eis eſſe. Sed longum eſt hoc, & huic noſtræ puerili diſputationi oneroſum edicere.

F. Hoc eſt, quod pridem dixi.

S. Quidnam?

F. Quid? niſi quod inuides meæ peritiæ.

S. Nequaquam frater; ſed tuæ auaritiæ modum imponere volui.

F. Modum meæ auaritiæ, & non tuæ tenacitati imponere vis.

S. Eia, perge quò velis, ſequor te.

F. Pergam interrogando; tu ſequere reſpondendo. Et primum dic, in quo ſit maxima nominis difficultas.

S. In Generibus & declinationibus.

F. Declinatio, in quo agnoſcitur.

S. In terminatione * genitiui caſus.

* M. S. genetini.

F. Quot ſunt terminationes genitiui caſus?

S. Quinq; atque ideo quinq; ſunt nominum declinationes.

F. Dic ſingulas.

S. Prima in æ; vt hic poëta, huius poëtæ.

Secunda in i: vt, hic doctus, huius docti.

Tertia in is breuem: vt hic pater, huius patris.

Quarta, in us productam, vt hic ſenatus, huius ſenatus.

Quinta, in ei, diuiſas: ſic dies, huius diei.

F. Nomina in a. cuius generis, vel declinationis ſunt?

S. Omnia, ſi latina ſunt, primæ, & trium generum: maſculini, feminini, communis.

F. Diſcerne quæ pertineant ad hoc vel illud genus.

S. Hominum nomina in a. deſinentia, maſculini ſunt generis; vt, Seneca. Aliarum verò rerum propria, feminina ſunt, vt Roma, Ilia, curia. Et omnia appellatiua feminini fiunt generis, vt regina, iuſtitia. niſi hæc, quæ ad officia virorum pertinent, vt lixa, ſcriba, collega: & quæ à Græcis ſumpſimus, mutatione S. finalis in a, vt poëtes, cithariſtes, nos poëta, cithariſta dicimus. Et quæ à verbis compoſita ſunt, vel deriuatiua, communia ſunt, vt hic, & hæc agricola, rurigena: aduena, parricida, conuiua: & ſimilia.

F. Alia-

Digitized by Google

F. Aliarum * proſequere vocalium regulas.

S. Faciam. In e. omnia tertiæ declinationis, & neutri generis, vt hoc * monile.

In i. neutrum, hoc gummi.

O. finita omnia tertiæ ſunt declinationis: ſed diuerſi generis. E, antecedente o. maſculina propria ſunt, vt labeo, ganeo, aleo. I. antecedente o. quando ſunt verbalia, feminina ſunt, vt oratio, actio, coniugatio, &c. G. vel d. præpoſitis o. ſi mutatur o. in i. in obliquis caſibus, feminina ſunt, Virgo, vligo, dulcedo, cupido: quod & maſculinum eſt, quando proprium eſt. Excipiuntur, hic ordo, cardo, mango, margo, prædo, cudo, ſpado: & communia, homo, latro. Item, duo, ambo, octo, pondo communia: & Iuno, & caro feminina. Alia omnia maſculina ſunt, vt ſtellio, cicero, carbo, ſermo. In u. neutra ſunt, & quartæ declinationis, vt cornu, genu, gelu. & ſunt aptôta in ſingulari numero.

F. placet, quod dicis, licet * III. dicas. Sed conſonantium regulas pande per te, me tacente, & probante.

S. Fiat. in c. neutra duo, lac, alec.

In d. neutra; quid, quod, aliud. quæ nomina eſſe multis modis ratio probat.

In l. ſi Latina, neutra ſunt: tribunal, vectigal, & ſal: quod maſculinum, & neutrum inuenitur.

Si barbara fiunt, maſculina ſunt, vt Hannibal, &c.

In el neutra, mel, fel.

In il vnum maſculinum, pugil. Vnum femininum, Tanaquil: vnum commune, vigil: vnum neutrum nihil indeclinabile.

In ol vnum maſculinum, ſol.

Vl finita, duo maſculina, conſul, præſul: vnum commune, exul.

In am, vnum commune, vt hic, & hæc, & hoc nequam.

Et omnia hæc iuxta tertium flectuntur ordinem.

In um, omnia neutra ſunt, & ſecũdæ declinationis, vt tẽplũ, tẽpli.

In en, nouem ſunt maſculina; lien, rien, flamen, pecten, tibicen, fidicen, liticen, tubicen, cornicen. cætera omnia neutra ſunt, vt carmen, flumen, & omnia tertiæ declinationis.

Ar. finita ſunt tertiæ declinationis, vt neutralia: vt torcular, puluinar. Exceptis; hic Cæſar, lar, & Nar fluuii nomen, & cõmunis generis hic, & hæc, & hoc par; & quæ ex eo cõpoſita ſunt, impar, diſpar, cõpar.

Er. finita, exceptis hæc mater, hæc mulier: & neutris his, ſuber,

* ſic puto legendum promEdoſo M. S. ſequere.

* M. S. munile, fortè melius, ad analogiam veterem veterum.

* in M. S. requirebatur.

papauer, cadauer, laſer, ſiler, iter, cicer, ſiſer: & communibus his, pauper, vber, celer: alia omnia maſculini ſunt generis. Alia ſecundæ; alia, tertiæ declinationis. quorum declinatio facilè ex obliquis caſibus intelligi poteſt. Ideò de declinationum diuerſitate minimè laborandum cenſeo.

F. Fac, ſicut placet. Ex me enim poſſum declinationes, vt dixi, * experiri.

In ir, vnum maſculinum, hic vir, & ex eo compoſita, ſemiuir, duumuir, * leuir, & vnum neutrum, hoc ir indeclinabile: & ſunt ſecundæ declinationis.

* m. ſ. experire, mendosè.
* m. ſ. leuir

S. In or, deſinentia tertiæ formã ſequuntur declinationis: & ſunt maſculina propria, vel appellatiua: vt, Hector, orator, furor, doctor; exceptis tribus femininis, ſoror, vxor, arbor: & neutris his, ador, marmor, æquor, ebor, olor, femor, cor; & commune, hic, & hæc auctor, diſcolor, concolor, memor, & immemor; & omnia comparatiua or finita, communis ſunt generis, vt hic, & hæc doctior, melior, excepto vno, hic ſenior. In ur, vnum ſecundæ inuenitur: hic ſatur, & facit ſatura feminino. Maſculina verò hic Aſtur, turtur, vultur. commune, hic, & hæc augur, & fur. Alia omnia neutra ſunt, vt guttur, ſulphur, murmur, iecur, & tertiæ declinationis.

As, ſyllaba terminata, feminini ſunt generis; vt, hæc dignitas, pietas, exceptis hic as aſſis, mas maris, vas vadis, & hoc vas vaſis; & hoc fas, nefas, & omnis generis, nugas, & omnia tertiæ declinationis ſunt. Sed inueniuntur propria primæ declinationis, hic Æneas, Lyſias. Et tertiæ quoque, patriæ nomina, hic Mycenas, Capenas, Arpinas.

In es, correptam terminata, ſi naturaliter de mare, & femina ſignificatio poteſt eſſe, communia fiant, vt hic & hæc hebes. id eſt, tardus. ſic teres, comes, diues, ſoſpes, hoſpes, præſes, deſes, obſes, ſuperſtes, quadrupes, ſonipes. Alia verò omnia, id eſt, quæ nullam naturalem communionem cum feminis habent, maſculina ſunt, vt ſtipes, limes, fomes, ceſpes: Exceptis in ges, ſyllabam deſinentibus, e, in genitiuo ſeruantibus, vt hæc ſeges, ſegetis, teges, & abies; & omnia tertiæ ſunt declinationis. Alia, in es, productam deſinentia, ſi propria ſiunt, maſculina erunt: vt Hercules, Vlixes, & verres appellatiuum, cum porcum ſignificat: & commune, vt hæres, locuples. Alia verò omnia feminina ſunt: quædam tertiæ, vt cædes, ſtrages, vulpes, apes. quædam verò quintæ, vt facies, effigies, ſpes, res, fides, & omnia in es purum finita, quintæ ſiunt declinationis, præter quies, abies, paries, & om-

nia

Digitized by Google

nia, conſonante præcedente, tertiæ ſunt declinationis, præter ſpes, & fides, res.

In is omnia tertiæ declinationis ſunt, ſed in is terminata, ſi n vel c ante is habent, vel ſi vna ſyllaba ſupercreſcunt in genitiuo, omnia maſculina ſunt, vt hic panis, piſcis, hic lapis, lapidis: exceptis hæc bipennis, & hæc cuſpis, caſſis, caſſidis, hic & hæc canis. Inueniuntur quoq; pauca, licet his regulis non ſubiacent, maſculina, vt hic fuſtis, enſis, poſtis, anguis, vnguis, collis, follis, corbis, vectis, menſis, torquis, axis, orbis. Si ſunt verò adiectiua, vel deriuatiua, vel ad homines ſolos pertinentia, ſemper communia fiunt: vt hic & hæc fortis, ſuauis, dulcis, exanguis, exanimis, ciuis, hoſtis, ædilis. alia omnia feminina ſunt; hæc auis, claſſis, cutis, & tertii ordinis cuncta.

In OS feminina tria, cos, dos, glos: communia quinq;, cuſtos, ſacerdos, bos, compos, impos. Neutra duo: os oris, os oſſis. Alia omnia maſculina, mos, flos, ros, nepos, lepos; & tertiæ declinationis omnia.

VS tam multiplex eſt in generibus, & declinationibus, vt nullatenus tibi, ô Frãce, ſub anguſtia hui' noſtri * luſus, eius poſſim pãdere diuerſitates. Nam trium declinationum eſt, ſecundæ, tertiæ, & quartæ, Generis quoq; maſculini, feminini, & neutri, communis, & omnis, & epicœni. *m.ſ. ludus mendosè.*

F. Pande tamen aliquas de eo regulas, ſæpè; dum ſolem non habemus, ad effugandas nocturnas tenebras, *laternis vtimur.

S. Ergò in VS maſculini generis propria, vel appellatiua mobilia, vel fixa, ſecundæ ſunt declinationis. Propria: vt Terentius Terentii, Marcus * Marci. mobilia: vt bonus boni, ſanctus ſancti: fixa, campus campi, hortus horti, fumus. Et tria feminina ſecundæ: hæc colus, aluus, hum'. Item feminina arborũ noĩa, ſecundæ ſunt: hæc pirus, prun', pinus, fagus fagi, &c. Item neutra tria: hoc vulgus, virus, pelagus. Alia neutra in VS finita, omnia tertiæ ſunt declinationis: vt ius iuris, munus, pondus, corpus, pectus. In VS productum feminina omnia tertiæ ſunt, & vna ſyllaba in genitiuo accreſcunt: vt ſalus ſalutis, tellus, telluris, V producta, in obliquis, excepto * palus paludis, Venus Veneris. Vnum omnis generis, vt hic, & hæc, & hoc vetus veteris, & communis generis pauca, hic & hæc Ligus Liguris, grus gruis, ſus ſuis, & epicœna, mus muris, & vnum maſculinum, lepus leporis. Igitur quartæ declinationis feminina hæc tantum ſunt: *annus, manus, porticus, tribus, domus, nurus, ſocrus, quercus. Quæ vero à verbis, vel nominibus *m.ſ. laternis vtamur mendosè.* *m.ſ. Marcii mendosè.* ** mendosè.* *m.ſ. mendosè legen. anus.*

Digitized by Google

* ſic M. S.

*nibus participalibus, maſculina ſunt, & quartæ declinationis: vt hic ſtatus, huius ſtatus. ſtatus, à ſto. ductus, à duco. conſulatus, à conſule. Tribunatus à Tribuno. Item S. vel, T, vel X. antecedentibus, us, maſculina, & quartæ declinationis ſunt, vt riſus, metus, ſexus. Item penus, & ſpecus, tam maſculini, quam feminini, & neutrius. Iuuenitur etiam ſecundæ, tertiæ, & quartæ declinationis, *acus, & hæc acus. Inuenitur in vſu, & hoc acus, aceris, purgamentum frumenti. Pus, & virus, indeclinabilia ſunt.

* M. S. ſo... mendoſe.

In X. literam quacunque vocali, vel conſonante antecedente eam, omnia tertiæ ſunt declinationis, ſed diuerſorum generum. Vt tamen breuiter dicam: Omnia accidentia X. litera finita, communia ſunt, vt hic, & hæc, & hoc audax, aurifex, velox. Item appellatiua, ad vtrumq; ſexum hominum pertinentia, communia ſunt: vt hic, & hæc, & hoc coniux, dux. quæ verò ad ſolos mares pertinent, maſculina ſunt, vt rex: & quæ, ad ſolas feminas, feminina ſunt, vt hæc *pellex. Propria maſculina ſunt, vt hic Aiax, Pollux: Item, quæ vna ſyllaba accreſcunt in genitiuo, maſculina ſunt, vt hic vertex, apex, latex, cortex, codex, pollex: calix, fornix, *natrix & reliqua. Feminina verò hæc ſunt; fornax, ſilex, ilex, carex: ſalix, radix, cornix, felix, meretrix, cicatrix, celox. Item omnia verbalia feminina ſunt, vt victrix, genetrix, nutrix. Item, monoſyllaba omnia feminina ſunt, vt pax, lex, pix, nox, lux, arx, falx; excepto rex, & hic grex, & hic, & hæc dux.

* M. S. pelex. mendoſe.

* narix M. S. mendoſe.

T. finitum vnum inuenitur neutrum, caput: & ex eo compoſita ſunt, ſinciput, occiput.

Quæ nomina in duas deſinunt conſonantes, ſi ſint accidentia, trium generum omnia: vt hic, & hæc, & hoc expers, prudens, inops, celebs, princeps, parens. Pauca, maſculina, Mauors, Aruns. Pauca feminina, hiems, cohors, adeps. Monoſyllaba in duas deſinentia conſonantes, maximè feminina ſunt; vt ars, fors, gens, mors, lens, frons, pars, ſors, ſcrobs, ſtips, trabs, vrbs, puls: exceptis, hic mons, pons, dens, Mars.

In aus. feminina, laus, fraus.

In æs. maſculinum præs, prædis. Neutra æs æris. Vix aliquando fœnore me ſoluebam grauiſſimo.

F. Sed gratiſſimo. quapropter ad numeros tranſeamus.

S. Fiat.

DE NVMERO.

F. Numerus quid eſt?

S. Dictionis forma, diſcretio quantitatis.

F. Numeri nominum quot ſunt?

S. Duo. ſingularis vt homo: pluralis, vt homines. Sed ſingularis numer⁹ finitus eſt: pluralis, infinitus eſt. Cũ dico, homo, certum eſt vnũ me ſignificaſſe. Cum homines dico, incertum eſt, de quot, niſi addam, decem, centũ, mille vel quotlibet: Nam à duobus, ad innumerabiles extenditur ſignificatio.

F. Quæ dictiones habent numeros?

S. Quæ perſonas habent: id eſt, nomina, pronomina, verba, participia: vt vir, viri: ego lego, nos legimus: hic legens, hi legentes. Ideo infinita verba, & impersonalia carent numero, quia non habent perſonas.

F Numquid aduerbia non habent numeros?

S. Habent: ſed inter accidentia aduerbii numerus non ponitur: & indeclinabiles ſunt numeri aduerbiorum: & ad ſingularem, & pluralem dictionem * æquè ponitur, vt ter feci, & ter fecimus. * M. S. ... quæ mendoſiſſimè.

F. Quid tum intereſt inter numerorum nomina, indeclinabilia, & inter aduerbia.

S. Quod aduerbia & ſingularibus, & pluralibus ſimiliter iunguntur: vt millies dixi, & milles diximus. Nomina verò non niſi pluralibus, vt mille homines diximus.

F. Sunt ne aliqua nomina, quæ vna literatura vtroſq; habent numeros?

S. Sunt. Nam in prima declinatione, generis * datiui ſingularis vna voce cum nominatiuo & vocatiuo plurali proferuntur: vt huius, & huic poetæ; & in omnibus hoc idem inuenies declinationibus ſæpiſſimè. Secunda, vt huius docti, & hi docti. Tertia, hæc cædes, & hæ cedes. Quarta, hic fluctus, huius fluctus. hi, & hos, & ô fluctus: us. producta in omnibus his caſibus. Quinta, hæc res, & ô res. hæ, & has, & ô res. * in M. S. lacuna.

In Pronominibus quoq;, & participiis inuenies voce communia, vt illi, iſti, ipſi, datiui ſingularis, & nominatiui pluralis. In participiis mobilia omnia in eâdem voce habent feminina in ſingulari nominatiuo, & neutralia in plurali, vt hæc victura femina, & hæc victura animalia. In verbis verò nulla vox eſt,

quæ

quæ eadem poſſit eſſe in ſingulari numero. & plurali.

F. Vnde aliqua nomin. ſicut in Donato legi, ſemper ſingularia ſunt & aliqua ſemper pluralia?

S. Natura, vel vſu. Natura, vt propria, quæ naturaliter indiuidua ſunt, vt Hector, Achilles, ſol, luna, Italia, Sicilia. Vſu, vt ſanguis, puluis, lux, vita. Item, quæ ad pondus vel menſuram pertinent, ſingularia ſunt, vt aurum, triticum, &c. ſimiliter natura, vel vſu, quædam ſunt ſemper pluralia: Natura, & gemini piſces in cœlo. Vſu, vt arma, mœnia, nũdinæ, Kalendæ. Nam per omnia genera inuenies. quædam ſemper ſingularia, quædam ſemper pluralia, quæ ſtudio breuitatis nobis prætermittenda eſſe reor.

DE FIGVRIS.

F. Fiat, vt vis, etſi non libens, tamen conſentio. ſed de figuris diſputemus. Et primo dic, quid ſit inter figuratas dictiones, & *deriuatiuas.

*m.ſ. mo-tiu... S. Quod figuratæ dictiones, aut ſimplices ſunt, vt magnus, aut compoſitæ, vt magnanimus. Deriuatiua autem à ſimplici nomine deriuãtur, vt à pio, pietas; aut à compoſito, vt à magnanimo, magnanimitas, quæ decompoſita dicuntur. Compoſita intelligibilia ſemper ſolubilia debent eſſe. In integras dictiones, ſiue ex integris, ſiue ex corruptis componantur, vt reſpublica: ex duobus corruptis, vt parricida, ex parẽte, nomine, & cædere, verbo. Magnanimus ſi dico, à magno & animitate eſſe compoſitum, non poteſt eſſe. quia animitas intelligibile non eſt. Ideo neceſſe eſt, vt à compoſito, id eſt, magnanimo ſit deriuatum magnanimitas.

F. Quot modis componuntur nomina?

S. Quatuor. Ex duobus integris, vt iuſiurandum, ex duobus corruptis. vt parricida. Ex integro & corrupto, vt inimicus: ex corrupto & integro, vt efferus.

F. Cum quibus partibus componuntur nomina?

S. Cum omnibus, præter Interiectionem. Cum nominibus, vt paterfamilias: cũ pronomine. vt illiuſmodi. Cum verbo, vt Lucifer. Cum aduerbio, vt ſatisfactio. Cum participio, vt plebiſcitum. Cum coniũctione, vt vterq;. Cum præpoſitione, vt perfidus.

F. A quot dictionibus componuntur nomina?

F. A duabus. vt ſeptentrio. A tribus, vt inexpugnabilis. vel à compluribus, vt cuiuſcunq;modi.

F. Quo-

Digitized by Google

F. Quomodo declinantur compoſita nomina?

S. Si ex nominatiuo,& obliquo caſu componuntur,ea parte, quæ nominatiuus caſus eſt, declinantur,vt hic tribunusplebis,huius tribuniplebis, huic tribunoplebis,& reliqua.Si ex duobus nominibus, vtrinq; declinantur,vt hoc iusiurandum,huius iurisiurandi, huic iuriiurando.Sin ex duobus obliquis componuntur, manent indeclinabilia,vt huiuſmodi,iſtiuſmodi,eiuſmodi.Componuntur quoq; ſingularia cum pluralibus,vt orbisterræ,orbisterrarum. Poſſunt tamen hæc eadem compoſita etiam ſeparata eſſe, ſi diuerſos accentus his dederis, vt reſpublica:vel ſi coniunctionẽ interponas,vt tribunuſq; plebis.

F. Accentus compoſitæ figuræ quomodo fiunt?

S. Per omnes caſus,& per omnes compoſitiones,ſemper ſub vno accentu proferuntur,vt iusiurandum,iurisiurandi,cuiuſcunq;modi.

Verte te France ad caſus,quia de figuris habes, quod quæſiſti.

F, Vertam,& lætus vertam,quia placitas mihimet rationes protuliſti de figuris.

DE CASIBVS.

Et primo mihi explana, vnde caſus dicatur?

S. Caſus vtiq; à cadendo dicitur. quia ab hoc ſenſu cadit in illum: vel ab hac terminatione cadit in illam.

F. Scio ſex eſſe caſus: ſex ſingulorum interpretationes velim pandere te, ô Saxo.

S. Bene vis.Primus nominatiuus,quia per ipſum nominatio fit.Iſte dicitur & rectus,quia primus à natura naſcitur: & ab eo facta inflexione naſcuntur alii.Deinde genitiuus, quia per ipſum genus ſignificamus:vt genus eſt Priami Hector. Iſte quoq; appellatur poſſeſſiuus, eo quod poſſeſſionem ſemper per eum ſignificamus, vt Priami regnum. Poſt hunc datiuus eſt, qui à dando dicitur,ſignificans aliquid nos dare: vt do tibi illam rem,qui & mandatiuus dicitur, vt commendo homini illam rem.Quarto loco eſt accuſatiuus,qui & cauſatiuus,vt accuſo hominem.Tum vocatiuus,qui & ſalutatiuus vocatur,vt ô Ænea; & ſalue, Ænea. Nouiſſimè Ablatiuus ponitur,qui & comparatiuus,ſignificans aliquid abſumi,vel comparari: vt aufero ab Hectore gladium; & fortior Hectore Achilles eſt.

F. Ordinem quoq; cur ſic poſiti ſint, profer?

S. Nominatiuus primum ſibi locum vſurpat. quia primum natura hunc protulit.Genitiuus ſecundum; quia naturale vinculum generis

Digitized by Google

poſſedit: omneſq; obliquos generat. Datiuus tertium: quia magis amicis conuenit. Accuſatiuus quartum: qui ad inimicos ſæpius profertur. Deinde vocatiuus, quia imperfectior eſt aliis ſenſu: & ad ſecundam ſolummodo pertinet perſonam. dum alii caſus ad omnes perſonas iunguntur. vt ego homo ſum, tu homo es, ille homo eſt: mei, tui, illius hominis eſt: mihi, tibi, illi homini da, me, te, illum hominem accuſo, à me à te, ab illo homine hoc ꝑtuli. Solus vocatiuus dicit, ô homo veni, ſed ablatiuus, quia nouiſſimè repertus eſt, nouiſſimè ponitur.

F. Num omnia nomina per omnes caſus declinari poſſunt?

S. Non poſſunt. quia ſunt nomina, quæ nominatiuum ſolum habent, & dicuntur aptota. vt fas, git, pus, ii. Sunt quæ Nominatiuum non habent, vt Iouis, Ioui, Iouem, à Ioue. Alia, in quibus tres tantum obliqui inueniuntur; frugi; frugem, à fruge. Alia, in quibus duo: vt vicem, à vice. Alia, in quibus vnus, vt ſponte, cœpe.

F. Quot formæ caſuales ſunt?

S. Sex ſunt nomina monoptota; quæ vna terminatione pro omni caſu funguntur, vt gummi, nequam. Sub qua regula ſunt etiam nomina literarum, & numerorum à quatuor vſq; ad centum. Diptota ſunt, quæ duos caſus diuerſos habent, vt fors à forte: Vel omnes duabus tantum diuerſitatibus diſcretos, vt cornu: omnes caſus habet in breuem u. Alia triptota, qualia ſunt neutra in ſecunda declinatione, quæ tres diuerſitates caſuum habent, vt templum, templi, templo, & omnia neutra pluralia per omnes declinationes, ſidera, ſiderum, ſideribus. Alia tetraptota: qualia ſunt omnia in r deſinentia, ſecundæ declinationis, vt puer, pueri, puero, puerum. Alia pentaptota; qualia ſunt maſculina ſecundæ declinationis in vs. finita: vt doctus, docti, docto, doctum, docte. Hexaptota ſunt, quæ ſex diuerſos habent caſus: vt eſt vnus, vnius, vni, vnum, vne, ab vno.

F. Ne ſit tibi oneroſum ſingulorum caſuum terminationes per omnes quinq; declinationes mihi exponere.

S. Longiorem me facis multis interrogationibus.

F. Quid ſi vtiliorem in neceſſariis regulis?

S. Prima declinatio Genitiuum & Datiuum in Æ diphthongon. Accuſatiuum in AM, Vocatiuum & Ablatiuum in A. deſinunt. Vt, hic

Digitized by Google

hic Poeta: Genitiuo huius Poetæ. D. huic Poetæ. hunc Poetam. ô Poeta. ab hoc Poeta. Nominatiuus & Vocatiuus pluralis in Æ. Genitiuus in arum. Datiuus & Ablatiuus in is. niſi ſit diſcernendi generis cauſſa, vt deabus, filiabus, natabus, equabus. Accuſatiuus in as. Hi Poetæ, horum Poetarum, his Poetis, hos Poetas, ô Poetæ, ab his Poetis.

Secundæ Declinationis Genitiuus in I. deſinit. Datiuus & Ablatiuus in O productam. Accuſatiuus in um. niſi ſint neutra, quorum accuſatiuus vbique ſequitur ſuum Nominatiuum, ſeu in ſingulari numero, ſeu in plurali. Vocatiuus ſimilis eſt Nominatiuo. In illis omnibus, quæ in m. vel r. deſinunt: ſi verò in ius nomina deſinunt propria, Vocatiuus in I. vt Virgilius, Virgili. Si Nominatiuus in VS, Vocatiuus in E. definit. Vt hic magnus, magni, magno, magnum, magne, magno. Nominatiuus & Vocatiuus Pluralis, niſi in neutro, per I, finitur. Genitiuus in orum. Datiuus & Ablatiuus in IS. Accuſatiuus in OS. hi magni, magnorum, magnis, magnos, magni, magnis.

Tertiæ Declinationis Genitiuus in IS. Datiuus in I. Accuſatiuus in EM. In paucis in IM, vt turrim, ſitim. Vocatiuus ſimilis eſt Nominatiuo. Ablatiuus in quibuſdam per E, correptam. vt à patre. In quibuſdam per I. vt liberi. In quibusdam per E, & I, vt à felice & felici. Hic Rex, Regis, Regi, Regem, Rex, à Rege. Nominatiuus & Accuſatiuus Plurales in ES productam. In paucis Accuſatiuus in IS, vt turris. Genitiuus in VM. In quibusdam in IVM, turrium. Datiuus & Ablatiuus in BVS. Hi Reges, Regum, Regibus, Reges, Reges, à Regibus.

Quartæ Declinationis Genitiuus ſingularis in VS productam, Datiuus in VI. Accuſatiuus in VM. Vocatiuus ſimilis eſt Nominatiuo. Ablatiuus V. productam: Vt hic ſenatus, huius ſenatus, huic ſenatui, hunc ſenatum, ô ſenatus, ab hoc ſenatu. Nominatiuus pluralis, & Accuſatiuus, & Vocatiuus in VS productam. Genitiuus in VVM. Datiuus & Ablatiuus BVS. Vt hi ſenatus, horum ſenatuum, ſenatibus, ſenatus, ô ſenatus, à ſenatibus.

Quintæ Declinationis Genitiuus & Datiuus ſingularis in EI. diuiſas. Accuſatiuus in EM. Vocatiuus ſimilis eſt Nominatiuo. Ablatiuus in E profertur. Vt hæc res, huius rei, rei, rem, res, à re. Nominatiuus, & Accuſatiuus, & Vocatiuus pluralis in ES, Genitiuus in VM

 Dati-

Digitized by Google

datiuus, & ablatiuus in bus. vt hæc res, rerum, rebus, res, ô res, à rebus.

Num France adhuc ſat habes de nomine?

F. Sat habuiſſem, Saxo, ſi non ciniphes, quæ ſunt in domo Magiſtri, aures mihi quæſtiunculis ſuis impleſſent. Tamen, ſi placet, tranſeamus ad alia. Illas, quoquo modo excutiam.

S. Tranſi, quo velis. ſequar te, quo vadis.

INCIPIT DE PRONOMINE.

F. Pronomen quid eſt?

S. Pars orationis, cum caſu poſitum nominis vice: ne ſæpius iteratũ nomen faſtidium faciat audienti, vel legenti: & finitas recipit perſonas.

F. Pronomini quot *accidunt?

*m. ſ. vbi. quę accedunt.

S. Sex. Species, perſona, genus, numerus, figura, caſus.

F. Species pronominum quot ſunt?

S. Duæ. quia ſunt pronomina aut primitiua, aut deriuatiua.

F. Primitiua quot ſunt?

S. Octo. Ego, tu, ſui, ille, ipſe, iſte, hic, is.

F. Deriuatiua quot ſunt?

S. Septem: Meus, tuus, ſuus, noſter, veſter, noſtras, veſtras.

F. Vnde hæc deriuantur?

S. A genitiuis primitiuorum. A mei, meus, à tui, tuus. à ſui, ſuus: à noſtrum, noſter, & noſtras: à veſtrum, veſter & veſtras. Hæc ſunt quindecim pronomina, in quibus nulla dubitatio eſt.

F. Perſonæ pronominum quot ſunt?

S. Tres. Sed prima perſona, & ſecunda ſingulas habent voces, quia pręſentes ſemper ſunt inter ſe, vt ego, tu. Tertia verò ſex habet voces. quia tertiarum perſonarum plurimæ ſunt diuerſitates. vt ſui, ille, ipſe, iſte, hic, is. Et tertia perſona modò præſens eſt, vt iſte: modo abſens, vt ille.

De Generibus Pronominum.

F. Genera Pronominum quot ſunt?

S. Quinq;. Maſculinum, vt hic. femininum vt hæc. neutrum vt hoc. commune. noſtras, veſtras. Trium generum ego, tu. Et omnia pronomina neceſſe eſt tria genera habere, vel in vna voce confuſa, vt ego, tu: vel in diuerſis diſtincta terminationibus, vt meus, mea, meum. quia & vniuſcuiuſque rei propriis accipiuntur nominibus.

DE

DE FIGVRIS.

F. Figurám Pronominum dic?

S. Sunt Pronomina ſimplicia, vt iſte, hic. Sunt compoſita, vt iſtic, quod ex iſto, & hic componitur. Idem, componitur ex is Pronomine, & demum Aduerbio, & eſt numero commune: vt idem vir, & idem viri. In maſculino i ꝓducta, in neutro i correpta: & eius femininum, eadem. Geminatur quoq; eius compoſitio in neutro, & dicitur idem, id eſt, idem & idem.

Componuntur pronomina cum Aduerbiis, vt eccum, id eſt, ecce eum, ellum, ecce illum. Et cum præpoſitione, ſed per anaſtrophē, vt mecum, tecum, ſecum: & cum nomine, vt huiuſmodi, iſtiuſmodi.

*Vnde illa compoſitio, egomet, & huiuſce, non eſt compoſitio, ſed paragoge, id eſt, adiectio ſyllabæ. Et ſunt quatuor eiuſmodi adiectiones, me, ce, te, pte: vt egomet, tute, meapte, huiuſce, illice. quod per apocopen profertur, illîc, vltima circumflexa. *m. ſ. Vnde, ē, mẽs-doſè.

De Numero.

F. Numeri pronominum quot ſunt?

S. *Duo. Singularis vt iſte. Pluralis, vt iſti. *in m. ſ. deſiderabatur. vt paßim perſonarũ diſcretio.

Sunt & numero communia: vt ſui, ſibi, ſe, à ſe. quod nominatiuo caret, differentiæ cauſa. quia, ſi eſſet hi, vel ſi, nominatiuus dubitationem feciſſet inter hi, aliud pronomen, & ſi, coniunctionem. Vel quia tranſitio, vel reciprocatio perſonæ in nomine non poteſt eſſe. quod ſui ſemper habet *reciprocationem: vt, ſui meminit. Tranſitio, vt ſuo ſeruo loquitur. *m. ſ. reciprocatio mend.

De Caſibus.

F. Caſus pronominum *profer? *m. ſ. profers mend.

S. Caſus Pronominum ſunt, vt Nominum. Niſi quod prima perſona, & tertia, plus quinq; caſibus habere non poſſunt. quia vocatiuus in eis fieri non poteſt: qui proprius eſt ſecundæ perſonæ, excepto meus, poſſeſſiuũ, quod mi facit vocatiuo. *duas ee. breues in i longũ euphoniæ cauſa conuertens. cuius pluralis quoq; vocatiuũ habet, ô noſter. *m. ſ. duæ mendoſè.

F. Quot formæ caſuales ſiunt in pronomine?

S. Sunt pronomina, monoptota: vt eccum, ellum, mecum, tecum. Alia triptota: vt ſui, ſibi, ſe, mecum, tecũ, ſecum. Alia tetraptota: tuus, ſuus, illud, iſtud. Alia pentaptota. Ille, ipſe, iſte. Nam ſexaptota non inueniuntur pronomina.

Digitized by Google

F. Dum pronomina caſus habent,& numeros,neceſſe eſt, eos habere & declinationes, quarum regulas,vt ediſſeras,flagito.

S. *En,probus es ſcrutator.

F. Qui tu,tenax es largitor.

S. Quatuor ſunt declinationes pronominum.

Prima eſt, quæ in tribus primitiuorum perſonis cernitur. Cuius Genitiuus & Datiuus in I. Accuſatiuus & Ablatiuus in E. productam,vt ego,mei,mihi,me,à me. Tu, tui, tibi, te,à te. Sui,ſibi,ſe,à ſe. Primæ & ſecundæ perſonæ plurales, Nominatiuum, & Accuſatiuum in os. Genitiuum in um. vel in i. Datiu.& Ablat. in is. vt nos, noſtrũ, vel noſtri,nobis,nos,à nobis. ſimiliter & vos. Tertia perſona non habet nominatiuum,& per cæteros caſus communis eſt numeri,ſui.

*m. ſ. In, mend. per ſueuiſmũ librarii.

F. Vnde perſonæ intelliguntur pronominum?

S. In primis ſyllabis; in extremis caſus,& numeri.

Secunda declinatio eſt in reliquis quinque primitiuis. quorum genitiuus in ius, datiuus in i. deſinit,per tria genera: præter huic ſolum: ne, hui,interiectio putetur. Accuſatiuus autem & Ablatiuus ſingularis,& omnes caſus plurales in maſculino,& neutro ſecundæ declinationis Nominum terminationes ſeruant. In feminino primæ, vt ille, illius,illi,illum,ab illo. Et pluraliter: Illi,illorum, illis,illos,ab illis. Illa,illius, illi,illam,ab illa. Illæ,illarum,illis,illas, ab illis. Illud, illius, illi, illud,abillo. Illa,illorum,illis,illa,ab illis. Sic & *reliqui quatuor declinantur. Niſi hic,& hæc, & hoc, c. per omnes ſingulares caſus aſſumit, præter Genitiuum.

*reliqua fort. leg.

Tertia declinatio eſt pronominum,in quinq; deriuatis,quæ ſecundum regulam nominum mobilium in vtroq; numero declinantur. In maſculino & neutro, ſecundam: in feminino primam ſequens declinationem. Et ſunt hæc: meus,tuus,ſuus,noſter,veſter.

Quarta declinatio eſt communium: & declinantur ſicut in duobus reliquis,quæ ſequuntur,tertiæ declinationis nomina: vt hic & hęc noſtras, veſtras:& hoc noſtrate, veſtrate; noſtratis,veſtratis. Ecce habes, quæ vi extorſiſti.

F. Melius eſt vi extorquere,quàm non habere. Dic tamen de ô. qui Vocatiuo caſui in nominibus, & pronominibus, & participiis iungitur, eſt pronomen,an non?

S. Non eſt pronomen, ſed Aduerbium vocandi, vel optandi; eiuſdem ſignificationis. Dum dicis,heus iuuenis,& ô iuuenis. Et nulli alii perſonæ poteſt iungi,niſi ſecundæ.

F. Me-

F. Memor eſto, dixiſſe te, XV. Pronomina eſſe. Sed quid eſt, quod Donatus inter Pronomina poſuit, quis, qualis, talis, quot, tot, quotus, totus?

S. Memini me dixiſſe, XV. eſſe Pronomina: in quibus nulla dubitatio eſſet. De iſtis enim, quæ ponis, dubitatio eſt, an ſint Pronomina, vel nomina. Priſcianus, latinæ eloquentiæ decus, nomina interrogatiua, vel relatiua, vel redditiua ſubſtantię ea omnino dicit: & Pronomina negat eſſe poſſe. quia finitas perſonas non habent, quod proprium eſt pronominis cum caſu iuncti. ſicut et alia nouem nomina mobilia, quidam errore seducti, pronomina dicunt eſſe, quia pronominum Declinationem habent: Id eſt unus, vllus, nullus, ſolus, totus, alius, alter, vter, neuter; quos multæ lectionis ratio reuincit.

An meus, tuus, ſuus, Nomina dicenda ſunt; quia per omnes caſus Nominum ſequuntur Declinationem, quantum ad puerilem noſtram diſputationem pertinere viſum eſt. De Pronomine habes ſufficienter.

F. Sed totum te transfer ad Verbum.

S. Placet quod habeo. licut plus * indigiſſem.

*ſic m. ſ. for legend. indiguiſſem, temporis.

F. Attamen totum me, vt ſuades, transferam ad inquiſitiones verbi. Tu te ad reſponſiones para.

S. Faciam.

DE VERBO.

F. Primò omnium Verbi definitionem dic mihi?

S. Magis interrogemus Magiſtrum quæ ſit Verbi definitio ſecũdum Philoſophiam.

Diſc. An habet Magiſter iuxta Philoſophiæ rationem, hæc tam principalis pars definitionem propriam, veluti nomen?

M. Habet ſubtilem definitionem, & nobilem. & eſt huiuſmodi.

Verbum eſt vox ſignificatiua ſecundum placitum, cum tempore definitum, aliquid ſignificans, & *accedens.

*ſic m. ſ. habet, lege accidens. vt infra mox patet.

D. Expone, pater, hanc nobis definitionem.

M. Dum dico, lego, actum ſignifico legentis: quem actum alia Græcus ſignificat voce: & ideo Verbum ſecundum placitum eſt. Tẽpusq; adtrahit. definitum, id eſt, certum aliquid ſignificat. Et accidẽs, Accidit enim actio, vel paſſio homini. Sed veſtram vos intrate diſputationem. hæc aliâs.

F. Fiat, vt iubes.

F. Pro-

* M.S. vebi bleſa, & mendoſe.

F. Profer, Saxo, proprietatem * Verbi.

S. Verbum eſt pars orationis cum temporibus, & modis, ſine caſu, agendi, vel patiendi ſignificatiuum.

F. ſi verba actum, vel paſſionem ſignificant, vnde dicuntur neutra?

* non, forte lege.

S. Non ideo, quod actum, vel paſſionem * ne ſignificent: ſed ideo, quia vnum horum ſignificant. Nam Actiua, in noſtro actu alterius paſſionem ſignificant. Nam, dico, Amo te, patiaris actum meum, id eſt, quod amo te. Et, dum dico, amor à te, patiar ego actum tuum, id eſt, quod tu me amas. Neutra verò vniformiter ſignificant, vel agentem, vt ambulo, curro, prandeo: vel patientem, vt ardeo, veneo, vapulo. Sed & caſus non egent, quibus Actiua, vel paſſiua egent. Nam Actiua, Accuſatiuo caſui iunguntur: vt amo te. ſæpe & genitiuum, vt memor ſum tui. Et, datiuum; vt, dico tibi. Paſſiua, ablatiuo iunguntur, vt, amor à te. Neutra Abſoluta ſunt, & per ſe ſenſum ſignificant, vt viuo, ſpiro, pergo.

F. Verbo quot accidunt?

S. Septem. ſignificatio, quæ & genus dicitur. tempus, modus, ſpecies, figura, perſona, numerus.

Significatio verborum propriè in actione, vel in paſſione eſt. quæ ſecundum analogiam duabus terminantur literis, o. & r. In o. actiua, & neutralia. In r. paſſiua, deponentia, communia. Et hæc ſunt genera verborum quinque.

Actiua ſunt, quæ ſemper actum ſignificant, vt amo te. Tamen, ſi quis altius conſideret in Actiuis verbis paſſionem; & in paſſiuis, actionem, ſicut ſupra diximus, inueniet. Neutra vniformiter ſemper proferuntur, id eſt, aut actum ſolum, aut paſſionem ſolum ſignificãt. Actum, vt mãduco, curro: paſſionem, vt vapulo, à te; ſunt quoq; neutralia, intrinſecus in ſeipſis habentia paſſionem: & non ab alio extrinſecus, vt rubeo, ferueo, caleo, ægroto, ruo. Deponentia quoq; vnam ſemper habent ſignificationẽ: aut Actiuam, vt ſequor te, * præſtolor te. Vel ſine adiectione caſus, luctor, loquor. Aut Paſſiuã, vt naſcor à te, patior à te, mereor à te. Communia duas habent in vna voce ſignificationes agentis, & patienis, vt oſculor te, oſculor à te.

* M præſtulor.

F. Quot modis declinantur verba?

S. Duobus modis. Nam neutra Actiuorum, Deponentia, & communia Paſſiuorum regulam in Declinatione maximè ſequũtur. ſunt præterea neutra Paſſiua, quæ in præterito perfecto, & pluſquamperfecto,

ſecto, paſſiui declinationem habent. Et ſunt hæc ſola: audeo, auſus ſum: fido, *fiſus ſum: fio, factus ſum: & ſi qua ex his componuntur. ſunt alia paſſiuoneutra ſuperiori contraria, *comperior, mereor, *diuertor,; faciunt enim præteritum comperii, merui, diuerti.

*m. ſ. fidus mendoſè.
*m. ſ. compereor mendoſè.
*m. ſ. deuertor. forſè non malè.

F. Nunquid certas habent ſemper verba ſignificationes?

S. Nequaquam ſemper certas. Sed alia ſunt, quæ vna voce vel coniugatione diuerſas habent coniugationes: vt colo, pro diligo, & habito, & aro accipitur. Committo, pro credo, & commendo. Condo, pro ædifico, & celo. gratulor pro gaudeo, & gratias ago ponitur. Sunt alia, quæ cum coniugatione mutant ſignificationem. Hæc, in ſecunda perſona diſcernuntur: vt, mando, mandas, à mando. mando, mandis, à manduco. fundo, fundas, à fundando. fundo, fundis, à fundēdo. volo, volas, à volando. volo, vis, à voluntate. ſero, ſeras, ſeraui. ſero, ſeris, ſeui. lego, legas, & lego, legis. dico, dicas, breuis. dico, dicis longa. appello, & compello, compellas, id eſt, *clamo. appello, appellis, id eſt, *applico. repello, compello, id eſt, cogo.

*acclamo fortè.
*deſiderabatur in m. ſ.

Hæc, France, de varia verborum ſignificatione dicta ſufficiant; nunc ad tempora curro.

F. Fiat. Primò, dic mihi vnde dictum ſit tempus?

S. A temperamento. quia omnia mortalia tempus habent.

F. Tempora quot ſunt?

S. Tria, ſecundum naturam præteritum, vt legi: præſens, vt lego: & futurum vt legam. quadam tamen neceſſitate, præteritum tempus in tres diuiditur diſtantias. quia quædam ſunt, quæ multo ante dicimus transacta: vt legeram. Aliquando quædam, quæ paulo antè, vt legi heri. Quædam inchoata ſunt, ſed nondum perfecta, vt legebam. Et ideo quinq; tempora adnumerabimus in verbis.

F. Quod horum tempus in verbis principalem inter cætera tenet locum?

S. Præſens. quia in ipſo ſumus, dum loquimur. De præterito, & futuro, & à præſenti, dicuntur præteritum & futurum. quamuis itaque præſens tempus inſtabili motu naturaliter exoluatur, & pars eius iam prætereat, parſq; ſequatur, tamen ad ornationem diuerſorum geſtorum tempora diuidimus.

F. Num in omnibus modis omnia tempora inueniuntur?

S. Nequaquam. Nam imperatiuus naturaliter *neceſſitate non habet præteritum. quia ea ſola imperamus, quæ in præſenti ſunt, vel in futuro. Cæterum indicatiuus, & ſubiunctiuus per omnia tempora

*neceſſarium for.

Digitized by Google

currunt:. Optatiuus quoque, & Infinitiuus, licet confuſa voce, in quibuſdam tamen omnia habent tempora: vt, vtinam legerem nunc & heri, & vtinam legiſſem, ante, ante, & ante quinquaginta annos. Item, legere me volo, & volebam: & legiſſe me volui, & volueram.

F. An in omnibus Verbis hæc quinaria temporum diuiſio inuenitur?

S. Non. quia ſunt Verba, quæ rationem temporum non ſeruant, vt inchoatiua verba in omni præterito perfecto, & plusquamperfecto deficiunt. Item omnia imperſonalia, quæ à ſe naſcuntur, in futuro Infinitiui deficiunt, vt *pœnituere, pœnituiſſe: & pleraq; neutra in futuro Infinitiui deficiunt, vt horreo, horrere, horruiſſe. Nam pœnitum ire non dicimus, &c.

*pœnitere f. leg.

Sunt quoq; verba, quæ præteritum tempus non habent, niſi ex aliis ſumantur verbis, vt percutio, percuſſi. Ferio non habet præteritum, niſi dicas, percuſſi. ſic ſtatuo, ſtatui: ſiſto, ſtatui: *ſuſtollo, ſuſtuli: & ſuffero, ſuſtuli: tollo, tuli, & fero, fers, fert, tuli facit: inſanio, inſaniui: & fureo, inſaniui: cerno, creui, & creſco creui facit. Item quoq; inchoatiua & meditatiua, non ſolum in præterito: ſed etiam in futuro infinitiui deficiunt: tepeſcere, parturire. Item verbis in or. deſinentibus deſunt tempora præterita perfecta, & futurum Coniunctiui. ſed per participia & verbum ſubſtantiuum ſum, declinantur, vt amatus ſum, amatus fueram, amatus ero. &c.

*m. ſ. ſuſtulo mend.

DE MODIS VERBORVM.

F. Modi Verborum quid ſunt?

S. Modi ſunt diuerſæ inclinationes animi, varios eius affectus demonſtrantes, Et ſunt quinq;, Indicatiuus, qui & diffinitiuus, quo indicamus vel definimus, quid agatur, vel *patiatur à nobis, qui ideo primus ponitur, quia perfectus eſt perſonis & temporibus: Et alii ex eo modi regulam ſumunt. Vel, quod ex eo participia, vel nomina, vel verba deriuantur: vt à duco, ducens: à duxi, ductus, & dux: ferueo, feruens, ferueſco, feruor.

*Solœcophanes indulgend. ſeculo illi.

Imperatiuus eſt, quo imperamus aliis, vt faciant, vel patiantur. Et eſt per ſe abſolutus, nec alterius indiget partis ad ſignificandum: & ideo ſecundum tenet locum in modis. Et hoc, orantes ſæpiſſimè vtimur; vt Muſa mihi cauſas memora ——

Deinde

Digitized by Google

Deinde Optatiuus, per quem optamus. qui ideo tertius in ordine ponitur, quia inferior eſt qui optat, quam qui imperat: Et aduerbio optandi indiget ad complendum ſenſum: vt vtinam legerem.

Quarto loco Subiunctiuus ponitur: & iure. Eget enim non modò Aduerbio, vel Coniunctione: verum etiam altero verbo, vt perfectum ſignificet ſenſum. Vnde & ſubinctiuus dicitur: vt Virgilius: Cum faciam vitula, pro frugibus ipſa venito. Et omnibus aliis modis ſociari poteſt; vt, dum legerem, ſcripſi; & dum legam, ſcribe. Et dum legerem, vtinam ſcriberem.

Infinitiuus eſt, qui & perſonis innumeris deficit, & eget vno, ex ſupradictis quatuor modis, vt plenum aliquid ſignificet: vt legere propero: legere propera: vtinam legere properarem: cum legere properarem.

Imperſonale verbum à neutris actiuæ ſignificationis, vel ab actiuis naſcitur: vt, curritur, viuitur, legitur, amatur. Et per omnes modos, & perſonas, & tempora, & numeros, iunctis pronominibus ritè declinantur: Curritur à me, à te, ab illo, à nobis, à vobis, ab illis. Præterito imperfecto, legebatur. Præterito perfecto, lectum eſt. Præterito pluſquamperfecto, lectum erat. Futurum, legetur. ſic & per alios modos.

F. Quid eſt inter imperſonale, & infinitiuum?

S. Infinitiua verbis iunguntur: vt legere volo. Imperſonalia Pronominibus: vt legitur à me.

F. Quot formæ ſunt Imperſonalium?

S. Quatuor. Aut in tur, aut in at, aut in it, aut in et, exeunt: vt ſtatur, reſtat, contingit, pudet, ſed quæ in et, exeunt, alia à verbis veniunt, vt miſeret. Alia à ſe oriuntur, vt pudet, pœnitet, decet.

F. Quæ ſunt ſupina, vel * participalia?

S. Quinque ſunt eiuſmodi voces: vt legendi, legendo, legendum, lectum, lectu. Quas Priſcianus omnino nomina vult eſſe. quia temporibus carent: & perſonas non diſcernunt: &, Præpoſitionibus ſeparatis iunguntur: vt, ad legendum vado, vel, legendo venio.

participalia f. leg.

F. Intentus ſum de ſpecierum ratione audire maximè; quia hoc accidens verbi Donatus dimiſit.

Digitized by Google

S. Non dimiſit: ſed informis attigit. Nam ſpecies verborum duæ ſunt: Vna principalis, quam Donatus, perfectam formam nominat: vt lego. Altera, deriuatiua, quam ille meditatiuam, frequentatiuam, vel inchoatiuam dicere voluit: vt à lego, lecturio, & lectito, Et à ferueo, ferueſco. Et hæc, id eſt, inchoatiua, ſemper in ſco deſinunt, & tertiæ ſunt Coniugationis: vt, caleſco, caleſcis, veſperaſco, veſperaſcis. Et præteritum non habent tempus: nec participia futuri temporis.

Frequentatiua, primæ ſunt coniugationis, & in tito, vel to; vel ſo, vel xo, deſinunt, vt lectito, as. dicto, as. merſo, as. nexo, as. & fiunt ſemper neutra, vt inchoatiua.

Meditatiua in urio, deſinunt, & quartæ tantum coniugationis ſunt, vt lecturio, is. eſurio, is. quod ab edo deriuatur.

Sunt aliæ quoq; ſpecies deriuatiuorum: vt à video, viſo; id eſt, cupio videre; à facio, faceſſo. à capio, capeſſo. à lacero; ab arceo, arceſſo. ab acceo, acceſſo. quæ frequentatiua non eſſe, coniugatio oſtendit. Sunt quoq; alia per diminutionem deriuatiua, vt à ſorbeo, ſorbillo, à garrio garrulo: à caluo, caluillo. Item à nominibus deriuatiua fiunt: vt à patre, patriſſo: à græco, græciſſo. Imperſonalia quoq; penè omnia ab adiectiuis, vel neutralibus *deriuatiua ſunt, vt à lego, legitur; à ſto, ſtatur. Inueniuntur quoq; & ab aduerbiis verba deriuari: vt perendiè, perendino: & à cras, vt procraſtino: & ab intus, intro, intras.

*deriuata fortè.

DE FIGVRIS VERBORVM.

F. Figuratas verborum compoſitiones expone precor.

S. Sunt verba ſimplicia, vt cupio, taceo, ſed & compoſita, concupio, conticeo. Sunt & decompoſita, id eſt, à compoſitis deriuatiua, vt concupiſco, conticeſco. Sunt & ex tribus partibus compoſita, vt perterrifico. Sunt & quæ mutant in compoſitione Coniugationem: vt do, das, facit reddo, reddis. facio, facis, amplifico, as. Sunt compoſita, quorum ſimplicia in vſu non ſunt, vt offendo, aſpicio, aperio, refragor. Fendo, & ſpicio, & perio, & fragor non reperi. Sunt, quæ genus mutant in compoſitione. ſperno, ſpernis, Actiuum: aſpernor, aſpernaris, deponens. ſedeo, ſedes, neutrum: inſidior, inſidiaris, deponens. obſideo verò, & adſideo, actiua ſunt. eo, & facio, neutra ſunt: adeo, ſubeo, perficio, conficio, & ex eis compoſita, actiua ſunt. faciunt, adeor, ſubeor, perficior, conficior. Ex facio quoq; neutro, verſificor, verſificaris: & à gratificor, gratificaris, deponentia naſcuntur. Complecto, actiuum: amplector, deponens. Componuntur verba

cum

Digitized by Google

cum nominibus, vt ab amplo, & facio, amplifico. Ex quo participium, amplificans. Et, cum altero verbo, vt calefacio, id eſt, calere facio. vel, cum aduerbio, vt benedico. vel cum præpoſitione, vt indico, ſubeo. Sed præpoſitionibus per compoſitionem iunguntur ſemper, ſicut nominatiuo* caſui: cuius vim vbiq; per omnes perſonas verba obtinẽt: vt facio ego, facis tu, facit ille. niſi imperatiua ſecundæ perſonæ vocẽ adſciſcunt, vt ſcribe* Virgili, lege* Terenti.

m. ſ. caſu.

m. ſ. mendoſè Virgilii Terentii.

DE CONIVGATIONE VERborum.

F. Ecce de figuris habeo. ſed coniugationum diſtantias dic mihi. Et primum vnde dicta ſit coniugatio expone.

S. Coniugatio dicta eſt, quod in vnam declinationis rationem plurima coniungit verba.

F. Coniugationes quot ſunt?

S. Apud Græcos* decem. Apud latinos quatuor. Et eorum, quæ in O, prima deſinit perſona, ſi ſecunda in as, finitur, vt, amo, amas, è ſto, ſtas. hæc prima dicitur. Et ſecunda in es, vt moneo, mones. Tertia in is breuem, vt lego, legis. Quarta in is longum, vt, munio, munis. Eorum verborum, quæ in or, prima perſona finitur, & in áris ſecunda, prima eſt coniugatio, vt amor, amaris. criminor, criminaris. luctor, luctaris. Secunda in eris, producta* penultima, doceor, doceris. reor, reris. Tertia in eris, correpta penultima: legor, legeris. ſequor, ſequeris, Quarta in iris, producta penultima, munior, muniris. molior, moliris. Nam ſingula verba certas habent coniugationes. Sunt verba in prima perſona confuſa: in ſecunda verò ſenſu, & coniugatione diſcernuntur, vt dico dicis, & dico dicas: volo volas, volo vis, fundo fundas, fundo fundis, mundo mundas, mundo mundis. Sunt quędam è contrario vnius ſignificationis, ſed diuerſæ coniugationis, vt denſo denſas, & denſeo denſes, ſtrideo ſtrides, ſtrido ſtridis, ferueo ferues, ferueſco, cis: feruo feruis; cieo cies; cio cis; dureo dures, vnde dureſco; & duro duras; tueor tueris; tuor tueris correpta penultima: fulgeo fulges, fulgo fulgis; excelleo excelles; excello excellis; ſono ſonas ſono ſonis: vno vnas; vnio vnis.

m. ſ. decim, non malè. ſed antiquè. vnde vndecim, & porrò.

m. ſ. pene vltima.

F. Quot modis declinantur verba?

S. Quorum rationabiliter prima perſona in o, deſinit, tribus modis declinantur, abſq; præterito perfecto indicatiui, & imperatiuo, & infinitiuo. Nam iuxta præſens tempus trium coniugationum per omnes

Digitized by Google

modos & tempora declinari ſolent verba, niſi præſcriptis. Præteritum verò imperfectum, & Pluſquamperfectum primæ Coniugationis. Item ſecundæ & tertiæ, & quartæ Optatiui. Futurum, & præſens *ſubiunctiui, ſecundum primæ præſens tempus in vltimis literis ſemper declinantur: vt amo, amas, amat: amamus, amatis, amant. amabam, amabas, amabat: amabamus, amabatis, amabant. Amaueram, amaueras, amauerat, amaueramus, amaueratis, amauerant. Optatiui futurum, & præſens Subiunctiui: doceam, doceas, doceat, doceamus, atis, ant. Secundum præſens tempus; ſecundam Coniugationem futuri indicat. In tertia & quarta omne præſens, & præteritum optat: & *ſubiunctatiuum præteritum imperfectum, longam in penultima: & pluſquamperfectum. In omni Coniugatione primę quoq; optatiui futurum, & ſubiunctiui præſens, vt legam. es. et. emus. etis. ent. Doceo, ces. cet. cemus. cetis. cent. ſic declinanda ſunt, amarem amares, amaret. remus. retis. rent. amauiſſem, ſes. ſet. emus. etis. ent. quæ ſunt ſubiunctatiuo, & optatiuo communia.

*m. ſ. ſubiunctatiui.

*ſic m. ſ. vid. ſup.

Item optatiui futurum, & ſubiunctatiui præſens, amem, ames, et. emus. etis. ent. Secundum tertiæ coniugationis præſens, & indicatiui futurum primæ, & ſecundæ, & quartæ, in eo. deſinentis, & ſubiunctatiui præteritum perfectum, & futurum: niſi in tertia perſona plurali, V. mutant in I. vt lego, legis, legit: legimus, legitis, legunt. amabo, is, it: imus, itis, unt. docebo, bis, bit: bimus, bitis, bunt, Subiunctatiui præteritum perfectum; amauerim, is, it; imus, itis, int. Item, amauero, is, it; imus, itis, int. Et quartæ: ibo, ibis, ibit; ibimus, itis, ibunt. Horum autem omnium verborum, quæ bina diſtinctione à ſecunda perſona declinantur, prima perſona aut in O, aut in AM, aut in EM, aut in IM. deſinit.

F. Quomodo Præteritum perfectum, & Imperatiuus declinanda ſunt?

S. Omne præteritum perfectum, ſi iuxta rationem declinantur, in I. mittit primam perſonam. In ſecunda, ſti ſyllabam: tertiam in it. & pluralem numerum in imus, in iſtis, in erunt, vel ēre, longa O mittit.

F. Imperatiui finales literas deprome?

S. Omne Imperatiuum ſingulare; primam, natura abdicante perſonam non habet, & Vocatiuo caſui iungitur, quia præſenti imperat in ſecunda perſona, quæ in prima Coniugatione A longa finitur, vt

ama.

ama. In ſecunda E.quoq; longa, vt aue. In tertia E, breuis, vt lege. In quarta I. longa: vt audi. quæ vbiq; in verbis vel nominibus I. in fine poſita, producitur. Tertia perſona in prima coniugatione in ET. In cæteris Coniugationibus in AT. vt amet, habeat, legat, audiat. Prima perſona in numero plurali in MVS, & ſecunda in TE. Tertia in ENT, in prima Coniugatione. In cæteris, ANT. vt amemus, amate, ament. doceamus, docete, doceant. &c. vbiq; peneultima primæ perſonæ, & ſecundæ longa; abſque tertiæ Coniugationis ſecunda perſona, quod eſt legite. Futurum Imperatiui in TO, ſecunda perſona, vt amato, habeto, legito, audito, longa peneultima abſque tertiæ coniugationis tertia perſona futuri ſimilis eſt vbique præſenti, tertia perſona, & prima pluralis numeri ſimilis quoque eſt plurali præſentis ſecunda perſona pluralis in TOTE. vt amatote, habetote, legitote, auditote. Tertia finit in NTO. vt amanto, docento, legunto, audiunto.

F. De Infinitiuis dic?

S. Omne Infinitiuum præſens RE. & præteritum in SE, & futurum in IRE. vel ESSE in omni Coniugatione definit, vt amare, amaſſe, amatum ire vel amaturum eſſe.

F. Quid de quinq; *Gerundiis ſentiendum eſt? *m. ſ. Gerendiuis.

S. Quid aliud, niſi, vt prius dixi, quod omninò ſecundum Priſcianum nomina ſunt. Nam præpoſitiones ſeparatas: Accuſatiuos caſus, & Ablatiuos accipiunt: vt, amandum, in amando, quod verbo non poteſt *accidere. *m. ſ. vbiq; accedere.

F. Quid tamen diſtat inter amandum, amando, & amatum, amatu?

S. Quod amandum neceſſitatem amoris ſignificat: amatum, initium amoris. Similiter amando, in ipſo amore: amatu, pro amatione, id eſt, pro ipſa re accipitur.

F. Paſſim regulas pande mihi.

S. Pandam breuiter, ne prolixior ſim: quàm *huic puerili ludo decceat. Omne paſſiuum ex actiuo fit vbiq; per omnes Coniugationes O finita, vel M. In Actiuis tempore præſenti, & præteriti imperfecti, & futuri aſſumunt R. in paſſiuis, amabo, amabor: amato, amator: amanto, amantor. amabam, amabar: amarem, amarer: amem, amer: legam, legar, &c. cæteras perſonas, ſecundum prædictas regulas trium Coniugationum præſentis temporis declinantur. Nam ſecunda perſona in RIS, vel in re. definit. Tertia in tur, Et prima in plurali in *ſic m. ſ.

mur.

Digitized by Google

mur. ſecunda in mini. tertia in ntur. Omnium modorum, præter perfectum & pluſquamperfectum, & ſubiunctiui futurum per participium præteriti temporis; & ſum ſubiectiuum verbum declinatur: vt amatus ſum, vel fui: amatus eram, vel fueram. Optatiuus, amatus eſſem, vel fuiſſem. Subiunctiuus, amatus ſim, vel fuerim, eſſem, vel fuiſſem. Futurum, amatus ero, vel fuero. Paſſiua imperatiua ſecundæ perſonæ præſentis in omni coniugatione, ſimiles actiuis infinitiuis, vt amare, docere, legere, audire, peneultima longa, niſi tertia coniugatione. Tertia verò in tur exit. prima pluralis in mur, ſecunda in mini, quod Imperatiuus & Infinitiuus ſimiliter proferuntur in prima coniugatione; tertia pluralis in prima in entur: aliis in antur, & futuri tēporis ſecunda perſona in tor, & tertia in tur. & pluralis prima in ur: & ſecunda in minor. & tertia in ntor: vt, amare, ametur; amemur, amaminor, amentor. Ametor, ametur; amemur, ameminor, amentor. Infinitiua paſſiua ſemper in i. præſentis temporis, vt amari, doceri, legi, audiri. Et præteritum, per participium neutrale, & eſſe, vel fuiſſe: vt, doctum eſſe, vel fuiſſe. & futurum per iri; vt amatum iri. Ecce habes France, quod quæſiſti. ſed tua curioſitas te facit non amatum iri.

Pleraq; indiſtincta in m.ſ.

F. Nec tua te inuidia, gratum iri.

S. Cautè. ne audiat, qui flagellare ſolet. Sed proſequere cætera.

F. Vt reor ordo accidentium depoſcit perſonas verborum inueſtigare.

S. Perſonæ verborum *tres ſunt. Prima eſt, quæ de ſeipſa loquitur, & alias oſtendit. Secunda ad quam loquitur. Tertia, de qua loquitur. niſi enim ſit prima, quæ profert ſermonem, aliæ eſſe non poſſunt. Et primæ quidem, & ſecundæ verborum perſonæ finitæ ſunt. Præſentes enim demonſtrant. Tertia verò infinita eſt. Itaq; eget plerunque pronomine, vt definiatur. Et prima quidem poteſt ſibi & ſecundam, & tertiam coniungere: vt ego, tu, & nos facimus: ego & ille facimus. Secunda verò coniungere ſibi non niſi tertiam, vt tu & ille facitis. Tertia verò nec primam, nec ſecundam, ſed alteram tertiam, vt iſte & ille faciunt. In Imperatiuis prima perſona ſingularis non poteſt eſſe, quia naturaliter imperans ab eo, cui imperat, diuiditur. Infinita quoq;, & imperſonalia, & gerundia carent perſonis naturaliter.

**m.ſ. tria perperam.*

DE

DE NVMERO.

F. Numerum verbis accedentem pande?

S. Numerus ſingularis, vt lego: pluralis, vt legimus: accedit verbo veluti omnibus partibus caſualibus: ſed in verbo ſub vna voce nunquam ſingularis, & pluralis inuenitur numerus, ſicut in cæteris partibus. Vt dies, res, Nominatiuus ſingularis, & pluralis. Iſti, illi, datiuus ſingularis, & Nominatiuus pluralis. Sciendum quoq; eſt tibi, quod quæcunq; verba perſonis deficiunt ſemper & numero Defectiua fiunt, vt Imperſonalia, & Infinitiua. Ideo pronominibus additis adſumunt perſonas, & numeros, vt legitur a me, à nobis: legere te volo, & legere vos volo.

F. Sed quia Defectiua eſſe verba introduxiſti ſubitò Defectiua per ſingula Accidentia, opus habeo, vt pandas mihi maximè, quia Donatus Magiſter noſter hæc valde obſcurè, & breuiter tetigit.

S. Non ſum tibi debitor irrationabilium, ſed rationabilium: & eorum, quæ regulis ſubiaceant. Attamen, vt ſcias, non me inuidioſum eſſe in te: ſicut nec te faſtidioſum intelligo, pandam aliqua ex illis. Tribus enim modis verba, vel aliæ partes ſunt defectiuæ. Aut naturâ Neceſſitatis, aut Fortunæ caſu: vel Differentiæ cauſa. Naturæ neceſſitate, vt ſi vellimus maſculinum ab eo dicere, quod nupta, nuptus, vel à puerpera puerperus, repugnat ipſa rerum natura, vel in conſonantium cauſa, vt, ſi velimus, à curſor, curſtrix facere femininum: ſicut à victor, victrix inconſonum. In fortunæ caſu, inuſitata, & turpia vitantur, & quibus auctores non vtuntur. Quomodo adodor ſecundum regulam dici potuit? ſed quia in auctoribus non inuenitur, recuſamus dicere. Differentiæ quoq; cauſa plurima vitantur: vt fero, fers, fert, per ſyncopam ſine i. litera, in ſecunda, & tertia perſona proferetur: ne, ſi feris, ferit dicas, à ferio putetur venire. ſic edo, es, eſt: &, Volo, vis, vult, differentiæ cauſa anomalam habent literaturam. Et volo naturaliter Imperatiuo modo caret: quia, Imperata neceſſitatis ſunt, non voluntatis. ſic fac, duc, dic, fer; placuit auctoribus per apocopam proferri differentiæ cauſa; ne ſi, face, duce, dice, fere diceremus, aliud ſignificare putaremur. Item multa non dicuntur: quia in auctoribus non inueniuntur, de quibus per ſingula Accidentia, aliqua tuæ pandam auiditati.

Nam *quæſo*, non habet alios modos, niſi Indicatiuum; perſonam

 pri-

primam in vtroq; Numero, & *infinitiuum. Item, *ouat*, & *inſit* non habent niſi tertiam perſonam: & ouans Participium. Item *auſim*, id eſt, auctoritatem habeam; & inquam, contra morem, in prima perſona proferuntur, vt *ſalue*, & *ſaluete*. Imperatiua tantum ſecundam perſonam habent. Item *cedo*, pro da, cete, pro date. Terentius: cete patri meo, id eſt, date. Et *aue*, pro gaude: & auete, pro gaudete, ſecundæ perſonæ ſunt. Item *faxo*, pro faciam, futuri temporis eſt tantum, Indicatiui modi, & facit, faxo, faxis, faxit; faximus, faxiſtis, faxint, id eſt, facient. Item *faceſſo*, & *capeſſo*, & *viſo*, Deſideratiua ſunt, non frequentatiua. quia primę non ſunt Coniugationis. Faceſſo, id eſt, deſidero facere: capeſſo, deſidero capere: viſo, id eſt deſidero videre. Item, *ſis*, id eſt, ſi vis: & *ſodes*, id eſt, ſi audes, ſecundæ perſonæ ſunt. Item *foret*, pro eſſet, & forent, pro eſſent: & fore, pro eſſe, inuenitur. Item *aio*, & *meio*, in multis deficiunt. Nam aio, ais, ait; & aitis, aiunt, facit. In prima plurali deficit. Et, *ait*, præteritum perfectum. ſicut præſens *meio* Infinitiuum meiere facit. ſunt, quæ idem habent præſens, & præteritum Imperfectum, hæc ſola ſ; *odi, noui, memini, cœpi, pepigi*, hæc in imperfecto deficiunt, præter memini, quod memento, & mementote facit, & in futuro, & Infinitiuo modo, & in ſupinis, nec non in Participii vtriſq; temporibus deficiunt: præter odi, q duo participia facit exoſus & peroſus ſunt. Paſſiua quoq;, & Deponentia, quæ in præterito deficiunt: niſi aliunde, ad ſupplementum declinationis ſumatur præteritum, vt *feror, ferior, tollor, poſcor, vrgeor*. faciunt enim præterea latus ſum, ictus ſum, ſublatus ſum, poſtulatus ſum, conuictus ſum. Item deponentia *veſcor, fruor, medeor, liquor, remuneror*, faciunt paſtus ſum, potitus ſum, medicatus ſum, liquefactus ſum, recordatus ſum.

Sum verbum, quod inæqualem habet declinationem, ſiue in ſimplici Participio, ſiue in Compoſitis præſentis temporis deficit: niſi in duobus ab eo compoſitis, id eſt, *abſum*, & *præſum*; quod facit abſens, & præſens. *Poſſum*, potes, poteſt mutat ſ. in t. euphoniæ cauſa. Et, proſum, prodes, prodeſt; abſumit d. hiatus cauſa deuitandæ. *Volo*, verò, & *malo*, & ex eo Compoſitum. id eſt magis volo, naturali neceſſitate Imperatiuo carent, quia imperata neceſſitatis ſunt, non voluntatis. quod tamen in alio ſuo compoſito habet, id eſt, *nolo*. Facit enim noli, & nolite.

*M.S. quaeſſere, mendosè fortè.

F. Pleniorem tamen declinationem horum quattuor Verborum, vt reddas mihi, depoſco: id eſt *ſum, fero, edo, volo.*

S. Inuſitata eſt multis locis illorum declinatio. Attamen vt in magiſtrorum exemplis, eorum reperitur ratio, pandam.

Sum Verbum neutrale eſt, quod declinabitur ſic: Sum, es, eſt: Plural. Simus, eſtis, ſunt.

Præterit. Imperfect. Eram, eras, erat: Plural. Eramus, eratis, erant.

Præteritum perfect. Fui, fuiſti, fuit: Plural. fuimus, fuiſtis, fuerunt, vel fuêre.

Præterit. pluſquamperf. Fueram, fueras, fuerat: Plural. Fueramus, fueratis, fuerant. Futuro: Ero, eris, erit: Plural. Erimus, eritis, erunt.

Imperatiuo modo, tempore præſenti, ad ſecundam, & tertiam perſonam: Sis, vel es, ſit: Plural. Simus, ſitis, ſint.

Futurum eſto, vel ſis, ſit: Plural. ſimus, eſtote, vel ſitis, ſint, & ſunto, & ſuntote.

Optatiuo modo tempus præſens, & præterit. imperf. vtinā Eſſem, eſſes, eſſet: Plural. Eſſemus, eſſetis, eſſent. Præteritum perfectum, & pluſquamperf. Fuiſſem, fuiſſes, fuiſſet: Plural. fuiſſemus, fuiſſetis, fuiſſent. Futurum: Sim, ſis, ſit: Plural. Simus, ſitis, ſint.

Coniunctiuo modo tempore præſenti: Cum Sim, ſis, ſit: Plural. Simus, ſitis, ſint.

Imperfecto, Eſſem, eſſes, eſſet: Plural. Eſſemus, eſſetis, eſſent.

Perfectum: Fuerim, fueris, fuerit: Plural. fuerimus, fueritis, fuerint.

Pluſquamperfectum: Cum fuiſſem, fuiſſes, fuiſſet: Plural. Fuiſſemus, fuiſſetis, fuiſſent.

Futurum: Fuero, fueris, fuerit: Plural. Fuerimus, fueritis, fuerint.

Infinitiuo modo, Numero, & perſonis Tempore præſenti, eſſe. Præteritum: fuiſſe. Futurum, eſſe, & ire, & fore.

Cuius præſens participium veteres, ens proferebant. Vnde componitur potens. Nam futurum magis à fio, verbo videtur naſci. Poteſt tamen & à fui, eſſe exiſtimari. ſic enim declinanda ſunt ex eo compoſita, *proſum, adſum, deſum, obſum.*

Interſum; & ex eis duo participia præſentis temporis, id eſt *præſens*, & *abſens*.

Fero Verbum, diſcretionis cauſa, per ſyncopen abiecit I. in ſecunda, & tertia perſona propter ferio verbum: quod ferio, feris, ferit, facit.

Fero, fers, fert; Plurali: ferimus, fertis, ferunt.

Imperfectum: ferebam, ferebas, ferebat: Plur. ferebamus, ferebatis, ferebant.

Præteritum perfect. tuli, tuliſti, tulit: Plural. tulimus, tuliſtis, tulerunt, vel tulêre.

Præterit. pluſq. tuleram, tuleras, tulerat: Plural. tuleramus, tuleratis, tulerant.

Futurum: feram, feres, feret: Plural. feremus, feretis, ferent.

Imperatiuus: Fer, ferat, ferat: Plural. feramus, ferte, ferant.

Futurum: Forto, ferat: & Plural. feramus, fereote, ferant.

Optatiuus, ferrem, ferres, ferret: Plural. ferremus, ferretis, ferrent.

Pluſquamperf. tuliſſem, tuliſſes, tuliſſet: Plural. tuliſſemus, tuliſſetis, tuliſſent.

Futurum: feram, feras, ferat: Plural. feramus, feratis, ferant.

Coniunct. feram, feras, ferat: Plur. feramus, feratis, ferant.

Imperfect. ferrem, ferres, ferret: Plur. ferremus, ferretis, ferrent.

Perfectum: tulerim, tuleris, tulerit: Plural. tulerimus, tuleritis, tulerint.

Pluſquamperf. tuliſſem, tuliſſes, tuliſſet: Plur. tuliſſemus, tuliſſetis, tuliſſent.

Futurum: tulero, tuleris, tulerit: Plur. Tulerimus, tuleritis, tulerint.

Infinitiuus, deſideratur.

* Edo verbum inæquale, cujus ſecunda, & tertia perſona cauſa differentiæ per conciſionem profertur.

Edo es eſt: Plural. edimus, eſtis, edunt.

Præteritum imperfect. Edebam, edebas, edebat: Plur. Edebamus, edebatis, edebant.

Præterit. perfect. Edi, ediſti, edit: Plural. Edimus, ediſtis, ederunt, vel edêre.

Pluſquamperf. Ederam, ederas, ederat: Plural. Ederamus, ederatis ederant.

Futurum: Edam, edes, edet: Plural. Edemus, edetis, edent.

Imperatiuus: Es, edat: Plural. Edamus, eſte, edant.

Futurum: Eſto, edat: Plural. Edamus, eſtote, edant, vel edunto, & eduntote.

Optatiuus: eſſem, eſſes, eſſet: Plural. eſſemus, eſſetis, eſſent.

Ediſſem, ediſſes, ediſſet: Plural. ediſſemus, ediſſetis, ediſſent.

Edam, edas, edat: Plural. Edamus, edatis, edant.

Coniunct.

Coniunct. Edam, edas, edat; Plural. Edamus, edatis, edant.
Eſſem, eſſes, eſſet: Plural. eſſemus, eſſetis, eſſent.
Ederim, ederis, ederit: Plural. Ederimus, ederitis, ederint.
Ediſſem, ediſſes, ediſſet: Plural. Ediſſemus, ediſſetis, ediſſent.
Edero, ederis, ederit: Plural. ederimus, ederitis, ederint.
Infinitiui modi tempus præſens, eſſe. ſimiliter præteritum, eſſe.
Futurum: eſum iri, vel eſurum eſſe.
Imperſonale; eſtur. Edebatur. eſum eſt, vel fuit. eſum erat, vel fuerat. Futurum, edatur. Supina; edendi, edendo, edendum, * eſum, eſu. *M. S. mendoſe, hic & ſupra, eſſum eſſu.

Volo quoq; verbum neutrale per ſyncopam prolatum, in ſecunda, & tertia perſona, & in Imperfecto defecit.
Volo, vis, vult; Plural. Volumus, vultis, volunt.
Volebam, volebas, volebat; Plural. Volebamus, volebatis, volebant.
Volui, voluiſti, voluit: Plural. Voluimus, voluiſtis, voluerunt, vel voluêre.
Volueram, volueras, voluerat; Plural. Volueramus, volueratis, voluerant.
Volam, voles, volet: Plural. Volemus, voletis, volent.
Vellem, velles, vellet: Plural. Vellemus, velletis, vellent.
Voluiſſem, voluiſſes, voluiſſet: Plural. voluiſſemus, voluiſſetis, voluiſſent.
Velim, velis, velit: Velimus, velitis, velint.
Vellem; velles, vellet: Plural. vellemus, velletis, vellent.
Voluerim, volueris, voluerit: Plur. Voluerim⁹, volueritis, voluerint.
Voluiſſem, voluiſſes, voluiſſet. Plur. Voluiſſemus, voluiſſetis, voluiſſent.
Voluero, volueris, voluerit. Plur. Voluerimus, volueritis, voluerint.
Infin. Præſens, Velle. Præteritũ: voluiſſe. Participium pſens; Volens.
Sic declinandum eſt nolo: non vis, non vult: ſic niſi quod volo Imperatiuum habet, vt, noli; nolite.
Malo, mauis, mauult: & reliqua.
Immitis es in me France, Ecce quale onus impoſuiſti mihi, ducens me per aſpera, & ſpinoſa. Dimitte me tandem aliquãdo reſpirare.
F. Dimittam, & iuxta Virgilium: Ego, hoc te faſce leuabo.
S. Etſi hoc leuas: timeo, ne aliud imponas.
F. Noli timidus eſſe: ----- labor omnia vincit Improbus ——.
S. Vincit: quapropter eamus viæ quod reſtat.

Digitized by Google

INCIPIT DE ADVERBIO.

F. Tandem, Saxo, diu obſerata ora reclude: & hucusq; clauſas aduerbiorum regulas enuclea mihi.

S. Faciam France. Aduerbium eſt pars orationis ſemper verbo cohærens: & hoc agit verbis additum, quod adiectiua nomina, Appellatiuis adiuncta: vt prudens homo, prudenter agit: felix vir, feliciter viuit.

F. Aduerbio quot accidunt?

S. Tria. ſpecies: ſignificatio, figura.

F. Speciem pande.

S Quia ſunt primitiua, aut deriuatiua.

Primitiua quidem ſunt, quæ à ſe naſcuntur, vt non, ita, heu.

Deriuatiua, quæ ab aliis Aduerbiis naſcuntur, vt à clam, clanculum: & prope, propius: Et ab aliis partibus orationis. Vt à nomine latinus, latinè: Tullius, Tullianè. A verbo: à parco, parcius. A nomine, & verbo, à pede, & tento, pedetentim. A pronomine, vt à me, mecum: ab ille, & hic, illic. A præpoſitione: vt ab ex, extra.

F. Nunquid Aduerbium per ſe poſitum, plenum poteſt habere ſenſum?

S. Nō poteſt: niſi Verbo, vel Participio legatur: vt benè lego, benè legens.

F. Poſſunt ne aliæ partes pro Aduerbiis poni?

S. Poſſunt. Nam Nomina per diuerſos caſus, pro Aduerbiis ponuntur.

F. Da exemplum.

S. Genitiuus pro Aduerbio ponitur, vt Romæ; vt, Cicero Romæ ne ſit. Datiuus, Veſperi, Sorti: Virgil. ſunt quibus ad portam cecidit cuſtodia ſorti. Accuſatiuus, Romam pergo, Athenas: Terent. quid tu indocte Athenas? Ablatiuus. Virgil. Fortè ſub arguta conſederat ilice Daphnis.

F. Quomodo diſcerni poteſt, vtrum nomina ſint ſic compoſita, an Aduerbia?

S. Cum nomina loco Aduerbiorum accipiuntur, manent indeclinabilia: licet diuerſis fungantur caſibus, vt ſublimè volans, ſublimè volantis, ſublimè voluta, &c. Si verò nomina ſunt, declinantur.

Digitized by Google

tur, vt, hoc ſublimè volans, huius ſublimis volantis, huic ſublimi volanti, &c.

F. Num aliæ partes pro Aduerbiis ponuntur?

S. Ponuntur. Nam vel Coniunctio, &, per, & ex præpoſitiones pro valdè accipiuntur: vt Cicero; vel magnum bellum, pro valdè magnum. excelſus, pro valdè celſus.

F. Figuræ Aduerbiorum quot ſunt?

S. Tres, Simplex, vt diu, Compoſita, interdiu.

Decompoſita, id eſt, quæ à Compoſitis deriuantur, vt ab indocto, indoctè. à miſericorde, miſericorditer.

F. Significatio Aduerbiorum quæ eſt?

S. Significatio Aduerbiorum diuerſas ſpecies habet.

Sunt autem Temporalia, vt pridem, nuper, *nuduſtertius. *ſic M. S.

Sunt, quæ præſens tantùm tempus ſignificant, vt nunc, præſtò. ſunt, quæ præteritum, vt heri, heſternò. ſunt, quæ futurum, vt cras, perendiè. ſunt alia communia diuerſorum temporum, vt olim, dudum, Præteriti: Horat. Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum, Præſentis: verùm ac iam olim ſeras poſuit cum vinea frondes. Futurũ: Idem, Forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit. Dudũ præteritum. Ego dudum nonnihil veritus ſum. Præſentis: verùm, iam dudum ſumite pœnas. quondam, præteritum: quondam fuit iſta, in hac republica Virtus. Præſens: Verum Quondam etiam victis redit in præcordia virtus. Futurum: Tempus erit quondam ---- ſimiliter ex eo compoſita: aliquando, nequando; quæ in penultimo accentum habent: ne duę partes putẽtur: ſed quãdo, & quomodo, vbi, vnde, qua, quo, Interrogatiua acuũtur; Reuelatiua, grauãtur, per omnes ſyllabas. Et ſunt differentiæ quatuor.

Ad locum, quò. In *locum, vbi. De loco, vnde. Per locũ, quà. quãdo quoq; pro cauſali coniunctione accipitur. Virgil. Hîc tibi, faber enim, quando hæc te cura remordet: quando, pro quoniam poſuit. ſed & alia ſunt localia, quatuor differentias habentia. *loco, fortè.

Ad locũ, huc, illuc. In loco: hîc, illic. De loco, hinc, illinc, inde: & ex eo cõpoſita, ſubinde, perinde, exinde, proinde. q̃ omnia penultimam acuunt. Per locũ. hac, illac. ſunt quoq; à verſum, & nomine, & Pronomine Compoſita; Ad locum, horſum, deorſum, ſurſum, ſiniſtrorſum, dextrorſum. Italiã verſum; & quorſum, id eſt, quò verſum. Alia Dehortatiua: vt, ne q, pro neq;, & ꝓ ne, & pro valdè accipitur. Cicero: Ne

dici

Digitized by Google

dici quidem opus eſt: pro, neque dici. Terent. ne dicam dolo: pro, ne dicam. Item, ne vlla illum haud mouit, pro valdè illa.

Alia, confirmatiua; profectò, ſcilicet, quippe, videlicet, nempe. Inueniuntur quoq; duæ partes pro his poni: vt, quidni, cur ne, ſic eſt, quid iſtic.

Alia, iuratiua, vt Ædepol, Æcaſtor, medius* fidius. Per, quoque Præpoſitio pro his accipitur, vt Virgil. per te, per, qui te talem genuêre parentes. Eſt quoq; per Confirmatiuum. Terent. Tu quoque perparcè. Sic, quoque iuratiuum eſt: Virgil. ſic ſua* Cyrneas fugiant examina taxos. Alia optatiua: vt, vtinam. quod compoſitum eſt ex vti, & enim. o. &, ſi. Virg. adſis ô tandem. Idem. ſi nunc ſe nobis ille aureus arbore ramus Oſtendat.

*deſiderabatur.

* M.S. meâ deſiſsimè, Gorinias.

Alia, hortatiua: vt, eia, aie.

Alia, remiſſiua: pedetentim, paulatim, ſenſim.

Alia Congregatiua loci & temporis communia, vt ſimul, vna, in eodem loco, & in eodem tempore. Alia diſcretiua: ſeorſum, ſecus, ſeparatim, ſecretò, vtrimq;, ſingillatim, bifariam, omnifariam.

Alia ſimilitudinis, vt ceu, quaſi, velut, veluti, ſic, ſicut, vt, vti.

Alia ordinalis, vt deinde, continuo, protinus, præterea.

Alia, Intenſiua; vt, valdè, nimium, prorſus, penitus, omninò.

Alia Comparatiua, vt magis, minus, ocyus, quod à Græco deriuatur ὤκιον.

F. Nunquid, quæ ab aliis deriuantur, primitiuorum ſignificationem, vel qualitatem ſeruant?

S. Seruant vtiq;, vt à Tullio, Tullianè, à corpore, corporaliter. Ab alio, aliter. A Græco, græcè; à viro viriliter.

F. Proſequere alia.

S. Sunt Numeralia, vt ab vno, ſemel; à duob᾽, bis. q̃ ſola, inæqualiter proferuntur. Cæteri verò Numeri à vocibus ſuis faciunt Aduerbia à tres, ter, à quatuor, quater; & ſic decies.

Alia Demonſtratiua, en, ecce. Alia, Interrogatiua, vt cur, quare, quamobrem. Alia negatiua, vt non, * haud, minimè, nunquam. Eſt, quando duæ partes pro his accipiuntur vt, nullo modo, nullatenus.

* M.S. huat. conſtanter & ſemper.

F. Nunquid Aduerbia ſynonyma, vel polyonyma poſſunt eſſe?

S. Poſſunt, ſunt ſynonyma, id eſt, dum multæ voces vnam rem ſignificant. vt en, ecce. & penè in omnibus ſignificationibus inuenies polyonyma: vt, vbi, quò, quà, quomodo, quæ ſunt Infinitiua, & In-

& interrogatiua, & reuelatiua.

O, quoq; diuerſas habet ſignificationes. Eſt Aduerbium vocandi: Virg. O regina nouam cui condere Iupiter vrbem. Eſt admirandi: Iuuenalis: O qualis facies! ------ Eſt indignandi, vt, ô tempora, ô mores. Eſt & optandi; Virg. Adſis ô tandem.

In aliis quoq; multis Aduerbiis inuenies multas ſignificationes, in vna, eademq; voce. quomodo etiam è contrario in diuerſis vocibus, vnam ſignificationem; vt quando, olim, dudum, citò, propè, celeriter, actutum.

F. An conuenientius præponuntur Aduerbia, vel ſupponuntur?

S. Manifeſtè aptius præponuntur: quomodo adiectiua nomina; vt bonus homo, benè agit: fortis Imperator fortiter pugnat. Tamē præpoſterè inueniuntur poni multa, præter monoſyllaba, vt, non, dum, en, cur. Demonſtratiua quoq;, & interrogatiua, & hortatiua, & ſimilitudinis, vocatiua Aduerbia, & optatiua Aduerbia præponūtur, vt, en, ecce, cur, quare, eia,* age, ceu, quaſi, heus, vtinam. *m.f. eie mend. e vitioſa pronunt.

Habes, France, de Aduerbio ſatis.

F. Non ſatis: tamen pauſemus ad horam.

S. Pauſemus.

INCIPIT DE PARTICIPIO.

F. Surge, Saxo.

S. Quid vis, France.

F. Vt regulas Participiorum pandas mihi velim.

S. Pandam. ſed illa pars parum quid habet obſcuritatis. Tamen, ſi quid opus habeas, interroga.

F. Primo interrogandum reor, vnde Participium dictum ſit.

S. Participium dictum eſt: quia partem Nominis, partemq; Verbi tenet. & medium interea locum habet, & ſemper in deriuatione eſt: quod nulla alia pars orationis habet: dum aliæ partes primitiuas habent ſpecies, vnde deriuantur, vt à rege, regalis: à mei, meus, à ferueo, ferueſco: à propè, propius. ab ex, extra. Participia autem ſemper à Verbis deriuantur, & comparationem non poſſunt habere. Si comparantur, tranſeunt in Nomina: vt amans, ab amo Verbo veniens. Si facis amans, amantior, amantiſſimus, Nomen eſt, carens tempore.

F. Sed vnde agnoſco an Nomen ſit, vel Participium talis dictio?

S. Ex caſuum circumſtantia. Nam Participium caſum ſui Verbi ſequitur, vt amo illum, amans illum. Nomen verò ſi fiet, caſum *verbalis *m.f. verbialis.

OO

balis nominis ſequitur: vt amator illius; ſic dicimus amans illius. Vides, quod Participium Accuſatiuo; Nomen genitiuo iungitur. ſed & Participia tempus ſignificant.

F. Numquid non quædam nomina quoque tempus ſignificant: vt annus, menſes, dies, hora, & alia multa?

S. Significant. ſed intereſt: quod nomina illa nihil aliud ſignificãt, niſi ipſum tempus per ſe. participia itaque actionem vel paſſionem in quolibet fieri tempore demonſtrant, non ipſum tempus. Et, quod participium exſequitur caſus, quos & verba, ex quibus naſcuntur. Et quod verborum ſignificationes habent, & quod pro verbo ponuntur. Vnde quidam Participium, verbum caſuale nominant. quia quod verbo per ſe deeſt, id eſt caſus, poſſidet in Participio. Ideo in cõſtructione per obliquos caſus, vbi verbum iungi non poteſt, Participium loco verbi ſubiit, vt bonus loquebatur, boni hominis loquentis orationem audiui, bono homini loquenti reſpondi, bonum hominem loquẽtem audiui: tu, bone homo loquere: à bono homine loquẽte didici. Ex eo Nominatiuus, & vocatiuus recti caſus nominantur. quia per ſe verbis iungi poſſunt.

F. Quam vtilitatem habet Participium in Nominatiuo & Vocatiuo, ſi ſic verbi loco obliquis iungatur?

S. Quod verba ſine cõiunctione in Nominatiuo & Vocatiuo, coniungere potes. Nam diuerſa verba ſine coniunctione recti iungi non poſſunt, vt lego, ſcribo, vel doceo diſcis. nõ eſt dicendũ, ſed lego, & ſcribo; doceo & diſcis. ſi participiũ loco prioris verbi ponas, benè ſine coniũctione ꝓfertur, vt legẽs ſcribo, docẽs diſcis. Igitur participiũ inuentum eſt, vt in nominatiuo & vocatiuo, ſine cõiunctione ꝓferatur, cum alio verbo, vt legens doceo, ꝓ lego, & doceo: & legens fac, pro lege & fac. quæ poſitio intranſitiua eſt, hoc eſt, ipſam in ſe oſtendit manere pſonam. Obliqui verò caſus Participiorũ ad hæc ſunt vtiles: quod non ſolum ſine coniunctione proferuntur, ſed etiam ad alias tranſeant pſonas: vt docentis potior, docenti reſpondeo, docentem audio; illo docente didici.

F. Quot * accidunt participio? *m. ſ. accedunt.

S. Sex. Genus, caſus, ex nomine: ſignificatio, tẽpus ex verbo: numerus, figura, ex vtroq;. F. Quot genera habet?

S. Quatuor. Maſculinum, vt amatus: Femininum, vt amata: Neutrum, vt amatum: omnis generis, vt hic, & hæc, & hoc amans. Nam cõmune duũ generũ, & epicœnon nomena, in participio inueniri, natura ipſa

probi-

prohibet. Cum enim verba, ex quibus naſcuntur Participia, pariter oĩbus iungantur generibus, vt legit vir, legit femina, legit mancipium: neceſſario participium, quod ex eo proficiſcitur, eiſdem generibus aſſociatur. Et; omne participium in ans, vel in ens, præſens, & præteritum imperfectum, ſiue trium generum eſt: vt hic, & hæc, & hoc laudans, docens, legens, audiens. Si verò in us. finiuntur, præterita, vel futura. mobilia ſunt per tria genera, vt amatus, amata, amatum: amaturus, amatura, amaturum. F. Caſus participiorum expone mihi.

S. Caſus Participiorum ſex ſunt, ſicut & nominum. Nec ſunt inuenta Participia in aliquo caſu deficientia, ſicut nec nomina mobilia, vel in duas deſinentes conſonantes: Quæ enim deficiunt, fixa ſunt, vt fas, *.......... tabo.

F. Quomodo declinantur Participia?

S. Ad ſimilitudinem nominum in ens. deſinentium, vel in us. mobilium.

F. Tempora Participiorum qualiter currunt?

S. Participia coniuncta habent, ſicut verba infinitiua, id eſt, præſentis temporis, & præteriti imperfecti. Item præteriti perfecti, & pluſquamperfecti pariter. vt legens ſcribo, & legens ſcribebam. lectus fuit, lectus fueram.

F. An ex omni ſignificatione verborum omnia tempora inueniũtur in participiis?

S. Nequaquam. Nam, cum quinq; ſint verborum ſignificationes: Actiua, Neutra, Paſſiua, Communia, Deponentia. Participia ab Actiuis quidem, & Neutris, præſentis temporis inueniuntur, & futuri: vt, amans, amaturus, ſtans, ſtaturus. ſed præſentis participium, & ſubſtantiuum verbum ſum, præteritum perfectum proferimus: vt amans fui, fuiſti, fuit: pro, amaui, amauiſti, amauit. Et ſic per omnes modos, in tẽpore præterito perfecto, & pluſquamperfecto. Itaq; quod deeſt naturaliter, ſimplici dictione impletur, iunctura ratione. Inueniuntur tamen in quibuſdam Neutris participia præterita; vt à cœno, cœnatus à prãdeo, pranſus, à placeo, placitus, à nubo, nupta, à pateo, paſſus. Vir. Crinibus Iliades paſſis, id eſt, diſperſis. Fit quoq; à patior, paſſus, à iuro, iuratus: adſueſco, adſuetus: titubo, titubatus, & talia multa: vt diſceſſus, interitus, obitus, occaſus, pot⁹, ſenectus. neutropaſſiua quoq; quæ quinq; ſunt, trium temporum habent participia: vt gaudeo, gaudens, gauiſus, gauiſurus: Audeo, audẽs, auſus, auſurus: ſoleo, ſolens, ſolitus, ſoliturus: fio, fiens, factus, futurus: differẽtiæ cauſa, ne, ſi facturus

m. ſ. Primè: ia, pro Priameia. eſt alius loci.

diceretur, à facio Verbo putaretur, quod vim actiuam habet: cuius Paſſiuum fio eſt. Fido quoq;, fidens, fiſus, fiſurus facit. A paſſiua ſignificatione duo quoq; veniunt Participia, Præteritum, & Futurum: vt amatus, amandus; pro cuius Præſenti ſæpè neceſſitatis cauſſa auctores Prętcrito vti inueniuntur.

A Communi Verbo quatuor naſcuntur Participia, & non mirum; quia & Actiuam habet ſignificationem, & Paſſiuam Commune Verbum: & ideo vtriuſq; ſignificationis habet Participia. Actiuæ, vt criminans, & criminaturus. Paſſiuæ, vt criminatus, & criminandus. ſed criminatus in vtraq; inuenitur ſignificatione.

Sciendum eſt tibi, ô France, quod omnia Participia in DVS. deſinentia, eadem poſſunt eſſe & Nomina.

F. Et quomodo poſſum, ô Saxo, ſcire, an ſint Nomina, vel Participia?

S. Dum Nomina ſunt, amittunt tempora, vt olim tibi dixi: vt. docendus ſum: Participium eſt. ad docendam Rhetoricam veni, Nomen eſt.

A Deponenti trium temporum veniunt Participia: Præſentis, & Præteriti imperfecti, ſequens: Præteriti perfecti, & Pluſquamperfecti, ſecutus. Futuri, ſecuturus. Sed apud antiquos ex huiuſcemodi Verbis Participia Præteriti temporis tam Actiuam, quàm Paſſiuam ſignificationem habentia inueniuntur, vt meditatus, auxiliatus, amplexatus, adminiculatus, vtriuſq; ſignificationis poſſunt eſſe.

F. Numeros Participiorum profer.

S. Numeri Participiorum duo ſunt, Singularis, vt currens: Pluralis, vt currentes. Et, ſicut non deficiunt caſibus; ſic nec numeris defectiua inuenies Participia.

F. Figuræ Participiorum vnde veniunt?

S. A Verbis ſemper, vt ab efficio, efficiens: ab intellligo, intelligẽs. Nam per ſe nunquam componitur Participium, niſi prius componatur eius Verbum. Si enim ipſa componuntur per ſe, tranſeunt in Nominum vim: vt noceo, nocens, innocens nomen eſt, innocentior faciens. ſapio, ſapiens, inſipiens nomen eſt. Simplicia enim eorum poſſunt & Nomina & Participia eſſe. Compoſita verò tantum Nomina eſſe.

F. Memini te dixiſſe, omnia Participia eſſe deriuatiua à Verbis. Velim ſcire à quibus temporibus, vel modis ſint deriuata.

S. Ab Indicatiuo modo prę̃ſentis temporis fiunt Participia præſentia.

tia, & ſemper in ans. vel in ens deſinunt: vt ab amo, amas, amans: habeo, habes, habens, interpoſita n. ſecundæ perſonæ vltimis literis. In tertia & quarta Coniugatione o. conuerſa in ens. fiunt Participia. vt lego, legens. audio, audiens.

Præſentis temporis Participia, & Futuri veniunt à Supino Verbo u. finito, addita s. in præterito: rus. in futuro. vt amatu, amatus, amaturus. cœnatu, cœnatus ſum, cœnaturus. criminatu, criminatus, criminaturus. loquutu, loquutus, loquuturus. Mortuus ſolum à morior duo u u. habet. Paſſiua verò futura, veniunt à Genitiuo Participii præſentis temporis, tis in dus conuerſa: vt amans, amantis, amandus.

F. O ſi voluiſſes colligere difficiliora verba, cum præterito perfecto, & ſupino, & participio, quàm neceſſarium eſſet.

S. Neceſſarium eſſet: ſed modum noſtri ludi excederet.

F. Tamen aliqua profer. cætera facilius coniicio.

S. Faciam. Amaui, amatum, amatus. Necto, nectis, nexui, nexum, nexus. Et ex eo frequentatiuum nexo. Et do, dedi, datum, daturus, A breui vbique. Oro, oraui, oratum, oraturus. Seco, ſecui, ſectum, ſecturus. Neco, necui, nectum, necturus. à neco quoque necatum inuenitur. ſed necatus ferro dicitur occiſus. nectus verò alio quolibet modo. Plico, & plicaui, & plicui facit: ideo & plicatum, & plicitum inuenietur. Ita, & ex eo compoſita explico, duplico, implico dupliciter proferuntur. Nam laui, & caui, & faui, differentiæ cauſſa à longam au mutant; lautu & lautus: cautu & cautus, fautu & fautus faciunt, quia latum, & catum, & fatum, alias habent ſignificationes. Sto, ſtas, ſtatum, ſtaturus longa, a. cum in nominibus ab eo deriuatis, vbique breuietur, vt ſtatus, ſtabilis. vt Lucanus, quorum ſtata tempora flatus. Iuuo, iuui, iutum, longa V. Vnde adiutus. Sterno, ſtraui, ſtratum, ſtraturus. Edo, edi, eſum, eſurus. Ex quo eſurio. Eruo, erui, erutum, eruturus. Cio, ciui, citum, citurus. Moueo, moui, motum, moturus. Sedeo, ſedi, ſeſſum, ſeſſurus: quod geminat s. ne duæ partes putentur. Foueo, foui, fotum, foturus. Facio, feci, factum, facturus.

Et obſeruandum eſt tibi, ô France, quòd penè in omnibus Verbis, quæ minuunt ſyllabas, in præterito perfecto quidem ſemper penultimas producunt, licet in præſenti correptæ eſſent.

F. Vnde fit hoc?

S. Vt compenſent temporibus quidem de e. in ſyllabis. Sero, ſeui,

ſatum, ſaturus. Vnde ſertus. Sino, ſiui, ſitum, ſiturus. Pono, poſui, poſitum, poſiturus. Lino, liui, litum, liturus. Eo, iui, itum, iturus. Rideo, riſi, riſum, riſurus. Video, vidi, viſum, viſurus. Ardeo, arſi, arſum, arſurus.

m.ſ. penſu, tonſu.

Mordeo, momordi, morſum, morſurus. Pendeo, pependi, *penſum, penſurus. Tondeo, totondi, *tonſum, tonſurus. Spondeo, ſpopondi, ſponſũ, ſponſurus. quod s. in ſecunda amittit ſyllaba. Candeo, ſtudeo, fundo, ſplendeo, faciunt ſupina, canditum, ſtuditum, fronditũ, ſplenditum, licet rariſſimè à neutris ſecundæ coniugationis ſupina vel participia inuenias: vt caleo, tepeo, horreo, rubeo, palleo, & cætera talia. Sed non eſt opus tibi, vt quadriformi tramite per ſingula verba curram. Poteris ex Supinis Participia intelligere, vel ex Participiis Supina.

F. Fac vt placeat: tamen vt obſcuriora ſemper pandas.

**m.ſ. mixi mend. *m.ſ. flexo mend. *m.ſ. caſſũ mend. *m.ſ. vel mend. *m s. quaſum perperam. *ſubaudi literas. ſic perpetuò loquitur.*

S. A pateo, patui, paſſum. & patior, paſſus naſcitur. Meio, *minxi, mictum. & mingo, *minxi, mictum. n, euphoniæ cauſa amittens: & inde micturus. *Flecto, flexi, flexus, flexurus. Fluo, fluxi, fluxurus. Obſoleo, obſoleui, obſoletum: ab obs, & oleo, compoſitum à ſoleo. A careo, caſſus, cariturus inuenitur. Habeo, habitum, habiturus. Cado, cecidi, *caſum, caſurus. Cedo, ceſſi, ceſſurus. Fodi, foſſum. Dedi, datum. Credidi, creditum. Capio, cepi, captum. Cœpi, cœptum, cuius præſens cœpio in vſu non eſt. Sapiui, ſapitum: Peperi, partum, pariturus: & ex eo parturio. Orior, ortus, orturus. & morior, mortuus. hoc ſolum *per duo u u profertur. Quatior, *quaſſum: vnde frequentatiuum quaſſo, quaſſas. Percutio, percuſſi, percuſſurus, per *duos ſſ. Vro, vſſi, vſturus. Farcio, farſi, farſum, farſurus. Sarcio, ſarſi, ſarſum, ſarſurus. Potior, potiturus. Argui argutum, id eſt, conuictum, arguturus. Ruo, ruitum, ruiturus. Loquor, loquutum, loquuturus. Fruor, fructum facit. Sicut ſtruo, ſtructum, ſtructurus. Caluo, id eſt decipio, calui, caluitum ſecũdum regulam debet facere. ex eo calumnia deriuatur. Neo, neui, netũ, neturus.

Sciendum quoq; tibi eſt, quod ſæpè ea verba, quæ in præterito perfecto v: conſonantem aſſumunt, in ſecunda & tertia perſona, ſyncopam patiantur, vt neo, neui, neuiſti vel neſti: amo, amauiſti, vel amaſti, & in plurali, amaſtis, vel amarunt. Illa verò quæ in præſenti v. habent conſonantem, non poſſunt in præterito ſyncopam pati, vt lauo, lauaſti: nemo dicit laſti, vel laſtis, vel laſit. Ico, ici, ictum, icturus, *breui i. In præſenti & præterito longa. quieui, quieturus. liqui, lictu, licturus: & ex eo reliqui, relicturus. Vinco, vici, victurus. Creſco, creui,

**mend: aliquid deeſt.*

Digitized by Google

cretum, creturus. Scio, ſciui, ſcitum, ſciturus: & ex eo ſciſco, noſco, noui, *notu, noturus. Ignoſco, ignoturus, Paſco, paui, paſtum, paſturus. Diſco, diſcitum, diſciturus. Parco, parſu, parſurus. Paciſcor, pactum, pacturus. Proficiſcor, profectum, profecturus. Expergiſcor, præterito, *expergitus ſum, experrectu, experrecturus. Nanciſcor, *nactus ſum, nactum, nacturus, abſque n. Pangor, pactus, pacturus. Fingor, fictus, ficturus. Tangor, tactus, tacturus. Iungor, iunctus, iuncturus. Fungor, functus, functurus. Plangor, planctus. Angor, anctus. Participium præteriti faciunt ſic: Vlciſcor, vltus. Iraſcor, iratus. Defatiſcor, defeſſus, id eſt, fatigatus. Nam à deficio defectus fit Participium. Comminiſcor, commentum. Adipiſcor adeptum. Tundo, tutudi, tunſurus. Rado, raſi, raſurus. Credo, credidi, crediturus. Cado, caſum, A producta. In omni enim Supino & Participio præteritũ tẽporis, A. ꝓducitur penultima, exceptis datum, & ſtatum, & ſatum. Findo, fidi, fiſſum, fiſſurus. A comedo quoque comeſum & comeſtum inuenitur. Oſtendo, oſtentum, vel oſtenſum, oſtenſurus. Mergo, merſi, merſu, merſurus. Tergo, terſi, terſum, terſurus. Pungo, pupugi, vel punxi, punctum. Ago, egi, actum, acturus. Pango, pegi, pactum. Ex eo impingo. Fingo, finxi, fictum. Stinguo, ſtinxi, ſtinctum. Ex eo exſtinguo. Ango, anctum, anxurus. Cogo, coëgi, coactum. Veho, vexi, vectum. Pſallo, pſalli facit; cuius nec Supinum, nec Participium legi. Vello, vulſi, vulſum. Pello, pepuli, pulſum. Alo, alui, alitus, vel altus. Tollo, ſuſtuli, ſublatum, ſublaturus. Como, compſi, comptum, cōpturus. Demo, dempſi, demptum.

**m.ſ. ſine menda. perinde n. vtrum ponas ſupinum.*
**m.ſ. expertus mendoſè.*
**Hic omnia erant mendoſa. ſed reſtituta ſunt tibi*

Sciendum eſt tibi, quod huiuſmodi poſitionibus literarum, vbiq; inter m. & tum. p. ponendum eſſe. Vomo, vomui, vomitũ. Premo, preſſi, preſſum, preſſurus. Cano, cecini. ex eo occino, occinui, occentum: Succino, ſuccentum. Temno, tempſi, temptum. Creo, creui, cretum. ex eo, & de verbo, Credo componitur; quaſi certũ do. Lino, liui; vel linio, litum, liturus. Sciendum eſt, quod tam litum, & itum; & ex eo compoſita, obitus, præteritus, & itum, & queo, quitum: & à cio, citum, à nequeo, nequitus corripiunt penultimas. quod in aliis Supinis, vel participiis, quæ à Præteritis in vi terminantibus non inuenies: vt Amaui, amatus: Moui, motus: Cupiui, cupitum. Noui, notum. Rumpo, rupi, ruptum. Verro, verri, verſum, verſurus. Quæro, quæſiui, quæſitum. *Reor, ratus. exſero, exſerui, exſertum,

**nugæ ob mendas opinor.*
**m.ſ. reo mend.*

Digitized by Google

ſertum, exſerturus. Meto, meſſui, meſſum, meſſurus. Mitto, miſi, miſſum, miſſurus. per duo ſſ. cùm miſi per vnam debeat ſcribi. Peto, petiui, petitum, longa penultima. Texo, texui, textum. nexo, nexui, nexum. *fartio, farſi, fartum: vnde fartores. ſicut à ſarcio, ſarſi, * ſartum, ſartores. Sentio, ſenſi, ſenſum. Raucio, rauſi, rauſum. Sepio, ſepſi, ſeptum. Venio, veni, ventum, venturus. Pario, peperi, partum, parturus. Scio, ſciui, ſcitum, peneultima vbique longa, vt auditus, munitus, arceſſitus. niſi in prænotatis, ſepelio, ſepelii, ſepultus, ſepulturus. Salio, * ſalui, ſaltum. Sallo, à ſale, ſaliui, ſalſum, ſalſurus. Participium quoq; ex eo præteritum eſt, ſalitus, vel ſalſus. Ambio, ambiui, ambitũ: ex eo, ambitus nomen correpta peneultima.

** Supra id poſitum eſt ſed per puerilem dialogi loquacitatẽ excuſ. poteſt hoc vitiũ ſcriptoris.*
** ſarſum m. ſ. perperam vitio librarii.*
** m. ſ. ſaluii mendoſè.*

F. Cur hoc?

S. quia ambio, ab eo verbo compoſitum eſt. Nam verbialia nomina à ſecunda venientia coniugatione, penultimam habent breuẽ, vt habitus, monitus.

Memorandum quoque tibi eſt, Imperſonalia ſupinis, & Participiis defeciſſe: niſi raris: vt à pœnitet, pœnitens. Vnde & pœnitentia: & à licet, inde licentia, & licitus: & à libet, libens.

INCIPIT DE CONIVNCTIONE.

F. Nunc ordo partium flagitat, vt de Coniunctione dicas.

S. Coniunctio eſt pars orationis indeclinabilis, coniunctiua, & ſignificatiua, aliarum partium vim, & ordinationem demonſtrans.

F. Quomodo vim, & ordinationem demonſtrans?

S. Vim; quando aliquas res ſimul eſſe ſignificat: vt; & pius & fortis fuit Æneas. Ordinationem, quando conſequentiam aliquarum demonſtrat rerum, vt, ſi ambulat, mouetur. ſequitur enim ambulationẽ, motus.

F. Quot accidunt Coniunctioni?

S. Tria: Figura, & ſpecies, & ordo.

Figura ſimplex, vt, at, &, ſed. Compoſita, vt, atq;, etenim, ſedenim. Hæc enim ex accentu Compoſita eſſe noſcuntur.

F. Da ſpecierum quoq; rationem.

S. Species, quas Donatus, poteſtatem nominat, ſecundum eum quinq; ſunt: Copulatiua, expletiua, cauſalis, disiunctiua, rationalis. Secundum Priſcianum plures; ſed hæ quinq; ſpecies principales ſunt, aliasq; in ſe continentes ſpecies.

F. Pande

F. Pande ſingularum exempla ſpecierum.

S. Copulatiuæ ſunt, quæ copulant tam verba, quàm ſenſus: vt, &, que, at, atq;, ac, aſt.

Diſiunctiuæ ſunt, quæ quamuis dictiones iungant, ſenſus tamen diſiungant, & vnum è duobus eſſe ſignificant: vt vel, ve, ne, nec, neq;.

Expletiuæ ſunt, quæ vel bonum, vel malum explent ſenſum: vt quidem, equidem, ſaltem, videlicet, quanquam, quamuis, quoq;, autem, porrò, ſcilicet, tamen.

Cauſales ſunt, quæ cauſam antecedentem ſignificant, vt doctus ſum; nam legi. ſi ſol eſt, iam lucet. Cauſa enim luminis ſol eſt. Et ſunt hæc: ſi, etſi, etiamſi, ſiquidem, quando, *quidam, quin etiam, quatenus, ſin, ſeu, ſiue, namq;, ni, niſi, ſi enim, etenim, ne, ſed, interea, quamobrem, præſertim, item, itemq;, cæterùm, alioquin, præterea. *ſ. quianam.

Rationales ſunt, quæ rationem rei reddunt, vt, ita, itaq;, quoniã, enim, etenim, enimuerò, quia, quare, quapropter, quoniam, quidem, quippe, ergò, ideo, ſcilicet, propterea.

F. Ordo Coniunctionum in quo eſt?

S. Quia aliæ ſunt, quæ ſemper præponuntur, vt, at, aſt, aut, ac, vel, nec, neque, ſi, quia, quatenus, ſin, ſeu, ſiue, ni. Aliæ ſupponuntur: quidem, quoque, autem. Aliæ penè omnes indifferenter & præponi, & ſupponi poſſunt, vt ergò, igitur.

Inueniuntur quoq; ſæpe Coniunctiones in aliarum Coniunctionum poteſtates tranſire, vt, vel, diſtinctiua Coniunctio, pro copulatiua ponitur. vt Terent. ---- vel rex; pro, etiam rex. Inueniuntur quoq; aliæ partes pro Coniunctione poni: Nomina: vt qua cauſſa? qua gratia? quamobrem. Verbum: vt, quam-uis, et-licet, pro quanquam. Virgil. Dicam equidem, licet arma mihi, mortemque * minetur. *mſ. minaris mend.

Sunt quoq; Coniunctiones dubitatiuæ; vt, ne, nec, an, ne. Virgilius: Eloquar? an ſileam? Iuſtitiæné prius mirer, belliné labores?

Sunt eædem Interrogatiuæ? vt Tanto ne me crimine dignum duxiſti?

Fiunt & electiuæ, quando ex diuerſis rebus aliquid eligitur: vt, diues eſſe volo, quàm pauper.

Fiunt & adiũctiuę, cum verbis ſubiunctiuis adiunguntur: vt, ſi, cùm, vt, dum, quatenus: vt ſi venias, facio: *Cum faciam vitulâ, pro frugibus ipſa venito: Vt proſit tibi, facio: Multa quoq; & bello paſſus, dum *in mſ. ſ. librarii vitiorurſum fuit bis corruptum.

ilum conderet vrbem. Quatenus id libenter faciat.

Poſſunt & hæ ipſæ cauſales eſſe.

F. Sed vnde ſciam, ad quam ſpeciem pertineant?

S. Adiunctiuæ, cum dubitatione proferuntur. Cauſales, cum affirmatione: vt, eris doctus, ſi legas.

m.ſ.ſaltim. Sunt, quæ diminutionem ſignificant, vt * ſaltem: ſi qua mihi ſoboles de te ſuſcepta fuiſſet.

Fiunt & continuatiuæ, vt, ſi ambulat, mouetur. Continuat enim ambulationem motus.

Hæc & aliæ ſpecies in Priſciano reperiuntur. quæ tamen incidere poſſunt in prædictas quinque: Sed nunc hæc habeto de Coniunctionibus.

INCIPIT DE PRÆPOSITIONE.

F. Præpoſitio quid eſt?

* S. Pars orationis indeclinabilis.

F. Quid habet officii?

S. Vt aliis præponatur partibus, vel appoſitione, vel compoſitione.

F. Appoſitione quomodo?

m.ſ. mend. S. Quando foris apponitur dictione; & hoc nomine, vel pronomine, caſu Accuſatiuo, vel Ablatiuo: vt ad hominem, vel ab homine. ad illum, ab illo. F. Quomodo per compoſitionem?

S. Quando cum aliis partibus in vnam dictionem, vt, nomine, per omnes caſus: vt, indoctus, indocti, indocto, indoctum, indocte, ab indocto. Pronomini non componitur.

Verbo componitur, vt induco, expleo. Participio per deriuationem, vel conſequētiam compoſitorum verborum, vt inducēs, explēs.

Aduerbio quoq; per compoſitionē iungitur: vt perinde, abhinc, deinceps. Nam & in ſeipſa per compoſitionē nectitur; vt imperitus. Loco etiam Coniunctionis caſualis ſolet accipi, vt per deſidiam malitię naſcuntur; id eſt cauſa deſidię. ſimiliter, propter, &, apponi poſſunt.

F. Si vnquam ſupponuntur præpoſitiones?

S. Etiam. Sed rarò. Et hoc eò, euphoniæ cauſa, id eſt, ſonoritatis: vt in pronominibus, mecū, tecū, ſecū, nobiſcū, vobiſcū. Sed & Poetica auctoritate in metris præpoſterè poni eas inuenies, vt, ------ maria oīa circum: & ibi, finalis ſyllaba acuitur, ne nomen putetur.

F. Habent præpoſitiones accentus per ſe?

S. Habent acutum accentum in fine tam apud Græcos, quàm apud Latinos: qui tamen in grauem ſemper vertitur, quia præpoſitio vbiq; ſequen-

ſequenti dictioni ſeu per Appoſitionem, ſeu per compoſitionem adnectitur, & quaſi vna pars cum ea profertur.

Inueniuntur quoq; præpoſitiones in media poni dictione, vt vt qua de re, quam ob rem, qua in parte.

F. An omnes præpoſitiones componuntur?

S. Quædam ſunt, quæ nunquam componuntur: vt apud, erga, citra, circa, extra, infra, iuxta, penè, propè, ſecundum, vltra, ſupra, circiter. Quædam ſunt, quæ nunquam ſeparantur, vt con, di, dis, re, ſe, an.

Aliæ, penè omnes componuntur, & ſeparantur.

Et aliæ ſunt, quæ in compoſitione colliſionem patiuntur à conſequenti vocali: coago, coarguo, coarto, coæquo.

Aliæ ſunt, quæ adſumunt conſonantem, *vt proſequenti vocali d. adſumunt, vt emo, redimo, ago, redigo, prodes, prodeſt. quædã ſyncopam patiuntur, vt ſupra, pro ſupera, extra, pro extera: infra, pro infera. Sed & diuerſis modis præpoſitiones in compoſitionibus alias partes corrũpunt, & ipſæ corrũpuntur, quod ſæpius eſt, quàm exẽplis indigeat.

*mend. codex.

F. Poſſunt *ne præpoſitiones in alias tranſire partes?

*ne m. ſ. deſiderabatur.

S. Poſſunt. F. Da exempla.

S. Poſt, præpoſitio. Virg. Poſt montem oppoſitum. tranſit in aduerbium *eidem. Poſt, mihi non ſimili pœna, cõmiſſa luetis.

*m. ſ. mendosè. idem.

Ante, præpoſitio. Virg. Ante Iouem nulli ſubigebant arua coloni. tranſit in aduerbium: Ante, & trinacria tentandus remus in vnda.

Sic, ſupra, contra, propè, tranſeunt in aduerbia.

F. Si, aliæ partes in præpoſitiones tranſire poſſunt?

S. Poſſunt. Nam Aduerbia ſæpè tranſeunt in præpoſitiones: vt, pridie Kalendas: pridie hoc loco præpoſitio eſt.

Subtractę quoq; nominibus quibuſdam loco aduerbiorũ faciunt nomina accipi: vt domo venio, pro à domu. Et *domum meam, pro ad domum.

*m. ſ. domum meam mendoſè.

F. Separatæ præpoſitiones quibus caſibus iunguntur?

S. Accuſatiuo vel Ablatiuo.

F. Accuſatiui præpoſitiones quæ ſunt?

S. Monoſyllabæ hæ: ad, ob, per, poſt, cis, trans.

Diſſyllabæ; apud, ante, citra, circa, erga, extra, inter, intra, infra, iuxta, propè, penè, præter, propter, vltra, vſq;, penes.

Triſyllabæ: circiter, aduerſum, ſecundum.

F. Num ſingulæ certas habent ſignificationes?

S. Non certas, ſed diuerſas. ſed longum eſt earũ ſignificationes explanare.

Digitized by Google

F. Dic tamen, & quanta breuitate poſſis ſuccinge te.

S, Dicam. Ad, iuxta ſignificat in compoſitione, vel appoſitione: vt ad currum, pro iuxta currum. Ad Troiam, pro iuxta Troiam. Significat quoque contra; ad illum mihi pugna eſt, hoc eſt, contra illum. Accipitur & pro vſque: ad bellum Perſicum, hoc eſt, vſque bellum.

Ob, & pro, & contra, & circum ſignificat: vt, haudquaquam ob meritum, id eſt, pro merito. Ob vnius, contra vnius. obambulo, circumambulo.

Per, eſt & localis, vt per medium forum, Eſt & temporalis: per medium diem. Eſt & iurandi; per te, per qui te talem genuêre parentes. Aduerbii quoq; valdè vim obtinet: Terentius: perſcitus puer, id eſt, valdè ſcitus. Abnegationem quoq; ſignificat in compoſitione, vt perfidus.

Poſt cōponitur, & ſeparatur: & locum ſignificat, Vir. Poſt montem oppoſitum. ſignificat & tempus: vt poſt multum tempus.

Bonus Alc: dormitat nonnihil eſt enim intra.

Cis localem habet ſignificationem, vt cis Alpinam Galliam: &, pro *vltrà accipitur: vt cis definitum tempus, hoc eſt, vltrà. Et ex eo citra, trans, componitur, & ſeparatur; vt transfero. & tranſ-padum. Et in compoſitione ſæpe n. & s, amittit, vt traduco, trado, trano. Et pro ſuper ponitur: vt transgreſſus, id eſt, ſupergreſſus.

Apud, locum ſignificat: vt apud Numantiam.

Ante, locum & tempus ſignificat: vt ante ianuam, ante annum. Deriuantur ex eo, antiquus, antiquarius. nomina.

Citra, penè eandem ſignificationem habet, quod cis. niſi quod propriis nominibus cis, & appellatiuis citra ſæpius præponi ſolet: cis Rhenum. cis Alpes: citra forum. Et à cis citra deriuatur: à citra, citer, citerior, citiſſimus.

Circa, loci & temporis, pro iuxta ponitur: vt circa templum, & circa viginti annos.

Circum, componitur, & apponitur: vt circumiero, circum mare.

Circiter ad tempus ſolum pertinet: vt circiter Kalendas Ianuarias.

Erga, non componitur. & affectum ſignificat: vt bonus eſt ergà propinquos.

Contra, ſeparatur & componitur. contra adulterium, & contradico.

Extra

Extra, apponitur, vt extra me.

Inter, vtrumq;: vt inter amicos, interuallum, interpres, cuius ſimplex in vſu non eſt.

Et ab in, inter, & intra, naſcuntur.

A ſub, ſubter. A pro, propter. A cis, citra. ab ex, extra. à præ, præter.

Iuxta, pro propè ponitur, vt iuxta te, id eſt, propè te.

Secundùm duas habet ſignificationes: proximitatem, & æmulationem. ſecundum eum ſedeo, & ſecundum mores eius viuo. Hæc de præpoſitionibus Accuſatiui caſus, quæ difficiliores videbantur, dicta tibi ſufficiant.

F. Sufficiunt, ſed ad Ablatiuum te totum fer.

S. Ablatiui præpoſitiones monoſyllabæ hæ ſunt. A, ab, abs, e, ex, de, pro, præ, cum.

F. Quare non addidiſti clam?

S. Quia magis Aduerbium eſt, qualitatem ſignificans, & diminuitur, contra Præpoſitionum naturam. clam, clanculum. & ſine caſu proferri poteſt: vt bona apertè, facit mala clam.

F. Sequere cæteras.

S. Diſſyllabæ. coram, palàm, ſine, abſq;, tenus.

F. Poteſtates ſingularum expone.

S. A & ab, & abs, & e, & ex, eandem ferè ſignificationis vim habent, Nam & locales, & temporales, & ordinales ſimiliter inueniuntur, vt eſt à domo, à die, à te. Sic & cætera. Sed A & E ſæpius conſonantibus præponuntur, vt à templo. è culmine. alia vtrunque. & vocalibus, & conſonantibus appoſitione, vel compoſitione iunguntur, vt abito, ab illo, abduco, ab hora. Et ſæpè b, euphoniæ cauſſa in aliam mutabitur literam. In r. arripio. in u. aufero. in ſ, aſporto,

Ex, quoq; pro extra inuenitur poni, vt excludo, extracludo, exul, extra ſolum. Modò pro valdè, vt excelſus, id eſt, pro valde excelſus. Modò priuatiuum eſt, vel intenſiuum, vel perfectiuum. Exſtirpo, extendo, expleo.

E. in compoſitione priuatiuum eſt, vel intenſiuum, & pro extra accipitur: vt enodes trunci, enarro, educo. Deriuatur ab ab, abſq;: Nam, que, quando vim & ſignificationē coniunctionis non habet, ſyllaba eſt. non pars orationis, quomodo in vbiq;, vndiq;, deniq;, itaq;, vtiq;, vterq;, plerumq;, & ideo accentum non mutant. de, prima ſyllaba additio ſyllabica eſt, non Coniunctio, vt in pronomine ce, & met, *mendoſus m. ſ. adme.*

 & te,

Digitized by Google

& te. De,memoratiuum eſt,& intenſiuum,& priuatiuum,de homine detraho,deſum.

Pro,in appoſitione,vel compoſitione localis & temporalis: pro templo,prouideo. Et loco e,& ſuper vel ante,vel ad,vel in, accipitur: prominet,id eſt,ſupereminet:pro curia,ſigna ſociis dare,id eſt,ante curiam. Vir. Summis incuruant viribus arcus Pro ſe quiſque viri, id eſt ad ſuas vires. Pro teſtimonio,id eſt,in teſtimonio. Et pro interiectione accipitur: v: pro dolor,& circumflectitur

Præ in appoſitione vel compoſitione inuenitur. &,ad, vel ob, vel ſuper, vel valde, vel ante ſignificat. Terent. Contempſi illum hic præ me,hoc eſt,ad comparationẽ mei. Item fit miſera, præ amore,i.e. ob amorẽ. p̃ſideo,ſuperſedeo: præualidus,valdè validus. p̃dico, antedico

Cum,p̃poſitio eſt copulatiua,vt,cum ducibus vado. Et, nunquam componitur.quia con,in eius loco in poſitione ponitur, vt concurro, contraho.Et ſciendum eſt,quod con,& in tunc mutant n. in m.quando b.vel m,vel p.ſequitur: vt comburo,imbuo,comminus, immunis, cõpello,impello,tunc n.conuertunt in ſequẽtes cõſonantes, quando l. vel r. ſequitur,vt collido,illido,corripio,irruo. Cum quoque poſtponitur quibusdã p̃nominibus euphoniæ cauſa:vt, mecũ, tecum, ſecum:nobiſcum,vobiſcum,& antepenultima in his eleuatur. Aliis poſtpoſita acuitur.vt quocum,quacum,quicum,quibuſcum.

Coram,ad perſonas pertinet:vt coram me,te,ſe.

Palam ad omnia accipitur,vt palam omnibus.

Sine,& abſq; negatiua ſunt;ſine homine,abſq; homine. Et ſine antepoſita grauatur,vt ſine timore,poſtpoſita, acuitur: Virgil. ſi ſine pace tua.

Tenus,poſtponitur:vt hactenus:& genitiuo quoq; iungitur,vt crurum tenus,armento palearia pendent.

Ecce habes præpoſitiones.

F. Habeo vtcunque: ſed non habeo vtriuſq; caſus quatuor communes.

S. quid de illis quæris? niſi quod Donatus dixit, quod Accuſatiua ſunt in,& ſub. dum ad locum ire aliquem. Tum Ablatiuum, cum in loco eſſe aliquem ſignificant: vt in vrbem vado, in vrbe ſum: ſub culmen eo, ſub culmine ſum.

F. Hoc placet,ſed plus quæro.

S. Quid à me quæris,ſi tibi Donatus non ſufficit?

F. Non à te tanta quæſiſſem,ſi Donatus mihi ſuffeciſſet.

S. Nam.

Digitized by Google

S. Nam in, ſi pro contra, vel ad, & ſub, ſi pro ante, vel propter ponitur, Accuſatiuo iungitur: vt, in hoſtem, hoc eſt, contra hoſtem. Et, in puppim rediere rates, pro ad puppim. Sub lucem exornant calathis, pro ante lucem: Et, ſub noctem cura recurſat, pro per noctem. In, modò in compoſitione priuatiuum eſt; vt iniuſtus, improbus. Modò intenſiuum. Imprimo, incuſo.

Sub, eſt & localis; ſubeo, ſubpono. Eſt & diminutiuum. ſubrideo, id eſt, paululum rideo: ſubtriſtis. Et in ſequentem mutat b. conſonantem, ſi c. vel f. g. m. vel p. ſequitur: vt ſuccumbo, ſuffero, ſuggero, ſubmitto, ſuppono.

Super, ſi pro ſupra ponitur, Accuſatiuum eſt: vt ſæua ſedens ſuper arma, id eſt, ſupra. ſi de, vel in ſignificat, Ablatiuum eſt: vt, Multa ſuper Priamo rogitans; hoc eſt, de Priamo. Item: --- fronde ſuper viridi, id eſt, in viridi.

Item ſubter Accuſatiuum eſt, vt ſubter terram.

Item Ablatiuum: ſubter denſa teſtudine.

F. Vnde dicuntur quædam præpoſitiones loquelares?

S quia ſemper in compoſitione loquelis, id eſt, dictionibus componuntur. & ſunt ſex: di, dis, re, ſe, an, con: vt diduco, diſtraho, recurro, ſecubo, amplector, congero. Di, quidem, & dis ſeparatiua ſunt: & eandem ſignificationem habent: quomodo ab, & abs. vt diuido, diſtraho. Et dis componitur, quando ſequitur c. f. p. s. t. & i. loco conſonantis, vt diſcutio, differo, diffundo, s. in f. mutata euphoniæ cauſa, diſputo, diſſero, diſtraho, diſiungo. In aliis conſonantibus di præponitur, diduco, digero, diluo, dimitto, diruo, & vbiq; di. producitur, præter dirimo, diſertus.

Re, videtur à retro, per apocopen factum, ſicut ipſe ſenſus probat. quid eſt reſpicio, niſi retrò ſpicio: reuertor, retrò vertor?

Se, ſeparatiua eſt, vt ſeparo, ſeiungo. Eſt & abnegatiuum, vt ſecus, & à ſe, ſeorſum: ſicut, à de, deorſum, & à ſuper, ſurſum Aduerbiũ venit.

Am, circum, vel circa ſignificat, vt amplector, amputo, ambio. in quo etiam additio b. conſonantis fuit propter m.

Con, pariter ſignificat, vt *, ... & loco, cum præpoſitione ponitur, vt concurro, coniũgo.

Ecce habes de præpoſitione, quantum breuitas diſputationis ſinebat.

F. Habeo, quod placet, ſed *paruum viæ, quod reſtat, peragamus.

* ſ. parum legend.

S. Per-

S. Pergamus. Et tu, more tuo præcede interrogando: ſequar ego reſpondendo.

INCIPIT DE INTERIECTIONE.

F. Interiectio quid eſt?

S. Heu! quid interrogas de Interiectione? quantas me audiſti incondita voce proferre: dum ante pedes Magiſtri iacui.

F. Audiui, & timui, motumq; animi in exclamatione vocis intellexi. Attamen reor diuerſas eſſe Interiectionum ſignificationes, ſicut diuerſi ſunt animi motus.

S. Sunt, vt dicis. & aliæ, ſunt;
Gaudii, vt euax.
Aliæ riſus, ha, ha, he.
Aliæ reſpuendi, vt phy, ehoê.
Aliæ hortandi, vt eia.
Aliæ illudendi, vt euge.
Aliæ doloris, vt væ, heu, ei: vt, *Hei mihi qualis erat.
Aliæ exſecrandi, vt ah. Ah, ſilice in nuda connixa reliquit.
Aliæ timoris, vt at, at. Ter. At, at, mihi homo formidoloſus es.
Aliæ admirandi, vt Papæ. Terent. Papæ, hæc ſuper ipſam Thaidem?

*m. ſ. ei.

F. Quid de accentibus earum dicis?

S. Quid aliud; niſi quod in certis, & pro affectus qualitate longius, vel breuius, acutius vel grauius incondita voce proferuntur.

Paucula reliqua in hoc m. ſ. deſiderari videntur. Itaq; ex aliis m. ſ. reſtituenda.

Hactenus tamen hæc ibi.

Ad DEI opt. max. & B. MARIÆ Virginis gloriam.

AD-

Digitized by Google

ADMONITIO AD LECTOREM DE SYNODO Regiaticina folio 673. partis ſecundæ.

Ex

Literis nobilis & ampliſſimi Domini Velſeri, II. viri Auguſtani.

DE Synodo Regiaticina in mentem venit, eam Ticini habitam. Legendum itaq; : *In Vrbe Regia Ticino facta Synodus*, Anno Chriſti 850. exeunti Indictio XIV. conuenit. Et cum Ludouicus Pius Anno 840. obierit 12. Kal. Iul. fit, vt Lotharius anno 850 extremo, regni vndecimum egerit, quem loco trigeſimi primi reſtituendum cenſeo, mendum enim in his numeris manifeſtum eſt, cum Lotharius ne decimum ſextum annum impleuerit. Filii Ludouici nomen adſcriptum difficultatem nullam habet. volente enim patre à Sergio Pontifice coronatus, Imperator Auguſtus appellatus eſt, vti ex Adone conſtat. Annos verò filii à paternis non diſtinctos, breuitatis cauſa interpretor. De Angilberto Mediolanenſi Archiepiſcopo per hæc tempora expedita res eſt, ſiue is ſecundus fuerit huius nominis, vt Onuphrius exiſtimat, ſiue primus, vti Cardinalis Boromæus beatæ memoriæ prodidit, qui prouincialem Synodum ab eo celebratam ſcripſit, in qua inſtitutionem Cœnobii Sanctorum Iouitæ & Fauſtini ratam habuerit. Id verò in Ticina ſiue Ticinenſi iſta, vt fieri potuit, ita factum eſſe, nō auſim aſſerere. Impeditius Theodemanni Patriarchæ Aquileienſis nomen. Onuphrius enim in Chronico Endelmariū habet, quem Ioan. Candidus lib. 4. de rebus Aquil. Hendelmarium appellat. Sed exſtant apud me vitæ Patriarcharum Aquileienſium manu ſcriptæ, in quibus Theudemarus dicitur, cum hoc elogio. *Theudemarus Patriarcha ſedit annos* XXI. *Hic etiam ſub Lothario & ſub Ludouico eius filio, Eccleſiam mirabiliter gubernauit, & pro Gradenſi plebe reclamauit,*

Digitized by Google

nit; & eam Papiæ obtinuit. Vbi vides etiam digitum ad Ticinenſem Synodum quodammodo intendi. De Ioſepho nihil habeo, niſi ſuſpicari Eporedienſem Epiſcopum fuiſſe, cuius Cardinalis Baronius anno 844. & 853. meminit. Hæc Velſerus. Cui gratiores, vt opinor, gratias referre non poterimus, quàm vt Synodum patriam; hoc eſt, Auguſtanam, ex tenebris in lucem vindicemus, exſcriptam ex M.S. Cod. celeberrimi Monaſterii Weingartenſis, quem nobis ſuppeditauit eiusdem Monaſterii Sacerdos & profeſſus R. P. Ioannes Rieber', veterũ & recentiorum librorum amans.

SYNO-

Digitized by Google

SYNODVS AVGVSTANA.

Nunc primùm euulgata ex m. ſ. Cod. celeberrimi Monaſterij Weingartenſis.

CVM excellentiſſimus, piiſſimusq; Otto Rex, ſuperna attractus clementia non minus de negotio ſpiritali, quàm de ſtatu Chriſtiani imperii * tractare, inprimis Pōtificum, aliorumque primatum ſuorum communi conſilio fretus anno Incarnationis DCCCCLII. Indictione X. Anno verò Regni eius XVI. ſub die VII. Id. Aug. placitum, conuentumque Synodalem Auguſtæ fieri decreuit, quatenus concordi diligentia, tàm ſancti Cleri, quàm populi Eccleſiæ ſtabilitatis profectus & totius Chriſtianitatis vtilitates tractarentur. Cuius diuinæ rei diſpoſitionem per reuerentiſſimi, atque prudentiſſimi Frithurici Maguntinæ Sedis Archiepiſcopi induſtriam maximè gubernari deliberauit. Heroldo etiam *Iuuanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, Manaſſe quoq; Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, Petro Rauennati Archiepiſcopo, cæteriſque, Italiæ, Galliæ, Germaniæ, ſubnotatis Pontificibus huic diſcuſſioni operā exigentibus, Vdalrico Auguſtenſis Eccleſiæ Epiſcopo; Annoni Wangionenſis Eccleſiæ Epiſcopo; Starcādo Eibſtenſis Eccleſiæ Epiſcopo; Cunrado Conſtantiēſis Eccleſiæ Epiſcopo; Poponi Werzeburgenſis Eccleſiæ Epiſcopo; Godefrido Nemetenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Harberto Curienſis Eccleſiæ Epiſco. Vudoni Argentinenſis Eccleſiæ Epiſcopo, Lantberto Friſingenenſis Eccleſię epiſc. Hugone Aritiēſis Eccl. Epiſc. Michael Radesborienſis Eccleſiæ Epiſcopo; Adelberto Patauenſis Eccleſiæ Epiſcopo;

*f. tractatores.

*Salisburgenſis.

Digitized by Google

Luidfrido Piciſenſis Eccleſiæ Epiſcopo; Giſibrando Terdonenſis Eccleſiæ Epiſcopo; Antonio Bricſienſis Eccleſiæ Epiſcopo; Vultoni Cumano Epiſcopo; Deodato Parmenſis Eccleſiæ Epiſcopo; Vuittone Mutinenſis Eccleſiæ Epiſcopo; Adelhardo Regenenſis Eccleſiæ Epiſcopo; Sigolfo Placentinæ Eccleſiæ Epiſcopo; Adalgiſo Aquenenſis Eccleſiæ Epiſcopo, cum eorum vnanimis diligentia, huic Eccleſiaſtico negotio vigilanter inſtaret, omnibus ratum putabatur, principem regni beatæ matris Eccleſiæ deuotum filium poſtulare, quatenus ibidem diuina diſcutientibus intereſſe dignaretur. Tum die præfinito eo veniens dulciſona modulationum iocunditate, honorificè, vti regiam dignitatem decuerat, ab omnibus acceptus, Miſſę celebratę finita ſatisfaciendo Pontificum petitioni cum inſigni priuatim turba Synodum intrauit. Interim reuerendus Mogontinæ Sedis Archiepiſcopus Frithuricus ſe è ſolio erigens, humiliter, ſtrenueq; ſermonem regulari ſtudio congruentem protulerat, deinde cuncta, quæ de iure Eccleſiaſtico iuxta Canonicam auctoritatem & imitanda Sanctorum Patrum decreta erant ventilata pronuncians, in hiſce omnibus huic rei neceſſariis ſe in commune eius præſidium ſentire poſtulabat. Quibus Rex ſuperni amoris igne ſuccenſus, & zelo diuini amoris animatus, mentis, corporiſque niſu Eccleſiaſticarum rerum auxiliatorem, defenſorem promptiſſimum ſe eſſe promittendo certificauit. Hac videlicet promiſſione audita regali, prælibatus Archiepiſcopus reſidens communi cæterorum aſſenſu, capitula ſubſequentia titulari præcepit.

** Miſſa celebrata.*

CAPVT I.

SI quis Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorumq; vxorem acceperit, à ſibi iniuncto officio deponendus eſt. ſicut in Concilio Carthaginenſi tenetur, cap. 25.

CAPVT II.

EPiſcopos, Presbyteros, vel aliquem de Clero, canes venandi amore, vel accipitres habere non licet, ſicut in Concilio legitur Toletano cap. X. Quiſquis autem perſonarum huiuſmodi in hac voluptate denudatus fuerit, quamdiu in illa deteſtabili voluptate detinetur, ab omni Eccleſiaſtico officio ceſſet.

CAPVT III.

EPiſcopus, Presbyter, aut Diaconus aleæ vacās, ſi ab hoc interdicto opere

opere ceſſare noluerit, velut in Canone Apoſtolorum habetur capitulo quadrageſimo ſecundo, deponendus erit.

CAPVT IV.

NVllus in Clericatus officio manens mulierẽ ſubintroductã ſecũ habitare permittat. Si verò aliqua ſuſpicionũ maculis adſperſa contra hæc agere tentauerit, ab Epiſcopo vel eius miſſo virgis cæſa detondeatur. Si autem ſæcularis poteſtas hoc fieri prohibuerit, regia poteſtate fœmina coacta prælatæ ſententiæ ſubiaceat.

CAPVT V.

DIuerſa ſæcularis vitæ negotia fugientes, & Monaſticæ inſtitutionis normam aggredientes extra clauſtrũ ſine licentia proprii Abbatis ire non licet: ſed tantummodo ieiunio & orationi vacare, in locis quibus renunciauerunt ſæculo permanentes, ſicut in Concilio Chalcedonenſi præcipitur.

CAPVT VI.

OPortet etiam Epiſcopum, in cuius diœceſi cœnobium ſitum eſt, Monachorum prouidentiam gerere, & ſi aliquid correctione dignum repperit, corrigere feſtinet.

CAPVT VII.

CLericis Monachicum habitum ſequi cupientibus, & pro remuneratione diuina ſæcularibus ſpretis arctiorem vitam adire volẽtibus, nullatenus introeundi aditus ab Epiſcopo denegetur, ſed potius eum in tali conuerſatione perſtare exhortari conetur, ſicut in Concilio Toletano habetur capitulo L.

CAPVT VIII.

SAnctimonialis, quæ ſpontanea voluntate, ſtrictiori vitæ propoſito ſe alligare voluerit, nulla re obſtante, id quod bona intentione diſpoſuerat peragendum, ab Epiſcopo impediatur.

CAPVT IX.

VT laici Presbyteros ſine conſcientia & conſenſu proprii Epiſcopi ab Eccleſiis eis canonicè commendatis non eiicere præſumãt, nec alios locum eorum ſubire faciant; quia vt ab Epiſcopis ordinan-

Digitized by Google

tur, ita neceſſe eſt ab ipſis Eccleſias procurandas accipiant, ſicut in Cõcilio habetur Arelatenſi cap. IV.

CAPVT X.

VT omnis decimatio in poteſtate Epiſcopi ſit, & ſi neglecta fuerit, quidquid inde emendandum ſit, coram Epiſcopo, eiuſue miſſo corrigatur.

CAPVT XI.

EPiſcopus, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, vt in multis Conciliis firmatum eſt, quia diuina miniſteria contrectant, ab vxoribus abſtineant. Cæteri autem Clerici, quando ad maturiorem ætatem peruenerint, licet nolentes, ad continentiam cogantur.

Finis Synodi Auguſtanæ.

Illuſtriſſ. Cardinalis Baronius Tom. X. Annalium. Anno Chriſti 952.

QVO etiam Anno, Auguſti menſe, Auguſtæ Rhetiæ prouinciæ publicus habetur conuentus Epiſcoporum, nec non Principũ Francorum, Saxonum, Bauarorum, Alemannorum, & Longobardorum, vbi Berengarius cum filio Adalberto ſeſe ſubiiciens Ottoni, ab eo, vt ſubditus, recipit regendam Italiam, &c.

SYNODVS ENGILENHE-MENSIS.

Nunc primùm edita ex m.ſ. Cod. Monaſterii Weingartenſis.

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, anno ab Incarnatione Domini nongẽteſimo quadrageſimo octauo, Indictione VI. VII. Idus Ianuarii. Anno Sereniſſimi Regis Ottonis XIII. ipſo quoq; cum Illuſtriſſimo Rege Ludouico in præſentia manente, ſancta ac generalis Synodus apud Engilenhem in Eccleſia ſancti Remigii Confeſſoris Chriſti, in pago Nagauui dicto collecta eſt, præſidente videlicet domni Agapiti Papæ * Apocriſario venerabili Polimarcienſis Eccleſiæ Epiſcopo, Marino, & conſidentibus Archiepiſcopis Wichfredo ſanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopo; Frithurico ſanctæ Moguntinæ ſedis Archiepiſcopo; Rhotberto ſanctæ Treuirenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo; Ardoldo ſanctæ Rhemenſis Eccl. Epiſcopo; Adalgago ſanctę Hainmeburgenſis Eccl. Archiep. Richgauuone Wangionenſis Eccl. Archiepiſcopo; Keroldo ſanctæ Iuuanẽſis Eccl. Archiep. Vdalrico Auguſtẽſis Eccl. Epiſcopo; Bernardo Habalreſtenſis Eccl. Epiſc. Thiedardo Hildinesheimenſis Eccl. Epiſc. Dudone Padebrunnẽſis Eccl. Epiſc. Cuonrado Conſtancienſis Eccleſiæ Epiſcopo; Starcando Eiſtettenſis Eccleſiæ Epiſcopo; Reginbaldo Nemetenſis Eccleſię Epiſcopo; Bobbone Wirciburgẽſis Eccl. Epiſcopo; Adalberone Metẽſis Eccl. Epiſcopo; Goehlino Tullenſis Eccleſiæ Epiſcopo. Berẽgero Virdunenſis Eccleſiæ Epiſcopo; Balderico Traiectenſis Eccleſiæ Epiſcopo; Wichardo Ba-

Baron. ex Frod. 7. Idus Iunii.

**apocriſiario.*

Digitized by Google

do Baſilenſis Eccleſiæ Epiſcopo; Duodone Oſneburgenſis Eccleſiæ Epiſcopo; Eberiſo Mimidonenſis Eccleſiæ Epiſcopo; Hildiboldo Mimigardeuurdenſis Eccleſiæ Epiſcopo; Varaberto Tungrenſis Eccleſiæ Epiſcopo; Volgberto Camaracenſis Eccleſiæ Epiſcopo; Rudolfo Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopo; Michaele Radesbonenſis Eccleſiæ Epiſcopo; Adalberto Lauriacenſis Eccleſiæ Epiſcopo; Liopdago Ripuenſis Eccleſiæ Epiſcopo; Oredo Sueuuicenſis Eccleſię Epiſcopo; Reginbrando Aruſuenſis Eccleſiæ Epiſcopo; cum cœtu Abbatum, Canonicorum, nec non & Monachorum; vnius ſpiritus amore feruentium, quatenus cœlitus adminiculati zizania diuini cultus agro ab inimica manu ſuperſita, Canonicarum ſarculis ſententiarum radicitus exſtirparentur.

Igitur recitato primitus Euangelio, oramineque finito, & ſanctorum Canonum quamplurimis inſtitutionibus linguarum clauibus coram recluſis, Miſſus Apoſtolicæ Sedis chartam ſuæ legationis honorificè protulit; in qua pro debitæ reuerentiæ dono Romano Pōtifici exhibendo commoniti ſunt, vt vniuerſalis Eccleſiæ puppis exoptatæ tranquillitatis portui ſecura ſuccedat, ſeq; procelloſo tribulationum turbine vexari diutius non timeat. Significatum eſt autem in eiuſdem recitaminis ſententia prædictum Præſulem Marinum ab ipſo vniuerſali Papa tali tenore ad noſtros fines directum fuiſſe, quo in omni Eccleſiaſticarum legum diſcuſſioni ipſius exiſtens Vicarius, quæcunque liganda eſſent, Apoſtolica auctoritate ligaret: & quæ ſoluenda viderentur, parili ſolueret poteſtate. Huiuſmodi proculdubio affaminis tam ſalubri miſſatico glorioſiſſimi Reges præfati cum Pontificibus, omniumque Clero congratulantes, vt dignum fuit, ſe in omnibus conſentire & obedire profeſſi ſunt. A quibus auctorante & confirmante legato Apoſtolico capitula ſubſequentia ſtatuta ſunt.

Dehinc ex ſeſſionis ſuæ loco ſe ſubrigens inclytus Rex Ludouicus ad præſentiam ſereniſſimi Regis Ottonis, totiusque ſanctiſſimi Concilii vnanimitatem ſatis lacrymoſi conqueſtus protulit querimoniam, videlicet quod regia priuaretur poteſtate à quodam Principe Hugone nominato, quondamque ſibi ſubiecto, cuius anxietati & multimodæ reclamationi condolentes in vnitate Spiritus coadunati ſanctiſſimi Patres eiuſmodi ſuper hac re ſententiam protulere.

Recla-

Reclamatio Ludouici, qualiter Hugo Comes illum de regno ſuo priuauit.

CAPVT I.

NVllus deinceps regiam poteſtatem præſumat populari, ſeu aliquam perfidiæ maculam ſibi fallaciter exhibere: Decreuimus enim Toletani Concilij iudicium exequendo, Hugonem Regis Ludouici Regni inuaſorem & raptorem excõmunicationis gladio feriendum, niſi fortè tempore ſtatuto ad Synodale Concilium veniat, & à tam nefaria proteruitate ſatisfaciendo reſipiſcat.

Item reclamatio Ardoldi Epiſcopi, qualiter Hugo Pſeudoëpiſcopus Sedem ſuam illicitè inuaſit.

CAPVT II.

ARdoldus Rhemenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ꝓpria de Sede expulſus ex canonica auctoritate in priſtinum honorem inthronizatus; Hugo autem, qui eius Sedem contra fas ſibi vſurpat, anathematis eſt mucrone multatus, eiuſque ordinatores, & qui ab eo ſunt ordinati, niſi VI. Idus Septembris Treuiris veniant, & ibi pro erratibus dignam ſatisfaciendo pœnitentiam ſubeant, ſimilem excommunicationis ſententiam ſuſtineant.

Item reclamatio Rudolfi Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopi.

CAPVT III.

DE antedicto Hugone Comite, qui Ruodolphum Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopum propria de Sede, non cauſſa alicuius criminis, ſed pro fidelitate Ludouici præfati Regis proprii ſenioris expulit, decreuimus in ſancta Synodo eũ pro hac re, ſicut de præſcripta, excommunicandum, niſi veniendo ſatisfecerit.

Digitized by Google

CAPVT IV.

VT Laici ſine Epiſcopali licentia Presbyteris Eccleſias dare vel dimittere non præſumant.

CAPVT V.

VT nullus Laicorum Presbyterum flagitare ſeu fatigare, vel aliquam ſibi iniuriam inferre audeat.

CAPVT VI.

VT Paſchalis hebdomada feſtiuè tota celebretur; & in Pentecoſten II. III. IV. feria non minus quã dies Dominicus ſollemniter honorentur.

CAPVT VII.

IN Letania maiore ieiunium, ſicut in Rogationibus ante Aſcenſionem Domini, exerceatur.

CAPVT VIII.

VT oblationes fidelium quater altari deferantur, nihil omnino ad Laicalem pertineant poteſtatem, dicente ſcriptura, qui altario deſeruiunt, de altario participentur.

CAPVT IX.

VT decimæ, quas Dominus præcipit in horreum ſuum deferri, ſi Eccleſiis Dei non fuerint redditæ, ſed nefaria cupiditate, quæ ſæuior Ætnæ ignibus ardet, à ſecularibus fuerint retentæ, ſæcularia ſuper hoc non exerceantur iudicia, nec in forenſibus diſcutiatur cauſſis, ſed in ſancta Synodo ab ipſis ſacerdotibus, quorum deputatæ ſunt vſibus, quid exinde debeat actitari certis diffiniatur promulgationibus.

CAPVT X.

VT Euangelica auctoritate & ſacrorum Canonum inſtitutione, pœnaſq; pponere* diuini iudicij, vt noſtra ſit abſoluta conſcientia, & illarum pro ſe rationem Deo reddat intentio. Cauendum eſt quippe, quod de earum moribus actibusq; beatus Paulus teſtatur Apoſtolus. Quod planius exponere prætèrimus, ne ſexus inſtabilis non tam deterreri, quàm admoneri videatur.

videtur aliquid deeſſe.

Finis Synodi Ingelheimenſis.

De hac Synodo multa Card. Baronius Tom. X, anno Chriſti 948. ex Frodoardo.

ADMO-

ADMONITIO DE ALCVINO.

Libri Alcuini de Trinitate; Quæſtiones ad Fredegiſum, & Epiſtolam ad Eulalium, ante aliquot annos Conſtantia euulgauit, licet exſtent Tom. 3. Biblioth. SS. Patrum; ſed copioſior eſt Conſtantienſis editio, in qua poſt tertium librum de Trinitate ſubiungitur inuocatio ad SS. Trinitatem, & ſymbolum fidei de eodem myſterio. Et poſt Epiſtolam de ratione animæ ad Eulaliam Elegiacum & alterum Adonicum cum precatione ad Chriſtum; quæ omnia deſunt in Bibliotheca SS. Patrum; reperimus tamen in Cod. M. ſcripto S. Galli; in quo itidem ineſt præfatio Alcuini ad Carolum Magnum Imperatorem in tres libros de Trinitate; quam nobis etiam repræſentat Bibliotheca SS. Patrum. In editione Conſtantienſi deeſt. Codex S. Galli ad finem præfationis hos habet verſus.

O Rex Auguſto clariſſime dignus honore
Et Dux & Doctor & decus Imperii.
Te Pater atq; Patris proles, te Spiritus almus
Protegat, exaltet ſaluet, honoret, amet.
Quem tua per populos, terras, per regna, per vrbes
Mens pia permandet ſemper amare Deum.

NOTAE IN VITAM S. CVTBERTI CARMINE A VENERABILI BEDA SCRIPTAM.

IAm vita S. Cutberti typis excuſa erat: cum ecce à Velſero noſtro antiquiſſimæ adferuntur membranæ, in quibus hæc ipſa vita exarata erat. Conferre cum Editione noſtra placuit; tum vt locis non ſanis nonnulla medicina fiat, tum vt quædam lacunæ expleantur. Exſtat & apud S. Gallum alius Codex, in quo hæc ipſa Bedæ lucubratio continetur, quem, vt ſpero, cum noſtra editione comparabit aliquando R.P. Iodocus Mezlerus. Sunt autem membranæ à Velſero miſſæ acephalæ quarum initium eſt ſextum caput. priora deſiderantur.

Pag.695.v.28. vigilum. p.696.v.7.illo. Ibid.v.19.oliui. Ibid.21. medium. Ibid.v.32. Itener.p.699.v.16.iuſſoq;.Ibid.v.19. habitu. Ibid. v.21. artus. Ibid.v.31. Quod tantum heſternæ ſupereſſent fragmina cœnæ. pag.700. v.4. cerno quod. Ibid.v.22. noctem. Ibid.v.27. villo. p.701. v.26.qui nullo. Ibid.ver. vlt.qua terna. p.702.v.4. fontis.v.13. videtur leg. Et ſuper hæc vates, conuiuia ſolibus inquit Conditor æquauit. Sic enim ſenſus conſtat. vterq; Codex habet. Et. Ibid.v.26. hoſpita non eſt. Ibid.v.28. diſcas.Ibid.v.30. aquilam vaga flabra ſecantem. Ibid. v.34. at altus. p.703.cap.12. in titulo flãmas.Ibid. v. penult. Incubuit.Pag.704.v.3 ætherio.Ibid.v.10.vatis pro vates, vt paſſim alibi in toto hoc poëmate.v.11.tempore namq; fuit. Ibid.v.12. cellæ. pag. 705.v.18.externum.p.706.v.21. Quas ſi. Ibid.v.28. Reſcindunt.p. 707.v.22.baſes pro baſis.Ibid.v.27. pangere. pag.708.v.12. Aptior eſt monachi, quæ ſemper. Ibid.v.32. Annuit & pelagi.p.709.v.4.Prophetis pro Prophetes. Ibid.v.13. Forſan & hæc inter Dominus ſibi ſeruat; & huius qui regat imperii. Ibid. v.15. fratris.Ibid. v.24. Quod nil noſtra gerit. Ibid.v.30.adamatis. Ibid.v.32. Aelfloda.pag.710.v.8. verſatus in incola terris. Ibid.v.13. patrio. Ibid. v.18.commiſſoſq; greges.

Ibid.

Digitized by Google

Ibid. v. 20. vel tegmina ſuctæ. Ibid. v. 27. triſtabat. pag. 712. cap. 30. in titulo. Hereberchto. pag. 713. v. 1. Hunc decet hunc epulis & linguæ ducere feſtis. Ibid. v. 13. ſub carcere clauſus. pag. 714. v. 8. frondiferi quendam. Ibid. cap. 33. in titulo: commemorans illi. Ibid. v. 26. Tangitur. Ibid. v. 29. Quæ feſſo. Ibid. v. 32. iam condere. p. 715. v. vlt. cauit. p. 716. v. 1. ſueram. Ibid. v. 2. ſeuêre. p. 717. v. 3. quo vitam teſte ferebat. Ibid. v. 5. premeret dum Farne. Ibid. v. 20. ſed hoſtis te duce, &c. Ibid. v. vlt. Lindisfarnéa. p. 718. cap. 38. pro XI. memb. IX. mendosè. p. 720. v. 13. ſerus. Ibid. v. 20. iuſtasq;. Ibid. v. 27. æquiperent. Ibid. v. 28. humili ſub domate. p. 721. v. 4. appendit quæ dextera. Ibid. v. 7. clareſcit chalybs Libyco pretioſior auro. Hæc ex vetuſtis illis membranis. Quæ etiam continebant Bedæ carmen de Virginitate: Et Paraphraſin in Pſalmum 83. & 112. ſed poëma de Virginitate exſtat in Eccleſiaſtica Hiſtoria Bedæ: Et Paraphraſis iam olim vulgata eſt cum Hortulo Rhabani Mauri.

Laus Deo, Virginiq́; Matri.

Digitized by Google

INGOLSTADII,
Ex Officina Typographica Ederiana, apud Andream Angermarium.

Anno M. DCIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Österreichische Nationalbibliothek
+Z20749020X
Digitized by Google

Digitized by Google